1
15 - 58
R/5048

A
914
58

1
15-58

R/5048

# R. P. D.
# ANTONINI
# DIANA
# RESOLVTIONES
# MORALES.

Compuesto de ... Montenegro
R-5048




BIBLIOTECA ... DE GRANADA

ILLVSTRISSIMO,

ET

# EXCELLENTISSIMO COMITI, D. FRANCISCO III. DE VIGINTIMILLIBVS MARCHIONI HIERACENSI, PRINCIPI CASTELBONI;

ANTONINVS DIANA, Clericus Regul. Sempiternam Felicitatem.

S*ATIS animo fluctuabam*, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, *quòd præſens munus diſſonum valdè, & alienum à tua dignitate viderem. Quid enim magnanimo Principi placet magis, aut in quo iucundiùs oblectatur, quàm in Romanorum Faſtis, in bellorum difficultatibus, in veterum Imperatorum triumphis, in Magiſtratuum adminiſtratione; in optima denique exercitus regendi, ac rempublicam gerendi ratione? Neque verò tibi eſt genius alius, aliáve indoles: neque aliud te profectò, quàm vel maximos Dynaſtas ſtudium tenet. Ex Regia namque Normandorum proſapia ortum cùm ducas; iure optimo inter primos tuæ ſtirpis auctores numeras* Riccardum Serlonem, *Rogerij Siciliæ Comitis ex fratre nepotem, qui Vigintimilliorum nomen, ex totidem cæſo Maurorum numero; & Familiæ tuæ gloriam vnà cum Hieracij Comitatu à patruo ſibi conceſſo propagauit in poſteros. Memoras etiam* Rogerium *Guglielmi II. Regis res optimo in ſtatu locantem:* Guglielmum *Irenæ Conſtantinopolitani Imperatoris filiæ matrimonio copulatum; ac* Henricum *vnà cum Patre Manfredi Regis partes ſequutum, ideòque à Gallis oppidis, ac ditione expoliatum, & à Petro demum Aragonio reſtitutum, qui pro Federico Rege plurimùm in Engij expugnatione inſudauit. His verò adnectis* Alduinum *Iſclæ maioris Comitem, in Burdigalenſi prælio Petri*

Regis commilitonem : Franciſcum I. ad Pont. Max. Legatum, inter Regni Proceres ferè præcipuum : Franciſcum II. Friderici III. Regis tutorem, Siciliæ Vicarium, & pacis cum Neapolitanis ſequeſtrem : Ioannem Hieracij Marchionem, qui poſt Neapolis Regnum Alphonſo Regi conſeruatum, Sicilia ſedata, Hiſpanis compoſitis, Boſferio Tunetano Rege fugato, Acarnaniæ Principe genero ſuo in priorem ſtatum reſtituto, Vexillifer denique Acarnaniæ Romanæ Eccleſiæ, Summ. Pont. ac Regi ſuo, priſtinam aſſeruit, & libertatem, & dignitatem. Quid de Antonio huius Regni Admirate, qui & Agatham Pratenſem, Iacobi II. Regis Aragonum neptem, & Margaritam Bauſiam Neapolitanæ Reginæ ſororem, quæ ad D. Ludouicum Francorum Regem genus ſuum referebat, vtramque habere meruit, in matrem illam, hanc in vxorem? Quid de Simeonibus Regni Siciliæ moderamina tam iuſtè multoties adminiſtrantibus; aut de Ioannis III. prudentia in eiuſdem Regni gubernatione, ac militari virtute, in ipſius à Turcarum claſſe tuitione, eloquendum foret? Cæterùm inſignes tot auorum Imagines, ideò effictas priùs arbitror à natura, vt in TVI procreatione ex his omnibus vnam, veluti Zeuxis, Tyndariden, efformaret, & clariſſimos inter Heroas, auito emicans ſplendore, tuóque generi generoſitate ſuperior extares, etiam mole virtutum. Quid ergò cum tanto Principe Moralium hæc Tractatio, quæ religioſo Antiſtiti aptiùs conueniret? Verùm, ſi non externam tantùm huius Voluminis faciem intuearis, illúdque voluas interiùs; inuenies profectò, quidquid deceat excelſum, probúmque Principem : reperies, qua ſe gerant prudentia Magnates in Comitiis, quídque in iis fieri iuſtè, iniuſtéve queat : & ſcies interim, quàm honorificè id fuerit à tuis quondam Maioribus præſtitum : cognoſces etiam, quantùm deferre Principes debeant Eccleſiaſticis Viris, ac locis. Quod vtinam ſic ſcirent omnes, in eadem, qua tu dignitate poſiti, & factis ſcientiam probarent, vt facile eſt à tua mihi probitate ſperandum magis, quàm optandum; & pleraque tibi huiuſmodi alia legenti occurrent Optimatibus neceſſaria. Sed anxiùs quidem, quàm par erat, de muneris congruitate ſcripſi, cùm tamen in hoc tibi Opere dicando magis egerim, quòd Opus eſſet, quàm quòd decens : non enim mihi aliud erat, quo tuorum in me, meúmque Ordinem meritorum copiam, vniuerſo teſtarer Orbi, tibique quoquo pacto gratificarer. Ades namque nobis veluti tutelare ſydus, & quos tuæ beneuolentiæ radiis illuſtras, tutaris influxu. Nec tamen pateris diei, noctiſque vices : noſtro enim bono ortum ſemel, occidis numquam; & dum in tuæ benignitatis Cælo verteris, quotidie innumeris, quibus nos cumulaſti beneficiis, maiora, & maiora adiungis in dies: vt nequeam meritò, quanta in te ſit benefici animi magnitudo, ſtylo, vel mente metiri. Faueas ergo, Excellentiſſime Princeps, & Regia humanitate, qua ſoles, Auctorem reſpicias, & Auctoris Opus, quod tuo vtique patrocinio fortunabis in æuum, ſi tuo, quo erit inſignitum nomine, publici fauoris ei viam aperies. Vale.



# AVCTOR AD LECTOREM.

PLVRIMVM, vt opinor, amice Lector, in hoc moralis doctrinæ ſtudio deſudaſti, & laboris moleſtiam fefelliſti certè auiditate ſciendi. Quare in librorum varietate diu errans, diúque in prolixitate laborans ingredere tandem facile, ac compendioſum iter, quod hoc tibi volumine indigitatur, & tuum tibi meo labore imminutum quidem eſſe cognoſces. Nam ea mihi ſcribendi ſemper animus fuit, quibus imbuantur, non obruantur ingenia. Sed vt verum fatear, nolens ſimul, & volens compendio ſcripſi : volens quidem, vt longam artem, quà poſſem, vitæ æquarem breuitati : nolens verò, quia ægra ſemper vtens valetudine, & innumeris præpeditus negotiis, nec ſi voluiſſem longiùs ire, potuiſſem. Non defatigaberis igitur, mi Lector, nec corpore, nec ingenio, quod tibi breuitas hinc, inde perſpicuitas dabit. Prolixitatem ſiquidem vehementer exoſus poſt ſimplicem ſententiam, eius addidi potiſſimam rationem, eiuſdémque præcipuos patronos; hoc tantùm prudenti cuilibet, ac docto viro ſuffeciſſe ratus. Acre tamen aliquod ingenium, & curioſum nimis, quia id ei per otium licebit, vberiorem forſitan cupiet doctrinam. At hoc ipſum apud Auctores inueniet in hoc Codice ſumma fide relatos, quorum multoties ſententias ad verbum tranſcripſi ex induſtria. Satis denique ipſe ſe tibi hic liber ſucceſſu temporis probabit. O quàm enim iucundum erit! ô quàm valdè benigniores tibi haſce Reſolutiones percurriſſe iuuabit? Multis te moleſtiis, ac maximis perplexitatibus liberum ſenties inter aliorum, vel confeſſiones excipiendas, vel ambiguitates enodandas. Senſi etenim, & memetipſum ego, cùm plurimis abhinc annis, in hac Domo Panormitana de arduis moralium conſular quotidie. Ex Auctoribus verò, recentiores, quia eis plurimùm defero, ſæpè, & libenter refero, penes quos antiquiores omnes facilè habebis; nam, vt cum Plinio loquar, (*lib.2. epiſt.21.*) ſum ex his, qui miror antiquos, non tamen, vt quidam, temporum noſtrorum ingenia deſpicio. Hoc namque virtuti ſemper accidit triſte, alio ſcilicet ſæculo naſci, alio laudari. Id quod deplorans Tacitus, ait, (*De orat.*) *vitio malignitatis humanæ, vetera ſemper in laude, præſentia in faſtidio eſſe.* Cæterum caue, ne ad multiplices opinionum varietates, quæ in moralibus, & in hoc maximè reperiuntur Volumine, hæreas animo, eáſque incuſes : quòd confuſionem mentibus ingerant. Caue, inquam, ne ſummam ſimul Omnipotentis æquanimitatem, ſuauéque diuinæ legis iugum accuſes, ac damnes. Cùm enim plura intra vnam veritatis ſemitam ita naturali lege claudantur, vt nefas ſit ab ea, vel latum vnguem, aberrare. In aliquibus tamen aliquam Deus nobis libertatem fecit, quorum videlicet veritatem, vt multiplici eam calle poſſemus adire, veluti in compito collocauit. Cúmque naturaliter varium ſit, præſertim in ſapientioribus, iudicium, variúmque ingenium; prudenter quiſque aget, ſi prudentum iudicio, ac rationis dictamine hanc, vel illam arripuerit viam. Qua in re rerum conditor, & humanæ conſuluit imbecillitati, & ſceleſtorum hominum exprobrauit improbitatem, quòd tam latum iter nimis malitioſè fallant. Vale, & dum has Priores Reſolutionum partes libenter libas; ſi quid benè de tuis me ſtudiis mereri ſenties, alteras quamprimùm expecta.

# BILIOPOLA LECTORI BENEVOLO, S.P.D.

*QVANTI ſit hoc Opus meriti, ac pretij* (LECTOR BENEVOLE) *vel hoc tibi erit argumento, quòd iam octauum numerat prælum, atque hoc quidem omnium longè caſtigatiſſimum, multiſque additionibus ad me ab ipſo Auctore tranſmiſſis locupletatum. Quippe huius nominis fama Italiam, Galliam, quodque magis mirere, Hiſpaniam vniuerſam (quæ auctores externos non facilè edit in lucem) ita peruagata eſt, vt vnus* DIANA *omnium ore celebretur, vnus omnium manibus teratur, vnus omnium calculis comprobetur. Ego quidem & publicæ vtilitati, & tanti Auctoris, quem ex animo veneror, dignitati conſulturus, nec operæ, nec ſumptibus parcendum duxi, vt quàm emendatiſſimus, ſuique ſimillimus Diana octauam hanc lucem ſalutaret, quod (niſi me ſuſcepti operis amor fallit) mihi videor aſſequutus. Sed tuum* (CANDIDE LECTOR) *malo eſſe iudicium quàm meum. Hæc ſanè lectio multiplices tibi pariet fructus. Nam ſiue in ſacro Moralis Theologiæ nemore venaris veritatem,* DIANA *optatam tibi prædam ſiſtet, nec te laboris pœnitebit: ſiue in tanta auctorum, ac ſententiarum varietate, velut in triuio poſitus, anceps animi hæres, huius* Triuiæ *ductu rectam inſiſtes viam, nec facilè deerrabis : ſiue anteacta vitæ pertæſus, diuini Pneumatis afflatu, nouam parturis, huius* Lucinæ *obſtetrice manu, pulchros pœnitentiæ fœtus felici niſu in lucem effundes, & numeroſam piorum operum prolem ex te ſoboleſcentem mirabere. Denique, vt verbo abſoluam, hic ſe tibi* DIANAM *probabit. Vale.*

# APPROBATIONES.

PRIMAM & ſecundam Partem Reſolutionum Moralium P. D. Antonini Dianæ Cler. Regul. poteſtate ad id nobis ſpecialiter facta à R. admodum Patre noſtro D. Philippo Maria Guadagnio eorundem Clericorum Regularium Præpoſito Generali, vidimus, doctámque iudicauimus: & nihil in ea contra fidem, aut bonos mores contineri affirmamus; ſed doctrinam ſolida ſtabilitate fundatam, Opus planè digniſſimum cenſemus, quod in communem vtilitatem edatur; nam in eo, quod præcipuum iudicamus, & difficillimum eſt, grauiſſimas Quæſtiones proponit, & explanat, nec vllam effugit difficultatem.

Panormi, in Ædibus Sancti Ioſephi, die 8. menſ. Septembr. anno 1628.

D. ANDREAS DE VIVO, Cler. Regul. Sacræ Theologiæ Profeſſor.

D. PAVLVS MARIA QVARTVS, Cler. Regul. Sacræ Theologiæ Profeſſor.

## D. PHILIPPVS MARIA GVADAGNIVS
### Præpoſitus Generalis Cler. Regul.

HOc Opus inſcriptum, *Prima & Secunda Pars Reſolutionum Moralium à P. D. Antonino Diana* compoſitum, & iuxta præfixam aſſertionem doctorum PP. quibus id commiſimus, approbatum, vt typis mandetur (quod ad nos ſpectat) facultatem concedimus. In quorum fidem, &c.

Dat. Panormi in Ædibus noſtris S. Mariæ de Catena, die 9. Septembr. anno 1628.

D. PHILIPPVS MARIA GVADAGNIVS Præpoſit. Generalis.

## CENSVRA R. P. IOSEPHI DE AVGVSTINO
### Societatis Ieſu, in Collegio Panormitano Studiorum Præfecti.

REuerendiſſimo Domino Vicario Generali. Vidi infraſcriptos Tractatus *Reuerendi Patris D. Antonini Dianæ*, nempe, *De Denunciationibus faciendis*, &c. *De Abſolutione ab hæreſi*, &c. *De Paupertate Religioſa*, &c. *De Contractibus, De Ieiunio, De Legibus, de Bulla Cruciatæ, De Horis Canonicis, De Opinione Probabili, De Celebratione Miſſarum, & tres Tractatus Miſcellaneos*: Et in his nihil reperi contrarium Fidei, aut bonis moribus; ſed exiſtimo Opus futurum omnibus valde vtile, præſertim Confeſſariis, & dignum, quod quàm primùm in lucem prodeat, cùm ſit Opus valdè laborioſum, & eruditum.

Panormi die 2. Decembris, 1628.

IOSEPHVS AVGVSTINVS Societatis IESV.

## CENSVRA R. P. IOAN. PETRI MVSTICA SOC. IESV
### in Collegio Panormitano Sacræ Theologiæ Lectoris.

VIdi tres Tractatus expoſitos à R. P. D. *Antonino Diana*, videlicet, *De Immunitate Eccleſiarum. De Immunitate Eccleſiaſtica. De Parlamento*, & nihil in eis inueni contrarium fidei, aut bonis moribus; imò cenſeo talia Opera futura eſſe valdè vtilia, & ideò digna, quæ imprimantur.

Panormi di e 4. Ianuarij 1629.

IOAN. PETRVS MVSTICA Societatis IESV.

NOs infraſcripti S. Theologiæ Doctores, fidem facimus, perlectum à nobis librum qui inſcribitur, *Reſolutiones Morales P. Antonini Dianæ*, omniáque in eo fidei Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ conſentanea reperta.

Lugduni die 21. Decembris, 1633.

FR. CLAVDIVS COCHET Ord. Prædic.

FR. STEPHANVS MOLIN Carmelita.

## SVMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI.

REGIS Chriſtianiſſimi priuilegio dato Pariſiis 1. Februarij, 1634. cautum eſt, ne quis in Prouinciis ſuæ ditioni ſubiectis, præter IACOBVM CARDON Bibliopolam Lugdunenſem, aut de illius facultate, Opus hoc, cui titulus eſt, *P. Antonini Dianæ Reſolutiones Morales*, intra decennium, à die editionis primæ computandum, mandare typis queat, ſub pœnis in eo contentis.

*De mandato Regis.*

Signatum, RENOVARD.

OPERA

# OPERA ET NOMINA AVTHORVM
## recentiorum, quæ in hoc volumine citantur ad conſtruendam optimam caſuum conſcientiæ Bibliothecam.

ADAMI Tanneri Societ. IESV in Summam D. Thom.

Alexandri Peregrini Clerici regularis Tract. de Duello. Item de immunit. Eccleſiarum. Item Scholia ad Priuilegia Religionis Cler. Regularium. Item Commentaria ad Conſtitutiones Clericorum Regularium.

Alexandri Ambroſini de Immunitate eccleſiaſtica ſuper Bullam Greg. XV.

Alexandri Peſantij Tractatus de immunitate eccleſiaſtica. Item in Summam D. Thom.

Alonſi de Vega Ordinis Minorum Summa caſuum conſcientiæ. Item Speculum Parochorum.

Aloyſij Turriani Societatis IESV in 2. 2. D. Thom. de fide, Spe & Charitate. Item de Iuſtitia, & Iure. Item de Pœnitentia & Cenſuris.

Aloyſij Riccij Deciſiones Curiæ Archiepiſcopalis Napolitanæ. Item Praxis Fori Eccleſiaſtici. Item Collectanea omnium Deciſionum.

Alphonſi de Leone Clerici Regularis Recollectiones, ſeu Tractatus de Iubileo. Item de officio & poteſtate Confeſſarij.

Alphonſi Veracruz ſpeculum coniugatorum.

Aſtreæ Vallenſis Paratitla Decretalium.

Alphonſi Regij Auguſtiniani Reſolutiones Caſuum Conſcientiæ.

Alphonſi Villagut Benedictini, Tract. de rebus Eccleſiæ non ritè alienatis. Item Allegatio in eadem materia. Item de vſuris.

Alphonſi de Madrig. Tract. de Epiſcopis, Parochis, Confeſſariis, &c.

Alphonſi de Mendoza Auguſt. Controuerſiæ Theologicæ.

Alphonſi Curiel Commentaria in 1. 2. D. Thomæ.

Andreæ Caſtaldi Clerici Regularis Praxis Ceremoniarum.

Andreæ Molfeſij Clerici Regularis Summa caſuum Conſcientiæ.

Andreæ Victorelli Notæ ad manuale Nauarri. Item de ſacramento extremæ Vnctionis.

Angeli de Clauaſio Summa caſuum Conſcientiæ, dicta Summa Angelica.

Antonij de Eſcobar examen Confeſſariorum.

Anton. Corduba Quæſtionarium Theologicum. Item Deciſiones Caſuum conſcientiæ. Item Expoſitio in Regul. Fratrum Minorum.

Antonij Fernandez Societatis IESV Inſtructio Confeſſariorum.

Antonij Naldi Clerici Regularis Summa Caſuum conſcientiæ.

Antonij Sanctarelli Societ. IESV Reſolutiones variæ. Item Tractatus de Hæreſi. Item de Iubileo.

Antonij de Souſa Dominicani Relectio in Bullam Cœnæ. Item Aphoriſmi Inquiſitorum.

Antonij Lazarij Quæſtiones Canonnicæ, ſiue de Monitoriis. Item Tractatus de Blaſphemia.

Antonij Ricciulli Tractatus de iure Perſonarum extra Eccleſiæ gremium exiſtentium.

Antonij Raguccij Lucerna Parochorum. Item Vas Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Item Tractatus de Officio Canonicorum.

Antonij Gomez Tract. in Bullam Cruciaciatæ.

Arnaldi Albertini de Hæreticis. Item de Secreto. Item de agnoſcendis aſſertionibus Catholicis, & Hæreticis.

Auguſtini Vigiani Diſputationes de Immunitate eccleſiaſtica.

Auguſtini Barboſa de poteſtate Epiſcopi. Item Collectanea Doctorum in Ius Canonicum. De officio Parochi. De officio Canonicorum.

Antonij de Litteratis Summa Caſuum Conſcientiæ.

Archangeli Rubeo de Sacramentis in 4. ſent.

Ægidij Coninch. Societ. IESV de Sacramentis. Item de Fide, Spe & Charitate. Item Reſponſio ad Diſſertationem impugnantem abſolutionem moribundi.

Alexandri Carrerij de Sponſalibus, & Matrimonio.

Antonij Saluatore Tract. de Recurſa & Contin. Cambiorum.

Alphonſi Narbona 3. pars Recopilationum Legum Hiſpaniæ.

Antonij Ruſſi Manuale Diffinitionum.

Aſcanij Tamburini de iure Abbatum.

Adami à Mauden Diſcur. in Decalog.

Arnaldi Albertini opera.

Aloyſij Bariola flores Inquiſitor, & Concilia moralia. Item Aphoriſmi Caſuum Conſcientiæ.

BAlthaſſaris Gomez de Ameſcua Tractatus de Poteſtate in ſeipſum.

Bartholomæi Fumi Summa Caſuum conſcientiæ, dicta Summa Armilla.

Bartholomæi Ledeſma Tract. de Sacramentis.

Bartholomæi ab Angelo Dominicani Examen Confeſſariorum, ac Ordinandorum.

Bartholomæi Vgolini Tractatus de Cenſuris. Item in Bullam Cœnæ. item de Vſuris. item de Simonia. item de Irregularitate. item Reſponſiones ad Tractatum 7. Theologorum. item Reſponſiones ad Iuriſconſultos Gymnaſij Patauini. item de Iuſtitia monitorij Pauli V. item de poteſtate Epiſcopi.

Bartholomæi Gyptij Tract. de Caſibus reſeruatis.

Bartholomæi Salonij Auguſtiniani Commentaria de Iuſtitia, & Iure in 2. 2. D. Thom.

Bartholomæi à S. Fauſto Congregationis Fulienſis Speculum Confeſſariorum. item Theſaurus Religioſorum. item de Horis canonic. item de Iubileo. item Theologia Moralis.

Bartholomæi de Vecchis Capuccini Praxis obſeruanda in admittẽdis Nouitiis.

Baſilij Pontij Auguſtniiani Theologi eminentiſſimi Tract. de Matrim. item de Impedimentis Matrimonij

Bernardi Diaz Practica Criminalis, cum Annotationibus Salzedi.

Bernardi Comenſis Lucerna Inquiſitorũ cum Annotationibus Franciſci Pegnæ.

Bernardi Iuſtiniani Clerici Regularis Tract. de Cambiis.

Bartholomæi Medina Dominicani Summa, ſiue Inſtructio Confeſſariorum. item in p. 2. D. Thom. item in 2. 2.

Bartholomæi Gauanti Commentaria in Rubricas Miſſalis, & Breuiarij, item Praxis Viſitationis Epiſcopalis. item Praxis Synodi Diœceſan. item enchiridion Epiſcoporum.

Bernardini Sandoual Tract. de officio eccleſiaſtico,

CAroli de Graſſis Tractatus de effectibus Clericatus.

Caroli Macigni Tractatus de Horis Canonicis.

Caroli de Graſſaliis Regalium Franciæ Libri duo.

Caſtilli de Bobadilla Politica Hiſpano idiomate conſcripta.

Claudij Soleri Tractat. de Iuridica Poteſtate Confeſſariorum.

Claudij Carnini Tract. de Vi, & Poteſtate Legum humanarum.

Collegij Bononienſis Reſponſum pro Libertate eccleſiaſtica.

Coſmæ Philiarchæ de Officio Sacerdotis.

Chriſtophori Anguiani Tract. de Legibus.

DIdaci Couarruuiæ Opera omnia.

Didaci Aluarez Dominicani in p. 2. D. Thomæ.

Didaci Nugni Dominicani de Sacramentis in 3. p. D. Thom.

Dominici Soto in 4. ſent. item de Iuſtitia & Iure, item de tegendo Secreto.

Dominici Bannez de Fide, Spe & Charitate. item de Iuſtitia & Iure.

Domitij Chamerota Tract. de Sacr.

Directorium Inquiſitorum cum commentariis Franciſci Pegnæ.

Dauid à Mauden in præcepta Decalogi.

EMmanuelis Rodriquez Franciſcani Commentaria in Bullam Cruciatæ, & Summa caſ. conſcientiæ nouiſſimè Hiſpano idiomate conſcripta, & aucta, item Quæſtiones Regulares.

Emmanuelis Sà Soc. IESV, cum Notis Victorelli.

Eraſmi à Chokier Tract. Iuriſdictionis ordinariæ in Exemptos, illorúmque exemption. ab ordinaria Iuriſdict.

Euangeliſtæ Roris examen Ordinand.

FErdinandi Matutæ Reſponſum pro Vectigali ſerico.

Ferdinandi Caſtri Palai Societatis IESV Opera Moralia.

Flauij Cherubini compendium Bul-

larum

larum S.P.cum Scholiis
Franciſci de Sola Franciſcani Theologi Eminentiſſimi Cõmentaria ſuper Bullam Clem.VIII. de largitione munerum, liber verè aureus, ex quo multa deſumpſi in Tr.de paupert.Religioſa.
Franc. Syluij Lectoris publici in Academia Duacen.in 2.2.D.Th. & in 3.p.
Franciſci de Pitigianis Franciſcani in 4. ſent. item Pract. Criminalis Can.
Franciſci Zipæi Ius nouum Pontificium.
Franciſci Torreblanca Tract. de Magia.
Franciſci Ortiz Franciſcani Summa caſuum conſcientiæ.
Franciſci Toleti Societatis IESV Summa cum Notis Victorelli.
Franc.Suar. Soc. IESV Opera omnia.
Franciſci Coriolani Capuccini Tract. de Caſibus reſeruatis.
Franciſci de Alcozer Confeſſionarium. item Summa & Tract. de Ludo.
Franciſci Coquetij Dominicani Diſſertatio de Confeſſione per literas, ſeu Internuntium.
Franciſci de Auila Diſſertatio de Confeſſione per literas,ſeu internuntium.
Franciſci Aponte Clerici Regularis,Tra. de poteſtate Proregis.
Franciſci Molini Tr. de ritu nuptiarum & Pactis in Matrimonio conuentis.
Franciſci Galetti Margarita Caſuum conſcientiæ.
Flaminij Pariſij Tract. de Reſignatione Beneficiorum, item de Confidentia beneficiali.
Franciſci Victoria Relectiones. Item Summa ſacramentorum.
Fructuoſi Biſbe Tract. de Comœdiis.
Franciſci Merolla Diſputationes in vniuerſam Theologiam moralem.
Franciſci Ripa Tract. de Simonia.
Franciſci Ghetis Theologia Moralis.
Franciſci Berti Reſol.ſuper Miſſam.
Fulgentij Pinelli lectura de Horis Canonicis.

Gabrielis Pereira Tract. de Manu Regia, Pars 1. 2. & 3.
Gabrielis Vaſquez Societ. IESV Opera omnia.
Gaſparis Hurtado Societ. IESV de Matrimonio, de Cenſuris.
Greg.Pollachi Tract. de Iubileo.Item de poteſtate Prælatorum Regularium.
Gregorij Seruantis Defenſio Immunitatis eccleſiaſticæ.
Gregorij de Valentia Societ. IESV in D. Thomam.
Gregorij Sayri Clauis Regia, item de Cenſuris.
Gregorij Martinez Dominicani Commentaria in 1.2. D.Thom.
Gulielmi Cantarelli quæſtiones in Decalogum.

Henriquez Societ. IESV Summa.
Henriq. de Villalobos Franciſcani Manuale Confeſſariorum, item Summa caſuum conſcientiæ.
Hieronymi Cenedo Dominicani de Paupertate Religioſa.
Hieronymi Campanili Diuerſorium Iuris Canonic.
Hieronymi Gonzalez Gloſſema in Regulas Cancellariæ.
Hieron.Sorbo Capuccini Compendium Priuilegiorum Mendicantium.
Hieron. Ceuallos Tr.de Cognitione per viam violentiæ in cauſis eccleſiaſticis.
Hieronymi Veneri Examen Epiſcop.
Hieronymi Llamas Summa, ſiue inſtructio Confeſſariorum.
Hieronymi Pharonij Benedictini Tract. de Sacram.Pœnitentiæ, & de reſtitutione.
Hieronymi Onuphrij Opuſculum de ſigillo Confeſſionis.
Hieronymi Rodriquez Compendium Quæſtionum Regularium.
Hectoris Felicij Tract.de Societate.
Homoboni de Bonis Clerici Regularis S.Pauli Examen Ecleſiaſticum, item Tract.de caſibus reſeruatis, item de ſtatibus humanæ vitæ.Item Concilia.
Horatij Gambaruptæ Tract. de caſibus reſeruatis.

Iacobi de Graffeis Concilia, item Deciſiones aureæ, item de arbitrariis Confeſſariorum, item de caſibus reſeruatis.
Iacobi Sbrozzij Tr. de Vicario Epiſcopi.
Iacobi Simancha Inſtitutiones Catholicæ, item Praxis hæreſeos.
Ioannis Valeri Carthuſiani Differentiæ vtriuſque Fori,Viri doctiſſimi,& eminentiſſimi, ac in Academiis Hiſpaniæ ſatis noti, vnde meritò multa ex illo collegi in Tract. de Paupertate Religioſa.
Ioannis Sancij ſelectæ,& practicæ diſputationes circa Sacramentum Pœnitẽtiæ,& Euchariſtię,Opus immortalitate digniſſimum, in quo Auctor acumen, & doctrinam luculenter demonſtrat; vtinam alios ingenij ſui fœtus in lucem emitteret.
Ioannis Malderi in p.2.D.Th.item in 2.2. item Tr. de ſigillo confeſſionis, item de abuſu reſtrictionum mentalium.
Ioannis Pauli Lancelloti Inſtitutiones Iuris Canonici
Ioannis Dominici Montagnola Dominicani Diſputatio de valore, & fructu Miſſæ.
Ioannis Petri Barchij Inſtructiones pro Confeſſariis Monialium.
Ioannis de Carthagena Franciſcani Propugnaculum de iure belli Romani Pontificis, item de Sacramentis.
Ioannis Baptiſtæ Poſſeuini liber de officio Curati.
Ioannis Chapeauillæ Tr. de modo miniſtrandi ſacramenta tempore peſtis, item de caſibus reſeruatis.
Ioannis Azorij Societ. IESV Inſtitutiones morales.
Ioannis Guttierrez Quæſtiones Canonicæ, item Tract.de matrimonio, & gabellis.
Ioannis Beltrani de Gueuara Propugnaculum Eccleſiaſticæ libertatis.
Ioan.Baptiſtæ Signio Tract. de reliquiis.
Ioan.Franciſci Capiblanchi Tr.de officio Baronum erga vaſſallos Burgenſes.
Ioannis à Cochier Tract.de permutationibus beneficiorum.Item de libertate Eccleſiaſtica.
Ioannis de Heuia Labyrinthus de commerciis, item Curia Philippica.
Ioan. Baptiſtæ Valenzuola Defenſio monitorij Pauli V. contra Venetos
Ioannis Medina Codex de Pœnitentia, & reſtitutione.
Ioannis Maldonati Societ.IESV de Sacramentis.
Ioannis Baptiſtæ Confecti Collectio priuilegiorum Mendicantium.
Ioannis Antonij Maſſobrij Tr. de Synodo Diœceſana Epiſcop. item Praxis habendi concurſum ad vacantes Parochiales Eccleſias.
Ioannis Petri Moneta Clerici Regularis S. Pauli Tr. de diſtributionibus. Item de decimis.Item de Optione canonica.Item de iudicibus conſeuatoribus. Item de Commutatione vltimarum voluntatum.
Ioannis de Salas Societatis IESV, Tract. de contractibus. Item de Legibus. Item in 1. 2. D. Thom.
Ioannis Præpoſiti Soc.IESV Commen.in 3.p.D.Thom,
Ioannis Kiene Tract. de caſib. reſeruatis.
Ioann.Baptiſtæ Bizozeri Summa caſuum conſcientiæ. Item de Sacramentis.
Ioſeph.de Hortu ſpeculum Parochorum.
Io. Honorij compendium Iuris Canon.
Ioannis Perlini Tra. de frequentia communionis.
Ioannis Narbona Tr. de appellatione à Vicario ad Epiſcopum.
Ioann. Baptiſtæ Antonutij Auguſtiniani Catecheſis Diœceſis Neapolitanæ.
Ioannis Franciſci Leonis Theſaurus fori Eccleſiaſtici.
Ioan. Tab. Dominicani Summa caſuum conſcientiæ, dicta Summa Tabiena.
Ioannis Mariæ Belletti Diſquiſitiones Clericales.
Ioannis Rojas ſingularia. Item de Hæreticis.
Ioan.Mariæ Nouarij Practicæ concluſiones, ſiue opuſculum nouum noui iuris Pontificij.
Ioan. de la Cruz Directorium conſcientiæ. Item de ſtatu Religionis.
Ioan. Baptiſtæ Scortia Soc. IESV conſtitutiones Pontif. item de ſacrif. Miſſæ.
Illelphonſi Perez de Lara de Anniuerſariis & capellaniis.
Ioſephi Angles Flores in libros ſententiarum.
Ioſephi de Neapoli Allegatio pro Vectigali ſerico.
Ioſephi de S. Maria. Tribunal Religioſ.
Ioſephi Aldretæ Soc. IESV de Religioſa diſciplina tuenda, item Allegatio pro Regularium exemptione.
Iulij Cæſaris Madij Tr. de Sacr.Ordin.
Iulij Cæſarij Raineri Catalogus cenſurarum, & irregularitatum.
Iuliani Viuiani Praxis iuris patronat.
Ioannis Baptiſtæ Conrado reſponſa caſuum conſcientiæ.
Ioannis Pedrazza Summa ſiue inſtructio confeſſorum.
Ioannis de Lapide reſolutionum dubiorum Miſſæ.
Io. Yribarne de ſacr. in 4. ſententiarum.
Iulij Lauorij de Iubileo. Item elucubrationes variæ.
Ioannis Franciſci Suarez Enchiridion caſuum conſcientiæ.
Ioannes VVigers in p.2.D.Thomæ. Item in 2.2.

Lactantij Finelli Tract.de caſibus reſeruatis.
Laurentij de Peirinis ex Ordine Minimorum Religioſus ſubditus,& Prælatus, item ſuper priuilegia eiuſdem Ordinis Minimorum.
Lælij Zecchij ſumma caſuum conſcientiæ. Iem de Republica Eccleſiaſtica, item de caſibus reſeruatis, item de Sacram. item de Beneficiis.



Opera, & nomina Authorum.

Leonardi Leſſij Societatis IESV de iuſtitia & iure.
Leonardi Duardi Clerici Regularis commentaria in Bullam Cœnæ, item de cenſibus.
Lucæ Floroni Tract. de caſibus reſeruatis,item de duello.
Lucæ Caſtellini Tract. de electione Canon.item de Canoniz.Sanctorum.
Ludou.de Miranda Franciſcani Ordo iudiciarius,item Manuale Prælat.
Ludouici de Beia Auguſtiniani Reſponſiones caſuum conſcientiæ.
Lud. Lopez Dominicani, Inſtructorium conſcientiæ,item de contractibus.
Lud. Monteſini in 1.2. D. Thomæ.
Ludouici de San Iuan Summa caſuum conſcientiæ.
Ludouici Molina Societatis IESV de iuſtitia,& iure.
Ludouici Carbo Tract. de Legibus,item de Reſtitutione.
Ludouici Parami de Origine Sanctæ Inquiſitionis.
Laurentij Portel Ordinis Minorum de Obſeruantia dubia regularia,cum nouis additionibus:ex quibus multa collegi in meo Tract. de Denunciatione, & de Abſolutione ab Hæreſi,& meritò; nam hic Author fuit vir doctiſſimus, & Lector Sacræ Theologiæ in Portugallia, cuius opera mira claritate, & eruditione referta, fuerunt approbata non ſolùm ab Ordinario,ſed etiam ab Officio S.Inquiſitionis,vt patet in Addit.fol.307.

Marcelli Megala Clerici Regularis Inſtitutiones confeſſariorum, item Concilia.
Marci Antonij Genuenſis Practicabilia Eccleſiaſtica, item Praxis Archiepiſcopalis,item Manuale Paſtorum.
Marci Ant. Cucchi Inſtit.iur. canon,
Marij Alterij de cenſuris.
Marij Antonini Reſolutiones variæ.
Martna de iuriſdictione.
Martini Fornarij Societatis IESV Inſtitutio confeſſariorum.
Martini Nauarri Opera omnia.
Martini Viualdi Candelabrum aureum.
Mart.Becani Soc. IESV Opera omnia.
Mart. Carrillo Itinerarium ordinandorum.
Martini Bonacina Opera omnia.
Martini del Rio Societatis IESV Diſquiſitiones Magicæ.
Marci Ant. Beraducij Summa Corona.
Melchioris Zambrani Deciſiones Caſuum conſcientiæ occurrentium tempore mortis.
Michaël.Zanardi Director. Confeſſar.
Martini Funes Speculum Morale.
Michaëlis de Palatio Praxis de contractibus.
Marij Italia Tract. de immun. Eccleſiaſt.
Memoriale Clericorum editum iuſſu Cardinalis Ludouiſij Archiep. Bononienſis,poſtea Greg. XV.
Martini de Ledeſma Commentaria in libros ſententiarum.
Michaëlis Timothei Quæſtiones in Diuinum officium & Miſſam.
Marci Antonij Luciani Enchiridion de Eccleſia & vnitate fidelium.
Melchioris Lotteris de re beneficiaria.
Mauricij Alzedij Praxis Epiſcoporum.

Nicolai Garziæ Tract. de Beneficiis.
Nic. à Grana Lumina conſcientiæ.
Nicolai Eymerici Director.Inquiſit.
Nicodemi de Florentia Speculum Confeſſariorum.

Pauli Areſij Clerici Regularis de Aquę Tranſſubſt.in ſacrif.Miſſæ.
Pauli Comitoli Societ. IESV Reſponſa Moralia,item Tract.Apologeticus cõtra Venetos,item de contractibus.
Pauli Piaſecij Praxis Epiſcopalis.
Pauli Salodij Praxis compendioſa de Viſitatione.
Pauli Fuſchi liber de Viſitatione.
Pauli Ciera Tract.de iure principum.
Pauli Layman. Societ. IESV Theol. Mor.
Pauli Fraxinelli Auguſtiniani Diſputatio de Obligationibus Sacerdotum ad Miſſas pro aliis ex iuſtitia celebrandas,item An Sacerdos teneatur dicere Miſſam de defunctis,vel eius vice poſſit dicere de Sanctis.
Pauli Squillanti Tract. de obligationibus Clericorum.
Cauli Glemonenſis Tract.de Legatis perpetuis, & aliis relictis Fratribus D. Franciſci de Obſeruantia.
Pauli Santori Tract. de caſibus Papalibus,& Epiſcopalibus.
Petri Ala Tr. de Chriſtiano Decurione.
Petri Tholoſani Partitiones Iuris canonici,item Commentaria in Ius canonicum.
Petri Binsfeldij Enchiridion Theologiæ paſtoralis.item de Simonia,de Vſuris, de iniuriis,& de Malefic.
Petri de Reyna Tract. de Sacramentis, & de cæremoniis Miſſæ.
Petri Nauarra de reſtitutione.
Petri Aragon.Auguſtiniani Comm.in 2.2. D.Thom.de iuſtitia,& iure.
Petri de Lorca Ordinis Ciſtercienſis in 1.2.D.Thom.item in 2.2.
Petri Cenedo Quæſtiones canonicæ.
Petri Fay Dominicani de Pœnitentia in 3.p.D.Thom.
Petri Bellochij Franciſcani Praxis Theologiæ Moralis, ſeu de caſibus reſeruatis.
Petri de Ledeſma Dominicani Summa caſuum conſcientiæ,cum Additionibus. Hic Author fuit vir eminentis literaturæ,& primarius Lector in Academia Salmanticenſi, vnde meritò plura ex illo decerpſi in Tract.de paupertate Religioſa,& in aliis.
Petri Corſerti Propugnatio pro Vectigali ſerico.
Petri de Soto Lectiones.
Petri de Cabrera de Sacramentis in 3.p. D.Thom.
Philippi Maynardi de priuil. Eccleſ. pro defenſione Monitorij Pauli V.
Philippi Fabri Franciſcani de Pœnitentia. item de Reſtitutione. item de Sacram.Ordinis,& cenſuris. item Commentaria in libros ſententiarum.
Proſp.Farinacij tract.de Hæreſi.item Appendix ſuper Bullam Greg. XIV. de immunitate Eccleſiarum.

Ricardi Hallo de quinquepartita cõſcientia, recta, erronea, dubia, opinabili,& ſcrupuloſa.
Rutilij Benzonij Speculum Epiſcoporum & Curatorum.
Rodobaldi Parini Tract. de Gabellis.
Raphaëlis Raſtellij Cler.Regul. Tract. de cenſuris in genere.
Raphaëlis de la Torre Dominicani Commentaria in 2.2. D.Thom.
Remigij Scophræ Opuſculum de inualiditate Profeſſionis.
Repertorium Inquiſitor. Authoris incer.
Romualdi Coli Dominicani Tract. de cambiis,vſura,cenſibus,&c.
Roderici Acuña in Decretum Gratiani.
Item Tract. de Confeſſariis ſollicitantibus, cum Additionibus Seraphini de Freita.Hic Auctor eſt vir doctiſſimus, & prius fuit Inquiſitor, & nunc meritò Archiepiſcopus Bracharenſis. Eius verò Additionator fuit Lector publicus in Acad.Valliſoletan. vnde meritò multa ex ipſis collegi in Tract. de Denunciationibus, & in Tract. de Abſolutione ab hæreſi.

Sigiſmundi Scaccia Tract. de commerciis.
Simeon. Maioli Tract. de irregularitate.
Simpliciani Muttini Theologia Moralis, ſiue de Sacramentis.
Steph. Emonerij Splendor Veritatis moralis,ſeu Diſput.de Veritate.
Stephani Fagundez Societ. IESV de Præceptis Eccleſiæ.
Stephani Quaranta Summa Bullarij.
Stephani de Auila Societ. IESV Tract. de cenſuris.
Summa Piſanella.
Syllueſt. Pieratæ Dominic. Summa caſ. conſcient.dicta Summa Syllueſtrina.
Syluij Tinti Tract. de Ordinat. Clericor.
Sebaſtiani Acoſta Explicatio in Bullam Cruciatæ.
Sebaſtiani Cæſaris Relectio de Eccleſiaſtica Hierarchia.
Sylueſter Bartochiccius de Votis Religioſorum.
Saluatoris Raſſi Tract. de caſib.conſc.
Scipion. de Rubeis Aphoriſm. Epiſc.
Sebaſtiani à Bononia Capucini Tractat. de Electione.

Thomæ Zerola Praxis Epiſcopalis. item Praxis de Sacramento Pœnitentiæ. item de Iubileo.
Thomæ Sanchez Soc. IESV de Matrimonio.item Summa.
Thomæ Boninſignio Dominicani Tract. de Venditione ad tempus, cambiis, cenſibus,&c.
Thomæ de Vio Caietani Summa cum Annotationibus Pauli de Palatio.
Thomæ de Mercato Dominicani Summa de contractibus.
Thomæ à Ieſu Maria, Liber de Regularium Viſitatione.
Thomæ à Ieſu de paup. Religioſa.

Valerij Reginaldi Societ. IESV, Praxis Pœnitentiæ. item de prudẽtia Confeſſarij,itẽ de Officio Pœnitentis.
Vincentij Filliucij Societ. IESV Quæſtiones Morales.
Virginij de Boccaciis Tract. de cenſibus ſuper Conſtit. Pij V. &c.
Vmberti Locati Praxis Inquiſitorum.
Volfandi è Vorburg Rudimenta Iuris canonici.
VVoltherus Streueſdorff in D.Thomam de iuſtitia & iure.

*SERIES TRACTATVVM MORALIVM his tribus R. P. D. Antonini Diana Partibus, recens locupletatis, contentorum.*

## PARS PRIMA.


I. De Immunitate Eccleſiarum ſuper Bullam Gregorij XIV.

II. De Immunitate Eccleſiaſtica.

III. De Comitiis, ſeu Parlamento Regni Siciliæ, & Neapolis.

IV. De Denunciationibus faciendis ex Edicto Dominorum Inquiſitorum, & de ſollicitatione facta in Confeſſione iuxta Bullas Clementis VIII. Pauli V. & Gregorij XV.

V. De Abſolutione ab Hæreſi, & aliis delictis pertinentibus ad Tribunal Sancti Officij.

VI. De Paupertate Religioſa ſuper Bullam Clementis VIII. de largitione munerum.

VII. De Circunſtantiis non neceſſariò in Confeſſione explicandis.

VIII. De Contractibus.

IX. De Ieiunio.

X. De Legibus.

XI. De Bulla Cruciatæ.


## PARS SECVNDA.


XII. De Horis Canonicis.

XIII. De Opinione probabili.

XIV. De Celebratione Miſſarum.

Et alij tres Tractatus Miſcellanei.


## PARS TERTIA.


I. De Immunitate Eccleſiaſtica.

II. De Dubiis Regularium.

III. De Abſolutione largienda moribundo ſenſibus deſtituto.

IV. De Sacramentis.

V. & VI. Miſcellaneorum.




# INDEX TRACTATVVM,

## & Reſolutionum primæ Partis.

### TRACTATVS I.

*De Immunitate Eccleſiarum.*


RESOL. 1. AN Conſtitutio Gregorij XIV. de immunitate Eccleſiarum, deroget iuri communi, & conſuetudinibus? pag. 1.

2. An, qui commiſit grauia delicta, extra homicidium, & mutilationem membrorum, in Eccleſiis, ſeu Cœmeteriis, hac immunitate gaudeat? 2

3. An, qui deliquit prope Eccleſiam ſub ſpe confugiendi ad eá, gaudeat poſteà ipſius Eccleſiæ immunitate? ib.

4. An, qui proditoriè voluit aliquem occidere, & deuenit ad actum proximum, ſed caſu non occidit; gaudeat immunitate? ibid

5. An, qui occidit inimicum, non proditoriè, ſed per inſidias, gaudeat immunitate? 3

6. An committens crimen læſæ Maieſtatis in perſonam Principis ſuperiorem recognoſcentis, gaudeat haç immunitate? ibid.

7. An rebellis, vel qui offendit ſtatuas, vel imagines Principi dicatas, gaudeat immunitate? ibid.

8. An miniſtri laicalis iuriſdictionis, poſſint in Eccleſia auferre reo arma prohibita? ibid.

9. An exiſtens in Eccleſia, vel in aliquo Monaſterio, & ex feneſtra pilam tormentariam iecit in alium extra Eccleſiam exiſtentem, & illum occidit; gaudeat immunitate. 4

10. An exiſtens in Eccleſia, mandans homicidium extra illam committi, vel exiſtens extra Eccleſiam, mandans homicidium intra illam committi, gaudeat hac immunitate? ibid.

11. An, qui in Eccleſia committit homicidium, vel membrum mutilauit, non deliberatè, ſed accidentaliter & calore iracundiæ, & prouocatus; gaudeat immunitate? ibid.

12. An reus confugiens ad Eccleſiam poſſit per Iudices Eccleſiaſticos, vel laicos puniri pœna exilij, vel ad perpetuum carcerem? 5

13. An, qui iam vicinus Eccleſiæ, cum ipſo ſatellite per vim intrat in Eccleſiam, & vt ſeſe de illius manibus eximat, vulnerat illum cum magna ſanguinis effuſione, gaudeat immunitate? ibid.

14. An, ſi conſtaret notoriè, reum non gaudere immunitate Eccleſiæ; poſſit illum Iudex ſæcularis extrahere ab Eccleſia ſine licentia Epiſcopi? ibid.

15. An ad incurrendam excommunicationem huius Bullæ ſufficiat actus attentatus: ibid.

16. An Iudex, qui non mandauit extrahere reum ab Eccleſia; ſed ſatellites, vel alij extraxerunt vi, vel dolo, teneatur reſtituere reum in Eccleſia; vel poſſit contra illum agi? 6

17. An confugiens ad Eccleſiam, geſtando ſecum ſclopetones, ſeu archibuſettos; gaudeat immunitate? ibid.

18. An reus, qui attentauit occidere aliquem proditoriè, effectu, & morte non ſequuta, gaudeat immunitate? ibid.

19. An teſtis, qui ſua falſa depoſitione fuit cauſa, vt quis morti traderetur; fugiens effracto carcere in Eccleſiam, immunitate gaudeat? 7

20. An, ſi quis occideret Fiſcum Regium, vel Præſidem Iuſtitiæ, gauderet immunitate Eccleſiæ? ibid.

21. An violantes Eccleſias frangendo fores, vel comburendo eas, gaudeant immunitate? ibid.

22. An Iudæus, Paganus, Saracenus, & quilibet infidelis, gaudeat immunitate Eccleſiæ? ibid.

23. An apoſtata à Religione gaudeat immunitate? ibid.

24. An Clerici gaudeant immunitate Eccleſiæ, ita vt ad Eccleſiam confugientes pro criminibus non exceptis in Bulla, ab eorundem Iudicibus eccleſiaſticis inuiti extrahi non poſſint ab ea? ibid.

25. An Religioſi gaudeant dicta immunitate, ita vt eorum Superiores non poſſint illos extrahere ab Eccleſiis; & quid, ſi delinquant in propriis Monaſteriis? ibid.

26. An reus amittat immunitatem, qui deceptus fuit ſubdolis verbis, & fallaciis, ad egrediendum ab Eccleſia; & Iudex poſſit illum punire? 9

27. An reus confugiens ad Palatium Epiſcopi, quod non ſit intra confines, & quadraginta paſſus; ſed longè ab Eccleſia diſtet; gaudeat immunitate? ibid.

28. An, ſi aliquis à ſatellitibus fugiens intraret in cubiculum ægrotantis, ad quem communicandum Sacerdos cum SS. Sacramento aduenisset; & ibi à dictis birruariis comprehenderetur, antequàm Sacerdotem tangeret: an is, inquam, immunitate gauderet? ibid.

29. An Hæreticus non ſolùm ob hæreſim, verum etiam ob alia delicta diſtincta ab hæreſi, careat immunitate Eccleſiarum? 10

30. An quis comprehenſus extra locum ſacrum; ſi per illum tamen ad carcerem ducatur, vel ad ſupplicium, & ad mortem trahatur per aliquam Eccleſiam; gaudeat immunitate? ibid.

31. An, qui ex propoſito, & ſub ſpecie amicitiæ proditoriè alapam alicui viro nobili inferret, vel cum fuſtibus eum percuteret; gauderet Eccleſiæ immunitate? ibid.

32. An mercator, qui fraudulenter decoxit, gaudeat immunitate? ibid.

33. An, qui occidit inimicum ex præmeditati animi deliberatione, *apoſtatamente*, vt vulgò dicitur, atque ex induſtria; non autem proditoriè, ſeu per inſidias; gaudeat immunitate? 11

34. An occidens Clericum gaudeat immunitate? ibid.

35. An occidens amicum reconciliatum, tanquàm proditor, careat immunitate? 12

36. Vtrùm, ſi quis veneno occideret aliquem, gauderet immunitate? ibid.

37. An Palatia Illuſtriſſimorum Cardinalium gaudeant immunitate. ibid.

38. An, qui vehementer ſuſpectus eſt de hæreſi, gaudeat immunitate Eccleſiarum? ibid.
39. De aliquibus Ioannis Sancij opinionibus circa immunitatem Eccleſiarum? ibid.
40. An damnatus ad triremes in vita, vel ad tempus, ſi confugiat ad Eccleſiam, gaudeat eius immunitate? ibid.
41. An Iudices, vel alij contrauenientes huic Conſtitutioni, ſint ab Epiſcopo abſoluendi, vel talis excommunicatio ſit Summo Pontifici reſeruata? 13

## TRACTATVS II.

### *De immunitate Eccleſiaſtica.*

RESOL. I. AN Clerici ſint iure humano, vel diuino exempti à legibus, & iuriſdictione Principum ſæcularium. 13
2. An Principes, vel Summus Pontifex poſſint reuocare hoc priuilegium eccleſiaſticæ immunitatis? 14
3. An Clerici poſſint tali exemptioni renunciare? ibid.
4. An per conſuetudinem, maximè ſi ſit immemorabilis, dicta immunitas reuocari poſſit? ibid.
5. An adſit tolerantia, & conſenſus tacitus Summi Pontificis cum dicta conſuetudine; ita vt Principes aliquid licitè efficiant aduersùs libertatem eccleſiaſticam? 15
6. An per aliquod priuilegium ſit in aliquibus Regnis ſupradictæ eccleſiaſticæ libertati derogatum? ibid.
7. An ſint aliqui caſus, in quibus Principes ſæculares poſſint pœnis coërcere Clericos? 16
8. An Eccleſiaſtici ſint exempti à legibus ciuilibus, quatenus cùm libertate Eccleſiaſtica non pugnant? ibid.
9. An ſæculares Magiſtratus poſſint cogere Clericos, vt triticum vendant, ſi neceſſitas adſit? 17
10. An miniſter laicus poſſit ſpoliare Clericum armis prohibitis? ibid.
11. An Iudex laicus, & eius miniſter poſſit capere perſonam eccleſiaſticam in flagranti crimine, & ducere illam ſine iniuria ad ſuum eccleſiaſticum Superiorem? ibid.
12. Quid ſentiendum, ſi non in flagranti crimine, ſed noctu cum armis prohibitis, vel mutato habitu Clericus inuentus ſit? 18
13. An miniſtri regij poſsint detinere in Cancellariis Bullas apoſtolicas, ad examinandum, & executioni mandandum? ibid.
14. An miniſtri Regij poſſint cognoſcere cauſas eccleſiaſticas per viam violentiæ, vt vulgò dicitur? 19
15. Quomodo ſit explicandus textus in cap. *filiis, vel nepotibus 17. quaſt. 7.* ibid.
16. An Iudex laïcus, ſiue eius miniſter, inueniens Eccleſiaſticos exportantes pecuniam, frumentum, & equos, &c. à Regno contra legem, poſſit talia auferre, ſine fractione libertatis eccleſiaſticæ, & timore excommunicationis. 20
17. An Legatus eatenus poſſit exercere iuriſdictionem in Regulares exemptos? ibid.
18. Vtrùm Epiſcopi, & Eccleſiaſtici, tanquàm inobedientes mandatis Regiis, vel ex aliis delictis, poſſint expelli à Regno? ibid.
19. An Princeps ſæcularis poſsit punire Clericum delinquentem ratione officij, ſibi ab ipſomet Principe conceſſi? 21
20. An perſonæ eccleſiaſticæ, quæ commiſerunt crimen læſæ Majeſtatis, per Principes ſæculares, & eorum Iudices puniri poſsint? 22
21. An Iudex laïcus poſsit citare Clericum creditorem, in confectione alicuius inuentarij? ibid.
22. An Iudex laïcus poſsit compellere Clericum ad reſtituendum depoſitum, quoties ſe obligauit reſtituere in tribunali iudicis ſæcularis. ibid.
23. An Iudex laïcus poſsit citare Clericum ad exhibenda iura ſua coram eo, quando eius debitor petit dilationem ex conſenſu maioris partis creditorum, vel ſi velit beneficium ceſsionis bonorum obtinere? ibid.
24. An Iudex laïcus poſſit punire Clericos, qui ſine habitu & tonſura immiſcent ſe in delictis grauiſſimis. 23
25. An Iudex laïcus poſsit iudicare cauſam Clericorum, qui hæredes ſunt alicuius ſæcularis; & cauſa ante eius mortem coram ſe incœpta? ibid.
26. An Iudex laïcus poſſit punire Clericum pœna pecuniaria, quia reuerentiæ ſigna illi non exhibuerit, vel quia coram ipſo deliquerit? 24
27. An Iudex laïcus poſſit punire Clericum, qui aſſumpſit habitum clericalem poſt delictum patratum, intentione ſubtrahendi ſe à ſæculari poteſtate? ibid.
28. Vtrùm Iudex laïcus poſsit in caſu contingenti cognoſcere de clericatu, vel de habitu? ibid.
29. An Iudex laïcus poſſit punire Clericos in minoribus conſtitutos? 25
30. An, ſi dictus Clericus habeat tantùm titulum, & collationem beneficij, non autem poſſeſſionem; gaudeat fori priuilegio, & ſit à iuriſdictione laïca exemptus; ibid.
31. An Clericus, qui habet penſionem tantùm ſuper aliquo beneficio, gaudeat, tanquàm beneficiatus, priuilegio fori, ita vt exemptus ſit à iuriſdictione ſæculari? ibid.
32. An Capellanus, cui capella in perpetuum, vel in titulum fuerit à Papa, vel Epiſcopo aſſignata; gaudeat priuilegio fori? ibid.
33. An Clericus gaudeat priuilegio fori, & ſit à laica iuriſdictione exemptus, ſi tantùm deferat habitum, & non tonſuram, vel è contra? 26
34. An Clericus, qui aliquando dimittit habitum, & tonſuram, amittat priuilegium fori, & Iudex laicus poſſit illum punire? ibid.
35. An Clericus incedens cum habitu, & tonſura, ſed non deſeruiens alicui Eccleſiæ; gaudeat priuilegio fori? ibid.
36. An Princeps poſſit imponere, & exigere gabellas à Clericis in minoribus conſtitutis? ibid.
37. An Princeps ſæcularis poſſit imponere, & exigere gabellas à Clericis non habentibus requiſita Concilij Tridentini *ſeſſ. 23. c. 6.* de quibus ſuprà dictum eſt? 27
38. An Princeps poſſit imponere gabellas ſuper bona Nouitiorum? ibid.
39. An Princeps laicus poſſit imponere gabellas ſuper bona Eccleſiaſticorum propter reparationem pontium, murorum, &c. 28
40. An Principes poſſint imponere gabellas ſuper bona patrimonialia Clericorum? ibid.
41. An Princeps, ſeu alius Superior laïcus ſine conſenſu Clerici poſſit imponere gabellas ſuper eius bona, ex aliqua publica neceſſitate, vt peſcis, &c. ibid.
42. An Superior laicus, quando Clerici tenentur ſoluere gabellas, poſſit illos ad ſoluendum compellere? 29
43. An Princeps poſſit imponere gabellas ſuper bona Clericorum ipſis donata, aut empta? ibid.
44. An Princeps poſſit imponere gabellas ſuper bona Clericorum, qui habitum clericalem aſſumpſerunt ſine intentione clericandi, ſed tantum in fraudem collectarum; 30
45. An licitè Senatus Panormitanus, & aliæ Reſpublicæ exigant gabellas ab Eccleſiaſticis, cum animo reſtituendi eas in fine anni? ibid.
46. An ſi Princeps, vel aliqua Reſpublica propter aliquam iuſtam cauſam augeret tantillum pretium carnis, vini, olei, &c. vt illud plus conuertatur in illam cauſam, non quidem in grauamen Clericorum hoc faciens principaliter, ſed generaliter in grauamen omnium, incurrat in excommunicationem Bullæ; ſi talem gabellam à Clericis exigat? ibid.
47. An Clericus negotiator, ſtatim ante trinam monitionem teneatur ſoluere gabellas; & Princeps laïcus illas ab illo poſſit licitè exigere? ibid.
48. An Principes imponentes gabellas, licèt iuſtas, ſuper bona Eccleſiaſticorum, incurrant in excommunicationem Bullæ Cœnæ? 31
49. An, ſi Princeps laïcus iuſtè ſtatuendo pretium legitimum vini, vult poſteà ſuper emptore laïco imponere gabellam, quàm extra pretium legale iuſtum dandum venditori, debeat ipſe emptor tribuere pro bono, & neceſſitate publica; talis gabella ſit contra immunitatem eccleſiaſticam? ibid.
50. An Princeps poſſit imponere, & exigere gabellam ab Equitibus D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ. 32
51. An miniſter laïcalis iuriſdictionis poſſit exercere iuriſdictionem circa Clericos coniugatos, non in criminalibus, ſed ciuilibus? 33
52. An Iudex laïcus poſſit punire Clericum aſſaſſinum? ibid.
53. An Iudex ſæcularis proceſſans occultè eccleſiaſticum in cauſa criminali, cum intentione poſteà proceſſum præſentandi Prælato; faciat contra libertatem eccleſiaſticam, & incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ? ibid.
54. An Principes poſſint ſtatuere, ne laïci vendant Clericis; ne molant, aut coquant panem, vel ne exhibeant aliqua ſeruitia, & obſequia? 34
55. An Principes, ſeu miniſtri Regij, faciendo litteras hortatorias ad Epiſcopos, vt ab aliqua mala determinatione deſiſtant vt eſt in vſu in Regno Neapolitano, faciant contra libertatem eccleſiaſticam, & incidant in cenſuras Bullæ. ibid.
56. An laicus ſit Iudex competens, quando agitur de poſſeſſorio matrimonij? ibid.
57. An ſtatutum diſponens, mulierem extra territorium nubentem, cùm ſua familia priuandam fore hæreditate, etſi ei ſit quæſita, ſit contra immunitatem eccleſiaſticam? ibid.
58. An ſit contra libertatem eccleſiaſticam concedere ſtatutum, vt immobilia non alienentur in extraneos, prohibendo expreſsè, ne alienentur in perſonas eccleſiaſticas? ibid.
59. Quædam ciuitates habent priuilegium, vt qui ad eas confluunt habitationis cauſa, non poſſint per quinquennium ab eorum creditoribus conſtringi: quæritur, an ſi Princeps in caſu particulari ſtatuat per publicam ſcripturam, ne aliqui debitores, inter quos nominat quendam Sacerdotem, poſſint dicto priuilegio frui; an, inquam, hoc ſtatutum ſit contra immunitatem eccleſiaſticam; 35
60. An, ſi Princeps ſtatuat, ne ſuis priuilegiis potiantur ij, qui ſibi ſubditi ſunt, faciat contra libertatem eccleſiaſticam, & Clerici illis non poſſint vti. 36
61. An, ſi Princeps conderet ſtatutum, abrogans aliud ſtatutum ſuum, quod Clericorum priuilegium continebat; peccet contra immunitatem eccleſiaſticam? ibid.
62. An Principes ſtatuentes, ne in eorum ſtatu poſſint ædificari de nouo Eccleſiæ, & Monaſteria, ſine eorum licentia, derogent immunitati eccleſiaſticæ? 37
63. An ſtatuta, quibus cauetur, ne quis poſſeſſionem apprehendat alicuius Eccleſiæ, vel beneficij, ſine facultate Principis, vel ſuorum miniſtrorum; ſit contra libertatem eccleſiaſticam? ibid.
64. An ſtatutum mandans, bona Eccleſiæ relicta infra certum tempus vendi, ſit contra libertatem eccleſiaſticam? ibid.
65. An Principes, ſi per aliqua ſtatuta diſponant de his, quæ ad funera, & exequias pertinent, efficiant contra libertatem eccleſiaſticam, & ſint excommunicati? ibid.
66. An, quando ſumus in dubiis, an aliquod ſtatutum ſit contra immunitatem eccleſiaſticam, debeamus opinionem, quæ fauet Eccleſiæ, amplecti? 38
67. An Iudex, & miniſter Regius poſsint cognoſcere cauſam, cùm agitur, vt Petrus, v. g. Clericus recuperet Eccleſiæ poſſeſsionem, à qua eſt electus per vim, vel retineat beneficij poſſeſsionem, in qua ab alio turbatur? ibid.
68. An ſit licitum Principibus, & Magiſtratibus laïcis, diſcutere facultates, & poteſtates alicuius Nuncij, qui in illam Prouinciam a Pontifice mittitur? ibid.
69. An ſtatuta prohibentia extractionem annonæ; videlicet, vini, frumenti, bladæ, leguminum, & huiuſmodi, extra territorium deferri, vt conſeruetur abundantia in Ciuitate, comprehendant Clericos extrahentes eius bona, vel fructus, à ſuis prædiis collectos? ibid.
70. An ſtatuta prohibentia introduci in ciuitatem vinum recollectum, vel aliud extraterritorium, comprehendat Clericos? 39
71. An lex, ſiue ſtatutum, quòd aliquis adiens hæreditatem, non facto inuentario, teneatur vltra vires hæreditatis, comprehendat Clericos? ibid.
72. An Clerico vendenti vinum, frumentum, &c. vltra taxam à Principe impoſitam, poſſit Iuſtitia ſæcularis dicta victualia in pœnam tollere, vt à lege ſtatutum eſt? ibid.
73. An Iudex laïcus poſſit ciuiliter, ſeu criminaliter cognoſcere cauſas aduersùs Equites D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ? ibid.
9. An foſſores, ferrarij, & ſimiles, qui excuſantur à ieiunio, teneantur ieiunare vno, vel altero die; quo non laborant? 143

10. An Prædicatores, & Magiſtri, qui publicè alios docent, teneantur ad ieiunium? ibid.

11. An Prædicatores, ſi ex mercede concionentur, teneantur ieiunare? & quid de Muſicis? ibid.

12. An aduocati, & Procuratores teneantur ieiunare? ibid.

13. An quis teneatur eos ſolos operarios vocare, qui cum moderato labore poſſunt operari ſine fractione ieiunij? ibid.

14. An prægnantes, & lactentes teneantur ad ieiunium? 144

15. Quid facere debeat dubitans, an teneatur ad ieiunium? ibid.

16. An, ſi quis violet duo ieiunia ab Eccleſia indicta in vnum diem incidentia, peccet dupliciter? ibid.

17. An licitum ſit in ieiuniis Iubilei, voti, & impoſitis pro pœnitentia, comedere oua, & lacticinia cum Bulla Cruciatæ? 145

18. An quis teneatur ad ieiunia ſui oppidi, dum abſens eſt? ibid.

19. An aliquis, vt effugiat obligationem præcepti, poſſit tranſire ad alium locum propinquum, vt non ieiunet ſi ieiunetur in ſuo? ibid.

20. An ſenes ſexagenarij, licèt robuſti, & validi, teneantur ad ieiunium? ibid.

21. An in hoc Siciliæ Regno diebus Quadrageſimalibus, & aliis ieiuniis, vſus ſaginimis ſit licitus habentibus Bullam Cruciatæ? 146

22. An, qui vouit ieiunare die Sabbathi, vel ſexta feria, teneatur ad id votum, ſi dies Natiuitatis venerit in his diebus? 147

23. An in die ieiunij bibere vinum ad ſuſtentationem, & famem ſedandam, ſit licitum? ibid.

24. An ſine ieiunij fractione licitum ſit ſumere interdiu parum cibi, ne potus noceat? ibid.

25. An diſpenſatus in eſu carnium cenſeatur diſpenſatus ad non ieiunandum? ibid.

26. An diſpenſatus, vt poſſit edere carnes, ſeu lacticinia, poſſit ſimul edere piſces? 148

27. An,

27. An, qui in diebus ieiuniorum notabiliter anticipat horam comedendi, peccet mortaliter? ibid.
28. An pater, ſeu dominus teneatur compellere filios, & ſeruos ad obſeruanda ieiunia, quæ frangere volunt? ibid.
29. An quis, ne inurbanus videatur, ſumendo modicum cibũ ab amico rogatus, peccet ſaltem venialiter? 149
30. An fœmina grauida ad vincendas carnis tentationes, teneatur ieiunare cum periculo prolis? ibid.
31. An in Quadrageſima licitum ſit ſine Bulla Cruciatæ edere, quod vulgò dicitur, *vn biſcoto*. ibid.
32. An, qui è medio prandio ſurgit, ad aliquid occurrens, poſſit poſteà redire ad continuandum prandiũ? ibid.
33. An in die ieiunij licitum ſit collationem ſerotinam manè ſumere, & nocturno tẽpore cœnã capere? 150.
34. An iuſculũ ex pane cocto, vel pane cum amygdalis, in ſerotina collatione adhiberi poſſit; etiamſi ſumatur in ea quantitate, quæ ſeparatim ſumi poſſet? ibid.
35. An collatio ſerotina in Vigilia Natiuitatis, ſit ſumenda in magna quantitate, ratione conſuetudinis? ibid.
36. An ieiunium indictum ab Epiſcopo pro certo die, vel fixa lege, & conſtitutione, obliget Regulares? 151
37. An, qui vouit certa die ieiunare, toties peccet mortaliter, quoties carnes comedit? ibid.
38. An licitum ſit, eum, qui paratus eſt cœnare inuitare cauſa vrbanitatis ad cœnandum? ibid.
39. An caupones, ſeu tabernarij proponẽtes cœnam in die ieiunij omnibus indifferẽter, peccẽt mortaliter? ibid.
40. An defeſſus ex labore ſumpto ob recreationem, vt ex ludo pilæ, vel ob quærendam concubinam, teneatur ad ieiunium? 152
41. In quibus ieiuniis prohibeantur lacticinia? ibid.
42. An paruulis ante expletum ſeptennium licebit miniſtrare carnes in diebus ieiunij, & quid de Paganis, & perpetuò amentibus? 153
43. An in die ieiunij paruitas materiæ excuſet in eſu carnium? ibid.
44. An in ieiunio ſecundò comedens, toties peccet poſt eà, quoties eodem die comederit? ibid.
45. An toties peccetur mortaliter, quoties in die ieiunij carnes comeduntur? ibid.
46. An, qui ad loca ſacra peregrinatur excuſetur à ieiunio? 154
47. An qui ex licentia comedit carnes in die ieiunij, poſſit comedere lardum, aut alias carnes nociuas? ibid.
48. Vtrùm, qui ob iuſtam cauſam comederet hora octaua, aut nona, ob iter agendum, v. g. aut hoſpitibus inſeruiendum, teneatur illo die ad ieiunium? ibid.
49. An pro obligatione ieiunij vigeſimus primus annus ſit computandus de momento ad momentum? ibid.
50. An proficiſcens à ciuitate, vbi non ſeruatur ieiunium, & accedens meridie ad locum domicilij, vbi ſeruatur; teneatur ſeruare ieiunium, ſi nondum violatum eſt? ibid.
51. An, qui niſi cœna accepta, dormire non valet, teneatur manè collationem ſumere, cœnam ad noctem differendo? 155
52. An excuſetur à ieiunio, qui labore aliquo defatigatur, quamuis illud in alium diem commodè differre queat, & etiamſi data opera, vt non ieiunetur, hoc ageret? ibid.
53. An, qui in die ieiunij tertia, vel quarta vice comedit, peccet ſaltem venialiter? ibid.


## TRACTATVS X.

### *De Legibus.*


Resolvt. 1. An vt leges humanæ, tam ciuiles, quàm pontificiæ, obligent, requiratur conſenſus, & acceptatio populi? 155
2. An peccent ſubditi, ſine cauſa non recipientes legem à Principe legitimè promulgatam? 156
3. An, quando dubium eſt, ſi lex ſit vſu recepta, necne, præſumendum ſit eſſe acceptam? ibid.
4. An, vt lex non obliget, ſit neceſſarius conſenſus tacitus Principis, vt, v.g. noſcat vſu legem non recipi, & tamen toleret? ibid.
5. An Epiſcopi, & Principes excuſentur, ſi non curant, vt leges Pontificiæ promulgentur, & recipiantur? 157
6. Vtrùm liceat ſupplicationem ſuper aliqua lege porrigere, & interim ſuſpendere eius obligationem, & illam minimè obſeruare? ibid.
7. An, vt lex per non vſum authoritate careat, requiratur certum tempus, & opus ſit aliqua præſcriptione? ibid.
8. An, vt leges pontificiæ obligent, neceſſe ſit, vt promulgentur in ſingulis Diœceſibus, & Prouinciis? ibid.
9. An leges pontificiæ non obligent, niſi poſt duos menſes à promulgatione facta? 158
10. An Princeps teneatur ſeruare ſuas leges? 159
11. An Regulares teneantur obſeruare leges ſynodales Epiſcoporum? ibid.
12. An Clerici ſubiiciantur legibus Principum ſæcularium, quæ ſpectant ad Reipublicæ gubernationem, & pacem, nec cum ſacris canonibus, & ſtatu Clericorum pugnant? ibid.
13. Solent plures aliquando in æſtate ſe transferre ad ciuitatem Montis Regalis: quæritur, an teneantur ad ieiunia, obſeruationem feſtorum, &c. illius loci? 160
14. An aliquis exiſtens in ciuitate Montis Regalis per aliquos dies, teneatur obſeruare feſta, vel ieiunia, quæ hìc Panormi obſeruantur; quod eſt quærere, an peregrinus teneatur ſeruare feſta, & ieiunia proprij domicilij, quæ non ſeruantur in loco, in quo reperitur? ibid.
15. An peregrini teneantur obſeruare leges locorum, in quibus reperiuntur? 161
16. An vagi teneantur ſeruare leges locorum in quibus reperiuntur? ibid.
17. An lex purè pœnalis in materia graui, obliget in conſcientia? 162
18. An Pragmatica, quæ in hoc Regno prohibet ferre ſclopetum, vulgò dictum *ſclopettoni*, ſub pœna capitis, obliget ſub reatu peccati mortalis? Quod eſt quærere, an lex prohibens aliquid ſub pœna mortis, mutilationis, perpetui carceris, damnationis ad triremes, confiſcationis bonorum, aut amiſſionis multorum bonorum, obliget ſub mortali? ibid.
19. An fraudantes vectigalia iuſta peccent, & teneantur ad reſtitutionem; ibid.
20. An lex pœnalis mixta obliget ſub reatu peccati mortalis? 163
21. An lex pœnalis eccleſiaſtica, putà excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, & irregularitatis, obliget ſub mortali? ibid.
22. An decretum Cardinalium editum contra Religioſos accedentes ad loquendum cum Monialibus, obliget ad peccatum mortale? ibid.
23. An lex pœnalis ipſo facto pœnam inferens, obliget non ſolùm in conſcientia, ſed etiam vt delinquens teneatur illam pœnam perſoluere ante Iudicis ſententiam? ibid.
24. An, qui per legem pœnalem priuatur ipſo facto voce actiua, & paſſiua, teneatur in conſcientia hanc pœnam ſubire ante Iudicis condemnationem? 164
25. An quando dubitatur, an obliget ad mortale, vel ad veniale, iudicandũ ſit obligare ſub mortali? ibid.
26. An lex pœnalis ex identitate rationis ſit extendenda ad alios caſus? ibid.
27. Vtrùm lex fundata in præſumptione obliget in conſcientia, ſi præſumptio in aliquo caſu particulari deficiat? 165
28. Vtrùm, quando ceſſat finis adæquatus legis in aliquo caſu particulari, ceſſet obligatio legis? ibid


29. An


29. An Declarationes Illuſtriſſimorum Cardinalium habeant vim legis? 166
30. Vtrùm, quando dubitatur, an conſuetudo fuerit inducta ex animo deuotionis, vel ex animo ſe obligandi, ſit præſumendum inductam fuiſſe animo obligandi? ibid.
31. An licitè poſſit Prælatus diſpenſare, quando dubitat, vtrùm cauſſa diſpenſationis ſit iuſta? ibid.
32. An diſpenſatio ſine cauſſa in lege propria, vel inferioris, ſit valida & an diſpenſans ſine cauſſa peccet mortaliter? 167
33. An valida ſit diſpenſatio Prælato inferiori bona fide diſpenſante in cauſſa non iuſta? ibid.
34. An ſit valida diſpenſatio facta ab inferiori in lege Superioris, non præcognita priùs cauſſa, quando reuerà cauſſa erat iuſta, & legitima? ibid.
35. An ſi Superior diſpenſet in propria lege ſine cauſſa, peccet mortaliter? & idem quæritur de ſubdito diſpenſationem petente? ibid.
36. An ſit valida diſpenſatio, quando erratur in nomine Diœceſis, vt ſi Petrus ſit Diœceſis Panormitanæ, & dicatur eſſe Diœceſis Meſſanenſis? ibid.
37. An Epiſcopus poſſit diſpenſare non admonito Summo Pontifice, quem in caſu pauperum ſuis ſumptibus admonere poteſt? 168
38. An valida ſit diſpenſatio circa irrègularitatem homicidij, ſi non fuit explicata circunſtantia ſacerdotij, ſi occiſus erat Sacerdos? ibid.
39. An poſſit peti diſpenſatio ſuper aliquo impedimento matrimonij, tacito alio, in poſterum diſpenſando? ib.
40. An ſi quis obtinuit diſpenſationem ad contrahendum cum affine, vel conſanguinea, ſed ea minimè ſit vſus, poſtea petens aliam diſpenſationem cum alia conſanguinea, vel affine, teneatur in hac ſecunda petenda mentionem prioris diſpenſationis facere? ibid.
41. An, ceſſante cauſſa diſpenſationis, ceſſet ipſa diſpenſatio. 169
42. An taciturnitas rei reddat ſubreptitiam diſpenſationem, quando tacetur aliquid, quod ſecundùm ſtylum Curiæ eſt neceſſariò declarandum? ibid.
43. An regulæ Cancellariæ obligent in foro interiori? ibid.
44. An diſpenſatio inter conſanguineos, vel affines, ſit ſubreptitia, non facta mentione de copula habita inter eos? 170


## TRACTATVS XI.

### *De Bulla Cruciatæ.*


Resol. 1. An gratiis, & indultis Bullæ Cruciatæ poſſit quis frui extra Regna, vbi Bulla non publicatur? 170
2. An tempore interdicti ſi quis habeat Bullam, teneatur audire Sacrum? ibid.
3. An Bulla Cruciatæ det priuilegium illam ſumentibus, vt in ieiuniis alicuius Iubilei poſſint edere lacticinia? ibid.
4. An per priuilegium Bullæ diſpenſatus in eſu carnium, cenſeatur diſpenſatus ad ieiunandum? 171
5. An Regulares, & Presbyteri ſæculares ſumendo Bullam, poſſint diebus Deminicis Quadrageſimæ, vti lacticiniis? ibid.
6. Vtrùm, quando quis ſuſcipit Bullam, debeat eſſe in gratia? ibid.
7. An per Bullam Cruciatæ Confeſſor approbatus ab Ordinario in vna Diœceſi, poſſit in alia in Confeſſorẽ, ſine noua Ordinarij loci approbatione eligi? ibid.
8. An per Bullam Cruciatæ poſſit quis eligere in Confeſſarium habentem beneficium curatum? 172
9. An approbatus ab Epiſcopo cũ limitatione ex defectu ætatis, vt hìc Panormi efficitur, ad Confeſſiones virorum, & non mulierũ, ſit eligibilis per Bullam Cruciatæ, non ſolùm à viris, ſed etiam à fœminis? ibid.
Vide etiam in addit. ſecund. reſol. 9. 249
10. An Sacerdos approbatus ab Ordinario pro vno oppido, ſit eligibilis per Bullam Cruciatæ? 172
11. Vtrùm Confeſſarius, qui pro determinato tempore fuit approbatus, & expoſitus, ſit tranſacto illo tempore per Bullam eligibilis? 173
12. An Confeſſarium olim approbatum, ſed poſtea ab Ordinario ſine cauſa, & illegitimè reprobatum, poſſit, virtute Bullæ, aliquis eligere ad eius confeſſionem audiendam? ibid.
13. An Confeſſarius Regularis ab Epiſcopo approbatus, ſed prohibitus à Prælato Religionis, ſit hoc non obſtante per Bullam ad confeſſiones audiendas eligibilis? ibid.
14. An Regulares ſine licentia ſuorum Prælatorum, virtute Bullæ Cruciatæ, poſſint eligere Confeſſarium, vt illos à peccatis, & caſibus reſeruatis, ſeu cenſuris abſoluat? ibid.
15. An Nouitij Regularium poſſint ſumere Bullam, & virtute ipſius à caſibus reſeruatis abſolui? 174
16. An, qui peccat ob ſpem abſolutionis Bullæ, gaudeat ipſius priuilegio: & idem quæritur de Iubilæo. ibid.
17. An, quis per Bullam poſſit abſolui à reſeruatis & cenſuris, non ſolùm ante, ſed etiam poſt ipſius ſuſceptionem incurſis: & idem quæritur de commutatione votorum, &c. ibid.
18. Quis per Bullam, ſeu virtute Iubilei eligit Confeſſarium, & facit cum illo confeſſionem inualidam, & irritam, vel ex defectu doloris, ſeu examinis, vel ex alio capite obtinendo abſolutionem à reſeruatis: quæritur an dicta peccata non ſint amplius reſeruata, ita vt poſteà poſſit à quocunque Confeſſario ab illis abſolui. 175
Vide etiam Reſol. 16. in Addit. ſecund. 253
19. An qui fuit abſolutus virtute Bullæ Cruciatæ, ſine vlla mentione, & intentione reſeruatorum, tam ex parte ſui, quàm ex parte Confeſſarij; licèt remaneat abſolutus à peccatis reſeruatis oblitis, aut etiam remaneat liber ab obligatione poſteà confitendi illa peccata reſeruata legitimo ſuperiori, ſi amplius non habeat Bullam Cruciatæ, vel an poterit abſolui à quocumque Confeſſario? 175
20. An per Bullam Cruciatæ detur facultas recipiendi Euchariſtiam, præterquam in die Paſchatis de manu ſimplicis Sacerdotis, ſine licentia Parochi, ſiue Epiſcop? & idem quæritur de ſacr. extr. Vnct. 176
21. An, quando commutantur vota per Bullam Cruciatæ, non ſolùm diuitum, ſed etiam vota pauperam commutanda ſint in temporale aliquod belli ſubſidium per eleemoſynam? ibid.
22. An, qui vigore Bullæ Cruciatæ fuit abſolutus ab excommunicatione, ſine ſatisfactione partis, teneatur iterum confiteri, tanquam non legitimè, ſed nulliter abſolutus? ibid.
23. An Confeſſarius electus per Bullam Cruciatæ, poſſit abſoluere pœnitentem, qui ſolùm ſatisfecit Clerico, vel Monacho percuſſo? 177
24. An Confeſſarius electus virtute Bullæ, poſſit abſoluere pœnitentem, qui non poteſt ſatiſfacere? ibid.
25. Vtrùm virtute Bullæ poſſit quis extra confeſſionem abſolui à cenſuris: & idem quæritur de Iubileo? ibid.
26. Vtrùm virtute Bullæ Cruciatæ liceat abſoluere excommunicatos nominatim, vel publicos percuſſores Clericorum, vel alium, cuius excommunicatio deducta eſt ad forum contentioſum, & lis non eſt finita? 178
27. An per Bullam Cruciatæ ſit diſpenſabilis omnis irregularitas, quæ eſt pœna? ibid.
28. An Confeſſarius poſſit abſoluere pœnitentem ex vi Bullæ pluries à caſibus Sum. Pontifici reſeruatis? 179
Vide etiam in Addit. ſecund. Reſol. 17. 254

# Index Tractatuum, & Reſolutionum Partis I.


29. Quoniam Confeſſarij, virtute Bullæ Cruciatæ, poſſunt abſoluere à caſibus Bullæ Cœnæ, hæreſi excepta, ſemel in vita & ſemel in morte, quærendum eſt breuiter de aliquibus caſibus incluſis in dicta Bulla: ideò quæritur, quid dicendum de aliis caſibus poſitis in primo canone Bullæ Cœnæ, an includantur ſub nomine hæreſis, ita vt per Bullam Cruciatæ minimè poſſint abſolui? 179

30. Quænam paruitas materiæ excuſet ab excommunicatione legendo libros hæreticos; & an legentes ſint abſoluendi per Bullam Cruciatæ? 180

31. An, qui legit librum Hæretici, qui non tractat de religione ex profeſſo, neque continet multas hæreſes, ſed vnam tantùm, incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ, ita vt per Cruciatam ſit abſoluendus? ibid.

32. An qui legit librum Authoris Catholici, ſed cum Scholiis, & Commentariis Hæreticorum tam cópioſis, vt liber potiùs ex eis, quàm ex textu conſtare cenſeatur, incidat in Bullam Cœnæ, & per Cruciatam ſit abſoluendus? ibid.

33. An, qui non per ſeipſum, ſed per alios legit aliquem librum Hæretici, hæreſim continentem, ſeu ex profeſſo de Religione tractantem, incurrat in excommunicationem Bullæ, ita vt per Cruciatam ſit abſoluendus? ibid.

34. Vtrùm qui legeret epiſtolam, ſeu literam miſſiuam alicuius Hæretici, in qua hæreſim doceret, in hanc excommunicationem incurreret, vnde virtute Cruciatæ abſoluendus ſit? 181

35. An, qui legerit librum hæreticum in Gallia, Anglia, & aliis Prouinciis, vbi Bulla Cœnæ non eſt recepta, incidat, hoc non obſtante, in excommunicationem, & egeat Bulla Cruciatæ propter abſolutionem? ibid.

36. Vtrùm idiota legens librum hæreticum Latina lingua compoſitum, quam ipſe nullo modo intelligit, incidat in excommunicationem Bullæ, ita vt per Cruciatam ſit abſoluendus? ibid.

37. An qui intelligens librum eſſe hæreticum, comburit illum, & non Inquiſitoribus tradit, incurrat in excommunicationem huius Canonis? ibid.

38. An imponentes gabellas ſuper rebus, quæ ad proprium vſum, vel familiæ emuntur incidat in excommunicationem Bullæ, & per Cruciatam ſint abſoluendi? 182

39. An commutatio votorum facta per priuilegium Bullæ Cruciatæ, indigeat aliqua iuſta cauſa? ibid.

40. An commutatio voti facta per Bullam, poſſit fieri in minus bonum? 183

41. An Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ poſſit quemadmodum vota, ita etiam iuramenta facta circa eandem materiam votorum commutare? ibid.

42. An Confeſſarius, qui per Bullam Cruciatæ habet poteſtatẽ commutandi vota, poſſit illa diſpenſare? ibid.

43. An Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſſit commutare vota iuramento firmata? ibid.

44. An Confeſſarius peccet, ſi ſine iuſta cauſa nolit virtute Cruciatæ commutare vota pœnitentis? ibid.

45. An commutatio voti virtute Bullæ Cruciatæ debeat fieri in Confeſſione ſacramentali? 184

46. An Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſſit commutare votum pœnale quoad pœnam pecuniariam ex eius fractione, incurſam? ibid.

47. An Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſſit commutare votum emiſſum in fauorem tertij: vt, v. g. vouit Petrus dare Calicem pro ſacello B. Andreæ, aut certo pauperi eleemoſynam, &c. ibid.

48. An Confeſſarius ex iuriſdictione ordinaria poſſit commutare votum in bonum æquale, vel ad hoc faciendum indigeat Bulla Cruciatæ? ibid.

49. An Confeſſarius virtute Cruciatæ commutans aliquod votum abſque debita æqualitatis inueſtigatione, peccet mortaliter? ibid.

50. An Confeſſarius poſſit commutare vota poſt Bullam ſuſceptam emiſſa? 185

51. An per Bullam Cruciatæ poſſit Confeſſarius commutare votum factum de non petenda commutatione? ibid.

52. An Confeſſarius in fine anni poſſit differre commutationem voti, etiamſi annus Cruciatæ tranſeat, ſi velit maturiùs conſiderare ſuper voti commutationem, dicendo pœnitenti; Commuto tibi hoc votum in id quod ego, vel alius poſteà exiſtimabit commutandum? ibid.

53. An votum pœnale Religionis, ſeu caſtitatis, ſit per Bullam diſpenſabile? ibid.

54. An ſupradicta doctrina procedat etiam in votis conditionalibus? ibid.

55. An votum ingrediendi Religionem arctiorem, poſsit Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ commutare in laxiorem Religionem? ibid.

56. An Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ poſsit commutare omnia vota, quæ Epiſcopus commutare poteſt? ibid.

57. An Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſsit commutare votum caſtitatis, quando fuit emiſſum pro tempore limitato? 186

58. An per Bullam poſsit Confeſſarius commutare votum non petendi debitum? ibid.

59. An votum non nubendi ſit per Bullam Cruciatæ diſpenſabile? ibid.

60. An Confeſſarius poſsit commutare votum virginitatis, quando conſtat, non eſſe votum caſtitatis, ſed ſolius integritatis corporis ſeruandæ? ibid.

61. An Confeſſarius per Bullam poſsit commutare votum non fornicandi, non tenendæ certæ mulieris, non committendi actum mollitiei, aut abſtinendi ab alio actu venereo? ibid.

62. An per Bullam ſit commutabile votum caſtitatis coniugalis? 187

63. An per Bullam Cruciatæ poſsit Confeſſarius commutare votum diſiunctiuum, cuius altera pars eſt reſeruata: vt ſi aliquis diceret: Voueo caſtitatem, & Ordinem ſacrum. ibid.

64. An Confeſſarius per Bullam poſsit commutare votum aſſumendi Ordines ſacros? ibid.

65. An in caſu poſito ſuprà, quando emittitur votum diſiunctiuum, nempe, Voueo caſtitatem, vel ſuſcipere Ordines ſacros, an ſi vouens ſtatueret poſteà non ordinari; ex vi voti determinatè obligetur ad caſtitatem; ita vt Confeſſarius non poſsit ampliùs votum illud virtute Cruciatæ commutare? ibid.

66. An ſi quis adſtrictus voto caſtitatis ad nuptias tranſeat, poſsit Confeſſarius virtute Bullæ commutare tale votum, vt poſsit petere debitum? ibid.

67. An Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſsit commutare votum, quando diuerſis votis varia ad caſtitatem pertinentia ſunt promiſſa, ita vt ex omnibus illis iunctis conſurgat obligatio ad perfectã caſtitatem? ibid.

68. Quænam vota poſſit Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ commutare? 188

69. An Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ poſſit commutare iuramenta pœnalia, vel conditionalia caſtitatis, ſeu Religionis? ibid.

70. An Confeſſarius virtute Cruciatæ poſſit commutare votum caſtitatis vxoris, vel viri, tempore matrimonij conſummati emiſſum? ibid.

71. An Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſſit commutare materiam ſubrogatam, in quam fuit commutatum votum reſeruatum caſtitatis, ſeu Religionis, vel vltramarinæ peregrinationis? ibid.

72. An Confeſſarius poſſit commutare votum caſtitatis, ſeu Religionis, emiſſum cum expreſſa proteſtatione, ne ad illorum executionem vouens ſit obligatus ſub onere peccati mortalis, ſed tantùm venialis? ibid.

73. An

73. An Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſſit commutare votum caſtitatis, ſeu Religionis emiſſum propter leuem metum? ibid.

74. An Confeſſarius poſſit commutare per Bullam Cruciatæ votum diſiunctiuum, modo, quo ſuprà diximus, quando materia non reſeruata effecta eſt impoſſibilis, ita vt vouens nequeat partem non reſeruatam adimplere, ſed tantùm partem reſeruatam? 189

75. An per Bullam Cruciatæ poſſit quis commutare votum emiſſum cum intentione efficiendi illud reſeruatum, vt, ſcilicet, votum à nullo poſſit auferri, niſi petita commutatione à Summo Pontifice? ibid.

76. An Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ, poſſit commutare votum vouendi caſtitatem, ſeu Religionem? ibid.

77. An Confeſſarius, virtute Cruciatæ, poſſit commutare votum Religionis Melitenſis? ibid.

78. An per Bullam Cruciatæ poſſit Confeſſarius commutare votum Religionis D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ? ibid.

79. An Confeſſarius, virtute Bullæ Cruciatæ, poſſit commutare votum perſeuerandi in Religione, vt tempore Nouitiatus liceat ex cauſa iuſta egredi? 190

80. An Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ poſſit commutare votum Religionis, vt ex iuſta cauſa non impleatur tempore præſcripto? ibid.

81. An virtute Bullæ Cruciatæ poſſit Confeſſarius commutare votum caſtitatis coniugalis? ibid.

82. An per Bullam Cruciatæ Confeſſarius poſſit commutare votum caſtitatis emiſſum cum licentia alterius coniugis? ibid.

83. An Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſſit commutare qualitatem adiunctam voti vltramarini? ibid.

84. An Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſſit commutare votum caſtitatis, ſeu Religionis, emiſſum à perſona alterius poteſtati ſubiecta, vt à coniugata, ſeruo, vel filio ſine licentia viri, domini, vel patris? 191

85. An, qui obtinuit commutationem alicuius voti per Bullam Cruciatæ, poſſit redire ad votum priùs, omiſſo eo, in quod facta eſt commutatio? ibid.

86. Eſt in aliqua Eccleſia Regularium Altare priuilegiatum, in quo per Miſſam liberatur anima à Purgatorio; ſuſpenditúrne hæc gratia per Bullam Cruciatæ? ibid.
Vide etiam reſol. 22. in Addit. ſecund. 256

87. An Bulla Cruciatæ ſuſpendat priuilegia conceſſa in iure communi, eaque, quæ vſu toleratæ conſuetudinis approbantur? 191

88. An Bulla Cruciatæ ſuſpendat Indulgentias Regularium? ibid.

89. An ſub nomine Mendicantium in Bulla Cruciatæ includantur etiam alij Religioſi, qui mendicantes non ſunt, ſed ex beneficio Sedis apoſtolicæ eorum fruũtur priuilegiis? ibid.

90. An, ſi quis ſcit patrem, vel amicum quolibet anno Bullam Cruciatæ illi ſumere, poſſit vti dictis priuilegiis, antequàm pater, vel amicus certiorem illum faciat de Bulla iam ſumpta eius nomine? 192

91. An, ſi elapſo anno Bulla non promulgatur, ſed paulò pòſt promulganda erit, poſſit quis intra illud tempus frui priuilegio primæ Bullæ? ibid.

92. An in magna Ciuitate, vt hîc Panormi, quis non teneatur primo publicationis die accipere Bullam, ſi eius priuilegiis vti velit; ſed ſufficiat, quòd poſteà in illa hebdomada ſumat? ibid.

93. An, ſi ante elapſum annum promulgetur ſecunda Bulla, poſſit quis vti priuilegio primæ Bullæ; donec tranſeat annus, non obſtante publicatione alterius Bullæ? ibid.

94. An ſi quis ſub fine anni, quo expirat Cruciata, incipiat confiteri; & quia non poteſt ob iuſtas cauſas confeſſionem finire, & abſolutionem obtinere, poſſit Confeſſarius tranſacto anno virtute præcedentis Bullæ illum abſoluere? ibid.
Vide etiam reſol. 24. in Addit. ſecund. 256

95. An, ſi aliquis ſumat pro amico Bullam Cruciatæ, & ſcribat in ea eius nomen; poſſit hic illam non acceptare, ſed nomen ſuum tollere, & illam alicui applicare? 193

96. An per clauſulam Bullæ Cœnæ ſuſpendatur Bulla Cruciatæ? ibid.

97. An per Iubileum anni ſancti, Bulla Cruciatæ ſuſpendatur? ibid.

98. An priuilegia Bullæ Cruciatæ ſint fauorabilia, & ampliãda? ibid.

99. An Prælati Regulares peccarent mortaliter prohibendo, ne ſubditi ſumant Bullam Cruciatæ? ibid.

100. An Bulla Cruciatæ ſuſpendat priuilegia Regularium commutandi vota, & in eis diſpenſandi, & abſoluendi à reſeruatis? 194
Vide etiam Reſol. 23. in Addit. ſecund. 256

101. An valeat Bulla ſumpta ex pecuniis ablatis, furatis; & quid ſi meretrices illam ſumant? 194

102. An ſufficiat ad lucrandas Indulgentias Bullæ Cruciatæ, viſitare ex vno loco quinque altaria ſine motu corporali? ibid.
Vide etiam Reſol. 25. in Addit. ſecund. 257

103. An, ſi quis non poteſt ingredi Eccleſiam, quia eſt plena hominibus, conſequatur Indulgentiam Bullæ, viſitando talem Eccleſiam à foris, vt ſibi poſſibile eſt? 194

104. An ſupradicta Indulgentia Bullæ obtineri poſſit multoties eodem die? ibid.

105. An pro lucranda Indulgentia ſupradicta, ſufficiat ſuſcipientem Bullam confeſſum fuiſſe in Quadrageſima præterita, & habere propoſitum confitendi in Quadrageſima futura? 195

106. Quomodo Confeſſarius tempore mortis debeat impertiri Indulgentiam moribundo? ibid.

107. An ad lucrandas Indulgentias Bullæ teneatur quis confiteri, ſi non habet mortalia peccata, ſed tantùm venialia? ibid.

108. An poſſit Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ applicare Indulgentiam moribundo ſenſibus deſtituto, qui petiit anteà Confeſſionem? ibid.

109. Quoties per Bullam Cruciatæ lucretur quis Indulgentiam plenariam? 196

110. An Commiſſarius Cruciatæ poſſit diſpenſare in aliquibus irregularitatibus? ibid.

111. An Commiſſarius Cruciatæ poſſit diſpenſare ſuper irregularitate publica, contracta tamen ex delicto? ibid.

112. An poſſit diſpenſare in irregularitate proueniente ex homicidio caſuali, & iniuſta mutilatione membrorum? ibid.

113. An Commiſſarius Bullæ poſſit diſpenſare in irregularitate contracta propter ſimoniam? ibid.

114. An irregularitas incurſa propter hæreſim occultam, ſit diſpenſabilis per facultatem conceſſam Commiſſario Bullæ Cruciatæ? 197

115. An irregularitas contracta per malam ſuſceptionem Ordinum, quia ſuſcipiens erat excommunicatus, vel ſuſpenſus, ſit per Commiſſarium Cruciatæ diſpenſabilis? ibid.

116. An Commiſſarius poſſit dipenſare in aliquo impedimento matrimonij? ibid.

117. An primus ille gradus, in quo poteſt Commiſſarius diſpenſare, intelligendus ſit in vtraque linea tranſuerſali, & recta? ibid.

118. Quando dicitur impedimemtum occultum, vt poſſit Commiſſarius Bullæ diſpenſare? 198

119. An, quando Commiſſarius diſpenſat in impedimento, opus eſt, vt qui ignorauit impedimentum, certior de illo efficiatur? ibid.

# INDEX TRACTATVVM,
## & Reſolutionum ſecundæ Partis.

### TRACTATVS XII.
#### *De Horis Canonicis.*


Resol. 1. PETRVS beneficiatus in quadam ciuitate huius Regni, per ſpatium ſeptem annorum recitauit Officium ſine debita attentione, & hoc voluntariè. Quæſitum à me fuit, an teneatur ad reſtitutionem fructuum, qui vncias ſexcentas ſuperabant. 199

2. Proximæ diſputationi meritò adiuncta ſit iſta: An Clerici Religioſi, &c. recitantes Horas canonicas ſine attentione, ſaltem virtuali, ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ lato in cap. *Dolentes.* ibid.

3. Sæpiùs coactus ſum reſpondere ad iſtam dubitationem; An quis impleat præceptum recitandi Horas canonicas, ſi in Officio feriæ recitet Officium alicuius Sancti, vel alterius feriæ. 200

4. Quæritur, an aliquis peccet mortaliter, ſi officium diuinum recitat cum notabili interruptione inter Pſalmos eiuſdem Horæ, vel Nocturni, vel inter ipſos Pſalmos. 201

5. Vtrùm ſi quis omittat omnes Horas vnius diei, committat tantùm vnum peccatum, an plura? ibid.

6. Quidam Canonicus recitabat Officium, non tamen canendo cum aliis in choro; quæritur, an hoc facere potuerit ſine peccato mortali, & diſtributiones quotidianas lucrari? ibid.

7. An Canonici confabulantes in choro, aut exercentes aliquas actiones præfatæ attentioni externæ repugnantes, teneantur ad reſtitutionem diſtributionum quotidianarum? 202

8. Quidam Sacerdos habebat beneficium curatum cum multis oneribus, vt Miſſa, &c. & per multos annos multoties reliquit Horas canonicas; quæſiuit à me, an teneatur reſtituere in integrum omnes fructus interim perceptos? ibid.

9. Petrus habebat beneficium perexiguum, & tenue, & relinquebat ſæpiùs recitationem Horarum canonicarum, quæritur, an peccauerit, & teneatur ad reſtitutionem? ibid.

10. An Regulares, vel alij, relicta conſuetudine, vel Religionis, vel Eccleſiæ, ſecluſo aliquo præcepto, poſſint priuatim diuinum Officium ſecundùm Breuiarium Romanum recitare? 203

11. An, qui priuatim diuinum Officium recitat, debeat ita illud pronuntiare, vt ſe ipſum audiat? ibid.

12. An, qui priuatim diuinum Officium perſoluunt, debeant alternatim lectiones recitare, vel ſatisfaciant, ſi vnus tantùm illas recitet, & alter ſocius tantùm audiat? 204

13. An qui detinetur in pulſandis Organis, vel thure prębendo, &c. teneatur per ſe ipſum illam partem recitare, ſi ſaltem non audierit. ibid.

14. Vtrùm recitantes Officium extra Horas præſcriptas peccent mortaliter? ibid.

15. An, ſi quis recitaret Matutinum ſequentis diei, antequàm Officium illius diei perſolutum fuerit, peccaret mortaliter, & non ſatisfaceret præcepto? ibid.

16. Vtrùm, ſi aliquis inuertat ordinem Officij, vel ordinem eiuſdem Horæ, peccet mortaliter? ibid.

17. Vtrùm Moniales, ſeu deputati ad chorum, teneantur ſub onere peccati mortalis, perſoluere Horas canonicas? ibid.

18. Vtrùm Monachus fugitiuus teneatur recitare Officium diuinum. 205

19. Vtrùm Superior cum ſuis Religioſis poſſit diſpenſare circa obligationem recitandi Officium diuinum. ibid.

20. Vtrùm Clerici minores teneantur recitare Pſalmos, quos Epiſcopus in ordinatione iniunxit? ibid.

21. An Beneficiarius teneatur perſoluere Horas canonicas, ſtatim ac beneficij collationem acceptauit? ibid.

22. Vtrùm, qui ratione Ordinis ſacri, & beneficij tenetur perſoluere Horas canonicas; ſi illas non recitet, peccet dupliciter, & ſit iſta circumſtantia in Confeſſione aperienda? 206

23. An, qui omiſit aliquo die omnes Horas canonicas, vel notabilem illarum partem, teneatur in Confeſſione aperire id, quod omiſit; vel ſufficiat dicere, ſe mortale peccatum commiſiſſe in non perſoluendo diuinum Officium? ibid.

24. An beneficiarius, qui alio die ſupplet defectum in recitatione Officij commiſſum, liberetur ab onere reſtitutionis? ibid.

25. An beneficiarius non recitans primis ſex menſibus, teneatur iure naturali ad aliquam reſtitutionem? ibid.

26. Quænam pars Officij omiſſa à beneficiario ſit leuis, vt non obliget ad reſtitutionem? ibid.

27. Cui ſit facienda reſtitutio ex omiſſione Horarum. 207

28. Quando Medicus dubitat, an propter timorem grauis damni teneatur infirmus dicere Horas canonicas, an ipſe æger illas perſoluere ſit obligatus? ibid.

29. An æger, qui poteſt recitare maiorem partem Officij, teneatur illam perſoluere? ibid.

30. An, ſi quis non haberet Breuiarium, ſed ſciret Pſalmos, teneatur illos dicere ſine Lectionibus in Matutino, vel Capitulis, & verſiculis in Horis? ibid.

31. An Canonicus, qui abeſt à choro ſine cauſa, animo amittendarum diſtributionum, tempore abſentiæ reſpondentium, peccet mortaliter? ibid.

32. An, qui recitat Officium cum notabili abſciſſione vltimarum ſyllabarum, peccet mortaliter, & teneatur denuò recitare? ibid.

33. An qui ſubmiſſa voce aliis canentibus, perſoluit Horas canonicas, poſſit percipere diſtributiones. 208

34. An beneficiarius, ſi intra annum per octo, vel decem dies omiſit Officiũ, teneatur ad reſtitutionem? ibid.

35. An, ſi aliquis habeat Priuilegium recitandi Breuiario breui, vel dicendi Horas ante tempus, poſſit ſocius





eius recitare eodem modo cum illo abſque culpa? ibid.

36. An Prælatus Religioſis addictis Breuiario Romano poſſit in publica recitatione ex cauſa iuſta diſpenſare in Officio vnius diei, vna, vel altera vice? ibid.

37. Qui incepit recitare Officium, animo non ſatisfaciendi pro tunc, ſed poſteà iterando; & tamen pertæſus, poſteà vult ſatisfacere illa prima recitatione: quæritur, an ſatisfaciat obligationi cum illa prima recitatione? ibid.

38. An Prælati regulares ratione Officij teneantur ad aſſiſtentiam Chori? 209

39. In qua hora poſſit quis dicere Matutinum ſequentis diei? ibid.

40. Vtrùm Clerici Religioſi damnati ad triremes, teneantur dicere Horas canonicas? ibid.

41. Quænam paruitas materiæ excuſet à peccato mortali in omnibus Horis canonicis? ibid.

42. An quis teneatur priuatim recitare Litanias in diebus Rogationum, ſi non adſit in choro, ſiue in Proceſſionibus? 210

43. An qui haberet diurnum, teneatur recitare Pſalmos ſine Lectionibus, & Reſponſoriis? ibid.


### TRACTATVS XIII.
#### *De opinione probabili.*


Resol. 1. AN ſit licitum relicta opinione probabiliori, & magis tuta, ſequi opinionem probabilem, & minùs tutam. 210

2. An in adminiſtratione Sacramentorum liceat ſequi opinionem probabilem, & minùs tutam, relicta probabiliori, & tutiori. ibid.

3. An Iudex poſſit iudicare ſecundùm probabilem opinionem, communi, & probabiliori relicta. 211
Vide etiam reſol. 13. in Addit. ſecund. 212

4. An Aduocatus, probabiliori relicta, poſſit conſulere ſecundùm opinionem probabilem, in cauſa ſanguinis, vel amiſſionis omnium bonorum? 211

5. An Aduocatus poſſit ſequi opinionem Antonij Fabri, Cuiacij, & ſimilium Iuriſconſultorum. ibid.

6. An Aduocatus, non ſolùm in cauſa probabili, ſed etiam in cauſa dubia poſſit patrocinari? 212

7. An Medicus, ſi iuxta regulas Medicinæ non habeat medicamentum certum, poſſit ſequi opinionem minùs probabilem circa aliqua medicamenta, relicta probabiliori. ibid.

8. An Rex poſſit bellum gerere ex opinione probabili, licèt ab altero Rege poſſideatur regnum, etiam cum opinione probabili. ibid.

9. An, quando fas eſt ſequi aliquam opinionem probabilem in vita, etiam liceat ſequi illam in articulo mortis? ibid.

10. An, quando varietas opinionum verſatur inter ſuperiorem, & ſubditum teneatur ſubditus obedire? ibid.

11. An Confeſſarius teneatur ſequi pœnitentis opinionem? 213

12. An opinio ſpeculatiuè probabilis, ſemper in praxi tutò amplecti poſſit? ibid.

13. Quænam opinio eligenda ſit; illa, quæ eſt fauorabilis Sacramento; an illa, quæ eſt fauorabilis ſuſcipienti? ibid.

14. An reſponſor caſuum conſcientiæ poſſit conſulere in his, quæ pertinent ad vtilitatem interrogantis, iuxta aliorum opinionem, contra propriam? ibid.




### TRACTATVS XIV.
#### *De celebratione Miſſarum, iuxta Decreta Vrbani VIII.*


Resol. 1. AN Epiſcopi vigore Concilij Tridentini poſſint reducere Miſſas in fundatione appoſitas? 214

2. An Epiſcopi poſſint reducere Miſſas ad minorem ſummam, quæ fuerunt relictæ poſt Concilium Tridentinum? ibid.

3. An reductio Miſſarum ſit ab Epiſcopo facienda in ſynodo? ibid.

4. An Generales Religionum poſſint abſque Capitulo ſicut diximus probabiliter ab Epiſcopis, abſque Synodo reducere Miſſas ad ſummã minorem? ibid.

5. An prædicta facultas moderandi Miſſas, comprehendat etiam anniuerſaria, & officia pro defunctis? ibid.

6. An Generales Religionum poſſint diſpenſare, vt certarum Miſſarum cum multis collectis celebratione, plurium Miſſarum oneribus Regulares ſubditi ſatisfaciant? 215

7. Quando ſtipendium Miſſæ fuerit ab Epiſcopo, vel à conſuetudine taxatum, ſi petens Miſſam, non det ſtipendium integrum, & iuſtum, an poterit Sacerdos ab vno, vel à diuerſis tot parua huiuſmodi ſtipendia accipere, quæ iuſtæ eleemoſynæ æquiualeant, & vnum tantùm pro omnibus illis Miſſæ ſacrificium offerre? ibid.

8. Vtrùm Sacerdos pauper poſſit prò vna Miſſa accipere tot ſtipendia, quot ſufficiant ad eius diurnam ſuſtentationem? ibid.

9. An ſacerdos in diebus feſtiuis poſſit accipere pro vna Miſſa duplicatum ſtipendium? ibid.

10. An Sacerdos, qui eleemoſynam accepit pro dicendis Miſſis, poſſit poſteà per alios ſatisfacere minori pitantia ſine peccato, & onere reſtitutionis? ibid.

11. An ſupradicta prohibitio extendatur ad Capellanum, cui pro paucis Miſſis dicendis pingue ſtipendium reſpondet, ſi per alium Sacerdotem ſacra efficiantur, data ei ſtipe iuſta, & conſueta? 216

12. An dicta prohibitio extendatur ad Sacerdotem, qui à viro amiciſſimo accepit pro dicenda Miſſa duplicatum ſtipendium, & ipſe per alium Sacerdotem ſatisfacit, dato ei iuſto ſtipendio? ibid.

13. An hæc prohibitio extendatur etiam, quando exceſſus conſueti ſtipendij ſponte condonatur? ibid.

14. An hoc decretum DD. Cardinalium prohibeat Sacerdoti partem ſuam Miſſæ alteri applicare: quod eſt quærere, an Sacerdos poſſit duplex ſtipendium pro vna Miſſa accipere, applicando vni partem ſolitam, & alteri ſuam partem? ibid.

15. An Sacerdos pauper, qui pro die occurrenti non habet eleemoſynam pro Miſſa celebranda, poſſit Miſſam celebrare, & illam applicare primo offerenti ſtipendium, quem Deus ſcit futurum primum? 217

16. An detur aliquis caſus, in quo Sacerdoti liceat Miſſas celebrare anticipatè? ibid.

17. An, ſi Petrus reliquit centum aureos pro centum Miſſis, in aliqua Eccleſia celebrandis, ſi augeatur ſtipendium præſtandum Sacerdotibus, teneatur hæres data capacitate hæreditatis ſupplere illam eleemoſynam? ibid.

18. An Epiſcopus poſſit compellere Capellanum, vt per ſeipſum celebret, ſi in fundatione poſitum ſit, quòd Capellani celebrent. ibid.

19. An ſimplex Sacerdos, nullo impedimento detentus, peccet mortaliter non celebrando, modò communicet in Paſchate, nec adſit ſcandalum, vel contemptus? ibid.

20. An Sacerdos, Corpus Chriſti ab alio miniſtro, pro deuotione, ſeu in die Paraſceues, ſumens, debeat ſtolam eccleſiaſtico præcepto adhibere, Cap. *Eccl. diſt.* 23. 218

21. An, ſi feſtum Annunciationis veniat in die Sabbathi maioris hebdomadæ, ſint in illa die celebrandæ plures Miſſæ in Eccleſiis? ibid.

22. An Sacerdos excommunicatus celebrans committat duplex peccatum, non præmiſſa Confeſſione, ſciens ſe teneri vinculo peccati, & cenſuræ? ibid.

23. An Sacerdos, qui miniſtrat aliis cum peccato mortali in Miſſa, vel extra Miſſam, ſacram Euchariſtiam, peccet mortaliter? ibid.

Vide etiam in Addit. ſecund. reſol. 5. 248

24. An Sacerdos celebrans in peccato mortali peccet tripliciter, nempe, quia indignè conſecrat, indignè offert, & indignè ſumit Corpus Chriſti? 218

25. An Sacerdos peccet mortaliter, differendo celebrationes Miſſarum ad longum tempus? 219

26. An Parochus teneatur celebrare pro ſuis ouibus, & quoties, & an teneatur illis aliquas Miſſas applicare? ibid.

27. An Capellanus ægrotans per aliquot dies, teneatur per alium Sacerdotem Miſſas celebrare? ibid.

28. An Sacerdos obligatus quotidie celebrare, poſſit ex cauſa maioris honeſtatis vnam Miſſam in hebdomada omittere? ibid.

29. An Sacerdos inſtitutus, & obligatus ad celebrandum in certo templo, oratorio, vel altari peccet alibi celebrando? ibid.

30. Vtrùm Sacerdos, qui in diebus Dominicis, vel in aliis feſtis duplicibus celebrat aliam Miſſam votiuam, verbi gratia, vel de requie, &c. peccet mortaliter? 220

31. An Sacerdos, qui certis diebus ex accepto ſtipendio, vel ex fundatione Capellaniæ debet dicere Miſſam de B. Virgine, de Spiritu ſancto, vel de requie, &c. poſſit illis diebus dicere Miſſam currentem in Miſſali præſcriptam. ibid.

32. An Sacerdos obligatus dicere Miſſas D. Gregorij, teneatur illas dicere ſine interruptione, & omnes de requie? ibid.

33. Sacerdos in qua hora poteſt incipere Miſſam? ibid.

34. Sacerdos in qua hora diei poſſit finire Miſſam? 221

35. An Sacerdos poſſit tres Miſſas ante auroram celebrare? ibid.

36. An Sacerdos poſſit dicere Miſſam ante matutini Officij celebrationem? ibid.

37. An, deficientibus particulis, poſſit Sacerdos partem Hoſtiæ alteri præbere? ibid.

38. An ſecluſo ſcandalo, & contemptu liceat ſine cauſa iuſta, celebrare extra Eccleſiam? 222

39. An in nocte Natiuitatis, Sacerdos nolens celebrare omnes tres Miſſas, ſed vnam tantùm, poſſit relinquere primam Miſſam, & dicere ſecundam, vel ſi placuerit, tertiam? ibid.

40. An Sacerdos regularis peccet mortaliter, ſi in Canone Miſſæ pro nomine Epiſcopi, ponat nomen Generalis ſuæ Religionis? ibid.

41. An Sacerdos, cùm ſacris veſtibus ſe induit, peccet mortaliter, relinquendo orationes poſitas in Miſſali, quas ſe induendo Sacerdotes dicere ſolent. ibid.

42. An Sacerdos in Miſſa maiori peccet, ſi non legat ſubmiſſa voce Epiſtolam, & Euangelium poſteà à Subdiacono, & Diacono canendum? ibid.

43. An Sacerdos peccet mortaliter, celebrando Miſſam ſine miniſtro, ne careat Miſſa, in die feſto? ibid.

44. An Sacerdos, in caſu neceſſitatis, poſſit fœminam in reſponſione Miſſæ adminiſtram adhibere? ibid.

45. An Sacerdos in neceſſitate celebrans, cum vno lumine olei, vel adipis, peccet mortaliter? 223

46. Vtrùm Sacerdos peccet mortaliter, ſi in aliquo loco, vbi non adeſſet Miſſale, celebraret Miſſam? ibid.

47. An Sacerdos, qui præterita die applicauit Miſſam pro Petro, & poſteà Miſſam celebrando, nihil de applicatione ſacrificij cogitauit, ſatisfecerit ſuæ obligationi: quod eſt quærere, an Sacerdos in Miſſa actualiter, vel virtualiter debeat applicare ſacrificium pro eo, qui dedit ſtipendium. ibid.

48. Sacerdos, ſi ante Miſſam confeſſus ſit, & poſteà celebrando, peccatum mortale in Confeſſione oblitum in mentem venit; vtrùm teneatur in tali caſu elicere actum contritionis de illo peccato? ibid.

49. Vtrùm Sacerdos, qui ex intentione non nominat aliquem Sanctum eorum, qui in Canone Miſſæ ponuntur, peccet mortaliter? 224

50. An Sacerdos, Miſſam nouam celebrans, poſſit ſe in medio altaris ad populum vertere, & oblationes ab ipſo ſponte factas accipere? ibid.

51. An Sacerdos, qui noctu miſit, ad raucedinem faucium leniendam, ſaccarum in os, paulatim deglutiendum; ſi illud durauerit poſt mediam noctem, & dubitat, an aliquas partes illius in ſtomachum traiecerit, poſſit Miſſam celebrare? ibid.

52. Vtrùm Sacerdos, qui manè ſolet deglutire aliquid ex propriis vnguibus, vel papyri, &c. poſſit celebrare Miſſam? ibid.

53. An Sacerdos poſſit communicare ſeipſum extra Miſſam. 225

54. An dictus Sacerdos, in tali caſu poſſit ſe communicare, qualibet hora diei poſt meridiem. ibid.

55. An Sacerdos in celebrando, non obſeruans rubricas Miſſalis, peccet mortaliter? ibid.

56. An Sacerdos poſſit aliquando eodem die plures Miſſas celebrare? ibid.

57. An in caſu neceſſitatis poſſit Sacerdos celebrare ſine ſtola, manipulo, aut cingulo, vel celebrare in tali caſu neceſſitatis cum ſtola, manipulo, aut cingulo non benedicto? ibid.

58. An Sacerdos poſſit celebrare capite cooperto, ex aliqua infirmitate? 226

59. An Sacerdos, qui in Miſſa omittit voluntariè, *Credo*, ſeu *Gloria*, peccet mortaliter? ibid.

60. An Sacerdos, qui ex carentia Confeſſarij propter ſcandalum celebrauit, teneatur quamprimùm confiteri? ibid.

61. An Sacerdos, qui in ipſa actione celebrandi recordatur alicuius peccati mortalis, licèt tunc eliciat actum contritionis, teneatur poſteà quamprimùm confiteri, ſtante ſupradicto præcepto. 227

62. An quando accidit feſtum Annunciationis B. Virginis in die Paraſceues, ſit Miſſa illius diei audienda, ſub reatu peccati mortalis? ibid.

63. An ſimplex Sacerdos, deficiente copia Confeſſarij, poſſit celebrare contritus, dum iter facit propter Miſſam præcepti, quam tenetur audire? ibid.

64. An talis Sacerdos ſimplex, etiam non Parochus, poſſit celebrare Miſſam præuia Confeſſione, dum non adeſt Sacerdos, vt alij Miſſam audiant, & non eſt alius qui celebret? 228

65. An Sacerdos, qui habet caſus reſeruatos, à quibus præſens Confeſſarius illum non poſſet abſoluere, poſſet contritus, ſine præuia confeſſione, Sacrum conficere? ibid.

66. An Sacerdos poſſit celebrare poſt cibum ad communicandum infirmum, qui eſt in articulo mortis? ibid.

67. Vtrùm Sacerdos in caſu neceſſitatis, ſecluſo etiam ſcandalo, poſſit celebrare cum lumine olei? ibid.

68. An Sacerdos poſſit celebrare ſine cingulo benedicto. 229

69. An Sacerdos poſſit celebrare in Patena, & Calice nondum conſecrato, & cum veſtimentis nondum benedictis, ſi alius Sacerdos, bona fide, cum ipſis Miſſam anteà celebraſſet? ibid.



70. An Sacerdos, ſumpto iam Corpore, ſi videt conſecraſſe Calicem per inconſiderationem, cum ſola aqua, debeat non ſolùm vinum apponere, ſed de nouo conſecrare aliam hoſtiam, incipiendo ab illis verbis: *qui pridie quàm pateretur*? ibid.

71. An oblatione hoſtiæ iam facta, ſi offeratur Sacerdoti particula pro communicando laico, poſſit illam conſecrare? ibid.

72. An, ſi Sacerdos Regularis applicet Miſſas, contra intentionem Superioris, valeat talis applicatio? 230

73. An Sacerdos regularis, tempore Paſchali, poſſit miniſtrare Euchariſtiam ſæcularibus, vt adimpleant præceptum eccleſiaſticum annuæ Communionis? ibid.

74. An Miſſa Regularibus conceſſa, poſſit ab aliis dici in ipſorummet Regularium Eccleſiis? & quid de Miſſa Sanctiſſimi Roſarij? ibid.

75. An Sacerdos poſſit iterum ſubminiſtrare Euchariſtiam infirmo, qui ſemel in articulo mortis ſumpſit Communionem per modum Viatici nòn ieiunus? ibid.

76. An in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis, quando caſus occurrit, debeant cantari duæ Miſſæ, vna de Feſto poſt Tertiam, alia de Feria poſt Nonam? & an Eccleſiæ Regularium dicantur Collegiatæ? 231

77. Quando Sacerdos iterum præbet ægroto non ieiuno Sacramentum Euchariſtiæ, quænam temporis intercapedo habenda eſt inter vnam, & alteram communionem? ibid.

78. An Sacerdos poſſit præbere viaticum infirmo deliranti, qui propter febrim in amentiam incidit? ibid.

79. An Sacerdos poſſit aliquando in ſanitate communicare ſupradictos amentes? ibid.

80. An, qui tenetur in aliqua Eccleſia celebrare, ſine ſacrificij applicatione, vt vulgò dicitur, *con la ſola preſenza*, poſſit aliud ſtipendium pro illa Miſſa accipere, & alteri applicare? 232

---

## TRACTATVS XV.

### *Miſcellaneus.*

RESOL. 1. IN tabella caſuum reſeruatorum Diœceſis Panormitanæ adeſt peccatum ſodomiæ: quæſitum ſæpiùs à me fuit, an ante annos pubertatis includantur in tali reſeruatione? 232

2. An intra pyxidem, vbi Sacramentum reſeruatur, debeat permanere aliqua palla, ex lino confecta, & benedicta? ibid.

3. Vtrùm calix, qui vſu aurum amiſit, & iterum poſteà deauratur quoad illam ſuperficiem, quæ tangit Sanguinem Chriſti, debeat de nouo conſecrari? Idem quæritur de patena. 233

4. Vtrùm cingulum perdat benedictionem, ſi ita frangatur, vt neutra pars ſufficiat ad cingendum Sacerdotem, licèt ipſe aliquo modo vniat partes illas ſeparatas? ibid.

5. Difficilis eſt illa quæſtio, an ſi quis inualidè contraxit ob defectum conſenſus, vel cum impedimento dirimente, obtenta diſpenſatione, teneatur iterum conſentire ante Parochum, & teſtes? ibid.

6. Olim per effuſionem humani ſanguinis iniurioſam, fuit violata quædam Eccleſia conſecrata: quæſierunt, an ſimplex Sacerdos de licentia Epiſcopi poſſit illam reconciliare? 234

7. Quidam Confeſſarius, ex negligentia culpabili, non interrogauit pœnitentem de circunſtantia neceſſaria ad Confeſſionis integritatem: quæritur, an teneatur pœnitentem monere de defectu commiſſo. ibid.

8. Quidam habebant facultatem diſtribuendi pauperibus certam pecuniarum ſummam: quæſierunt à me documenta aliqua ad tollendos ſcrupulos. 235

9. An aliquis, qui non æquè dubitat, ſed magis in eam partem inclinat, vt votum emiſerit: an, inquam, propter iſtam ſuſpicionem voti, teneatur ad illud adimplendum, non integrè quidem, ſed ad partem pro ratione huius maioris propenſionis? ibid.

10. An poſſeſſor bonæ fidei, ſi inæqualiter dubitet, & magis inclinet in eam partem, vt res ſit aliena, teneatur iuxta inclinationem, & propenſionem aliquid reſtituere? ibid.

11. Quis emit rem aliquam bona fide, & poſteà dubitat eſſe alienam, nec veritas appoſita debita diligentia ſciri potuit: quæritur, an qui illam vendidit, teneatur paratus eſſe ad illud pretium, quo vendidit, reſtituendum domino, quoties comparuerit? 236

12. Vtrùm Confeſſarius in aliquo caſu, ſine licentia pœnitentis poſſit loqui cum illo de peccatis auditis in confeſſione: videlicet, Confeſſor commiſit aliquem defectum in abſoluendo pœnitentem: quæritur, an poſſit illi hoc manifeſtare extra Confeſſionem, etiamſi pœnitens non dederit licentiam manifeſtandi? ibid.

13. Olim interrogatus fui, an Confeſſarius dicens in aliqua ciuitate, vel alio loco, vbi confeſſiones audit, committi peccatum ſodomiæ, vel aliud, frangat ſigillum Confeſſionis, & vt fractor talis ſigilli ſit puniendus? ibid.

14. In quadam ciuitate huius Regni Confeſſarius, cum licentia pœnitentis, in ordine ad conſilium petendum, manifeſtauit cuidam Sacerdoti aliqua peccata, de quibus ipſe poſteà cum aliquibus loquutus eſt: quæſitum à me fuit tunc, an dictus conſiliarius fregerit ſigillum Confeſſionis? 237

15. Vtrùm liceat ad honorem tuendum, inuaſorem poſt impactam alapam, fuſtem, vel vulnus fugientem inſequi, & occidere? ibid.

16. Quidam vir nobilis occidit Titium, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ; ſed poterat fugiendo vitam ſeruare: modò pœnitentia ductus, vult ſacros Ordines ſuſcipere; quæſiuit à me, an propter illud homicidium incurrerit irregularitatem, ita vt egeat diſpenſatione? 238

17. Quidam mandauit Petro, vt occideret Caium, non præcogitando aliquid de morte Petri, & veriſimiliter credere poterat, non eſſe ſequuturam, quia Caius longè debilior erat Petro. Accidit verò, his non obſtantibus, quòd Caius occidit Petrum: interrogatus fui, an mandans incurrerit in irregularitatem, ita vt non poſſet ampliùs miniſtrare, quia iam erat ſacris Ordinibus inſignitus? 239

18. In quadam ciuitate huius Regni plures, non ex conſilio, ſed ex rixa ſubitò contingente, percuſſerunt aliquem, ſed vnus tantùm percuſſit vulnere lethali, ex quo mortuus eſt; & cognitus fuit iſte percuſſor; quæſierunt poſteà à multis Theologis, an omnes incurrerint in irregularitatem: an ſolus ille, qui mortale vulnus inflixit? ibid.

19. Frequens hic caſus accidit: in rixa ſubitò, & inopinatè contingenti, quis occidit alium: quæritur, an hoc homicidium non dicatur voluntarium ſimpliciter, ſed caſuale, ita vt occidens poſſit impetrare diſpenſationem ab Epiſcopo, qui poteſt vigore Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. diſpenſare ſuper irregularitates occultas, contractas ex homicidio caſuali? ibid.

20. Quis in rixa præſcindit alteri digitum: quæritur, an ſit irregularis? ibid.

21. Vtrùm illegitimus occultus poſſit diſpenſationem obtinere ab Epiſcopo vagore Concil. Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 6. ad recipiendos ſacros Ordines? 240

22. Olim hoc facti genus mihi propoſitum fuit: vir nobilis accepit in domo ſua quendam infantem expoſitum in Hoſpitali: modò cùm ſit adoleſcens bonæ indolis, vult illum ad ſacros Ordines promouere: quærit an iſte ſit irregularis propter periculum illegitimationis, ita vt egeat diſpenſatione? ibid.

Vide etiam circa expoſitos, an cenſendi ſint irregulares & ſint baptizandi. in Addit.ſecund.reſ.6.fol.268

23. An Decretum Pij V. quod incipit, *Decori & honeſtati*, editum anno 1569. in quo conceditur Monialibus poſſe propter morbum lepræ, & epidemiæ, exire de Monaſterio; an, inquam, hoc decretum extendendum ſit ad aliam infirmitatem, non tantùm aliis, ſed ſoli Moniali nociuam, cui exeundo à Monaſterio remedium adhiberetur, ſi aliàs periculum vitæ, aut grauis, & diuturnæ infirmitatis probabiliter timetur? 241

24. Quidam Hæreticus exterus, ſed occultus, impetrauit in foro conſcientiæ abſolutionem ab hæreſi Romæ à quodam Pœnitentiario Summi Pontificis, modò vult ſacros Ordines ſuſcipere: quærit primò, an propter illam hæreſim incurrerit in irregularitatem. Secundò, an Epiſcopus poſſit ſuper illam diſpenſare vigore Concilij Trid. *ſeſſ. 24. cap.6.* ibid.

25. Vtrùm ſit peccatum mortale iurare, amphibologiis vtendo, abſque neceſſitate, vt ſi, videlicet, iures, ioci cauſa, Principem eſſe in aula, intelligendo pictum? 242

26. An reus, qui in iudicio à Iudice ſecundùm ordinem iuris interrogatus, negauit veritatem, qua manifeſtata condemnaretur, teneatur in conſcientia ad retractandum dictum, antequam finiatur iudicium, & pronuntietur ſententia. Et an eum eſſe in malo ſtatu dicendum, niſi ſe ad fatendam veritatem, etiam non rogatus, offerat, ac proinde à Confeſſario abſoluendum non eſſe, niſi id facere proponat? ibid.

27. An reus iuridicè interrogatus à Iudice propter ſemiplenam probationem, vel iudicia æquipollentia, teneatur reſpondere etiam in cauſa capitali? 243

28. In vltimo Iubileo Pauli V. Pont. Max. fuit orta magna diſſenſio inter Theologos, an, qui die Dominico confiteretur, ſatisfaceret Iubileo? 244

29. Quidam Sacerdos abſoluit pœnitentem, qui rem habuerat cum fœmina in vaſe præpoſtero, tenens illam opinionem, hanc non eſſe veram ſodomiam, neque includi in caſu reſeruato ſodomiæ poſitæ in Tabella Illuſtriſſimi Archiep. quæſiuit poſteà, an peccauerit, & an illud Sacramentum fuerit nullum, quia ille pœnitens aliud peccatum in illa confeſſione non fuerat confeſſus? ibid.

30. An fœmina ornans ſe ſecundùm conſuetudinem patriæ, ſi ſciat ex hoc ornatu, laſciuè ab aliquo amari, peccet mortaliter ſe ornando, vel è domo exeundo? 245

31. Cuidam Confeſſario olim hic caſus accidit. Quædam mulier inter confabulationem cum viro ſibi in matrimonium coniungendo, dicebat illi verba, non quidem turpia, ſed affectuoſa, & amatoria; vnde poſteà in pollutionem, & diſtillationem incurrebat; ſine tamen vlla delectatione, vel periculo alicuius conſenſus, imò cum maxima diſplicentia, quia erat timoratæ conſcientiæ: interrogatus fui, an peccaret mortaliter, & ſi nollet deſiſtere ab his confabulationibus, an ſit ei abſolutio deneganda? ibid.

32. Rem ſatis controuerſam propono: An in communibus pauperum neceſſitatibus, ſicut in extremis, & grauibus, ſit obligatio faciendi eleemoſynam ex bonis omninò ſuperfluis? 246

33. Vxor cuiuſdam nobilis viri ſecundùm conſuetudinem aliarum mulierum ſuæ conditionis ſolebat facere moderatas donationes, & eleemoſynas: poſteà maritus hoc ſciens, vxori prohibuit: quæſitum à me fuit, an non obſtante dicta prohibitione, vxor poſſit ſine ſcrupulo dictas eleemoſynas facere? ibid.

34. Solent ruſtici in diebus feſtis inter ſe, vel cum Dominis celebrare contractus: quæritur, an Notarij, & ipſi contrahentes, ſine peccato poſſint hoc facere. Item quæritur, an vſus tonſorum ſit licitus, qui feſtis diebus tondent omnes, qui ad tonſtrinam accedunt? 247

35. An Notarij, & alij Officiales Curiæ poſſint cum beſtiis, aut rhedis onerariis iter inchoare in diebus feſtis? 248

36. An agaſones, ſeu muliones poſſint cum beſtiis, aut rhedis onerariis iter inchoare in diebus feſtis? ibid.

37. Quidam patronus qui non erat primus fundator beneficij, quæſiuit à me, an ſub peccato mortali deberet præſentare digniorem? ibid.

38. An in Canonicatibus, Perſonatibus, & Dignitatibus, cæteríſque præbendis, & dimidiis præbendis Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum, & in præſtimoniis, & aliis ſimplicibus beneficiis curam animarum non habentibus, licitum ſit eligere dignum prætermiſſo digniori? ibid.

39. Sæpiùs in praxi occurrit hæc quæſtio, an executores alicuius teſtamenti, vel legati, qui debent inter pauperes diſtribuere aliquam pecuniarum ſummam, teneantur eligere pauperiores? Idem quæritur de Confeſſariis, & Religioſis, qui habent à ſæcularibus facultatem diſtribuendi aliquam eleemoſynam? 249

40. Diximus ſuprà in beneficiis ſimplicibus, non teneri electores eligere digniores, ſed tantùm dignos; quæritur modò, an hæc ſententia procedat etiam in beneficiis curatis, vt ſunt Epiſcopatus, &c. quæ conferunt Pontifices, & Reges? ibid.

41. An obligatio eligendi digniorem, extendatur etiam ad reſignantem beneficium ſuum in fauorem alterius? 250

42. Solent litigantes conducere Aduocatos, & Procuratores ad annum, vel annos, ſub certa annua mercede, ſeu ſalario ad omnes cauſas, quas habent, vel habituri ſunt, quæritur modò, an ſi nullas cauſas in illo anno partes habuerint, Aduocati licitè petant ſalarium? ibid.

43. An puer exiſtens in vtero matris poſſit baptizari? ibid.

44. An mulier condemnata ad mortem poſſet priùs ſecari, ſi adſit periculum, ne ex aliquo morbo ante partum vnà cum prole moreretur; & ſpes adſit, vt infans hoc modo poſſit baptizari? 251

45. Vtrùm liceat baptizare infantes, filios infidelium, inuitis parentibus? ibid.

46. Vtrùm obſtetrices teneantur ſcire formam Baptiſmi, & modum baptizandi? 252

47. Quidam Parochus olim quæſiuit à me, an qui in forma Baptiſmi relinqueret iſtas particulas, *In*, & *Et*, dicendo: *Ego te baptizo nomine Patris, Filij, & Spiritus ſancti*, conficeret Sacramentum? & ſi conficiat, an ita baptizando peccet mortaliter? ibid.

48. An, ſi quis adderet aliquid formæ Baptiſmi, dicendo: v. g. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & B. Mariæ Virginis*, vel *omnium Sanctorum*, conficeret Sacramentum? ibid.

49. Olim fuit inter me, & Religioſum Dominicanæ familiæ orta hæc quæſtio, an debitor moroſus inculpabiliter teneatur ſuo creditori ad intereſſe damni emergentis, ſeu lucri ceſſantis? 253

50. Petrus mutuauit centum Ioanni: quæritur, vtrùm poſſit cum eo paciſci, vt ſibi ſtatim reddantur quinque ratione lucri ceſſantis? ibid.

51. An Reliquiæ alicuius Sancti nouiter inuentæ, debeant approbari ab Epiſcopo? 254

52. An

52. An pœnitens teneatur acceptare iniunctam à Confeſſario pœnitentiam? 255

53. Vtrùm vnus Confeſſarius poſſit impoſitam pœnitentiam ab alio commutare? ibid.

54. An Equites Commendatarij D. Ioannis, inſumentes redditus bonorum ſuorum in vſus illicitos, peccent contra paupertatem, & accipientes teneantur ad reſtitutionem? 256

55. Quando quis beatificatus eſt, & conceſſa fuit facultas, vt Sacerdotes certæ Religionis poſſint de illo Miſſam celebrare, vt conceſſum fuit in Beatificatione noſtri B. Andreæ Auellini: quæritur in tali caſu, an omnes alij Sacerdotes ſæculares, & regulares poſſint celebrare Miſſam de eo Beato in Eccleſia aſſignata in Decreto Beatificationis? 257

Vide etiam Reſol. 2. in Addit. ſecund. 245

56. An cogentes fœminas intrare Monaſterium educationis cauſa, incidant in excommunicationem latam in Concil. Trid. *ſeſ. 35. cap. 18.* 258

57. An ſit ſimonia vendere locum honoratiorem pro ſepultura? 259

58. An Bulla Sixti V. contra Aſtrologiam iudiciariam obliget, non ſolùm in foro exteriori, ſed etiam in foro conſcientiæ? ibid.

59. An Aduocatus teneatur de culpa leui? ibid.

60. Quid facere debet Confeſſarius, qui malè abſoluit pœnitentem de aliquo caſu reſeruato, non habens iuriſdictionem? ibid.

61. An ad Prælaturas Regulares Generalis teneatur eligere digniores? 260

62. An quis teneatur alloqui, ſalutare, reſalutare, & familiaritatem cum inimico habere, vel alia ſigna amicitiæ ei oſtendere, ſi ipſe hæc omnia procuret? ibid.

63. An teſtis teneatur reſpondere, ſi Iudex interroget, quando crimen eſt notorium, & publicum, ſed ignoratur auctor ipſius? ibid.

64. De quibuſdam dubiis circa vſum matrimonij? 261

65. An Princeps poſſit concedere licentiam, vt aliquis domum exponat ludo? ibid.

66. Quonam tempore Senatores Ciuitatum, & præcipuè huius vrbis Panormi prouiſionem frumentorum facere debeant? & an poſteà dictum frumentum poſſint vilius populo vendere, quàm emerant? 262

67. De electionibus Officialium ritè faciendis, & præſertim ab Illuſtriſſimo Senatu huius vrbis Panormit. 264


---

## TRACTATVS XVI.

### *Miſcellaneus.*


RESOL. 1. AN Confeſſarius, qui culpabiliter non obligauit pœnitentem ad reſtituendum, teneatur ipſe reſtituere? 265

2. An Parochus teneatur audire confeſſionem ſubditi, quoties ille voluerit confiteri? ibid.

3. Quidam Diaconus, cùm Ordinem ſacerdotalem ſumeret, tetigit calicem cum patena; ſed non tetigit hoſtiam; quæſiuit à me poſteà, an talis contactus ſit de neceſſitate Sacramenti? 266

4. Quis ſuſcepit Ordinem Diaconatus ante Confirmationem; quæritur, an peccauerit mortaliter? ibid.

5. Quidam Clericus in hac ciuitate ſuſcepit ſacros Ordines cum patrimonio ficto, & per multos annos celebrauit; quæſiuit, an in ordinatione ratione patrimonij ficti, incurrerit in ſuſpenſionem, & poſteà celebrando in irregularitatem? 267

6. An poſt commutationem alicuius voti, licitum ſit vouenti redire ad prius votum, etiamſi commutatio facta fuerit in melius? ibid.

7. Vtrùm commutatio voti in bonum æquale, poſſet fieri propria authoritate vouentis? 268

8. Olim quidam Confeſſarius ſcrupulis cruciabatur ad cognoſcendam iuſtam cauſam, pro commutatione votorum. ibid.

9. Plauſibilis eſt Confeſſariis illa quæſtio, an qui voluntariè, vel ex obliuione, tempore Iubilei non petit commutationem alicuius voti, poſſit deinde poſt tranſactum Iubileum, etiam poſt multos annos, eandem commutationem obtinere. Supponimus omnia opera præſcripta fuiſſe, & Iubileum conſequutum fuiſſe. Idem dicendum eſt de diſpenſatione in irregularitate, & reliquis in Iubileo conceſſis. 269

10. Quidam obtinuit commutationem multorum votorum virtute Iubilei, quod intendebat lucrari; ſed poſteà conſultò, & deliberata voluntate omiſit opera in Iubileo præſcripta, & illum non obtinuit: quæſiuit, an remaneat ſecurus in conſcientia de tali votorum commutatione: quod eſt quærere, an vota commutata vigore alicuius Iubilei, reuiuiſcant, eo poſteà non obtento? ibid.

11. Conuenienter ſuperiori quæſtioni iſtam adiungimus, an, qui voti commutationem accepit vigore alicuius Iubilei, peccet poſteà mortaliter, ſi voluntariè omittat onera Iubilei, & illud non conſequatur? 270

12. Multi, licèt ſciant, quoad ſubſtantiam, Symbolum, Decalogum, & orationem Dominicam; neſciunt tamen memoriter, & eo ordine, quo proponuntur addiſcenda; quæritur, an peccent mortaliter? ibid.

13. An Regulares, qui ſe volunt ſacris Ordinibus initiari, debeant habere dimiſſorias ab Epiſcopis, in quorum diœceſi tunc manent? ibid.

14. Quidam creditor Principis, ſeu ciuitatis, fraudando gabellam, volebat ſibi compenſare debitum; quæſiuit, an hoc, ſeruatis legibus compenſationis, eſſet licitum? 271

15. Quidam vir nobilis conſuluerat alteri, vt homicidium committeret: ſed poſteà antè perpetratum facinus conſilium reuocauit, multas rationes ad diſſuadendum adhibens; quæſiuit à me poſteà, an teneretur ad reſtitutionem damni ex illo homicidio ſubſequentis? ibid.

16. Quæritur, an conſulens homicidium, de quo ſuprà dictam eſt, poſtquàm reuocando conſilium, nihil poterat perſuadere; an, inquam, tenebatur non ſolùm ex charitate, ſed etiam ex iuſtitia monere eum ſecretè, contra quem huiuſmodi conſilium datum fuit ad effectum ſe tuendi. ibid.

17. An Epiſcopus poſſit ex vrgentiſſima neceſſitate diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonium, ante contractum ipſum matrimonium? ibid.

18. Ex occaſione cuiuſdam homicidij caſualis, fuit olim à me quæſitum, vtrùm ad irregularitatem ex delicto incurrendam, requiratur culpa mortalis, & ita vt negligentia venialis non ſufficiat? 272

19. Solent quamplurimi in morte relinquere Confeſſariis aliquam pecuniarum ſummam, pauperibus ab ipſis eligendis diſtribuendam; quæſitum à me fuit, an dicti Confeſſarij teneantur pro ſupradicta eleemoſyna conſequenda eligere pauperiores? ibid.

20. An, qui ſuſcipit primam tonſuram, vel minoribus Ordinibus initiatur, animo non aſcendendi ad alios Ordines, ſed gaudendi priuilegio fori, & exemptione à tributis, peccet mortaliter? ibid.

21. Quidam calcibus percuſſit Clericum in publica platea, & cùm à tali excommunicatione non poſſe ab Epiſcopo abſolui dixiſſent aliqui viri docti, quæſierunt à me, quid in hac re ego ſentirem? ibid.

22. Olim interrogatus fui, quot teſtes requirantur, vt factum dicatur notorium in percuſſione Clerici? 273

23. An

23. An vxor, inſcio marito poſſit tribuere eleemoſynam, vt Deus auertat graue mariti damnum, ne ſcilicet, eum puniat, vel vt impetret eius conuerſionem à ſtatu malo? ibid.

24. Vtrum Epiſcopi, & alij, ratione maioris doctrinæ, aut nobilitatis, poſſint plus ex redditibus eccleſiaſticis in ſua ſuſtentatione inſumere? ibid.

25. Difficilis pro praxi in gratiam Confeſſariorum eſt iſta quæſtio: An, qui longo tempore rem alienam non reſtituit, vnum tantùm, vel plura peccata committat? 274

26. Confeſſarius quidam angebatur magnis ſcrupulis in excipiendis confeſſionibus cuiuſdam diuitis, circa præceptum largiendi eleemoſynam; tunc ego in eius gratiam hæc ex multis DD. adnotaui. ibid.

27. Quidam Religioſus inchoabat annum vigeſimum tertium hora vigeſimatertia diei: ſed manè in eodem die recepit Ordinem Diaconatus: quæritur, an peccauerit, & in ſuſpenſionem inciderit, tanquam ordinatus ante legitimam ætatem? 275

28. An ex aliqua iuſta cauſa poſſit Epiſcopus conferre maiores Ordines die Dominica? ibid.

29. Vtrùm Religioſus, qui parum intelligit linguam Latinam, ſit ad ſacros Ordines, & præſertim ad ſacerdotium admittendus? 276

30. An Gregorij XIII. excommunicationem incurrant ingredientes Monaſteria Monialium, non prætextu licentiarum: ſed abſque vlla prorſus licentia etiam ad malum finem? ibid.

31. An Moniales admittentes aliquem intra ſepta Monaſterij, prætextu licentiarum, incurrant in excommunicationem? ibid.

32. An Moniales admittentes aliquem intra ſepta Monaſterij, etiam ad malum finem, incurrant in aliquam excommunicationem? 277

33. An ingredientes ſepta Monaſterij, & cum aliqua ſacra virgine inceſtum committentes, ſi caſus ſit occultus, poſſint ab Epiſcopo abſolutionem excommunicationis obtinere? ibid.

34. Cùm in regno adſit magna penuria carnis, & in perniciem rei frumentariæ, in dies plura animalia macellentur; dubitatur, an ſine metu excommunicationis, liceat emere à Turcis ſupradicta animalia, & cum illis alia victualia permutare? ibid.

35. An ſint habendi tractatus ante electionem? ibid.

36. An, qui emiſit votum Religionis ſatisfaciat, ſi habitum D. Ioannis aſſumat? 278

37. An in obtinendis beneficiis liceat paciſci de aliquo temporali retribuendo, tanquam motiuo, ſeu pro recompenſatione gratuita? ibid.

38. An habens rem cum meretrice, teneatur in conſcientia ſoluere ei mercedem ſolitam, ſiue eam promiſerit. ſiue non? 279

39. An aliquid pro alio, inuito creditore, ſolui poſſit? ibid.

40. An, qui emit domum, vel fundum ad plura debita hypothecatum, teneatur dicta debita in conſcientia ſoluere? ibid.

41. An, quando multis imminet periculum vitæ, vt fit in naufragio, bello, peſte, &c. tunc ſinguli poſſint breuiter dicere aliqua peccata, & ſic abſolui? 280

42. An excommunicatus, ſi non poſſit ſatisfacere, debeat ſaltem præſtare Confeſſario iuratoriam cautionem? ibid.

43. An Eccleſia tribuat iuriſdictionem, quando adeſt communis error ſine titulo colorato? ibid.

44. An Prælati Religionum poſſint ſine approbatione Ordinarij audire ſæcularium confeſſiones? ibid.

45. An quis teneatur occaſionem proximam vitare cum ſuo magno detrimento, ita vt Confeſſarius non poſſit illum abſoluere? ibid.

46. Quænam couditiones ſunt neceſſariæ ad iuſtam compenſationem faciendam? 281

47. An cliens poſſit paciſci cum Aduocato de quota lite? ibid.

48. An, ſi corruptor virginis non adhibuerit vim, aut dolum; ſed importunis precibus, vehementibus blanditiis, & perſuaſionibus induxerit illam ad conſenſum, teneatur ad reſtitutionem? 282

49. Solent mercatores in ſuis libris ſcribere rationes dati & accepti, & quid ipſis debeatur: quæritur, an poſſit poſtea creditor eligere, in quo debito pecunia ſibi debita compenſetur? ibid.

50. An legatum factum puellis, vt nubant, debeatur, ſi aliqua dotem habeat, ſed non ſufficientem? Vbi etiam plura de legatis pro virginibus maritandis? ibid.

51. An dubius in fide ſit Hæreticus? 283

52. An ſi in ipſo conflictu duelli ſit aliquis vulneratus, & eodem die, vel alio ſequenti moriatur, priuari debeat eccleſiaſtica ſepultura? ibid.

53. An, ſi quis prouocet aliquem ad duellum, ſeſe conferens poſteà ad præfixum locum, & præfixo tempore, ibique fruſtra expectato inimico, diſcedens, incidat in excommunicationem Bullæ Gregor. XIII. ibid.

54. An ad expellendum ſemen corruptum, vel ad ſedandum pruritum, liceat refricare verenda cum periculo pollutionis, non tamen conſenſus in ea? 284

---

## TRACTATVS XVII.

### *Miſcellaneus.*

RESOL. I. VOtum pro Illuſtriſſimo Senatu Panormitano circa moderationem priuilegij, ſeu conſuetudinis, permittentis ciuibus huius Vrbis non vendere vinum de eorum vineis collectum, iuxta taxam. 284

2. Felix dedit Confeſſario vncias ſeptuaginta, vt reſtitueret Ioanni ſuo creditori. Poſt duos annos ſcit Confeſſarium non reſtituiſſe: quæritur, an denuò dictus Felix debeat reſtituere? 286

3. Quidam vir nobilis eſt in mora ſoluendi debitum vnciarum ducentarum ex contractu, ſæpiùs confitetur & non reſtituit; habet tamen animum reſtituendi. quæritur à Confeſſario, an ſit illi abſolutio deneganda, maximè cùm creditor multoties ab illo petierit ſolutionem? ibid.

4. Petrus emit rem furtiuam mala fide, poſteà comperto vero domino; quæritur, an teneatur illi reſtituere & non furi, ad repetendum pretium, quod pro eo dedit? 287

5. Petrus deambulando per ciuitatem, inuenit crumenam cum magna pecuniarum quantitate: facta debita diligentia non reperit dominum, ideò per multos annos illas ſibi retinuit; nunc Confeſſarius denegat illi abſolutionem, ſi pauperibus dictas pecunias non reſtituat, quæritur quid faciendum? ibid.

6. Quidam vir nobilis contraxit ſponſalia, & per multos dies cauſa delectationis oſculabatur, & tangebat ſponſam: quæritur an peccauerit mortaliter? ibid.

7. Quædam mulier multas pecunias per adulterium acquiſiuit: quæritur, an marito ſint reſtituendæ? ibid.

8. Petrus in ludo prohibito taxillorum perdidit magnam pecuniarum quantitatem: quæritur, an illam in foro conſcientiæ teneatur ſoluere? 288

9. Propoſita mihi ſæpiùs fuit hæc quæſtio: An promiſſio externa legitimè ab alio acceptata, obliget in conſcientia ibid

10. Quidam adoleſcens fecit votum non ſolùm ingrediendi (ſed etiam profitendi in quadam Religione, ſed tempore Nouitiatus deprehendit eam ſibi propter vitæ aſperitatem, non eſſe accommodam; quæritur, an ſtante voto profitendi, poſſit egredi? 289

11. Conſultus ſum quàm ſæpiſſimè, an Confeſſarius, qui carnaliter pœnitentem cognouit, teneatur in Confeſſione exprimere hanc circunſtantiam; vel an ſufficiat tantùm dicere, ſe copulam cum coniugata, vel ſoluta habuiſſe? ibid.

12. Petrus habuit rem cum puella virgine, ipſa tamen conſentiente; quæritur, an hoc ſit ſtuprum, habens malitiam ſpecie diſtinctam à ſimplici fornicatione, & neceſſariò in Confeſſione explicandam? ibid.

13. Quidam Sacerdos Capellanus cuiuſdam Parochiæ, exiſtens in peccato mortali, miniſtrauit per multos menſes ægrotis ſacram Euchariſtiam; quæritur, an toties in tali adminiſtratione peccauerit mortaliter? 290

14. Olim allatæ fuerunt mihi duæ dubitationes. Primò, an Sacerdos qui omittit in conſecratione particulam, *Enim*, conficiat Sacramentum, vel ſaltem peccet. Secundò, quid ſi dicat, *Hic eſt enim Calis*, *s*, pro *x*, vtendo? ibid.

15. Mulier quædam domi puerum baptizauit Italicè, hæc verba pronuntians: *Io te battezzo, col nome del Padre, col nome del Figliuolo, & col nome dello Spirito Santo.* ſtatim quæſitum fuit à me, an Sacramentum ſub tali forma adminiſtratum, fuerit validum? 291

16. Quidam Sacerdos poſt conſecrationem Sanguinis, inuenit in Calice aliquas guttas ſeparatas à vino, & illas cum purificatorio ante ſumptionem Sanguinis abſterſit; quæritur, an illæ guttæ fuerint conſecratæ? ibid.

17. Quidam Epiſcopus in ſua Diœceſi confirmauit ſubditum alterius Epiſcopi, & hoc extra Eccleſiam, quæritur, an peccauerit? ibid.

18. An Petrus ſatisfecit præcepto Miſſæ, qui eodem tempore Sacrum duorum Sacerdotum media ex parte audiuit: nempe Miſſam vnius Sacerdotis vſque ad conſecrationem, & Miſſam alterius Sacerdotis à conſecratione vſque ad finem? 292

19. Quæritur, an illæ particulæ, vel hoſtiæ, quas quis, inſcio Sacerdote, conſecrandas appoſuit in corporali, remaneant conſecratæ? ibid.

20. Ex quadam huius Regni ciuitate relata hæc quæſtio mihi fuit: Poſsítne quidam Religioſus ſduraſter ad ſacros Ordines promoueri? 293

21. Canonicus mihi coniunctiſſimus, litteris ad me miſſis, ſcire volebat, vtrùm Sacerdos Beneficiarius, exercens per multos annos crimen ſodomiticum cum fœmina, occultè tamen & ſine ſcandalo, incurrerit irregularitatem & in pœnas Extrauag. Pij V. ibid.

22. Quis manifeſtauit complicem in Confeſſione, cùm haberet copiam adeundi alium Confeſſarium, cui non erat notus complex: in alia verò Confeſſione, cùm ſcrupulum de hoc haberet, manifeſtauit Confeſſario, qui ſacrilegam putauit primam Confeſſionem, dum in ipſa pœnitens peccauit mortaliter, manifeſtando peccatum occultum proximi ſine neceſſitate, & ideo repetendam eſſe dicebat. Conſultus ego de hac re ab ipſomet pœnitente, negatiuè reſpondi. ibid.

23. Olim orta eſt inter aliquos Sacerdotes magna controuerſia, an tactus impudici facti in Eccleſia habeant ſpecialem malitiam ſacrilegij mortalis neceſſariò in Confeſsione explicandam? 294

24. Quidam vir timoratæ conſcientiæ audiuit detrahentem de re graui, & non correxit; quæritur an à lethali culpa excuſari poſsit? ibid.

25. Petrus in confeſsione accuſauit ſe decies adulteraſſe; ſed poſtea cognouit ſe quinquies tantùm in peccatum adulterij incidiſſe; quæritur, an quando denuò confitetur, debeat certum numerum declarare, & dicere, ſe tantùm quinquies peccaſſe? ibid.

26. Olim per litteras quæſitus fui à quodam Sacerdote: vtrùm Epiſcopus poſsit legatum aliquod in æquale, aut melius commutare? 295

27. Vir quidam nobiliſsimus, cùm in ludo taxillorum magnam pecuniarum ſummam perdidiſſet, coëgit ſocium ad perſiſtendum in ludo: vnde poſteà pecuniam perditam iterum acquiſiuit, immo plus quàm perdiderat anteà, vicit; quæritur, an teneatur ad reſtitutionem? ibid.

28. Fuit ſæpiùs à diuerſis Confeſſariis ad me delata iſta quæſtio: an gabella poſsit imponi rebus ad proprios vſus neceſſariis, nimirum, carnibus, piſcibus, ſali, frumento, oleo, &c. & ſi pœnitens nollet reſtituere defraudationem talis gabellæ, an ſit illi deneganda abſolutio? 296

29. An non ſolùm in extrema, ſed etiam in graui neceſsitate, ſit licitum pauperibus occultè ſurripere ab opulentis, ſi aliter illud malum graue auertere nequeant? ibid.

30. Vtrùm Decretum ſuper abſolutione à caſibus reſeruatis, deroget priuilegiis Confeſſariorum commorantium in hoc Siciliæ Regno & Sardinia? ibid.

31. Quis omiſit aliqua peccata in Confeſsione ex ignorantia vincibili oblitus, in qua non adhibuit diligentiam neceſſariam in examinanda conſcientia; quæritur, an talis Confeſsio fuerit inualida, & ideò iteranda? 297

32. Cùm Concilium Tridentinum aſſerat *ſeſſ.* 11. *can.* 17. Sacramenta tribus perfici, materia, forma, & intentione miniſtri; & cùm intentio ſit triplex, habitualis, virtualis, & actualis: quæritur, quænam ſit ſufficiens ad validè conficiendum Sacramentum. ibid.

33. Olim cum quodam Religioſo fuit mihi magna altercatio; an in cogitationibus venereis ſit peccatum mortale, ſi voluntas non conſentiat poſitiuè, nec etiam poſitiuè diſſentiat, ſed tantum permiſsiuè ſe habeat? 298

34. Celebris illa eſt quæſtio inter Theologos noſtri temporis, an in delectatione moroſa fatendæ ſint circunſtantiæ operis? quod eſt quærere, an delectatio ſumat ſpeciem ex opere externo? 299

35. Pluries à nonnullis Confeſſariis quæſitus fui, an Comœdiis intereſſe ſit peccatum mortale? ibid.

36. Quidam vir in abſentia coniugis ſæpiùs habuit delectationem de actu coniugij præterito, & etiam futuro, ac ſi actu præſens eſſet; ſine tamen aliquo periculo pollutionis: Confeſſarius in Confeſsione obligauit illum ad explicandum numerum dictarum delectationum: quæſiuit poſteà à me, an verè in illis delectationibus peccauerit mortaliter? ibid.

37. Olim per litteras à quodam Sacerdote interrogatus fui de opinionibus Doctorum circa præſentes caſus. Primò, an peccaret mortaliter, ſi quis confricaret membra brutorum, ſine vlla delectatione, ſed ſolùm ex curioſitate inſpiciendi ſemen. Secundò, ſi coniugatus immitteret membrum virile in os fœminæ, peccaret etiam mortaliter. Tertiò, ſi abſente coniuge liceret ſeipſum tangere, libidinis, & voluptatis cauſa; abſque pollutionis periculo? 300

38. Quidam vir coniugatus, ſemine intra vas emiſſo, membrum virile extrahit, manente fœmina valdè irritata libidine; quæ poſteà tactibus ſe excitando ſeminat; quæritur an ita faciens peccet mortaliter? ibid.

39. Quidam Sacerdos noluit abſolutionem ſacramentalem impendere cuidam in triremibus per totam vitam condemnato, quia habebat voluntatem quamprimùm fugiendi. Tunc ſtatim reſolutionem huius caſus à me enixè petierunt. ibid.

40. An ſi quis capitale maius quod vulgò dicitur, *tutto il reſto*, in ſponſione aliqua expoſuerit, poſsit ille, qui capitale minus habet, acceptare ſponſionem, & lucrari illud plus ſine onere reſtitutionis? 301

41. Sæpè mihi ab exteris, & à noſtris delata fuit hæc quæſtio: an Petrus qui leuem quantitatem aufert à Ioanne, à quo alij abſtulerant notabilem, peccet mortaliter? ibid.

42. Petrus qui nullo modo aliqua exhortatione fuit cauſa, vt alij minuta furta à Ioanne acciperent, ſi hæc furta ſciat, peccátne mortaliter modicum cum ipſis, vel ſeparatim accipiendo, ſi tota illa furta ſimul cum ſuo conſiderata, perueniant ad materiam notabilem? ibid.

43. Quis poſt quantitatem notabilem per minima furta ſublatam, addit furta alia parua? quæritur, an per quodlibet nouum furtulum, nouum peccatum lethale committat? 302

44. Quidam vir nobilis poſſidebat multa bona, dubitans eſſe ſua: quæſiuit à me, an teneatur illa reſtituere? ibid.

45 Fuit olim mihi magna altercatio cum quodam Confeſſario, qui nolebat abſolutionem impendere cuidam viro nobili, qui dubitabat, ſi emiſerat votum D. Virginis Lauretanæ, & per multum tempus non adimpleuit, neque adimplere volebat? ibid.

46. An pœnitens qui lubricam, & debilem habet memoriam, teneatur ſcribere peccata? 303

47. Vtrùm tempore Iubilei Regulares teneantur eligere Confeſſarium non à ſuo Prælato, ſed ab Epiſcopo loci approbatum? ibid.

48. In compilatione proceſſus pro canonizatione P.N.B. Andreæ, quæſitum fuit à quodam, quænam eſſet differentia inter Miraculum, & Gratiam? ibid.

49. In præterito Iubileo, cùm quis illum obtinuiſſet in prima hebdomada, incidit poſtea in caſus reſeruatos, & fuit in ſecunda hebdomada iterum à quodam Confeſſario abſolutus, quæſiuit à me poſteà dictus Confeſſarius, an peccauerit, & teneatur de errore admonere pœnitentem? ibid.

50. Olim ruſtici Confeſſionem audiui, qui mulum ſurripuerat cuiuſdam viri nobiliſſimi, & per ſpatium multorum annorum locauerat: dubitaui tunc, an non ſolùm ad reſtitutionem muli, ſed etiam ad pretium locationis teneretur? 304

51. Pendet deciſio multorum caſuum ex illa celebri quæſtione, vtrùm fur, & quiuis alius iniquus poſſeſſor, teneatur reſtituere maiorem ſummam, ad quam excreuit res furata, tempore detentionis; maximè ſi fur illam vendidit in illo optimo ſtatu? ibid.

52. Meritò ſuperiori quæſtioni hæc adiuncta erit; vtrùm iniquus poſſeſſor teneatur ad reſtitutionem iuxta ſummum valorem & incrementum, quod res habuit tempore acceptionis vel detentionis, quando ignoratur quo tempore verus dominus eſſet rem illam venditurus? 305

53. Illuſtriſſ. Card. Archiepiſc. reſeruauit in hac ſua Diœceſi Panormitana aliquos caſus: ſed multis Regulariũ Superioribus dedit poteſtatem ab illis abſoluendi: interrogatus ſæpiùs fui à noſtratibus, & exteris, an dicti Superiores Regularium poſſent iſtam authoritatem concedere alicui particulari? Idem quæritur de Pœnitentiariis. ibid.

54. Petrus confeſſionem fecit die Natiuitatis Domini; ſed poſteà in multa peccata incidens tempore Quadrageſimæ, ſcelera illa Confeſſario non expoſuit; quæritur an illa prima Confeſſione ſatisfecerit præcepto Eccleſiæ annuæ Confeſſionis, quod eſt quærere an fideles ſatisfaciant præcepto Confeſſionis, quocunque anni tempore confitendo, vel teneantur confiteri tempore Quadrageſimæ? ibid.

55. An adulter qui filium ſuſcepit ex adulterio, illúmque reliquit inter filios legitimos mariti adulteræ, præter alimenta, teneatur etiam occurrere damno hæreditatis, quæ legitimis hæredibus adimitur; vel damno dotis, (& de hoc caſu olim interrogatus fui,) quam pater putatiuus tradit puellæ ſpuriæ, credens eam eſſe propriam filiam? 306

56. Hîc Panormi ſodomia reſeruatur à D. Archiepiſcopo. Quidam iter agens per aliam Diœceſim fuit abſolutus à tali caſu à quodam Sacerdote ordinario; poſteà Panormum rediens, cùm incidenter in altera confeſſione id explicaret, noluit Confeſſarius illum abſoluere, aſſerendo illam confeſſionem fuiſſe inualidam, & ipſum non habere poteſtatem abſoluendi à caſibus reſeruatis; quæſitum à me fuit, an hæc opinio eſſet vera? ibid.

57. Quæritur quæ quantitas requiratur, vt furtum ſit peccatum mortale? 307

58. Quidam ſeruus aliquid ſibi ſubtrahebat de neceſſariis ſine domini incommodo, & præter opera præſcripta, ex quibus lucrum colligebat; interrogatus fui, an de his acquireret ſibi dominium, vel domino? quod eſt quærere, an ſeruus poſſit habere aliquarum rerum dominium, & de rebus à ſe acquiſitis diſponere? ibid.

59. An in fauorem Principis præſumendum ſit in dubio poſitiuo? Habet, v.g. ſubditus rationes probabiles, vt aliquod tributum ſit iniuſtum: adſunt verò pro Principe, & iuſtitia vectigalis aliæ rationes probabiles: quæritur, an teneatur ſoluere tributum? 308

60. In multis regionibus extant Pandectæ, & ſtatuta, in quibus Notariis, Commiſſariis, & cæteris iuſtitiæ adminiſtris taxata ſunt ſtipendia: quæritur an modò obligent in conſcientia, ſtante varietate temporum, & circunſtantiarum? ibid.

61. An Bulla Pij V. contra Clericos ſodomitas, obliget in foro conſcientiæ, & ſit vſu recepta? 309

62. An Clericus incurrat in pœnas ſupradictæ Bullæ, ſi habeat rem cum aliqua muliere in vaſe præpoſtero? ibid.

63. An Clericus incurrat in pœnas ſupradictæ Extrauagantis, ſi non emiſit ſemen intra vas? ibid.

64. An in pœnas dictæ Bullæ incidant Clerici, tam agentes vitium ſodomiticum, quàm patientes? 310

65. An Clericus crimen ſodomiticum admittens ſemel, bis, aut ter, incurrat pœnas ſupradictæ Bullæ? ibid.

66. An Clericus incurrat in pœnas dictæ Bullæ, ſi vitium beſtialitatis commiſerit? ibid.

67. Vtrùm ad incurrendas pœnas ſupradictæ Bullæ, exigatur ſententia Iudicis, ita vt ante illam Clerici dictas pœnas non incurrent in conſcientia? 311

68. Praxis pro Confeſſariis circa Abſolutionem Clericis ſodomitis impertiendam. ibid.

69. An Clericus ſodomita occultus ſit ſuſpenſus; & ſi celebret, incurrat in irregularitatem? 312






# ANTONINI DIANA, CLERICI REGVLARIS, RESOLVTIONVM MORALIVM

## Pars prima.

## TRACTATVS I.

### De Immunitate Eccleſiarum.

*Super Bullam Gregorij XIV.*

OLIM inter me, & N. magna agitata fuit quæſtio, an Bulla Gregor. XIV. *de immunitate Eccleſiarum*, corrigeret ius commune, ita vt tantùm caſus in illa exceptuati non gauderent immunitate? Iſte prorſus negabat cum Petro Gambacurta, & paucis aliis. Ego mordicùs aiebam cum communi Theologorum, ac Iuriſperitorum ſententia: ideò tunc aduersùs hanc ſententiam multa collegi, quæ modo in gratiam Confeſſariorum in hoc tractatu reſolutoriè, & breuiter, more noſtro, pertractabimus, examinando aliquas opiniones Gambacurtæ, Villadiego, & Bobadillæ.

*An Conſtitutio Gregor. XIV. de immunit. Eccleſ. deroget ius commune, & conſuetudines.*

RESOLVT. I.

NEgatiuè reſpondet Gambac. *lib.* 5. *c.* 8. *& ſeq.* Zerola *in praxi Epiſc. part.* 1. *verb. Immunitas*, *n.* 7. & aliqui Miniſtri laïcalis iuriſdictionis cum Guttierrez *pract. qq. lib.* 3. *quæſt.* 1. *num.* 36. vide etiam Layman. *in Theolog. mor. lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 2. *num.* 2. & Venerum *in Exam. Epiſcop. lib.* 9. *cap.* 37. *num.* 32.

Sed prorſus hæc opinio eſt reiicienda. Probatur 1. Nam Pontifex, in iſta Bulla, cum particula taxatiua reducit omnia ad vnicam formam, vt patet in illis verbis: *Ita ad vnam tantùm formam reducimus, & moderamur.* Ergo reuocat ius commune, & conſuetudines, diuerſam aliam formam ab iſta introducentes.

Ita expreſsè determinatur in literis arbitrij conceſſis per Sedem apoſtolicam anno 1605. Prælatis huius Regni, & præſertim Archiepiſcopo Panormitano ibi: [Per la qual coſa fu moſſo Greg. XIV. di fel. mem. à publicare la ſua Conſtitutione, e dare certa forma, come s'haueſſe à pratticare la permiſſione, che veniua conceſſa da medeſimi Canoni à Magiſtrati laici nelli caſi eccettuati.]

Hoc ipſum etiam determinauit Clemens VIII. in quodam Breui ad Archiepiſcop. Panormit. tunc Didacum de Haëdo, datum Romæ 6. Febr. anno 1597. vbi aſſerit, aliquos delinquentes, qui per induſtriam, & inſidias homicidium commiſerant, debuiſſe gaudere immunitate Eccleſiæ, vigore Conſtitutionis Gregor. XIV. ergo dicta conſtitutio corrigit ius commune, quia tale delictum *ex cap.* 1. *de homicidio*, non gaudet immunitate. Bullam autem Clementis VIII. inuenies per extenſum apud M. Antonium Genuenſem *in praxi*, *cap.* 76. *n.* 2. & alios.

In dicta Conſtitutione Summus Pontifex pluries facit mentionem iuris communis: & quando voluit, quòd in aliquo caſu illibatum permaneret, hoc expreſſit: vt patet quando loquitur de Clericis, Monachis, Militibus, eorúmque priuilegiis.

Ponderanda ſunt illa verba Conſtitutionis: *Quòd ſi quis, quacunque dignitate, & authoritate præditus, præmiſſorum* (nempe, indultorum per alios Pontifices conceſſorum) *aut alio quouis prætextu, quidquam præter, aut contra huius noſtræ Conſtitutionis tenorem attentare præſumpſerit; eum ipſo facto cenſuras etiam incurriſſe declaramus.* Ex quibus verbis clarè apparet, intentionem Pontificis non ſolùm fuiſſe, reuocare priuilegia Principibus conceſſa; ſed etiam omnes conſuetudines, & abuſus, aliáque contraria omnia, præter, vel contra formam traditam in præſenti conſtitutione, introducta; & ideò poſuit illa verba: *Aut aliò quouis prætextu.* poſt factam mentionem de priuilegiis.

Summus Pontifex promulgauit illam Conſtitutionem per modum legis vniuerſalis, & ſtatuti: ergo abſtulit, & correxit ius commune.

In dicta Bulla Pontifex, reducendo omnia ad vnam formam, tollit facultatem aliter interpretandi: ergo. Cæteras rationes vide apud Doctores citandos.

Ex his omnibus apparet manifeſtè, Conſtitutionem Gregorianam reuocare, non ſolùm priuilegia, ſed etiam ius commune, & conſuetudines. Et primò, quoad reuo-

cationem conſuetudinem, vide Marium Anton. Macerateſ. *lib. 2. reſol.* 15. *n.* 5. Giurb. *conſ.* 50. *num.* 14. & *conſ.* 70. *n.* 9. Ambroſinum *tract. de immunit. Eccleſ. c.* 14. *n.* 3. & *ſeq.* Farin. *in Append. c* 22. *num.* 359. *iuncto cum c.* 2. *n.* 14. & 15. Ioan. Franc. Leon. *in Theſ. fori eccleſ. part.* 1. *num.* 17. & nouiſſimè Martin. Bonacin. *tract. de legib. diſput.* 3. *q.* 7. §. 6. *n.* 4. & ex noſtra Religione P. Peregrinum *tract. de immunit. Eccleſ. cap.* 2. *à n.* 16. *vſque ad* 21. Hi omnes aduersùs Gambacurtam docent, Conſtitutionem Gregorij reuocare omnes conſuetudines, quicquid in contrarium videatur docere Tannerus *in* 2. 2. *diſp.* 5. *q.* 5. *dub.* 1. *n.* 17. *in fin.*

Et quòd reuocet, & corrigat ius commune, quod mordicùs negat Gambacurta, docent etiam citati DD. & præter illos ex ipſamet Societate P. Filliucius *in quæſt. moral. tom.* 1. *tract.* 15. *cap.* 6. *num.* 153. & P. Scortia *in Bulla Pont. epit.* 152. *Theor.* 385. ex noſtra Religione P. Duardus *in Expoſit. Bullæ Cœnæ, lib.* 2. *Can.* 15. *q.* 16. *n.* 27. & P. Megala *in* 3. *part. lib.* 4. *cap.* 2. *quæſt.* 1. *n.* 15. cum Aponte *deciſ.* 14. *in fine.* Idem aſſerit Villalob. *in ſum. tom* 2. *tract.* 39. *dub.* 7. *num.* 22. & 23. Capobl. *de Baronib. pract.* 8. *par.* 2. *num.* 105. Genuenſ. *in praxi Archiepiſcop. cap.* 17 *num.* 11. Gratian. *in diſcept. forenſ. tom.* 2. *c.* 180. *num.* 29. Card. Tuſch. *tom.* 3. *verb. Eccleſia, concl.* 11. *n.* 9. & ex noſtris Regnicolis vir doctus, & pius Franc. del Caſtil. *in ſuis deciſ. tom.* 2. *deciſ.* 156. *n.* 32. Giurb. *conſ.* 20. *n.* 3. 4 & 5. *conſ.* 70. *n.* 2. & 13. & *conſ.* 100. *num.* 18. & *conſ.* 30. *num.* 5. Ioan. Franc. Leo *in Theſ. fori eccleſ. part* 1 *cap.* 15. *n.* 27. Lazarius *tract. de Blaſph. q.* 5. *n.* 20. Riccius *part.* 1. *deciſ.* 140. *num.* 1. 2. & 5. *Collect.* 1792. Homobonus *de Examine Eccleſ. part.* 2. *tract.* 11. *cap.* 12. *q.* 26. *ſuppoſ.* 3. Rainer. *in Catal. cenſ. cap.* 9. *excom.* 31. vide etiam Confect. *in Priuil. Mendicant. tit.* 5. *c.* 6. Ex quibus omnibus videant aliqui, me his diebus rectè conſuluiſſe, Iudices laicos incurrere in excommunicationem Gregorianam, abſtrahendo reos ab Eccleſia vigore cuiuſdam aſſertæ conſuetudinis. Et ex his etiam apparet à fortiori, non benè Gambacurt. virum alioquin doctiſſimum *lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 4. aſſerere, etiam ampliationes factas per Doctores non eſſe per hanc Bullam reuocatas. Et quia ex iſtis principiis deducuntur reſolutiones multorum caſuum contra immunitatem ſacrorum locorum, & mentem Pontificis; ideò illas breuiter tangendo, quæritur.

*An qui commiſit grauia delicta, extra homicidium & mutilationem membrorum, in Eccleſiis, ſeu Cœmeteriis, hac immunitate gaudeat?*

RESOLVT. II.

Negatiuè reſpondet Gambacurta *lib.* 5. *cap.* 18. & Villadiego *in Polit. cap.* 3 *n* 206. Tannerus *in* 2. 2. *diſp.* 5. *q.* 8. *dub.* 1. *n.* 16. & ante Bullam Gegorij, quod non miror, hoc etiam docuerat Suarez *de Relig. tom.* 1. *tract.* 2. *lib.* 3. *c.* 11 *num.* 6. Raphaël de la Torre *in* 2. 2. *tom.* 2. *q.* 99. *art.* 3. *diſp.* 7. Barboſ. *in Collect. tom.* 1. *lib.* 3. *tr.* 49. *c.* 10. *n.* 4. Ioan. de Heuia *in Curia Philip. p.* 3. §. 12. *n.* 20. Graff. *tom.* 1. *lib.* 3. *conſ. vnico, n.* 10. & 18. *de immunit. Eccleſ.* & Portel. *in dubiis regul. verb. Eccleſ. immunitas, num.* 15.

Sed contrariam ſententiam, poſt dictam Bullam, amplectendam eſſe cenſeo: & ita, committentes in Eccleſiis ſtupra, ſodomias, monetam falſam, & ſimilia, gaudent immunitate Eccleſiæ, licèt tales delinquentes ſint à Iudice eccleſiaſtico puniendi ratione loci delicti: ſeu conſulto priùs Romano Pontifice, poterunt etiam tradi Curiæ ſæculari, ſi delictum eſſet atrociſſimum. Ita docet P. Peregrinus *in tract. de immunit. Eccleſ. cap.* 6. *num.* 23. Riccius *part.* 5. *collect.* 1792. vbi aſſerit, per noſtram Bullam correctum eſſe *cap. fin de immunit. Eccleſ.* Bonacina *de legibus, diſp.* 3. *q.* 7. §. 4. *n.* 12. Farinac. *de immunit. Eccleſ. c.* 16. *num.* 208 & 209. P. Megala *in* 3. *part. lib.* 4. *cap.* 2. *q.* 1. *n.* 15. & nouiſſimè ex Societate IESV P. Scortia *in Bull. Pont. epit.* 153. *Theor.* 385. Vnde non eſt audiendus Reginaldus *in praxi, tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 26. *num.* 38. *in fine.* Et ratio eſt: quia vt ſuprà diximus, priuatio immunitatis non eſt extendenda ad caſus in Bulla non expreſſos; ſed in dicta Bulla excipitur tantùm homicidium, & membrorum mutilatio: ergo non eſt trahenda ad alia, licèt enormia delicta. Hanc etiam ſententiam docuit Iuriſconſultus Gratianus *in diſcept. forenſ. tom.* 2. *c.* 380. *num.* 29. & alij communiter; quidquid in contrarium aſſerat Zipaëus *in Iure nouo can. lib.* 3. *de immunit. Eccleſ. num.* 10.

*An qui deliquit propè Eccleſiam, ſub ſpe confugiendi ad eam, gaudeat poſteà ipſius Eccleſiæ immunitate?*

RESOLVT. III.

Non gaudere docet Gambacurta *lib.* 5. *cap.* 19. & Villadiego *in Polit. cap.* 3. *n.* 206. & poſt Conſtitutionem Gregorij, Farinac. *de immunit. c.* 16. *n.* 214. Ambroſinus *de immunitate Eccleſiæ, c.* 5. *n.* 4. non ex principio Gambacurtæ; ſed, quia putauit, poſt dictam Bullam Gregorianam ita declaraſſe Clem. VIII. in vna Panormitana. Idem docet Tannerus *in* 2. 2. *diſp.* 5. *q* 8. *dub.* 1. *num.* 7. ex mente aliquorum. Zanard. *in direct. Confeſſ. part.* 1. *de Sacram. Pœnit. c.* 18. *caſ.* 5. Ioan. de Heuia *in Curia Philip. p* 5. §. 12. *n.* 21. Barboſa *in Collect. lib.* 3. *tit.* 49. *cap.* 10. *n.* 5.

Sed contrarium docet Fagundez *de Præcep. Eccleſ. tract.* 2. *lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 45. Ioan. de la Cruz *in direct. conſ. part.* 1. *præcep.* 8. *q.* 3. *art.* 2. *dub.* 1. *concl.* 1. Peregrin. *de immunit. c.* 6. *num.* 30. & ante Bullam docuerat Suarez *tom.* 1. *de Relig. tract.* 2. *lib.* 3. *c.* 11. *n.* 4. Et ratio deſumitur ex verbis Bullæ, quæ excludit ab immunitate homicidia, & mutilationes factas in Eccleſiis, & Cœmeteriis. Ergò, cùm diſtinctè dicit: *In Eccleſiis, & Cœmeteriis.* virtute ponitur excluſiua, extra Eccleſiam, & Cœmeterium. Et ita ante hanc Bullam Gregor. docuit Decian. *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 28. *n.* 5. qui reſpondet ad omnia argumenta adducta in contrarium per Alciat. *de præſumpt. reg.* 3. *præſumpt.* 33. *n.* 2. & *ſeq.* docuerat hoc etiam Tabiena, *verb. immunit. n.* 10. Sylueſter *eodem verb. l.* 3. *n.* 5. Angelus *eodem verb. n.* 17. & Armilla *eodem verb. num.* 12. Vnde valdè miror, Gambacurtam relinquere Theologos doctiſſimos, & ſequi velle Iuriſconſultorum veſtigia. Reſtat modò reſpondere ad argumentum Ambroſini. Dico igitur, quòd reſolutio Clem. VIII. in aliquo caſu particulari non tollit legem vniuerſalem: nam ex aliquibus circunſtantiis particularibus, mouentibus animum ſuum, potuit ita in illo caſu determinare, quæ quidem non militant in vniuerſali.

*An qui proditoriè voluit aliquem occidere, & deuenit ad actum proximum, ſed caſu non occidit, gaudeat immunitate?*

RESOLVT. IV.

Negatiuè reſpondet Gambacurta *lib.* 5. *cap.* 30. *num.* 6. Sed poſt Conſtitutionem Gregor. reiicienda eſt hæc opinio: nam in verbis dictæ Bullæ expreſsè Pontifex loquitur de occidente proditoriè: vnde ex vi verborum requirit actum conſummatum cum effectu ſubſequuto, ad hoc, vt immunitatem amittat: & ita poſt dictam Bullam docuit Peregrin. *de immunit. Eccleſ. cap.* 7. *num.* 13. Bonacina *de legib. diſput.* 3. *quæſt.* 7. §. 5. *num.* 16. & Farinac. *de immunit. cap.* 9. *num.* 145. & 146. vbi aſſerit, quòd hæc opinio hodie ſecundùm Bullam Gregor. omni difficultate caret in illis verbis: *Aut qui proditoriè proximum ſuum occiderit.* vbi clarè requiritur mors ſequuta, & ideò ſe retractat à contraria ſententia, quam docuerat *in tit. de carcer. quæſt.* 28. *num.* 45.

***

An



*An qui occidit inimicum, non proditoriè, ſed per inſidias; gaudeat immunitate?*

RESOLVT. V.

Negatiuè reſpondet Gambacurt. *lib.* 5 *cap.* 4. & 31. & Villadieg. *in Polit. cap.* 3. *num.* 208. vbi docet, non obſtante Conſtitutione Gregoriana, homicidium inſidioſum non gaudere hac immunitate. Vide etiam Suarez *de Relig. tom.* 1. *tract.* 2. *lib.* 3. *c.* 11. *n.* 10. Fagund. *de Præcept. Eccleſ. tract.* 1. *lib.* 4. *n.* 46. & Portel. *in dubiis regularib. verb. Eccleſiæ immunitas, num.* 15.

Sed iſti ſcripſerunt ante Bullam, & in loco, vbi non eſt recepta, & ideò omnes ſcribentes poſt dictam Bullam, contrarium docent. Ita tenet Peregrin. *in tract. de immunit. c.* 7. *n.* 5. & 20. Ambroſinus *de immun. c.* 16. *n.* 143. & Bonacina *de legib. diſp.* 3. *q.* 7. §. 4. *n.* 14. Et ratio eſt: quia eſt differentia inter homicidium proditoriè commiſſum, & non proditoriè: ſed Bulla ex immunitate ſolùm excipit homicidium proditorium: ergo non excludit non proditorium. Et clarè hoc determinauit Clemens VIII. referente Cardinali Burgheſio, & Platra: nam in quodam Breui Archiepiſcopo Panormitano directo, vt *ſuprà* viſum eſt, determinat quoſdam occiſores, qui ex inſidiis inimicum occiderunt, gaudere immunitate eccleſiaſtica, ſtante Bulla Gregor. XIV. quidquid in contrarium ſentiat de mente Clem. VIII. Marius Italia *de immunit. lib.* 1. *c.* 5. §. 4. *n.* 1. qui, vt Farinacius benè obſeruat, diuinat, & minimè audiendus eſt. Nota verò, quòd nos per homicidium proditorium intelligimus illud, vbi nullus cum occiſo præcedebat rancor; ſed potiùs ſimulabatur amicitia. Vnde contra Gambacurtam, Megalam *in* 3. *p. lib.* 4. *cap.* 2. *quæſt.* 1. *n.* 18. & Bobadillam *in Polit. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 14. *n.* 38. non dicitur proditor, qui occidit inimicum ſuum à tergo, vel ex feneſtra cum archibuſiis. Ita docet Bartol. *in leg. reſpiciendum, §: delinquunt, n.* 1. *ff. de pœnis.* Et ita præter Ambroſinum, Farin. & Peregrin. docet in terminis huius Bullæ, Ricc. *part.* 5. *collat.* 1792. & *part.* 1. *deciſ.* 168 *num.* 1. Genuenſ. *in praxi, cap.* 94. & ita etiam ante dictam Bullam fuiſſe deciſum in Regno Neapolitano teſtatur Vincent. de Franch. *in deciſ.* 713. Cùm igitur immunitas Eccleſiæ ſit fauorabilis propter reuerentiam ſacrorum locorum, & exceptio ſit odioſa, verbum, *proditoriè*, ſtrictè interpretandum eſt, licet nouiſſimè contrarium aſſerat Fagundez *de Præcept. Eccleſ. tract.* 2. *lib.* 4. *c.* 4. *num* 46. cum Portel. *in dubiis Regul. verb. Eccleſiæ immunitas, num.* 15. Sed iſti ſcripſerunt in Hiſpania, vbi Bulla Gregor. non eſt vſu recepta.

*An committens crimen læſæ Maieſtatis in perſonam Principis ſuperiorem recognoſcentis, gaudeat hac immunitate?*

RESOLVT. VI.

Non gaudere reſpondet Gambacurta *lib.* 5. *cap.* 44. & ponit exemplum in Principibus noſtræ Siciliæ, vt Princeps Buteræ, Petrapertiæ, Caſtri veterani: & hoc extendit etiam ad Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, & Barones vaſſallorum: & ita ex parte docet Megala *in* 3. *part. lib.* 4. *cap.* 2. *q.* 1. *num.* 22.

Sed tu contrarium tene cum Barboſ. *in Collect. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 49. *cap.* 6. *num.* 10. Peregrin. *in tract. de immunit. Eccleſ. cap.* 9. *num.* 8. & nouiſſimè cum Farinac. *de immunit. cap.* 13. *num* 187. & Italia *de immunit. lib.* 1. *cap.* 6 §. 7. *n.* 29. & *ſeq.* & *num.* 36. *ver. hoc autem.* Et ratio eſt: quia, dato, quòd crimen læſæ Maieſtatis committerent, illos offendendo; gauderent tamen Eccleſiæ immunitate: quia præſens Bulla Gregoriana intelligitur de offendentibus perſonam ſupremi Principis: nam, cùm verſemur in materia odioſa, & pœnali, ita nomen Principis in Bulla accipiendum eſt.



*An rebellis, vel qui offendit ſtatuas, vel imagines Principi dicatas, gaudeat immunitate?*

RESOLVT. VII.

Vbi ſuprà *lib* 5. *c.* 44. Gambacurta negat, & Villadiego *in Polit. c.* 3. *n.* 207. quia reus Maieſtatis videtur: ſed, licèt talis crimen læſæ Maieſtatis committat; attamen immunitate Eccleſiæ gaudebit: quia tale crimen non eſt in perſonam Principis, vt Conſtitutio Gregoriana requirit: & ita docet Peregrin. *de immunit. cap.* 10. *n.* 8.

Vnde notandum eſt hîc, quòd, licet multis modis committatur crimen læſæ Maieſtatis, hodie tamen per dictam Conſtitutionem Gregor. XIV. ſtatutum eſt, reum criminis læſæ Maieſtatis tunc non gaudere immunitate Eccleſiæ, ſi in perſonam Principis aliquid machinatus fuerit: ergo ſecùs, ſi non in perſonam Principis: & ideò Peregrin. *vt ſuprà num.* 9. probat, gaudere hac immunitate Eccleſiæ, offendentes, vt diximus, ſtatuas, vel imagines Principum; cudentes falſam monetam; offendentes eum, qui habet ſaluum conductum; tractantes de faciendo Rege, ipſo viuente; expoliantes Nuncios Regis, vel alterius Principis, vt arcana Regni ſciant; & ſimilia perpetrantes: nam, licèt hi omnes in his delictis committant crimen læſæ Maieſtatis; non tamen perſonam Principis offendunt. Et ita aſſerit Farinac. *de immunit. cap.* 13. *n.* 190. cum Peregrin. *n.* 13 & Rebel. Delinquentes ergo contra ſtatutum Principis, licèt crimen læſæ Maieſtatis committant; gaudebunt tamen hac immunitate: nam per rebellionem licèt reſiſtant, & non obediant ſuo Principi; non tamen offendunt perſonam Principis.

Notandum eſt etiam cum Megala *in* 3. *part. lib.* 4. *cap.* 2. *q.* 1. *n.* 23. Ambroſino *de immunitate, cap.* 9. *n.* 6. Farinac. *vbi ſuprà num.* 191. quòd ſi aliquis crimen læſæ Maieſtatis committeret in perſonam Principis, ſi non eſt ei ſubditus ratione originis, ſeu domicilij; hanc immunitatem non amitteret: quia talis non dicitur committere crimen læſæ Maieſtatis, & eſt communis opinio, teſte Rol. *lib.* 1. *conſ.* 4. *num.* 5.

An verò, qui ſciunt machinationem contra perſonam Principis, & non reuelant, gaudeant immunitate Eccleſiarum; negatiuè reſpondet Farin. *de immunit. cap.* 13. *n.* 186. Sed contrariam ſententiam docet Peregrin. *tract. de immunit. cap.* 10. *num.* 11. quia, licèt tale crimen puniri debeat pœna mortis: tamen immunitatem Eccleſiæ non amittit: quia crimen eſt omiſſionis, & non commiſſionis contra perſonam Principis: & in hac Conſtitutione Summus Pontifex punit delinquentes in committendo, & non in omittendo, contra perſonam Principis: nam illa dictio, *in*, poſita in Bulla, denotat, *contra*, & per conſequens actionem, & non omiſſionem.

*An miniſtri laicalis iuriſdictionis poſſint in Eccleſia auferre reo arma prohibita?*

RESOLVT. VIII.

Affirmatiuè reſpondet Gambacurta *lib.* 4. *c.* 16. *n.* 11. Villadiego *in Polit. cap.* 3. *num.* 214. & citat Couarr. *lib.* 2. *var. cap.* 20. *n.* 2. Idem docuit nouiſſimè Ioann. de la Cruz *in direct. conſcient. part.* 1. *præcept.* 8, *q.* 3. *art.* 1. *dub.* 1. *concluſ.* 3. Graff. *tom.* 1 *lib.* 3. *conſ. vnico, n.* 19. *de immunit. Eccleſ.* Suarez *de Relig. tom.* 1. *tract.* 2. *lib.* 3. *cap.* 12. *ſub num.* 3. Fagundez *de Præcept. Eccleſ. tract.* 2. *lib.* 4 *cap.* 4. *num.* 55 & Laurentius Portell. *in dubiis regularibus, verb. Eccleſiæ immunitas, num.* 15.

Sed negatiuam ſententiam, & meritò docet Farinac. *tract. de immunit. Eccleſ. cap.* 16. *num.* 248. vbi aſſerit, contrariam ſententiam procedere de iure ciuili, non autem de iure canonico: nam *ex cap.* 1. *extra de immunit. Eccleſ.* & *in cap.* 2. *eodem titulo, in* 6. expreſsè prohibetur Iudici-



bus

bus ſæcularibus, aliquam iuriſdictionem in Eccleſia exercere. Hanc ſententiam docuit P. Peregrin. *de immunit. Eccleſiæ, cap.13. num.5.* Et rationem alienam adducit: quia, ſicut reus non poteſt extrahi per Iudicem laïcum ab Eccleſia, etiam in caſibus exceptis, ſine licentia Epiſcopi, vel eius Officialis, vt determinat Grego. XIV. in hac Conſtitutione: ita quoque non poteſt Iudex laïcus illum armis expoliare in Eccleſia, abſque licentia Epiſcopi, vel eius Officialis: nam acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis.

Nec mihi placet opinio Gambacurt. *loco citato* qui aſſerit, ſatellites poſſe per vim auferre rem furtiuam, è manibus furum, etiam in Eccleſia exiſtentium, ſi tradere recuſent, vt eam ſuo domino reſtituant: ſed hoc, ex rationibus allatis, negat Peregrin. *ex loco citato, & cap.12. num.* 8. Nec approbo aliam opinionem Gambacur. *vbi ſuprà num.* 14. 15. *&* 18. vbi aſſerit, poſſe ſatellites Curiæ, quando reus eſt intra Eccleſiam, ne inde fugiat, brachio apprehenſum tenere, donec licentia Epiſcopi veniat: vel, ſi perſonæ eccleſiaſticæ quærunt dimittere illum, non expectata licentia Epiſcopi, reum capere, & extrahere ab Eccleſia, & ad Epiſcopum poſteà ducere: non, inquam, approbo hanc opinionem, propter multa inconuenientia, quæ ex illa poſſunt procedere ex inſolentia miniſtrorum laïcalis iuriſdictionis, & propter irreuerentiam ex talibus actionibus contra Eccleſiam prouenientem. Adde, quòd in caſibus ſimilibus, ad euitanda ſuprà dicta incommoda, & propter ſecuritatem Iudicum ſæcularium, concedunt DD. quòd Eccleſia obſideatur à ſatellitibus, ne reus liberè fugiat; vel, vt ſi extra fines Eccleſiæ exeat, capiatur: quia in tali caſu nulla vis efficitur exiſtenti in loco ſacro, vt efficeretur, ſi eſſet ſequenda opinio Gambacurtæ: ſed ſolus locus non ſacer cuſtoditur, vt ſi voluntariè illinc exeat criminoſus, ibi teneatur, & vis inferatur, vbi licitè inferri poteſt. Et ita docet Peregrin. *loco cit. n.*10. qui citat Suarez, Ambroſinum, & Italiam cui ego addo Farinac. *tract. de immunit. Eccleſ. c.*19. *n.*299. & Megalam *in 3. p. lib.4. c.2. q.1. n.29.*

*An exiſtens in Eccleſia, vel in aliquo Monaſterio, & ex feneſtra pilam tormentariam iecit in alium extra Eccleſiam exiſtentem, & illum occidit; gaudeat immunitate?*

### Resolvt. IX.

NOn gaudere affirmat Gambacur. *lib.5. cap.24. num.* 21. Villadiego *in Polit. cap.3 num.*206. Ioan de Heuia *in Curia Philipp. part.3. §.12. num.*23. & in hoc ſocios multos habent: nam ita tenuerunt, ex noſtris, P. Megala *in 3. p. lib. 4. cap. 2. quæſt.* 1. *num.* 12. Graff. *tom.1. lib.3. conſ. vnico, num.* 10. *de immunit. Eccleſ.* Duard. *in Bulla Cœnæ, lib.* 2. *can.* 15. *quæſt.* 16. *num.*23. Farinac. *tract. de immunit. cap.*16. *n.*223. Portel. *in dubiis regul. ver3. Eccleſiæ immunitas, n.* 12. Ambroſinus *tract. de immunit. cap.5. n.8.* Et ratio eſt: quia tale homicidium commiſſum videtur in Eccleſia, cùm in illa initium habuerit.

Sed mihi placet opinio Bonacin. *tract. de legib. diſp.* 3. *q.* 7. §.4. *num.*8. vbi aſſerit, ſuprà dictum criminoſum gaudere immunitate. Et ratio eſt: quia Gregorius in iſta Conſtitutione ait, illos non gaudere immunitate, qui mutilant, & occidunt in Eccleſia: quæ quidem verba, vt patet, denotant actum completum, & perfectum in Eccleſia: ergo, cùm ſimus in materia odioſa, & in pœnalibus, non ſunt dicta verba extendenda ad homicidium inchoatum in Eccleſia. Et hoc patet manifeſtè à ſimili: nam, vt docet ipſemet Bonacina *de cenſ. diſp.* 1. *q.*1. *punct.*11. *n.* 11. ille, qui, dum exiſtit in Eccleſia, iacit ſagittam, & occidit hominem exiſtentem extra Eccleſiam, non incurrit cenſuram latam contra occidentem in Eccleſia; nam illa occiſio facta fuit extra Eccleſiam, licèt in Eccleſia fuerit inchoata: ergo etiam verum eſt, quòd, ſecundùm ſententiam Bonacinæ, dictus criminoſus non poteſt capi à miniſtris ob ſacrilegam vulnerationem in Eccleſia inchoatam.

Notandum eſt verò, è contrà, quòd immunitate non gauderet ille, qui exiſtens extra Eccleſiam, occideret exiſtentem in Eccleſia: nam talis dicitur delictum occiſionis commiſiſſe in Eccleſia. Et his in caſibus puto, non eſſe attendendum locum inchoati, ſed locum conſummati delicti, vt *ſuprà* dixi: & ita docet Riccius *p. 5. collect.* 1792. Portel. *loco cit.* Bonacin. *n.*7. Farin. *n.*224. Peregr. *num.*16. Megala *n.*13. & alij; gauderet tamen hac immunitate ille, qui vulneraret aliquem in Eccleſia, etiam cum ſanguinis effuſione; ſine tamen alicuius membri mutilatione, vt docet Farinac. *vbi ſuprà, num.*227. & alij.

*An exiſtens in Eccleſia, mandans homicidium extra illam committi; vel exiſtens extra Eccleſiam, mandans homicidium intra illam committi; gaudeant hac immunitate?*

### Resolvt. X.

MInimè gaudere reſpondet Gambacurta *lib. 5. n. 25.* Ioann. de Heuia *in Curia Philipp. p.3. §. 12. num. 23.* cum Duardo *in Bulla Cœnæ, lib. 2. can.15. quæſt.16. n. 23.* & ante Bullam Gregorij Suarez *de Relig. tom.1. tract. 2. lib. 3. c. 11. n. 7.* Idem docet Portel. *in dubiis regul. verb. Eccleſiæ immunitas, n.* 15. Sed, vt notat ipſe ibid. Bulla Gregoriana in Portugallia non eſt vſu recepta.

Sed contrariam ſententiam poſt Bullam Gregor. XIV. docent omnes ſcribentes. Ita Megala *in 3. par. lib. 4. cap.* 1. *quæſt.1. num.*13. Farinac. *de immunit. Eccleſ. c.* 16. *num.* 231. cum Martino Bonacina *de leg. diſp.3. q.7. §.4. n.*11. & aliis. Et ratio eſt: quia tales non dicuntur verè, & propriè loquendo occidere; ſed mandare occiſionem: & cùm ſimus in pœnalibus, & in materia odioſa, vt pote libertati delinquentium, & immunitati eccleſiaſticæ contraria; verba Bullæ contra occidentem non ſunt extendenda ad mandantem occidere: ſicut cenſura lata contra aliquid facientem, non eſt extendenda ad mandantem id facere? vt nos latè probauimus *in tract. de denunciationib. q.* 23. & probat in caſibus huius Bullæ, Homobonus *de Exam. Eccleſ. part.* 2. *tract.* 11. *c.* 5. *q.* 5. *rect.* 4.

Nec valet dicere, quòd, qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur: nam reſpondeo, hoc axioma, vt benè aduertit Auil. *de cenſ. p.2. c.5. diſp.* 3. *dub.*2. & alij, intelligendum eſſe quoad culpam, non autem quoad pœnam; & omnia ſuprà dicta ſunt intelligenda etiam, vt in titulo quęſtionis diximus, de illo, qui exiſtens extra Eccleſiam mandaret committi homicidium intra Eccleſiam: nam militat eadem ratio, licèt Peregrinus, quoad hoc, contrarium ſentiat, *c.6. n.36.* Sed tu tene noſtram ſententiam.

*An, qui in Eccleſia commiſit homicidium, vel membrum mutilauit, non deliberatè, ſed accidentaliter, & calore iracundiæ, & prouocatus; gaudeat immunitate?*

### Resolvt. XI.

NEgatiuè reſpondet Gambacur. *lib.5. c.23.* & ex noſtris Peregrin. *de immunit. cap.6. num.*15. qui adducit rationem ex verbis Bullæ, vbi Summus Pontifex indiſtinctè excipit membrorum mutilationes, & homicidia in ipſis Eccleſiis, vel Cœmeteriis: ergo indiſtinctè debet intelligi, tam de illis, qui ex propoſito, & deliberatè, quàm de illis, qui in rixa accidentaliter, & ex calore iracundiæ occidunt, vel mutilant.

At his minimè ſuffragantibus, contrariam ſententiam docet Farinac. *tract. de immunit. Eccleſ. c.16. n.*240. & ante Bullam id docuerat Guttier. *pract. qq. lib.3. q.1. n.3.5. & ſeq.* cum Seſſ. *deciſ.* 141. *num.* 8. & aliis. Et hoc maximè procederet, ſi tale homicidium fuiſſet in Eccleſia perpetratum



tum; non ſolùm ex rixa ſubitanea, ſed ad alterius prouocationem; & multò magis ad ſe defẽdendum: nam in præfatis caſibus, occidens, vel mutilans non videtur habere animum irreuerentem offendendi, & violandi ipſam Eccleſiam. Vide Tabienam *verſ. Immunitas, n.* 10. Armillam *eodem verb. n.*12. Roſellam *eodem verb. num.* 2. & alios. Notandum eſt tamen, vulnerantem in Eccleſia gaudere omninò immunitate; extra membrorum tamen mutilationem: & ita nouiſſimè in terminis noſtræ Bullæ docet Barboſa *in Collect. tom.1. lib.3. tit.4. c.10. n.10.*

*An reus confugiens ad Eccleſiam, poſſit per Iudices eccleſiaſticos, vel laïcos, puniri pœna exilij, vel ad perpetuum carcerem?*

### Resolvt. XII.

POſſe, reſpondet Gambacurt. *lib.4. cap.33. & 35.* ſed non eſt audiendus; & negatiuam ſententiam tenendam exiſtimo cum Farinac. *tract. de immunit. Eccl. cap.21. n.*333. *&* 336. Idem docet Franc. Suarez *de Relig. tom.* 1. *tract.* 2. *lib. 3. cap.* 12. *num. 6.* cum Mario Italia *de immunit. lib.* 1. *cap.6. §.3. num.1. & ſeq.* Innoc. & Hoſtienſ. *in cap. inter alia, de immunit. Eccleſ.* Ancharan. & Zabarel. *in Clem.1. de pœn. & remiſſ.* & aliis. Et ratio eſt: quia exilium, & carceratio eſt grauis pœna, & inter corporales computatur, vt ait Suarez, & alij.

Nota etiam, quòd dictus Gambac. *ca.* 34. *num.* 9. tenet, poſſe Iudices ſupradictum reum condemnare ad triremes, etiam in perpetuum; non tamen ad remigandum: & hoc etiam concedit in homine robuſto & laboribus aſſueto; etiamſi ex tali remigatione eſſet verberandus. Sed hæc opinio, & aliæ multæ ſupradicti Authoris, circa immunitatem hanc, ſunt reiiciendæ: vt iſtam reiicit Pater Suarez, *vbi ſuprà*; aſſerens, talem reum non poſſe condemnari ad triremes, etiamſi ibi verberandus non eſſet, propter duram, & laborioſam ſeruitutem. Docet etiam Gambac. *vbi ſuprà cap.* 32. *num.* 2. *& ſeq. ex can. de raptorib.* 36. *q.*1. poſſe Iudices dictos criminoſos, de quibus loquimur, condemnare, vt ſeruiant ei, cui iniuriam intulerunt: ſed contrarium, & rectè, docet *ibidem* Suarez; & diſpoſitionem illam in raptu virginum, ſpecialem eſſe exiſtimat, propter illius delicti atrocitatem: imò exiſtimat, illum canonem non eſſe vſu receptum, neque per ſe poſſe vniuerſam Eccleſiam obligare: vnde patet contra Gambacurtam, quòd ſi dictus canon non eſt in vſu, quoad raptores virginum; quantò magis quoad alios delinquentes; Tandem notandum eſt, quòd, licèt confugiens ad Eccleſiam impunitus dimitti non debeat; tamen pœnam ei infligendam, non Iudex laïcus, ſed eccleſiaſticus debet imponere, vt notant Farinac. *vbi ſupr. de immunit. cap.* 21. *num.*339. & alij.

*An, qui iam vicinus Eccleſiæ cum ipſo ſatellite per vim intrat in Eccleſiam, & vt ſeſe de illius manibus eximat, vulnerat illum cum magna ſanguinis effuſione; gaudeat immunitate?*

### Resolvt. XIII.

NOn gaudere docet Gambacurt. *lib. 4. cap.* 18. *num. 6.* cùm ratione grauis delicti in Eccleſia perpetrati immunitate priuetur: & idem docet Villadiego *in Polit, cap.3. num.*206.

Sed *ſuprà* hanc opinionem reprobauimus Reſol.2. nam delicta, etiam grauia & enormia in Eccleſia commiſſa, non excluduntur ab immunitate Eccleſiarum, extra homicidium, & mutilationem membrorum: & ideò in particulari ad propoſitum caſum reſpondendo, aſſero ſupradictum criminoſum gaudere immunitate: quia poſt Bullam Gregor. XIV. vt rectè notat Farinac *tract. de immunit. Eccleſ. cap.16. num.*227. vulnerans in Eccleſia, etiam cum effuſione ſanguinis, gaudet illius immunitate: quia in dicta Conſtitutione excipitur ſolùm vulnus cum mutilatione membri, quidquid in contrarium aſſerant aliqui: ſed in dicto caſu reus non mutilauit membrum aliquod: ſed ſolùm ſatellitem grauiter vulnerauit, ergo gaudebit Eccleſiæ immunitate.

*An, ſi conſtaret notoriè, reum non gaudere immunitate Eccleſiæ; poſſit illum Iudex ſecularis extrahere ab Eccleſia ſine licentia Epiſcopi?*

### Resolvt. XIV.

AFfirmatiuam ſententiam docet Gambac. *lib.6. cap.*14. *& lib.8. c.10.* Villadiego *in Polit. cap.3. n.* 238. & ante Bullam Gregor. probabiliter docuerat Suarez *de Relig. tom.1. tract.2. lib.3. c* 11.

Sed hodie poſt Conſtitutionem Gregor. XIV. vt notat Filliucius *tom.* 1. *tract.* 15. *cap.* 6. *num.* 154. & Duardus *in Bulla Cœnæ, lib.* 2. *can.* 15. *quæſt.* 16. *num.*31. hæc opinio eſt prorſus refellenda, & non audeant Iudices illam in praxi obſeruare, nam ſine dubio in excommunicationem incurrerent, & contra ſacram immunitatem efficerent. Et ita fuiſſe deciſum in Curia Archiepiſcopali Neapolitana, teſtatur Genuenſis *in praxi, cap.*17. *num* 5. & Riccius *p.5. collect.*1792. & idem docet Lazarius *tract. de Blaſphem. quæſt.* 5. *num.*71. vbi ſic ait: [ Forma huius Conſtitutionis ſeruanda eſt, etiamſi confugientem ad Eccleſiam, notorium ſit commiſiſſe delictum exceptuarum in ea: adhuc enim Epiſcopus debet priùs cognoſcere, an hoc ſit verum; & poſteà conſignare reum Curiæ ſeculari: aliàs extrahentes incurrerent cenſuras: & reus eſt Eccleſiæ reſtituendus. ] Hoc etiam docet Farinac. *in Append. de immunit. c.22. n.*359. Raynerius *in Catal. cenſur. cap 9. excomm.* 31. *notab.* 3. & nouiſſimè Franciſc. Zipæus *in ſua. Anal. Iur. cen. lib.3. de immun. Eccleſ. num.* 12. cum noſtro P. Megala *in 3. part. lib. 4. c.2. q.* 1. *num.* 31. vbi aſſerit, formam huius Conſtitutionis eſſe ſeruandam, licèt notoriè conſtet reum commiſiſſe delictum in hac Extrauaganti exceptum: nam, etiamſi notorium releuet onere probandi *cap. veſtra. de cohabit. Cler & mul.* tamen non releuat, quando probatio requiritur pro forma. Hæc ille, & alij. Ex quibus conſtat, me his diebus elapſis cum quodam ſupremo Miniſtro Regio rectè opinionem Gambacurtæ reprobaſſe, illum à tali ſententia amouendo.

*An ad incurrendam excommunicationem huius Bullæ, ſufficiat actus attentatus?*

### Resolvt. XV.

NEgatiuè reſpondet Gambacur. *lib.8. c.13.* putat enim, quòd ſi aliquis attentaret extrahere per vim reum ab Eccleſia, & reuerà non extraheret, non incurreret in pœnas huius Conſtitutionis: quia talis actus non fuit completus, ſed attentatus.

Sed tales in excommunicationem Bullæ dicendum eſt, omninò incidere: & ita docent Peregrin. *de immunit. Eccleſiæ, c.14. n.7.* & Marius Italia *de immunit. Eccleſ. lib.1. c.6. §.2. n.60.* & patet ex verbis Bullæ, ibi: *Quicquam præter, aut contra huius noſtræ Conſtitutionis tenorem attentare præſumpſerit, declaramus etiam.* Et gratis Gambacurta aſſerit, ſupradicta verba intelligenda eſſe de attentato cum effectu ſubſequuto. Vnde noſtram ſententiam docet etiam Farinac. *in tract. de immunit. Eccleſ. cap.20. num.*322. *ex authoritate leg.* 2. cùm de his, qui ad Eccleſiam confugerunt, in illis verbis: *Si quiſquam contra hanc legem venire tentauerit.* ex quibus manifeſtè apparet, quòd ſola attentatio ponitur. Et hoc ibidem notauit Gloſſ. *in verb. tentauerit.* & Megala *in 3. part. lib.4. cap.2. quæſt.1. num.30. in fine.* Notandum eſt tamen cum Peregrin. & Farinac. non ſufficere ſolam cogitationem extrahendi; ſed requi-

ritur, quòd fuerit deuentum ad aliquem actum exteriorem; vt etiam notauit Ambroſin. *tract. de immunit. c. 15. num. 6.* & alij.

*An Iudex, qui non mandauit extrahere reum ab Eccleſia; ſed ſatellites, vel alij extraxerunt vi, dolo; teneatur reſtituere reum in Eccleſia; vel poſſit contra illum agi?*

### RESOLVT. XVI.

IN tali caſu poſſe aduersùs talem procedere, quia illum inuenit extra locum ſacrum, putauit Suarez *de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 13. cap. 3. num.* 17. & ideò illum non eſſe Eccleſiæ reſtituendum, nec pœnas violatæ immunitatis incurrere docet.

At ego ſemper contrariam ſententiam tenui, quam poſteà docuit noſter Megala *in 3. p. lib. 4. c. 2. quæſt. 1. n.* 32. Peregrin *tract. de immunit. Eccleſiæ. cap. 20. num.* 324. Et ratio eſt: quia talis reus eſt affectus pro reſtitutione Eccleſiæ, quæ fuit dolo, ſeu vi ſpoliata: ergò ad quencunque tranſierit, cum tali onere tranſiit: ſicut res furtiua tranſit ad omnes cum onere reſtitutionis, cui de iure comperit, ſcilicet, domino ſuo. Adde, quòd in Bulla dicitur: *Extrahunt, capiunt, & incarcerant.* Vt igitur dicta verba operentur effectum ſuum, *iuxta cap. Paſtoralis, de appellat.* ſunt intelligenda, *capiunt, & incarcerant*, ſcilicet extractum. Ita Peregrinus. Deinde Summus Pontifex in iſta Bulla punit attentantes aliquid præter, vel contra eius formam: ſed Iudex, qui, ſi non mandauit, tamen extractum non reſtituit; contra Bullam attentare dicitur: ergo illius pœnam incurrit. Sed, quia talis caſus accidit in vrbe Neapolitana, &, vt *ſuprà* diximus, fuit deciſum; ponam verba Epiſcopi Genuenſ. *in praxi, cap. 17. n. 5.* vbi ſic ait: [ Anno 1598. quidam aſſaſſinus interfecit quandam perſonam; & poſteà confugit ad Eccleſiam, à qua fuit per vim extractus à conſanguineis occiſi, & aliquibus ſatellitibus Curiæ ſæcularis, & eodem die coram Iudice ſæculari confeſſus fuit commiſiſſe dictum homicidium per aſſaſſinum. Fuerunt per Curiam Archiepiſcopalem citati omnes Iudices M. C. Vicariæ, Aduocatus, & Procurator Fiſcalis, & etiam Carcerarij, quatenus deberent reſtituere dictum extractum Eccleſiæ prædictæ, vel procurare eius reſtitutionem, & non impedire reſpectiuè ad finem, quòd ſi conſtiterit Curiæ Archiepiſcopali à dicto delinquente fuiſſe commiſſum delictum exceptum in Bulla, poſſet eidem Curiæ ſæculari conſignari: qui non aliter procurauerunt; ſed poſt breue tempus laqueo ſuſpendi fecerunt: & ſic per curiam Archiepiſcopalem fuerunt declarati excommunicati omnes prædicti Iudices, Fiſcales, Carcerarij, ſatellites, & conſanguinei occiſi, qui extraxerant dictum iuuenem à dicta Eccleſia. ] Ita Genuenſis. Vnde apparet, omnes reos extractos ab Eccleſia vi, vel dolo per quaſcunque perſonas, eſſe à Iudice laïco Eccleſiæ reſtituendos: & ſi aliter fecerint, in excommunicationem, & pœnas Bullæ Gregorianæ incident.

*An confugiens ad Eccleſiam, geſtando ſecum ſclopettones, ſeu archibuſettos, gaudeant immunitate?*

### RESOLVT. XVII.

NOn gaudere putauit Villadiego *in Polit. cap. 2. n. 244.* Farinac. *tit. de carcer. q. 28. n. 66.* & ante illum Rebuff. *in conſtit. Gallic. tom. 2. tit. de immunit. Eccleſ. gloſſ. 1. n. 28.* & alij: quia delatio ſupradictorum armorum meretur capitalem pœnam, & vt delictum graue, non gaudet Eccleſiæ immunitate.

Sed contrarium docet Peregr. *de immunit. c. 12. num.* 11. nam, licèt talis delinquat in Eccleſia, geſtando arma illa prohibita; tamen, vt *ſuprà* diximus, gaudebit immunitate, quia ſolùm delicta homicidij, & mutilationis membrorum excluduntur ab immunitate in Conſtitutione Greg. XIV. non autem alia grauia delicta, etiam in Eccleſia perpetrata. Putat tamen Gambac. *lib. 4. cap. 17. n. 13. in fin.* quòd ſi alicubi conſuetudo eſſet in contrarium, talis criminoſus non gauderet. Sed nos hanc limitationem non admittimus: nam, vt *ſuprà* contra ipſum probauimus, Conſtitutio Gregor. tollit omnem conſuetudinem, & reducit omnia ad vnicam formam, cum particula taxatiua: & ita in ſimili caſu cuiuſdam aſſertæ conſuetudinis, Peregrin. reſpondet *vbi ſuprà, n.* 8. Ex ſupradictis infertur, furantes in Eccleſia res alienas quos hodie vocamus, *Tagliaburſi*, imò furantes res ſacras, etiam in templo; gaudere dicta immunitate: quidquid in contrarium dicat Decian. *tom. 2. lib. 6. cap. 26. num.* 7. Bobadill. *in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. num.* 48. & alij penes Farinac. *tract. de immunit. c. 16. n.* 215. quos ipſe meritò *in num.* 217. reprobat, & refellit: & hac etiam immunitate gauderet fur, ſi confugiens ad Eccleſiam, rem furto ſublatam, poſteà intra Eccleſiam contrectauerit eáque vſus fuerit, vt notat Farin. *n.* 218. & Peregrin. *num* 10. Et ratio potiſſima eſt, quam ſæpius adduximus; nempe, tale delictum non eſſe per præſentem Conſtitutionem exceptum. Notandum eſt etiam contra Ioan. de Heuia *in Curia Philip. p. 3. §. 12. num.* 26. & alios, arma prohibita non poſſe ſatellites auferre ab illo, qui in Eccleſiam confugit, & ſe abſcondit.

*An reus, qui attentauit occidere aliquem proditoriè, effectu, & morte non ſequuta, gaudeat immunitate?*

### RESOLVT. XVIII.

GAudere docet Bonacina *de legib. diſp. 3. q. 7. §. 5. n. 16.* cum noſtro Peregrino *de immunit. cap. 7. n. 13.* & alij: quia Conſtitutio Gregor. loquitur expreſsè de occidente: vnde requiritur actus conſummatus cum effectu ſubſequuto. Et ita docet Farinac. *de immunit. cap. 8. n. 145.* retractans ſe de contraria opinione, quam docuerat anteà *in tit. de carcer. quæſt. 28. num.* 45. licèt aliqui contrarium aſſerant cum Ioan. de Heuia *in Curia Philip. p. 3. §. 12. n. 36.* & Nauar. *in man. cap. 25. num.* 21. Sed iſti ſcripſerunt ante Bullam Gregor. & poſt Bullam Tanner. *in 2. 2. diſp. 5. q. 8. dub. 1. num.* 16. Dices, eum, qui tentauit aſſaſſinium, non gaudere immunitate, etiam non ſequuto effectu, dummodo deuentum ſit ad actum aliquem proximum conſummationi, nempe, inſultus, vel vulnerum: ergo neque debet gaudere huiuſmodi immunitate, qui attentauit homicidiũ proditorium. Reſpondeo, eſſe diſparem rationem: nã in Bulla Summus Pontifex excipit occidentes proditoriè, & aſſaſſinos: ſed ſine morte ſubſequuta quis non poteſt dici occiſor proditorius, ſicuti poteſt dici aſſaſſinus: ergo.

Non reticebo tamen Farinac. *de immunit. Eccleſ. cap. 8. n. 125. in fin.* inclinare in ſententiam aſſerentem, aſſaſſinium attentatum, non aſſequuta morte, gaudere immunitate; licèt contrarium aſſerat Peregr. *vbi ſupr. de immunit. c. 7. n.* 37. Nota verò, quòd, vt quis, tanquam aſſaſſinus, non poſſit vti priuilegio immunitatis Eccleſiæ, opus eſt, quòd interueniat mandatum ad occidendum: nam ex mandato ad vulnerandum tantùm, etiam mediante pecunia, non committitur aſſaſſinium. Ita Ricc. *in p. 1. deciſ. 112. num* 1. Ambroſin. *tract. de immunit. c. 7. n* 11. Bonacin. *de leg. diſp. 3. q. 7. §. 4. n.* 20. & alij. Item, gaudebit immunitate, qui ex mandato alterius, pecunia mediante, occidit communem inimicum; vel qui; præſente ipſo mandante, occidit aliquem: nam in his caſibus quis, ita occidens aliquem, non dicitur aſſaſſinus, vt ex multis affirmat Farin. *de immunit. cap. 8. n. 132. & 133.* Notandum eſt etiam, non eſſe aſſaſſinum, illum, qui per preces, vel per alios reſpectus occidit aliquem, contra Villad. *in Polit. cap. 3. num* 215. quia in aſſaſſinio opus eſt, vt adſit pecunia, vel loco pecuniæ, aliqua res pretio æſtimabilis.





*An teſtis, qui ſua falſa depoſitione fuit cauſa, vt quis morti traderetur; fugiens effracto carcere in Eccleſiam, immunitate gaudeat?*

### RESOLVT. XIX.

DVas difficultates tangit hæc quæſtio. Prima, an rei, qui effracto carcere ad Eccleſiam confugiunt, gaudeant immunitate? Secunda, an teſtes falſi, vt *ſuprà*, tali etiam priuilegio fruantur? Ad primum reſpondeo affirmatiuè cum Ambroſin. *tract. de imm. c. 10. n.* 11. Peregr. *de imm. c. 5. n. 9.* & aliis, quidquid in contrarium aſſerat Gambac. *lib. 4. c. 18. n. 9. in fin.* vbi adeſt conſuetudo, tales reos non gaudere. Sed hoc falſum eſt: nam, vt *ſuprà* diximus, & notat in caſu ſimili Farinac. *de immun. c. 6. num.* 95. Bulla Greg. XIV. derogat, & tollit omnes conſuetudines, & reducit omnia ad vnam formam, cum particula taxatiua, excludendo omnes alios caſus.

Ad ſecundam dubitationem principalem reſpondet negatiuè Ital. *de imm. Eccl. lib. 1. c. 5. §. 4.* & latius *§. 5. n. 145. & ſeq.* vbi docet, teſtem falſum. ob quem morti aliquis traditus fuit, non gaudere immunitate Eccleſiæ: quia talis diceretur proditorius homicida. Sed obſeruat optimè Farinac. *de imm. c. 9. n.* 141. ſtante Bulla Greg. in hoc caſu, debere Epiſcopum conſulere Summum Pontificem, & iuxta illius reſponſum ſe regulare. Sed hanc doctrinam noſter Pereg. *vbi ſup. c. 7. n.* 43. putat non procedere, ſi teſtis mediante pecunia corruptus, falſum depoſuerit; propter quam falſitatem reus eſt condemnatus ad mortem: nam talis in hoc caſu dicitur aſſaſſinus, & ideò non gaudebit immunitate. Limitatio igitur, & conſilium Farinacij procederet in caſu, quo teſtis depoſuiſſet falſum; non tamen pecunia mediante: & in tali caſu, ita faciendum ab Epiſcopo, etiam ego exiſtimo.

*An, ſi quis occideret Fiſcum regium, vel Præſidem Iuſtitiæ, gauderet immunitate Eccleſiæ?*

### RESOLVT. XX.

HÆc opinio ex ſupradictis *in q.* 7. reſoluta eſt: ſed in particulari illam poſui; quia his diebus à quodam Iuriſconſulto agitata fuit, qui dicebat, dictum reum committere, ita facientem, crimen læſæ Maieſtatis; & ideò non gaudere immunitate Eccleſiæ.

Sed prorſus, vt ego illi ſatisfeci, contrarium dicendum eſt: quia in Bulla excipitur tantùm crimen læſæ Maieſtatis contra perſonam Principis: ſed dictus criminoſus commiſit quidem crimen læſæ Maieſtatis; ſed non in perſonam Principis: ergo gaudebit Ecleſiæ immunitate. Et ita in terminis docet Bonacin. *de leg. diſp. 3. q. 7. pun. 4. n.* 22. & Ambroſin. *de imm. c. 9. n.* 7. cum Farinac *de immun. c. 13. n.* 192. qui *n.* 185. aduertit, etiam occiſores Cardinalium, & Epiſcoporum gaudere dicta immunitate; licèt in tali caſu putet, reum à Iudice eccleſiaſtico cuſtodiendum eſſe, vt poſteà Summus Pontifex informetur: ſed abſolutè occidentes Cardinales non gaudere docet Peregr. *de imm. c. 9. n.* 5. etiamſi dicti Cardinales galerum, ſeu capellum à Pontifice non acceperint.

*An violantes Eccleſias, frangendo fores, vel comburendo eas; gaudeant immunitate?*

### RESOLVT. XXI.

NOn gaudere reſpondet Villadieg. *in Polit. c. 3. n.* 213. Bobadilla *in polit. tom. 1. lib. 2. c.* 14. n. 49. qui citat Remigium: & idem docet Faber *in leg. 1. Cod. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt.*

Sed contrarium docet Peregrin. *de immun. c. 12. n* 15. Et ratio eſt manifeſta: nam Summus Pontifex in iſta Bulla excipit aliquos caſus cum dictione taxatiua, *tantùm*, quæ dictio tollit extenſionem ad non expreſſa: ſed dicta Bulla excipit tantùm violantes Eccleſiam per homicidium, aut mutilationem membrorum: ergo non eſt extendenda ad alios violatores per quodlibet delictum.

*An Iudæus, Paganus, Saracenus, & infidelis, gaudeant immunitate Eccleſiæ?*

### RESOLVT. XXII.

REſpondeo affirmatiuè cum D. Antonino *p. 3. tit.* 12. *part. 3. §. 1. ver. His ergo exceptis.* Syluestro *in Summa, ver. immunitas, 3. n. 2. verſ. ſecundum de Pagano.* & Azorio *p. 2. lib. 9. c. 9. q. 9.* Nec deſunt pro firmanda mea opinione docti Iuriſconſulti: nam ita docet Riccius *de iure perſon. lib. 2. c. 12 per tot.* cum aliis, quos citat & ſequitur Barboſ. *in Collect. tom. 1. lib. 5. tit. 49. c. 6. num.* 50. Faber *in leg. 2. C. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt, & in §. ſed & hoc. n. 3. Inſtit. de his, qui ſunt ſui, vel alieni iuris*, & Gloſſa, Hoſtienſis, Innoc. & Cardinalis apud Bobadill. *tom. 1 lib. 2. c. 14. num.* 51. qui probabilem vocat hanc opinionem: & abſolutè etiam tenet illam in terminis noſtræ Bullæ, Italia *de immun. lib. 1. c. 3. per tot.* Et ratio eſt: quia tale priuilegium non conceditur à Summo Pontifice intuitu perſonarum, ſed loci. Sed priuilegia locis conceſſa, ad quaſlibet perſonas ibi ſtantes extenduntur, vt notat Bartol. *in leg. finali. Cod. de teſtam. & in leg. cunctos populos.* & Bald. *in leg. ſi non ſpeciali. C. de teſtam.* Ergo, dum infideles tali priuilegio frui volunt, non eſt illis denegandum: quidquid in contrarium aſſerant Megala *in 3. p. lib. 4. c. 2. n. 3. & 16.* Doctores apud Farinac. *de immun. c. 5. n.* 79. qui *n.* 83. cum Peregr. *tr. de immun. c. 12. n.* 1. & Suarez *de Relig tom. 1. tr. 2. lib. 3. c. 10. n.* 11. diſtinguit: ſi enim infidelis confugiens ad Eccleſiam, non petit Baptiſmum; putat, contra noſtram ſententiam, non gaudere; quia ſua infidelitate indignum ſe facit eius beneficio: ſed vt diximus, hoc priuilegium non conceditur ratione perſonarum, ſed locorum. Vel petit Baptiſmum verè, & realiter, & non ſimulando; & tunc aſſerit gaudere. Sed tu tene noſtram ſententiam, quam valdè miror vocari parum tutam à Gambac. *lib. 5. c. 7. n.* 5. cùm ſit probabilis, & tam magnos Theologos, & Iuriſperitos habeat patronos; & ex ipſamet Societate probabilem vocauit Fagund. *de Præcept. Eccl. lib. 4. c. 4. n.* 49. & Portell. *in dubiis regul. ver. Eccleſ. immun. n.* 10.

*An Apoſtata à religione gaudeat immunitate?*

### RESOLVT. XXIII.

NEgatiuè reſpondet Peregr. *de immun. c. 12. n.* 16. Sed contrariam ſententiam tenendam eſſe exiſtimo. Dico igitur, dictum Apoſtatam gaudere immunitate: non autem in Eccleſiis, & Monaſterijs eiuſdem Religionis, à qua apoſtatauit; ſed in aliis, vt dictum eſt. Et ita docet Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2 can. 15. q. 16. n.* 15. Bobadill. *in polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. n.* 57. qui citat Rebuff. & Decian. Et ita docet in terminis noſtræ Bullæ, Farinac. *de immun. c. 13. n.* 169. & Italia *de immun. lib. 1. c. 3. §. 1. n. 17. ver. Ex his ergo apparet.* vbi teſtatur, quendam Apoſtatam à Religione fuiſſe reſtitutum Eccleſiæ, ex qua fuerat extractus.

*An Clerici gaudeant immunitate Eccleſiæ; ita vt ad Eccleſiam confugientes pro criminibus non exceptis in Bulla, ab eorundem Iudicibus eccleſiaſticis inuiti extrahi non poſſint ab ea?*

### RESOLVT. XXIV.

DIfficilis eſt iſta quæſtio, & inter veteres, & recentiores Theologos, & Canoniſtas non parum agitata. Prima opinio aſſerit non gaudere. Ita Villadieg *in polit. c. 3. n.* 213. Heuia *in Curia Phil. p. 3. §. 12. n.* 17. Abb. *in c. in-*

ter alia, n. 13. de immunit. Eccl. & alij Iuriſperiti, quos citat Gutier. pract. qq. lib. 3. q. 3. n. 1. & Authores infra citandi. Idem ex neotericis docet Beilet. in diſq. cler. p. 1. tit. 3. §. 15. num. 1. Genuenſ. in prax. cap. 17. num. 11. Tanner. in 2. 2. diſp. 5. quæſt. 8. dub. 1. n. 16. Peregrin. de immun. c. 12. n. 3. Megal. in 3. p. lib. 4. c. 2. num 34. Bonacina de legib. diſp. 3. q. 7. §. 3. n. 7. Fagundez de Præcept. Eccl. tract. 2. lib. 4. cap. 4. n. 51. Suarez de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. c. 10. n. 6. Lopez in inſtruct. p. 2. cap 285. Azor. p. 2. lib 9. q. 9. Portell. in dub. regul. ver. Eccl. immun. n. 13. Homobon. de Exam. Eccl. p. 2. tract. 11. c. 12. q. 26. ſuppoſ. 3. & alij. Probatur hæc opinio: quia, vt ait Fagundez, cùm hæc immunitas non ſit de iure diuino, ſed de iure canonico, & poſitiuo; ideò non ligat Iudices eccleſiaſticos, vt patet ex praxi, & conſuetudine. Abbas vbi ſuprà proſequitur ex fundamento in confirmationem huius opinionis. Deinde argumentatur Peregrinus ex verbis Bullæ Gregorij: nam ibi ſolùm de laicis Summus Pontifex facit mentionem: ergo excludit Clericos ab iſta immunitate; & ita ſeruari per conſuetudinem teſtatur. At his minimè obſtantibus.

Secunda ſententia docet Clericos gaudere hac immunitate. Et ita docet nouiſsimè Salgado de protectione regia, tom. 1. p. 2. cap. 4. num. 115. & Roman. conſ. 226. quod incipit: Spectabilis Domine, & in conſ. 234. probat, non ſolùm Clericos de iure canonico habere immunitatem; ſed tenet, maiorem eſſe rationem, cur Clericus in Eccleſia capi nequeat, quàm laïcus. Idem docet Epiſcopus Diaz in Pract. crim. cap. 123. in fine. Iulius Clar. in Pract. §. fin. quæſt. 30. n. 16. & Zerola in Praxi Epiſc. part. 1. §. Immunitas eccleſiaſtica. ver. 8. Decian. tom. 2. lib. 6. cap. 26. num. 1. Ioan. Maria Monticellus in ſua Pract. crimin. regul. 12. num. 18. Couarruuias lib. 2. var. cap. 20. num. 16. Et hanc ſententiam, citans alios, veriorem, & communiorem putat Bobadilla in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. num. 57. in Gloſſa, lit. P. & nouiſſimè docet hanc ſententiam Farinac. tit. de carcer. quæſt. 28. num. 7. & in terminis noſtræ Bullæ, Ambroſinus de immunit. cap. 12. per totum, Duardus in Bulla Cœn. lib. 2. canon. 15. quæſt. 16. n. 13. & magis amplè Petrus Cenedo in ſuis quæſtionibus canonicis, quæſt. 42. per totam. vbi aſſerit, Iudices eccleſiaſticos, extrahendo Clericos ab Eccleſia ſine licentia Summi Pontificis, in caſibus non expreſſis, incurrere in pœnas, & cenſuras latas contra violantes immunitatem Eccleſiarum. Et probatur hæc ſententia: quia iura canonica, & ciuilia indiſtinctè loquuntur, & indefinitè, ac generaliter: ergo tam laïci, quàm Clerici complectuntur ex authoritate leg. de pretio. ff. de publicat. Cæteras rationes adducit Ambroſin. & alij. Reſtat modò reſpondere ad argumenta in contrarium: ſed, quia in his laboribus breuitati ſtudeo; ſolutionem argumenti Fagundez inuenies apud Petr. Cened. in Can. q. 42. n. 11. Argumenta verò Abbatis ſatis ſoluta ſunt à Decian. vbi ſup. tom. 2. lib. 6. cap. 26. num. 1. & à Cardinali in cap. inter alia, de immun. q. 6. Ad argumentum verò Peregrini reſpondet Gambac. de immun. lib. 4. cap. 11. n. 8. vbi probat, in Conſtitutione Greg. XIV. adeſſe mentionem de Clericis, & Eccleſiaſticis.

*An Religioſi gaudeant dicta immunitate; ita vt eorum Superiores non poſſint illos extrahere, ſi nolint, ab Eccleſiis: & quid, ſi delinquant in propriis Monaſteriis?*

RESOLVT. XXV.

NEgat in ſpecie Riccius p. 3. deciſ. 172. num. 6. & ita fuiſſe deciſum in Curia Archiepiſcop. Neapolitana aſſerit: & ita docent etiam Doctores citati ſuperiori quæſtione in prima opinione, qui pro confirmanda eorum ſententia ſic argumentabantur: Si Clerici gaudere debent immunitate Eccleſiarum, ſequitur, quòd Religioſi nunquam poſſent in carcerē detrudi à ſuis Prælatis, cùm ſemper ſint in Monaſterio, quod gaudet hac immunitate: ſed hoc aſſerere eſt abſurdum: ergo, neque Clerici, neque Religioſi immunitate Eccleſiarum gaudebunt. Et ita in particulari arguebant Sylueſter ver. Immunitas, 3. §. 3. n. 2. Fagundez de præcep. Eccl. tr. 2. lib. 4. c. 4. n. 52. Suarez de Relig. tom. 1. tr. 2. lib. 3. c. 10. n. 6. & noſter Peregrinus de immun. c. 12. n. 3. dub. 3. opic. 2. arg. 3. cum aliis.

At hoc inconueniente non obſtante, multi DD. vt ſuprà viſum eſt in ſecunda opinione, docuerunt, Clericos, & per conſequens Religioſos, gaudere Eccleſiæ immunitate; & præcipuè inter illos Petrus Cenedo in quæſt. can. quæſt. 42. & Petrus Gambac. lib. 4. cap. 11. n. 10. vbi aſſerit: (Eadem eſt ratio de Clericis, ac Religioſis; & ideò licet illis, ad euadendas delictorum ſuorum iudiciales pœnas, ad Eccleſias, & Monaſteria confugere; & ſunt ab Eccleſia defendendi. Nec exiſtimo, ſatis eſſe conſuetudinem, qua probetur, eos non ſolere ad Eccleſias confugere, vt propterea immunitate careant; ſicut nil valeret, ſi probaretur idem de laicis: non enim propterea quòd nullus laicus per multos annos ad Eccleſiam confugit; ideò mihi non proderit, ſi voluero confugere. Sed probare neceſſe eſt conſuetudinem, qua Clerici, ſeu Regulares ad Eccleſiam confugientes, nunquam in ea ad immunitatem admiſſi ſunt.] Ita Gambacur. vbi addit, Regulares in vrbe ad mortem damnatos per Iudicem ab Apoſtolica Sede delegatum, ſi commiſiſſent aliquod delictum non exceptum, poſſe ad Eccleſiam confugere, & eius immunitate gaudere. Hæc opinio mihi placet, & ita ſentio cum ſupradictis citatis Doctoribus, Regulares gaudere, ſicut Clericos, immunitate Ecleſiarum. Sed difficultas eſt, quando delinquunt in propriis Monaſteriis. Idem dicendum videtur, ſtando in dicta opinione, quòd Clerici, & Regulares immunitate gaudeant. Et ita in terminis docet Gambac. ſup. num. 12. vbi ait: [Difficultas non leuis ſupereſt de Regularibus delinquentibus in propriis Eccleſiis, ſeu Monaſteriis, de quibus valdè dubium eſt, an teneantur lege cap. fin. de immun. Eccl. niſi textum illius cap. amplè intelligamus, vt delinquens in ipſo loco immunitatis, careat priuilegio, quàm rariſſimè Religioſi ad immunitatem admittentur; quia rarò exeunt: ſed, cum textus ſit odioſus, vt latè ab immunitate excludens, & ſe reſtringat ad Eccleſias, & Cœmeteria, ad quæ etiam ſe reſtringit Conſtitutio Greg. XIV. probabile mihi eſt, in illis ſolis delictis grauibus, quæ in Eccleſiis, vel Cœmeteriis committuntur, ablatam eſſe illis immunitatem. Si quis verò hæc ipſa, ſeu alia grauia delicta committat in aliis immunibus locis, Monaſteriis, Domibus, etiam nō carebit immunitate; quoniam in dictis Canonibus non eſt expreſſum.[ Ita ille, quæ omnia limitat n. 14. ad eos caſus, in quibus Superior procederet contra Regulares in foro iudiciali ad vltrices pœnas Canonum; non autem quando procederet in foro paterno ad pœnitentias ſalutares.

Hæc opinio Gambacurtæ eſt probabilis, ſtando in rigore Canonum, & præcipuè in terminis noſtræ Bullæ Greg. XIV. vbi, vt ſuprà diximus, excluduntur ab immunitate tantùm illi, qui membra mutilarent, vel occiderent in Eccleſiis; & ideò committentes alia delicta enormia in Eccleſiis, vel Cœmeteriis, gaudebunt immunitate; ſicut etiam gaudebunt immunitate committentes homicidia, & mutilationes membrorum, & alia delicta extra Eccleſias, & Cœmeteria in Monaſteriis, & aliis locis, quæ præbent immunitatem eccleſiaſticam. Ex qua doctrina Regularis, qui committeret quodlibet graue delictum in Monaſterio, gaudebit vtique ſupradicta immunitate; & Superiores incurrerent in pœnas, & cenſuras violatæ immunitatis, ſi aduerſùs talem criminoſum, volentem gaudere hac immunitate, in iudicio procederent; & ipſe tali caſu non teneretur ad interrogationes reſpondere. Hæc omnia, vt dixi, probabilia mihi videntur, ſtando in rigore Canonum, & Conſtitutionis Gregorianæ.

Sed contrarium tenendum videtur, ex recepta conſuetudine à Summis Pontificibus approbata. Dixi, approbata à Summis Pontificibus: nam ſola cōſuetudo, vt ſæpiùs diximus,



diximus, & doctè notat Cened. q. 2. num. 10. non præualet aduerſùs hanc immunitatem; niſi Pontificum interueniat conſenſus, quem in noſtro caſu interuenire patet: nam Summi Pontifices quotidie ex appellatione cauſarum ad Sacram Congregationem, vel ad ipſos, de cauſis Regularium; vident eorum Superiores aduerſùs illos proceſſus formare, & ſententiam ferre de delictis, intra Monaſterium commiſſis; de quibus, ſtante contraria opinione, gauderent dicti Regulares criminoſi Eccleſiæ immunitate; & tamen de hoc non reclamant, neque ſupradictos Superiores, tanquàm violatores immunitatis Eccleſiarum, ſeuerè, vt deberent facere, puniunt; imò tales proceſſus, & ſententias confirmant. Ergo præbent illis, in huiuſmodi caſibus, iuriſdictionem, non obſtante aliquo canone, & Bulla Gregoriana contrarium determinante; & certè, ſi opinio Gambacurtæ in praxi fuiſſet admittenda, nullus Religioſus puniretur; & obſeruantia, & diſciplina regularis corrueret; & ideò nullo pacto admittendam eſſe puto.

*An reus amittat immunitatem, qui deceptus fuit ſubdolis verbis & fallaciis, ad egrediendum ab Eccleſia; & Iudex poſſit illum punire?*

RESOLVT. XXVI.

AFfirmatiuè reſpondet Bonac. de leg. diſp. 3. q. 7. §. 2. n. 10. Filliucius tom. 1. tr. 15. c. 6. n. 154. Duard. in Bulla Cœn. lib. 2. can. 15. q. 16. n. 34. Fagundez de Præcept. Eccleſ. tract. 2. lib. 4. cap. 4. num. 56. qui citat Suarez, & Nauarrum; quamobrem aſſerit: [Videant delinquentes, ne ſe falli ſinant: vbi primùm enim à loco ſacro ſponte egrediuntur, hanc immunitatem amittunt. Fallit tamen hoc, iuxta Sylueſtr. verb. immun. 3. n. 34. niſi exeant ad requiſita naturæ, cui libenter adhæreo: indecens enim eſt, vt Eccleſia Dei, & locus ſacer, qui omni odorum ſuffimento olere debet, his immunditiis ſordeſcat.] Ita Fagundez.

Non reticebo tamen, contrarium docere Bobadill. in Polit. tom. 1. lib. 2. c. 14. num. 80. ibi. [Aunque por palabras blandas, ò engañoſas, ò promeſſa, &c.] Idem docet Villadiego in Polit. cap. 3. num. 222. & noſter P. Megal. in 3. p. lib. 1. cap. 2. quæſt. 1. num. 32. vbi aſſerit. Et prædicta procedunt, etiamſi blandis verbis, vel fallaciis à miniſtris Iuſtitiæ, vel Iudice inductus delinquens ſponte exiret. Vnde hæc ſententia in fauorem Eccleſiæ amplectenda videtur, & illam etiam docet Maſtrill. heu quondam noſter! lib. 2. deciſ. 169. n. 12.

*An reus confugiens ad Palatium Epiſcopi, qui non ſit intra confines, & quadraginta paſſus; ſed longè ab Eccleſia diſtet; gaudeat immunitate?*

RESOLVT. XXVII.

NEgatiuè reſpondet Bobadill. in Polit. tom. 1. lib. 2. c. 14. n. 85. qui in gloſſ. lit. C, ex Couarruuia lib. 2. var. c. 20. n. 5. teſtatur de communi praxi & idem docet Ambroſin. de immun. c. 10. n. 7. & maximè hoc procederet, ſi in tali Palatio non adeſſet Oratorium, in quo diuinum celebretur Sacrificium. Et nouiſſimè docet hanc ſententiam Martinus Bonacina de leg. diſp. 3. q. 7. §. 2. n. 8. & Piaſecius in praxi Epiſc. part. 2. c. 4. art. 8. n. 2.

Sed contrariam opinionem amplexi ſunt non ignobiles Authores, & inter illos noſter P. Peregrinus tract. de immun. cap. 4. num. 69. vbi citat plures DD. quibus ego addo Megalam in 2. p. lib. 4. cap. 2. quæſt. 1. num. 36. Franc. Leon. in theſ. fori eccleſ. p. 1. c. 13. num. 14. Gambacur. de immun. lib. 4. cap. 3. num. 7. Azorium p. 2. lib. 9. cap. 8. quæſt. 5. Marium Italiam tract. de immun. lib. 1. cap. 4. § 9. num. 1. & ſeq. Anaſtaſium Germonium de immun. ſac. templ. lib. 3. c. 16. num. 45. & ſeq. Giurb. conſ. 10. num 13. & alios. Et ratio eſt: quia hæc immunitas conceſſa eſt ratione dignitatis perſonæ epiſcopalis, propter ſanctitatem muneris, & dignitatis ſicut tota familia Epiſcopi, licet laïca, gaudet intuitu eius priuilegio fori. Itaque dicendum abſolutè, Palatium Epiſcopi, ſiue cum Capella, ſiue ſine Capella, ſiue intra quadraginta paſſus, ſiue extra, gaudere ea immunitate, qua gaudet ſponſa eius, Eccleſia: vnde Doctores contrarium ſentientes non ſunt audiendi; quia, cùm cauſa immunitatis ſit fauorabilis, non ſolùm delinquenti, ſed etiam Eccleſiæ, minimè reſtringenda erit; ſed potiùs amplianda: & licèt res dubia ſit, ſciunt iam omnes, quòd in dubiis pro reo, & in dubiis pro Eccleſia, per ea, quæ pulchrè notat Riccius in Praxi, p. 2. reſol. 42. n. 2. Igitur noſtra ſententia omninò tenenda erit, & in praxi obſeruanda. Notandum eſt etiam, quod Villadiego in Polit. cap. 3. num. 201. extendit hanc immunitatem à las caſas de algunos Embaxadores de la Corte.

*An, ſi aliquis à ſatellitibus fugiens intraret in cubiculum ægrotantis, vbi ad ipſum communicandum Sacerdos cum SS. Sacramento aduenisſet; & ibi à dictis birruariis comprehenſus fuiſſet, antequam Sacerdotem tangeret: an is, inquam, immunitate gauderet?*

RESOLVT. XXVIII.

SVppono contra Gloſſ. in c. quæſitum. 13. quæſt. 2. Couarr. lib. 2. var. cap. 20. num. 6. & Bonacinam vbi infrà, reum tangentem Sacerdoten, qui Euchariſtiam defert, gaudere immunitate Eccleſiæ, neque capi poſſe; & ſi capiatur, reſtituendum eſſe. Ita Bobadilla in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. num. 86. qui in Gloſſ. lit. G, citat pro hac ſententia triginta Doctores, quibus ego addo Raph. de la Torre tom. 2. in 2. 2. quæſt. 99. art. 3. diſp. 7. Ioan. de Heuia in Curia Philipp. p. 3. §. 12. num. 8. Mirandam de ordine iud. tom. 1. quæſt. 15. art. 5. concl. 2. Tanner. in 2. 2. diſp. 5. quæſt. 8. dub. 1. num. 14. Megalam in 3. p. lib. 4. cap. 2. quæſt. 1. num. 38. Ceuallos in tract. de cognitione per viam violen. p. 2. quæſt. 42. per tot. Petr. de Cenedo in qq. canon. quæſt. 42. num. 13. Graſſium in deciſ. p. 2. lib. 1. cap. 1. num. 32. Rodriquez in ſumm. tom. 1. cap. 155. num. 1. Ambroſinum de immun. cap. 10. num. 9. Gambacur. de immun. lib. 4. cap. 6. num. 4. Sylueſtr. ver. immunitas, 3. num. 1. Angelum eodem ver. quæſt. 28. cum aliis. Et ratio eſt: quia hoc digniſſimum Sacramentum potiſſima cauſa eſt, vt Eccleſiis hæc immunitas conceſſa ſit: ergo multò magis debet ipſum eandem habere immunitatem. At præcipua ratio huius aſſertionis eſt concors omnium Doctorum ſententia.

Sed, cùm hæc omnia vera ſint, difficultas eſt in noſtro caſu in quo reus non potuit tangere Sacerdotem; ſed ſolùm intrare in cubiculum, vbi Sacerdos cum SS. Sacramento extabat pro communicando infirmo. Sed ego, quidquid in contrarium aſſerat Bonacina de leg. diſp. 3. q. 7. §. 2. n. 11. puto, dictum reum in cubiculo gaudere immunitate; & ſatellites illum comprehendendo, in cenſuras Bullæ incidere; & Iudicem debere illum Eccleſiæ reſtituere: nam locus, in quo actu eſt Corpus Chriſti, quamuis in tranſitu, vt erat in caſu noſtro, gaudet immunitate, & illam alteri præbet. Et ita docet P. Suarez de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. c. 9. num. 10. in fin. Et non ſolùm in hoc caſu, puto reum immunitate gaudere; ſed etiam per plateas ciuitatis, quando fugiens à ſatellitibus, ſe immiſceret inter illas perſonas, quæ aſſociant venerabile Sacramentum Euchariſtiæ; etiamſi non tangeret Sacerdotem, vel haſtam Baldachini. Quia omnes illæ perſonæ, vnà cum Sacerdote geſtante SS. Sacramentum, repræſentant vnam Eccleſiam. Et ita iiſdem verbis docet noſter P. Peregr. de immun. Eccl. c. 4. n. 19 cum Mario Italia etiam de immun. lib. 1. c. 4. §. 10. n. 8. Quod eſt valdè notādum: nam talis caſus poteſt de facili in praxi contingere. Notandum eſt verò, quòd confugiens ad Sacerdotem portantem

Oleum

Oleum ſanctum infirmis, non gaudet Eccleſiæ immunitate, vt notat Riccius *p.3.dec.88.n.5.*

*An Hæreticus, non ſolùm ob hæreſim, verùm etiam ob alia delicta, diſtincta ab hæreſi, careat immunitate Eccleſiarum?*

RESOLVT. XXIX.

AFfirmatiuè reſpondet Gambac.*lib.7.c.3.n.6.*P. Peregrinus *de immun.c.8.num.* 13. Bobadill. *tom.* 1. *lib.* 2. *c.*14.*n.*54.Tanner. *in* 2.2. *diſp.*5. *q.*8. *n.*16. ſi tamen de hæreſi non fuiſset punitus. Et ratio eſt:quia eſt indignus tali fauore,& vt Eccleſia illum defendat. Verùm contrariam ſententiam tenendam eſse iudico cum Portel. *in dubiis regul.ver.Eccleſiæ immunitas,n.*10. Azorio *p.*2.*lib.*9. *c.*9.*q.*9. Syluestro *ver immunitas,*3.*q.*3. Suarez *de Relig.tom.*1.*tr.*2. *lib.*4.*c.*10.*n.* 13. Bonacin.*de leg.diſp.*3. *q.*7. §.3. *n.*3. & aliis. Et ratio eſt: quia non habemus fundamentum ad excipiendam perſonam, vbi crimen non eſt exceptum. Vnde in illis locis, vbi Hæretici impunè habitare permittuntur, nec propter hæreſim puniuntur, dicendum eſt, in criminibus non exceptis, gaudere, vt cæteri, immunitate Eccleſiarum. Vide circa præſentem quæſtionem Farin. *de immun.c.*13.*n.*170.

*An, qui comprehenſus extra locum ſacrum, per illum tamen ad carcerem ducitur, vel ad ſupplicium, & ad mortem trahitur per aliquam Eccleſiam; gaudeat immunitate?*

RESOLVT. XXX.

PRima opinio negat. Ita Bobadilla *Politic. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 14.*n.*61. qui *in gloſſ. lit. A*, pluſquàm viginti Doctores pro hac ſententia adducit. Idem docet in caſu ſimili Tanner.*in* 2.2. *diſp.*5. *q.*8. *dub.*1.*n.*17. Et ratio eſt:quia talis reus liber in Eccleſiam non fuit ingreſsus: ergo immunitate non gaudebit.

Secunda opinio affirmat, quam tuetur noſter Megala *conſ.* 46. *per tot.* Nauarr. *in Manuali, cap.* 25.*n.*19. Boër.*deciſ.* 100. Germon. *de immun.lib.*3.*c.*16. *n.*35. & alij citati à Bobadilla *vbi ſup. in gloſſa,lit. B.*

Tertia opinio diſtinguit: Vel carceratus ducitur per Eccleſiam ex neceſſitate, quia ex alio loco tranſire non poteſt; & in hoc caſu procederet prima opinio: vel voluntariè, & ſine neceſſitate per Eccleſiam ductus fuit; & in hoc caſu ſecunda opinio ſequenda erit. Ita docet noſter P. Peregrin. *de immun.c.*5. *n.*8. Alteram diſtinctionem pro concordia dictarum opinionum affert etiam Farinac. *de immun.c.*15.*n.*205.

Quid ego ſentiam, dicam breuiter. Non obſtantibus dictis diſtinctionibus:quas ingenioſas eſſe arbitror; puto cum Fagundez *de Præcep. Eccleſ. tract.*2. *lib.*4. *c.*4. *num.*57. vtranque opinionem eſſe probabilem; priorem tamen in rigore iuris veriorem, poſteriorem autem magis piam, & ideò in praxi amplectendam.

*An, qui ex propoſito, & ſub ſpecie amicitiæ proditoriè alapam alicui viro nobili inferret, vel cum fuſtibus eum percuteret; gauderet Eccleſiæ immunitate?*

RESOLVT. XXXI.

HOc dubium à nemine tactum notat Bobadilla *in Polit.tom.* 1.*lib.*2.*cap.*14.*num.*44. & putat in tali caſu percutientem non gaudere Eccleſiæ immunitate. [Los palos,(hæc ſunt eius verba,)y el bofeton, ſe reputa en derecho por grauiſſima iniuria, por lo qual ſe podria dezir, que el tal aleuoſo no gozaſſe de la immunidad eccleſiaſtica, y aſſi ſe determinò en el Conſejo ſupremo, el año de ſetenta y ſeys.] Et poſt Bobadill. hanc ſententiam docet etiam Villadiego *in Politic.c.*3. *n.*211. & Ioan. de Heuia *in Curia Philipp.p.*3.§.12.*n.*47.

Sed hæc opinio poſt Bullam Greg. XIV. non eſt tenenda:quia Summus Pontifex, vt *ſuprà* dictum eſt, in iſta Conſtitutione excipit aliquos caſus ab immunitate eccleſiaſtica: ſed exceptio firmat regulam in contrarium in caſibus non exceptis, *ex l. Tribunus.* §. *vlt. ff. de militari teſtam.* vt notat Suar.*de leg.lib.* 8.*cap.* 19. *num.* 6. *in fin.* ergo, cùm excipiatur tantùm in Bulla homicidium proditorium, non eſt extendenda hæc exceptio ad alapas, & fuſtes proditoriè alicui inflictos. Confirmatur; quia Summus Pontifex, vt excludat omnes alios caſus, in dicta Conſtitutione appoſuit dictionem taxatiuam, *tantùm* ibi, *Ita ad vnam tantùm formam reducimus*, quæ dictio de ſui natura impedit extenſionem ad non expreſſa, *ex l.properandum.*§. 1. *C. de iud.* vt notat Dec.*lib.*1. *conſ.*54. *num.*1. & alij: ergo, &c. Ex hac doctrina valdè notanda, vt contra Gambac. *quæſt.* 1. notauimus, pendet deciſio multorum caſuum. Et ideò raptores virginum gaudent immunitate hac: ita Fagundez *de Præcep.Eccleſ.tract.*2.*lib.*4.*n.*47. Item, ſimoniaci, abſque tamen errore in intellectu: nam ita eſſent hæretici, & per conſequens exceptuati per Bullam. Item, blaſphemi, ſi blaſphemias hæreticales non proferant: ita Ambroſin. *de immun. cap.* 8. *num.* 12. Item adulteri, contra Ancharanum *in c.inter alia. de immun. Eccleſ.* ita Suarez *de Relig.tom.*1. *tract.*2. *lib.*3. *cap.*8. *num.*11. Item, homicida, qui ex propoſito, & deliberatè, & data opera aliquem occidit: ita Peregrin.*c.* 7. *num.* 16. Item, capitaliter banniti: ita idem Peregrin.*c.*5. *n.* 11. Item, tonſores monetarum: ita Marius Italia *de immun. lib.* 1. *c.* 5. §. 1. *n.*15. Hi omnes, ſicut etiam multi alij, gaudent immunitate Eccleſiarum: quia ſupradicta crimina non ſunt in Conſtitutione Greg. excepta; & dicta Bulla, quæ, vt diximus, reducit omnia ad vnicam formam cum particula taxatiua, non eſt extendenda ad alios caſus ſimiles.

*An mercator, qui fraudulenter decoxit, gaudeat immunitate?*

RESOLVT. XXXII.

NEgatiuè reſpondet Gambac. *lib.*4.*c.*15. *num.*7. in terminis noſtræ Bullæ;& ita etiam docuerunt ex Theologis, Ioan. de la Cruz *in direct. conſcient.p.* 1.*præc.*8.*q.*3.*art.* 1.*dub.*1.*concl.*1. Fagundez *de Præcept.Eccl.tract.*2.*lib.*4. *c.*4. *num.*53. Rodriguez *in ſum. tom* 7. *c.* 154. *num.* 1. & ex Iuriſperitis Bobadill. *tom.*1. *lib.*2. *c.*14. *num.*67. & 71. Villadiego *in Polit.c.*3. *num.* 216. Azeuedus *tom.* 3. *lib.*5. *tit.*20. *leg.*6. *n.*2. Guttierrez *pract.qq. lib.*1. *q.*1. *per tot.* & alij quia Pius V. in Conſtitutione edita anno 1570. eos furibus aſſimilauit, & in illos vltimam pœnam ſupplicij inflixit. Deinde aſſerunt multi, illos incluſos eſſe in noſtra Bulla Gregoriana ſub nomine publicorum latronum: & in hanc ſententiam tandem inclinat Tanner.*in* 2.2.*D.Thomæ, diſp.*5.*q.*8. *dub.*1. *num.*17. & noſter P.Peregrin. *de immunit. cap.*13.*num.*4.*in fine.*

Sed ego his diebus in caſu N. contrarium conſului: & ita poſteà Romæ in Sacra Cardinalium Congregatione fuit deciſum; nempe, decoctorem, etiam fraudulentum, immunitate gaudere. Et reſpondebam ad Doctores citatos pro Gambacurta, & Peregrino, ipſos non loqui in terminis Bullæ Gregorij XIV. quia in Hiſpania dicta Conſtitutio non eſt vſu recepta, vt notauit Portel. *in dub. regul.ver.Eccleſ. immunitas, num.* 9. Et ratio eſt:quia, vt ſæpiùs diximus, in dicta Bulla non priuantur dicti decoctores immunitate: nam inter caſus exceptos, caſus decoctorum non inuenitur;& dicta Bulla non eſt extendenda ad alios caſus ibi non expreſſos. Deinde, hoc apparet ex verbis Bullæ:nam ibi Pontifex reuocat omnia indulta, & priuilegia data Principibus, vt poſſint ad Eccleſiam confugientes extrahere,& præſertim fraudulētos decoctores,



Vnde, cùm in iſta narratiua, talium decoctorum efficiatur mentio, de quibus poſteà, quando Summus Pontifex diſponit, ne verbum quidem de illis; apparet manifeſtè Pontificem voluiſſe huiuſmodi decoctores gaudere: & ita in terminis huius Conſtit. docet Farinac. *de immun.c.*3. *n.*64. retractans ſe de contraria opinione, quam docuerat anteà *in tract.de carcer.q.*28. *n.*33. Idem docet Gratian. *in diſcept. forenſ. tom.*2. *c.* 380. *num.*29. Gironda *tract. de Priuil.c.*25. *n.*1035. Ambroſin. *de immun. c.*13. *num.* 4. Flauius Cherubinus *in Compend.Bull.tom.*2.*conſt.*117.*Pij V. ſchol.*2. cum aliis Iuriſperitis: & ex Theologis Nauarr. *in Man. c.*25.*n.*19. Duard.*in Bull. Cœn. lib.*2. *can.* 5. *q.*16. *n.*6. Bonacin. *de leg. diſp.*3. *q.*7. §.4. *n.*2. Fernandez *in Exam. Theol. mor.p.*4.*c.*10. §. 1.*n.*10. & alij. Ad id verò, quod dicebatur in contrarium, quòd ſub nomine publici latronis includitur decoctor, negatur; & vt dixi, ex verbis ipſius Bullæ contrarium apparet. Adde, quòd, ſi dicta ſententia eſſet vera, rarò in praxi occurreret: quia difficile admodum eſt, vt notat ipſemet Peregrinus, concurrere in aliquo decoctore ea, quæ neceſſaria ſunt ad publicum latronem conſtituendum, & maximè actuum frequentia. Ex his apparet; quàm cautè legendi ſunt aliqui Iuriſperiti, & præſertim Hiſpani, aſſerentes, etiam ſimplices debitores, qui ſine cauſa criminis confugiunt ad Eccleſiam, non gaudere illius immunitate. Et ita docet, citans alios, Hieronym. Cæuall.*in tr.de cognit.per viam violentiæ*, *p.*2. *q.*5. *n.*6. nam hæc opinio eſt contra immunitatem Eccleſiæ, & Conſtitutionem Gregor. vt notauit Farinac. *vbi ſupr.tr.de immun. c.*3.*num* 57.& 62. vbi citat multos alios, quibus ego addo Graff. *tom.*1. *lib.*3 *conſ.*1. *per tot. de immunit. Eccleſ.* Portell. *in dub. reg. verb. Eccleſ. immunitas*, *n.*14. Peregr. *de immun. c.*12.*n.*10. Bonacina *de leg.diſp.*3. *q.*7. §.4.*n.*2. Megal.*in* 3. *p.lib.*4. *c.*2. *q.*2. *n.*33. qui teſtatur de communi Doctorum ſententia. Et hæc doctrina procedit, etiam ſtante ſtatuto, quòd debitor carcerari poſſit; & quòd ſit ſuſpectus de fuga: & etiam in debitore publico, vt eſt exactor tributorum. Idem dicendum eſt de debitore ex cauſa adminiſtrationis, & redditionis rationum, & de obligato ad ratiocinia publica: vel de Officiali debitore ex cauſa ſyndicatus. Ita *ſuprà* citati DD.

*An, qui occidit inimicum ex præmeditata animi deliberatione, apoſtatamente, vt vulgò dicitur, atque ex induſtria, non autem proditoriè, ſeu per inſidias; gaudeat immunitate?*

RESOLVT. XXXIII.

DIxi, non proditoriè, neque per inſidias, quia de hoc *ſuprà* diximus. Igitur ad caſum propoſitum reſpondendo, dico, negatiuam ſententiam docere Gambacur. *lib.*5.*c.*4. *n.*19. & *ſeq.* Probat hanc opinionem *ex cap.* 1. *de homicidio*,& ex conſuetudine multorum locorum.

Sed poſt noſtram Conſtitutionem hæc opinio eſt prorſus reprobanda, ſicut illam reprobat Riccius *par.* 5. *collect.*1792. Peregrinus *de immun.c.*7. *num.*15 & alij: nam Summus Pontifex in iſta Conſtitutione excipit tantùm homicidium proditorium, vbi nullus præcedebat rancor, ſed potiùs ſimulabatur amicitia: ergo non eſt dicta exceptio extendenda ad homicidium non proditorium; dato, quòd deliberatè, & ex induſtria ſit commiſſum; quia dicta Bulla non ſuſtinet extenſiones ad alios caſus, ibi non expreſſos, cùm reducat omnia ad vnam formam, vt ſæpè diximus, cum particula taxatiua, *tantùm*; & excipiendo alioquos caſus, exceptio firmat regulam in caſibus non exceptuatis. Ex quibus patet reſponſio ad argumenta Gambacurt. nam, vt probauimus *ſuprà q.* 1. hæc Bulla Gregor. XIV. derogat ius commune, & conſuetudines contra eius formam: ergo in noſtro caſu non valet argumentum *ex c.*1.*de homicidio*, neque ex conſuetudine; ſtante derogatione iuris communis, & conſuetudinum ſupradictæ Bullæ.

*An occidens Clericum, gaudeat immunitate?*

RESOLVT. XXXIV.

NEgatiuè reſpondet Villad. *in Polit.c.*3.*n.*212. Riccius *in Praxi*, *p.* 2. *reſol.* 309.*per totam.* Primò, quia occidens eſt excommunicatus: ergo non gaudet immunitate. Secundò, quia hæc immunitas non conceditur committentibus crimen læſæ maieſtatis:ſed offendens Clericum, committit crimen læſæ maieſtatis diuinæ: ergo. Tertiò, delinquentes in Eccleſia non fruuntur hac immunitate. Hanc ſententiam docet etiam Bobadilla *tom.* 1.*lib.*2.*c.*14. *n.* 47. qui citat Viſquium, Remigium,& Suarez de Paz, *in Praxi,tom.*1.*p.*5.*c.*3.§.3.*n.* 169. & tanquam probabilem illam admittit Ioan. Sancius *in ſuis practicis diſputationibus, diſp.*44.*n.*52.

Sed poſt Conſtitutionem Gregorianam contrarium tenendum eſt. Et ita docet Peregrin. *de immun.Eccleſ.c.* 12. *n.* 13. Cæuall. *tr. de cognit. per viam violent.d.*2.*q.*101. cum Farinac. *de immun. c.* 7. *n.* 114. retractante ſe de contraria ſententia, quam docuerat anteà *in tract. de carcer.q.*29.*n.*29. & Mario Italia *de immun. lib.* 1. *c.*2.§.*vnico,n* 6. & *c.*6.§. 3. *n.* 79. Et ratio eſt: quia inter homicidia excepta non ponuntur, niſi homicidia proditoria, aut per aſſaſſinium peracta: ergo verba Bullæ, vt ſæpè dictum eſt, non ſunt extendenda ad alia homicidia. Nec obſtat, quòd Clericus repræſentat Eccleſiam, & illum offendens Eccleſiam offendit: ergo. nam reſpondetur, quòd Eccleſia diligit inimicos, & benefacit perſequentibus illam. Neç etiam obſtat, quòd qui committit ſacrilegium, non gaudet immunitate, vt notat Guttier. *pract. qq.lib.*3. *q.*1.*n.*33.& alij: ſed occidens Clericum, ſacrilegium committit: ergo, nam reſpondetur, ſententiam Guttierrez, & aliorum, poſt Conſtitutionem Gregor. non eſſe ſuſtinendam; quia in Bulla crimen ſacrilegij non reperitur exceptum: ergo debet gaudere:& ita docet Ambroſin. *de immun. c.* 4.*n.*6. reprobans Decian.*tom.*1.*lib.* 6.*c.*28.*num.* 7. & Duard *in Bull. Cœn.lib.*2.*canon.*15.*q.*16.*n.*27.

Ex quibus patet reſponſio ad argumenta Riccij ſuperiùs poſita. Ad primum, nego, excommunicatum non gaudere immunitate Eccleſiarum:quia talis caſus non eſt exceptus in Bulla. Secundò, hoc priuilegium non eſt datum fauore perſonarum, ſed propter reuerentiam ſacrorum locorum. Tertiò excommunicatio non habet alios effectus, niſi quos iura declarauerunt: ſed nullum ius ſtatuit vt excommunicatus immunitate non gaudeat: ergo. Et ita contra Felinum *in cap* 2. *de except. num.* 5. docent omnes Doctores, tam ante Bullam, quàm poſt Bullam Gregor. XIV. Ita Ioan de la Cruz *in Direct. conſcient. part.* 1.*præcep.* 8.*q.* 3. *art.* 1. *dub.* 1. *concluſ.* 2. Suarez *de Relig.tom.*1.*tract.*2.*lib.* 3.*cap.*10. *num.* 3. Fagundez *de Præcep. Eccl. tr.* 2. *lib.* 4. *cap.*4.*num.*50. Alterius *de cenſ. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 6. *col.* 3. *ver. Hoc idem ſentiendum eſt.* Nauarr. *cap.* 25.*num.*20. Sylueſt. *ver.immunitas,*3.*q.*3. Angel. *eodem ver. n.* 11. Roſella etiam *verb. immun.* 2. *n.* 7. Armilla *eod.verb. num.* 7. ad ſecundum argumentum reſpondetur ex dictis, quòd in Conſtitutione Greg. non excipiuntur ab immunitate omnes delinquentes in crimine læſæ maieſtatis; ſed tantùm excipitur crimen læſæ maieſtatis in perſonam Principis commiſſum. Ad tertium reſpondetur, ex dicta Bulla Greg. omnes delinquentes in Eccleſia gaudere immunitate, præter ibi committentes homicidia, & membrorum mutilationem, vt docet Riccius *p.* 5. *collect.* 1792. & communiter. Vnde patet, occidentem Clericum gaudere omninò Eccleſiæ immunitate: quod eſt valdè notandum: quia caſus poteſt de facili in praxi contingere. Neque circa præſentem quæſtionem admittenda eſt doctrina Petri Gambacurtæ, contra quem, & meritò, inſurgit Giurb. *conſ.* 70. *n.* 9.

***

An

*An occidens amicum reconciliatum, tanquam proditor, careat immunitate?*

RESOLVT. XXXV.

SVppono, inter inimicos non eſſe homicidium proditorium: nam tunc dicitur quis proditoriè occidere aliquem quando inter illum, & occiſum nullus præcedebat rancor; ſed potiùs ſimulabatur amicitia, vt putà, quia inſimul comedebant, vel ſimul erant in itinere. Et ita docet Ambroſ. *de immun.c.6.n.1.* Peregr. etiam *de immun.c.7. n.2.* & alij. Et ideò, vt *ſuprà* diximus, etiam occidens inimicum retrò, non dicitur committere homicidium proditorium: quia debebat præcauere ab inimico ſuo, vt ex doctrina Bartoli ſequuntur ſcribentes omnes poſt Bullam Greg. licet illos carpat, & irrideat, ſed immeritò, Gambac. *lib.5.c.28.n.3.*

Hoc ſuppoſito, reſpondeo, occidentem amicum reconciliatum gaudere immunitate: quia talis non dicitur proditor; & Bulla excipit tantùm homicidium proditorium. Et ita fuiſſe deciſum in Curia Archiepiſcopali Neapolitana teſtatur Riccius *p. 1. deciſ* 168.*n.2.* vbi ait: [Cùm dubitaretur in Curia Archiepiſcopali, ſi occidens amicum reconciliatum dicatur proditor; fuit communi omnium voto concluſum, minimè potuiſſe dici proditorem: amicus enim reconciliatus æquipollet inimico. Ita ille, & adducit multas alias rationes, & DD. dicta. Adi illum, & non pigebit.

*Vtrùm, ſi quis veneno occideret aliquem, gauderet immunitate?*

RESOLVT. XXXVI.

NOn gaudere, docent ferè omnes Doctores: & ita tenet Homobonus *de exam. Eccl.p. 2.tract.11.n.5 q. 5. reſol.*4. Megal. *in 3.p.lib.4.c. 1.q.1.n.18.* Peregrin. *de immun. c. 7.n.6.* Marius Italia *de immun.lib.1.c.5.§ 4 n.36.* Ioan. de la Cruz *in direct. conſ.p. 1. præcep.8. q.3.art.2.dub. 1.concl. 1.* Graff. *tom.1.lib.3.conſ.vnico de immun.Eccleſ.num.16.* Villadieg. *in polit.c.3.n.28.* & Bobadill. *in polit. tom.1.lib.2.c. 14. n. 75.* vbi ſic ait: [Dueda es, ſi al que mata con veneno le valdra la Ygleſia: y digo que no, pues el derecho tanto conſiderò las inſidias, y traycion por indignas de la immunidad ecleſiaſtica, y el que recibe el veneno, eſta ſeguro, y es mas prodicion matar con veneno, que con hierro, y aſſi aunque muchos Canoniſtas tuuieron lo contrario, però Boërio, Gigante, y Deciano tienen eſta parte, y con mayores fundamentos, y yo lo miſmo.]

His tamen non obſtantibus Farinac. *de imm.c.9.n. 142.* putat, in tali caſu debere Epiſcopum conſulere Summ. Pontif. & iuxta illius reſponſum ſe regulare, & exequi. Vide etiam Ioan. de Heuia *in Curia Philip.par. 3.§.12.n. 6.* & Barboſ. *in Collect.tom.1.lib.3.tit.49.c.9.n.13.*

*An Palatia Illuſtriſſimorum Cardinalium, gaudeant immunitate?*

RESOLVT. XXXVII.

NEgatiuè reſpondet noſter Duard. *commen. Bull. Cœn. lib. 2. can. 15. n. 12.* putat enim, hoc priuilegium illis reuocatum fuiſſe à Greg. XIII. & Sixto V.

Sed contrariam ſententiam amplectendam eſſe puto in locis extra vrbem Romæ; quia tale priuilegium non fuit illis ſimpliciter ſublatum; ſed tantùm pro vrbe Romana: & cùm cauſæ aliquæ non militent extra dictam vrbem, dicendum eſt, in aliis locis, vel ſaltem extra ſtatum eccleſiaſticum reos ad ſupradicta Palatia confugientes gaudere. Et ita docet ex noſtris P. Peregrin. *de immun. Eccl. cap. 4. num.75. in fin.*

*An, qui vehementer ſuſpectus eſt de hæreſi, gaudeat immunitate Eccleſiarum?*

RESOLVT. XXXVII.

CVm quadam limitatione affirmatiuè reſpondet Gambacur. *lib.5.c.38.n.4.*

Sed omnes ſcribentes ſuper dictam Bullam, abſolutè negatiuam ſententiam docent, vt noſter P. Peregr. *c.8.n.8.* Marius Italia *lib.1. c.5. §.6. n.59. & n.140.* & Ambroſ. *c.8. n.10.* Idē etiam docet Penna *in ſuis Annot.ad 2.p. Directorij Inquiſ. ſchol. 9. §. qui autem.* Et poſt hæc ſcripta hanc ſententiam inueni apud Farinac. *de immun.Ecc.c.13.n.175.* vbi ſic aſſerit: [Non ſolùm blaſphemus hæreticalis, ſed etiam quicunque alius de hæreſi quouis modó ſuſpectus, ſi ad Eccleſiam confugiat, ab ea à miniſtris ſancti Officij indifferenter extrahitur. Et ratio eſt: quia, cùm error hæreſis conſiſtat in intellectu, qui niſi per ipſiuſmet rei confeſſionem declarari non poteſt, formalitá que hæreſis ab hoc dependeat; vtique pro fidei orthodoxæ conſeruatione, ne peſtifera hæc lues latenter ſerpat, ſi rei huiuſmodi ad Ecccleſiam confugiant, ab ea extrahendi ſunt, iuxtáque intentionis declarationem ad abiurationis gradum admittuntur. Et ita in antiquiſſimo illius ſacri Tribunalis ſtylo ſemper ſeruatum eſt, & ſeruatur in præſens.] Hæc Farinac. Vnde apparet, me his diebus rectè reſpondiſſe contra opinionem Gambacur. quæ omninò reiicienda eſt.

*De aliquibus Ioannis Sanchij opinionibus, circa immunitatem Eccleſiarnm.*

RESOLVT. XXXIX.

NOuiſſimè hic Author edidit ſuas *Selectas diſputationes* vbi *in diſp. 44. n. 52.* docuit, poſſe Iudicem ſequi has opiniones probabiles, & extrahere reum ab Eccleſia, in his caſibus. Primò, ſi ſit blaſphemus. Secundò, ſi occidat Clericum. Tertiò, ſi è manibus ſatellitum eripiatur, & ad Eccleſiam confugiat. Quartò, ſi committat delictum in Eccleſia; nam in hoc caſu putat non gaudere, etiam in aliis delictis, extra Eccleſiam peractis. Quintò, ſi exiret ab Eccleſia, committendi criminis cauſa; putat etiam non gaudere Eccleſiæ immunitate. Sed Confeſſarij cautè legant hæc omnia: nam loquitur in terminis iuris communis, & in Hiſpania, vbi, vt *ſuprà* notauimus, Bulla Gregoriana non eſt vſu recepta; & ideò, quidquid ſit de probabilitate dictorum caſuum, ſtante ſupradicta, Bulla, reus, *vt ſuprà*, immunitate Eccleſiarum gaudebit.

*An damnatus ad triremes in vita vel ad tempus, ſi confugiat ad Eccleſiam, gaudeat eius immunitate?*

RESOLVT. XL.

NOn gaudere docet Villadieg. *in Polit. cap. 3. n. 215.* vbi aſſerit: No vale la Ygleſia la galeote, que eſta condenado à ſeruicio de galeras.] Idem etiam docet Martha *de iur.p.2.c.51.n 17.* & alij.

Sed meritò contrariam ſententiam docet ex noſtris Regnicolis vir doctus Giurb *in conſiliis criminalib.conſil.30. num. 21.* nam Eccleſia non tantùm à pœna infligenda reddit delinquentem, ad eam confugientem, ſecurum; ſed etiam à pœna impoſita: & ſic damnatum ad Caſtrum Milatij per ſeptennium, ad Eccleſiam confugientem, gaudere eius immunitate, declarauit Curia Archiepiſ. Meſſanenſis ann. 1619. in cauſa cuiuſdam de Barreſio. Et anno 1618. in cauſa cuiuſdam Bonauoglia, qui ex triremibus Neapolitanis ad Eccleſiam cõfugerat, idem Archiep. Maſſanenſis ita etiam declarauit. Et hanc ſententiam in fauorem Eccleſiæ, omninò tenendam eſſe exiſtimo.





*An Iudices, vel alij contrauenientes huic Conſtitutioni, ſint ab Epiſcopo abſoluendi; vel talis excommunicatio ſit Summo Pontifici reſeruata?*

RESOLVT. XLI.

ESſe reſeruatam Summo Pontifici, docet Italia *de immunit.Eccleſ.cap.6.§.2.n.3.* Duard. *in Bull.Cœn. lib.2. can.15.quæſt.16.n.19.* Farinac. *de immun. cap.20.num.315.* vbi acriter inuehitur contra aliter ſentientes. Idem docet Filliucius *tom.1.tract.15.cap.6.num.151.* & nouiſſimè noſter P. Peregrin. *de immunit.cap.15.n.16.* qui poſt multa ſic aſſerit: [Pro concluſionis confirmatione addo, quòd cùm hoc dubium diſcuteretur in Prætorio Sacræ Pœnitentiariæ, fuit concluſum, cenſuras prædictas eſſe reſeruatas Sedi Apoſtolicæ, nec poſſe Ordinarios regulariter ab illis abſoluere. Et facto verbo Summo Pontifici Paulo V. annuit. Ita mihi retulit Reuerendiſſ. Coccina, Romanæ Rotæ Decanus, & ad præſens Regens Prætorij Sacræ Pœnitentiariæ.] Sic Peregrinus. Et ratio eſt: quia in quodam Decreto Clem. VIII. edito anno 1601. & 1602. hæc cenſura Summo Pontifici reſeruatur. Secundò, eſt etiam reſeruata in Bulla Cœnæ, in qua reſeruatur abſolutio excommunicationis latæ contra violantes libertatem eccleſiaſticam.

Sed hac opinione non obſtante, contrarium ſentiunt multi, & aſſerunt, poſſe Epiſcopos, ſupradictos crimínoſos abſoluere: quia talis cenſura non eſt Summo Pontifici reſeruata. Et ita docet Barboſ. *de poteſt. Epiſcop. part.3.alleg.51.caſ.3. num.72.* cuius liber fuit impreſſus Romæ; & ita etiam docet Genuenſis *cap.17. num.4.* in Romana impreſſione apud Maſcardum anno 1619. quem poſteà ſequuti ſunt noſter P. Megala *in 3.part.lib.4.cap.2. quæſt.1.num.34.* Gratianus *in diſceptat. tom.3.c.414.n.12.* Raynerus *in catal.cenſ. cap.9. excommun.31.* Homobon. *de Exam. Eccleſ.p.2.tract. 11.c.12.quæſt.26.ſuppoſ.3.* Bellettus *in diſquiſ.cler. tit.de fauore Cleric. reali, §.4.num.39.* Marius Antoninus *variar.reſol. lib.3. reſol.15.* Zipæus *in ſuo iure nouo Canon.lib.3.tit.de immun.Eccl.n.13.* Bonacina *de leg.diſp.3.quæſt.7.§.6. num.8.* Riccius *in praxi. p.2. reſol.333.num.1.* & tandem Graffius *tom.1.lib.3. conſ.vnico, n.29.in fine, de immun.Eccl.* cum aliis. Et reſpondent ad argumenta contraria. Ad primum aſſerunt, decreta Clementis VIII. loqui de Confeſſariis, qui prætextu facultatum abſoluebant, & non de Epiſcopis: imò in illis decretis reſeruatur, & corroboratur poteſtas Epiſcoporum: ergo. Item in dictis decretis tollitur priuilegium abſoluendi ab excommunicatione incurſa propter percuſſionem Clerici; & tamen Epiſcopi abſoluunt à dicta excommunicatione: ergo patet, Clementem VIII. in illis decretis non fuiſſe loquutum de Epiſcopis, ſed de priuatis Sacerdotibus, vt dictum eſt, qui virtute priuilegiorum abſoluebant. Ad ſecundum reſpondent, in Bulla Cœnæ ſolùm excommunicari ſtatuentes contra libertatem Eccleſiaſticam; non verò omnes facientes contra eccleſiaſticam libertatem, & immunitatem. Et hæc circa præſentem Bullam ſatis dixiſſe ſufficiat; momendo miniſtros laïcalis iuriſdictionis, vt in dubiis, ſemper pro Eccleſia teneant: præſertim, cùm in aliquo ſpeciali, & atroci caſu, poſſint conſulere Summum Pontificem, & reum ab ipſo petere: quomodo factum eſt hîc Panormi tempore Excellentiſſimi Marchionis Hieraci Præſidis, & Illuſtriſſimi Hahedi Archiepiſcopi.

***

# TRACTATVS II.

## De immunitate eccleſiaſtica.

*An Clerici ſint iure humano, vel diuino exempti à legibus, & iuriſdictione Principum ſæcularium?*

RESOLVT. I.

PRIMA ſententia docet, dictam exemptionem eſſe de iure humano; ſed multùm conſonam iuri diuino. Ita communiter Theologi, Salas *de legib.q.96. tr.14.diſp.14 ſect.11.n.120.* Molin. *de iuſt.tom.1.tr.2.diſp. 31.n.6.* Salon. *tom.2.in 2.2.q.67. art.1.concl.4.* Leſſius *lib.2. c.33.dub.4.n.30.* Malderus *in 2.2. tract.5.c.6.dub.7.* Victoria *relect.1.de poteſt.Eccl.* Medin. *C.de reſtit.q.15.* Scotus *in 4.diſt.25.q.2.art.2.concl.3.4.& 5.* Villalob. *in ſum.tom.1. tract.11.dub.17.n.2.* Henriq. *lib.10.c.15.n.1.* Aragon. *in 2.2. q.62.art.3.* Pereira *de manu regia, c.3.n.3.* Ledeſm. *in 4.p.2. q.20.art.4.concl.2.* Souſ. *in Expoſ.Bull.Cœn.c.19.diſp.91.* & Doctores, quos citat Bellett. *in diſquiſ.cler.p.1. tit.3.§.1. num.27.* Garſias *de nobil.Hiſp.gloſ.9.n.18.* Caſtill. *contr.Iur. lib.2.c.5.n.29.* Morl *in empor.iur.p.1.tit.2.quæſt.12.* & alij, apud quos ſequentes concluſiones inuenio. Prima, Eccleſiaſticos in cauſis eccleſiaſticis à poteſtate laïca iure diuino eſſe exemptos. Vnde ſequitur, non poſſe Summum Pontificem cauſſas eccleſiaſticas ſpirituales Principibus ſæcularibus abſolutè ſubmittere: nec in contrarium poteſt allegari præſcriptio; cùm res ſit de iure diuino. Secunda concluſio: Summus Pontifex de iure diuino ab omni poteſtate ſæculari exemptus eſt, &, extra caſũ hæreſis, à nemine poteſt deponi, & iudicari ordinaria poteſtate. Tertia concluſio? Eccleſiaſtici in temporalibus, tam quoad bona ſua, quàm quoad perſonas, exempti ſunt à iuriſdictione laïca iure humano, poſtulante id recta ratione, iuri diuino maximè congruente. Nullum enim ſufficiens teſtimonium adducitur pro illorum exemptione de iure diuino: ſed, licèt tale ius diuinum naturale non præbeat illis talem exemptionem; dictat tamen, eam à Principibus eſſe concedendam, & à Romano Pontifice fieri poſſe: vnde, quod ius diuinum ex multis rationibus faciendum eſſe dictabat, id poſtea iure canonico, & ciuili factum eſt vt patet ex multis Iuribus. Et notandum eſt, quòd ſi Principes noluiſſent in hanc exemptionem conſentire, Summi Pontifices, & Concilia habebant authoritatem eam inducendi.

Secunda ſententia ſuſtinet, Clericorum exemptionem eſſe de iure diuino, & humano. Ita docent communiter Canoniſtæ, & quamplures Theologi, vt ex neteoricis Suarez *contra Regem Angliæ, lib.4. cap.9.* Layman. *in Theol.mor.lib.4.tract.9. c.8. num.1.* Souſa *in tract.cenſur. Pauli V.fol.25.& ſequent.* Azor. *part.1.lib.5.cap.12. quæſt.1.* Bonacin. *de contract.diſput.10.quæſt.2.punct.1.§.1. num.3.* Filliucius *tom.1. tract.16 c.11. num.316.& tom.2. tract.25. cap.vltim. num.427.* Duard. *in Bull. Cœn. lib.2. verſ.15.q.18.concl.2.n.16.* Comitol. *in tract. Apolog.contra Venetos, cap.5.* Peſantius *tract.de immun.Eccleſ. diſp.1.n.5.* Alterius *de cenſur.tom.1.diſput.16.lib.5.c.2.* Homobon. *de Exam.Eccl.p.2.tract.11.cap.4.q.4.* Peregr. *de immun.Eccl. c.16.n.37.* Vgolin. *in reſponſ.ad Iuriſconſ.Gymnaſ.Patauin. c.2.* Seruant. *in defenſ.immun. Eccl.contra Venet. propoſ.5. fol.57.& ſeq.* Valenzuola *in Defenſ.cenſ.Pauli V.p.4.n.37.* & alij. Idem etiam docent ex Iuriſtis Surd. *tom.2.cenſ.301. n.52.* Roland. à Val. *tom.2.cenſ.23.n.18.* Marius Antonin. *lib.1.reſol.97.n. 8.* Ricc. *p.2.deciſ.299.n.3.* Franciſc. Leo *in Theſ.fori Eccleſ.p.1.c.14.n.1.* Burſat. *tom.4.conſ.397. n.10.* Martha *de iuriſdic.p.2.c.6.per totum.* Philipp. Maynardus *de priuileg. Eccleſ. contra Venetos, part.1.art.12.* Carol. de

Graſſ. de effect. cler. effect. 1. num. 2. Colleg. Bononienſ. in reſponſ. pro libertate Eccl. contra Venetos, n. 46, Vigianius de immun. Eccleſ. diſp. 4. Germon. de immunit. ſacr. lib. 3. c. 15. Franciſc. Guttierr. tract. de Gabell. quæſt. 92. n. 9. & ſeqq. Beia p. 1. cap. 26. Cabedo p. 1. deciſ. 83. num. 10. Ioan. Franciſc. Fagn. in tract. de iuſtit. cenſ. Pauli V. p. 1. fol, 8. & p. 4. fol. 93. Ioan. Bertran. in propugn. libert. Eccleſ. aſſer. 1. §. 7. n. 13. & 31. Et, vt dixi, communiter Canoniſtæ, & alij, quos citat Bobadill. in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 18. n. 17. in Gloſſa, littera B, & Caſtil. Ramirez in tract. de lege regia, §. 27. n. 9. in Gloſſa, littera V.

Hanc igitur ſententiam tanquam probabiliorem amplectens; aſſero, priuilegium exemptionis Clericorum fuiſſe à iure diuino immediatè conceſſum, & à iure canonico poſteà ſtabilitum: & etiam ſecluſo iure diuino immediato, potuiſſet exemptio Clericorum per ius canonicum, ſine adminiculo iuris ciuilis, introduci: quod quidem ius ciuile poſteà dictum priuilegium conceſſit. Et primus omnium videtur hoc priuilegium Conſtantinus acceptaſſe. Rationes verò, quæ hæc omnia confirmant, videbit apud citatos Authores, & præſertim apud Suarez, & Duardum. Sed, ſi quis primam opinionem vellet ſequi, quæritur,

*An Principes, vel ſummus Pontifex poſſint reuocare hoc priuilegium eccleſiaſticæ immunitatis?*

RESOLVT. II.

Reſpondeo negatiuè, etiam ſtando in ſententia illorum aſſerentium, hanc exemptionem non eſſe de iure diuino, ſed tantùm de iure humano. Ita Molin. de iuſtit. tom. 1. tr. 2. diſp. 31. Leſſius lib. 2. c. 33. dub. 4. n. 35. Malderus in 2. 2. tr. 5. c. 6. dub. 4. in fin. & nouiſſimè Ceual. tract. de cognitione per viam violentiæ, in Proœm. cap. 6. per tot. Salgad. de protect. regia, tom. 1. p. 1. cap. 1. præl. 3. num. 127. & alij. Quia populi, à quibus Principes habent authoritatem, conſenſerunt in hanc exemptionem: vnde non eſt in eorum poteſtate illam reuocare. Et quod ſemel conceſſum eſt, non poteſt ampliùs repeti. Secundò, quia Pontifices, & Concilia, quæ ſunt ſupra ipſos Principes, eam confirmarunt. Idem verò dicendum eſt de Summo Pontifice? non enim poteſt in vniuerſum huic iuri immunitatis renunciare: quia ipſe non eſt dominus abſolutus bonorum, & iurium ſuæ Sedis, & illorum, quæ à Principibus donata ſunt illi: quia principaliter ſunt donata Chriſto, & Pontifici, vt Vicario eius; & ideò non perſonæ, ſed ſedi data ſunt: & ſic ſolùm eſt diſpenſator fidelis, & prudens: vnde non poteſt ſuo arbitrio illa donare, vel alienare. Ita Ceual. qui citat Iacobat. de Concil. lib. 1. & Suarez. Vide etiam Grammatic. deciſ. 61. num. 10. & Surdum tom. 3. conſ. 301. num. 53. & Vigianum tract. de immun. Eccleſ. diſp. 5. & 6.

*An Clerici poſſint talem exemptionem renunciare?*

RESOLVT. III.

Reſpondeo negatiuè, cùm ſit ipſis omnino interdictum, tam in ciuilibus, quam in criminalibus, 11. quæſt. 1. can. inſolita. & can. placuit, extra, de foro compet. & ita docent communiter Doctores, Vigian. tract. de immun. Eccleſ. diſp. 2. concl. 3. Fernandez in exam. Theol. mor. p. 2. cap. 6. §. 1. num. 5. Salonius in 2. 2. quæſt. 67. art. 1. contr. 2. Duard. in Bull. Cœn. lib. 2. can. 14. q. 8. n. 2. qui citat c. ſi diligenti, & cap. ſignificaſti de foro compet. Peſantius tract. de immun. Eccleſ. diſp. 2. qui citat c. qualiter, & quando, de iudiciis, & ibi Butrig. n. 8. Ioan. Andr. n. 11. & Panomit. n. 7. cum Anchar. n. 5. & Imola n. 3. Idem etiam docet Bonacina de cenſ. diſp. 2. q. 4. punct. 3. num. 1. qui citat Auilam, & Suarez. Vide etiam Ambroſinum de immun. Eccl. cap. 16. num. 12. Sayrum in claui regia, lib. 2. c. 7. n. 10. Alexand. l. 2. conſ. 8. n. 3. Grammatic. deciſ. 61. num. 15. Roland. à Valle tom. 1. conſ. 4. num. 9. Surd. tom. 1. conſ. 2. num. 31. & tom. 3. conſil. 397. conſ. 15. Honded. tom. 1. conſ. 3. n. 21. Grat. tom. 3. conſil. 87. num. 3. cum aliis. Et hoc aduersùs Aufrerium de poteſt. Iud. ſæcul. reg. 2. num. 20. non ſolùm eſt verum, quoad negotia criminalia, ſed etiam ciuilia. Et ratio eſt: quia priuilegium exemptionis à laïca poteſtate non eſt conceſſum ſingularibus perſonis, ſed ſtatui Clericorum: ſed nullus cedere poteſt priuilegio communitati conceſſo, vt patet ex cap. ſi diligenti. de foro compet: ergo. Quod etiam procedit, etiamſi Clericus renunciaret tali priuilegio de conſenſu Epiſcopi, vt notauit Farinac. de inquiſ. quæſt. 8. num. 13. & alij penes Martham de iure p. 4. cent. 2. caſ. 152. num. 8. & D. Carol. de Graſſis de effect. cler. eff. 1. num. 652.

*An per conſuetudinem, maximè ſi ſit immemorabilis, dicta immunitas reuocari poſſit?*

RESOLVT. IV.

Affirmatiuè reſpondendum videtur ex authoritate Couarr. pract. qq. cap. 35. n. 5. qui aſſerit, à Iudicibus regiis aliquas Clericorum cauſas ad ſua Tribunalia ſæpè tractari: & hoc rectè factum conatur defendere: & adducit conſuetudinem aliquorum regnorum. Idem docet Garſias de nobil. Hiſpan. gloſ. 9. n. 48. Salgado de protect. regia, tom. 1. part. 1. cap. 1. præl. 3. num. 138. & ſeq. nam conſuetudo immemorabilis, legis, & priuilegij vicem obtinet, vt patet ex cap. ſuper quibuſdam. 26. §. præterea. de verbor. ſignif. & notat Ric. part. 4. deciſ. 89. num. 4. cum Ioan. Narbon. de appellat. à Vicar. p. 2. fundam. 4. num. 4. vbi plura inuenies pro firmanda vi immemorabilis conſuetudinis: quæ omnia etiam notauit Ceuall. tract. de cognit. per viam violentiæ, Gloſ. 4. num. 1. & ſeq. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. gloſſ. 33. n. 4. Vide etiam Pereira de manu regia, c. 5. n. 6. & ſeq.

Sed his non obſtantibus, contrariam ſententiam affirmandam eſſe puto, quam docent Azor. part. 1. lib. 5. c. 12. quæſt. 1. verſ. ſed dubitari poſſet. Layman. in Theol. mor. lib. 4. tract. 9. cap. 10. num. 2. Peſantius tract. de immun. Eccleſiaſt. diſp. 2. num. 2. Filliucius tom. 1. tract. 16. cap. 10. numer. 255. Duard. in Bulla Cœn. cap. 14. diſp. 16. num. 5. & diſp. 75. n. 2. Acoſta in Bullam Cruciatæ, q. 79. Altherius de cenſuris, tom. 1. lib. 5. diſp. 16. c. 2. fol. mihi 686. Bellet. in diſquiſ. cler. part. 1. tit. 3. §. n. 8. Duard. iterum in Bull. Cœn. lib. 2. can. 14. quæſt. 9. n. 8. Martha de iuriſdict. p. 4. cent. 2. caſ. 101. Surd. tom. 3. conſ. 301. num. 52. Comitol. in tract. Apolog. contra Venetos, c. 3. n. 8. & alij communiter. Vide etiam Pereira de manu regia, præl. 3. n. 10. & 11. Et ratio eſt; quia laici, cùm ſint incapaces iuriſdictionis eccleſiaſticæ, nunquam poſſunt ſe tueri conſuetudine, etiam immemorabili, quæ nunquam legitima eſſe poteſt ad præſcribendum. Adde, quòd omnis conſuetudo contra eccleſiaſticam libertatem reprobatur in c. nouerint. de ſentent. excomm. & in Authentic. de ſacroſ. Eccleſ.

Deinde talis conſuetudo nihil valet, aut operatur; quia ſingulis annis per Bullam Cœnæ reprobatur, vt notat Colleg. Bononienſ. in reſpon. contra Venetos, num. 59. Vigianius tractat. de liber. Eccleſ. diſput. 2. concl. 4. diſp. 3. concl. 1. Vgolinus in reſponſ. ad iuriſconſ. Gymnaſij Patauini, cap. 7. Ioan. Franc. Fagnan. in tractat. de iuſt. cenſ. Pauli V. p. 4. fol. 116. Tanner. in 2. 2. diſp. 5. quæſt. 5. dub. 4. num. 132. Bonacin vbi ſup. & alij cum Franciſco Souſa contra Venetos, fol. mihi 72. & Martha de iuriſ. p. 4. cent. 1. cenſ. 7. num. 12. Philarchus de officio Sacerd. tom. 1. p. 1. lib. 3. c. 9. in fine. Vide etiam Tanner. in p. 2. D. Thom. diſp. 5. q. 5. dub. 4. n. 132. Et ideò Pater Suarez contra Regem Angliæ, lib. 4. c. 32. n. 23. ſic aſſerit: [ Ex dictis ſatis conſtat, nullam conſuetudinem, etiamſi immemorabilis ſit, vllo modo contra



contra immunitatem eccleſiaſticam præualere poſſe. Solùm obiici ſolent quædam particulares conſuetudines aliquorum Regnorum, quæ, licèt ſint contra immunitatem eccleſiaſticam, ſine ſcrupulo à Magiſtratibus laïcis obſeruantur. Ad illas verò poſſumus vno verbo reſpondere, conſuetudines, non ad ius, ſed ad facta hominum pertinere, propter quæ veritatem negare non poſſumus, neque illorum rationem dare tenemur: ſed ad illos hoc ſpectat, qui conſuetudines illas obſeruant. ] Ita Suarez, qui cap. 34. num. 16. notat conſuetudinem turpem, & exprobratam, etiam immemorabilem, non poſſe inducere priuilegium. Ad authoritatem verò Couarruuiæ, qui ſæpius in hoc tractatu citatur, reſpondeo cum Cardinali Bellarm. in reſponſ. ad quandam Epiſtolam in fauorem Venetorum, vbi ſic aſſerit fol. mihi 7. [ E ſe il Couarruuia dice il contrario; noi habbiamo à credere più alle Scritture, & à Santi Padri, che al Couarruuia, il quale in materia di giuriſdittione ſi è moſtro ſempre troppo partiale. ] Et Maderiaga in tract. de Senatu cap. 39. §. 2. fol. mihi 459. loquens de quadam opinione Couarruuiæ circa libertatem eccleſiaſticam; ſic aſſerit: [ Que cierto por mas, que diga Couarruuias, que lo eſcriuio ſiendo Oydor de Granada, y por ventura lo quiſiera borrar ſiendo Obiſpo, &c. ] Ex quibus apparet cautè legendum eſſe Couarruuiam in his materiis, vt notat etiam Suarez de relig. tom. 1. lib. 1. de diuino cultu, cap. 38. num. 16. licèt alioquin virum doctiſſimum: & nouiſſimè etiam contra illum inſurgit Tanner. in p. 2. diſp. 5. q. 7. dub. 1. n. 16. & in defenſ. liber. eccl. lib. 2. cap. 16.

*An adſit tolerantia, & conſenſus tacitus Summi Pontificis cum dicta conſuetudine; ita vt Principes aliquid licitè efficiant aduersùs libertatem eccleſiaſticam?*

RESOLVT. V.

Qvicquid aſſerat Salgado de protect. regia, tom. 1 p. 1. cap. 1. præl. 3. n. 139. & alij; negatiuè reſpondet Azorius part. 1. lib. 5. c. 12. verſ. quæri ſolet. Filliuc. to. 1. tract. 16. cap. 10. num. 256. Peſantius de immun. Eccl. diſp. 3. num. 2. Altherius de cenſuris, tom. 1. lib. 5. diſp. 16. c. 2. fol. mihi 686. Acoſta in Bullam Cruciatæ, quæſt. 79. & Doctores in ſuperiori reſol. citati: quia talis conſenſus non poteſt præſupponi, cùm Summus Pontifex quotannis in Bulla Cœnæ excommunicet contrarium facientes, & tollit cum ampliſſimis clauſulis omnes conſuetudines. Vnde Epiſcopus Antuerpienſis Ioannes Malderus in p. 2. q. 96. art. 4. fol. mihi 407. col. 1. ſic aſſeruit: [ Sanè, ne tolerantia Papæ in hac re allegari poſſit in defenſionem conſuetudinis, impedit vel ipſa Bulla Cœnæ quotannis repetita, quæ diſertè reſiſtit eiuſmodi conſuetudini, aut veriùs corruptelæ. Multò minùs præualere poteſt via præſcriptionis: quia nunquam nititur bona fide. ] Ita ille. Idem docet Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 9. c. 10. num. 1. Vigianius tract. de immun. Eccl. cap. 2. conſ. 4. fol. 43. vbi ita ait: [ Cùm quotannis die Cœnæ, publicè excommunicet Magiſtratus, perſuaſiſſimum cuique eſſe debet, Summum Pontificem hanc conſuetudinem, quam corruptelam vocant, æquo animo non perferre; & conſequenter, neque expreſsè, neque tacitè aſſentire, &c. ] Et hoc etiam docet Vgolinus in reſponſ. ad Iuriſconſ. Gymnaſij Patauini, c. 7. fol. 93. Barboſa in Collect. lib. 1. Decret. tit. 2. cap. Eccleſia S. Mariæ. de conſtit. num. 25. & Ioan. Franc. Fagnanus in tract. de iuſtit. cenſ. Pauli V. p. 4. fol. 116. Philiarchus de offic. Sacer. p. 1. lib. 3. c. 9. in fin. Tannerus in 2. 2. diſp. 5. q. 5. dub. 4. num. 132.

Deinde in præſenti materia notanda eſt illa celebris doctrina, quam ex Theologis affert Suarez de legib. lib. 7. cap. 13. num. 12. tolerantiam, ſola ſuppoſita ſcientia, non indicare ſufficienter conſenſum: quia multa per patientiam tolerantur, quæ non approbantur, iuxta c. cum iam dudum. de præben. Vnde ait Filliucius vbi ſup. tom. 1. tract. 16. cap. 10. n. 256. loquens in terminis noſtri caſus: [ Simplex tolerantia, quando ſcilicet Princeps non poteſt commodè prouidere, non ſatis eſt ad diſpenſandum, ex c. denique, diſt. 4. ] Et Iuriſconſultus Surd. tom. 3. conſ. 301. num. 57. aſſeruit, in his caſibus tolerantiam Papæ non eſſe approbatiuam, animo inducendi, vel confirmandi conſuetudinem; ſed potiùs, vt ſcandalum vitetur. Et hoc poſteà etiam docuit Collegium Bononienſe contra Venetos, in reſponſ. pro liber. Eccleſ. n. 57.

Sed, his non obſtantibus, non deſunt Doctores excuſantes aliquas conſuetudines aduersùs libertatem eccleſiaſticam ex tacito conſenſu Pontificis: quia ſcit, & tolerat, vt Salgado vbi ſup de protect. regia, tom. 1. p. 1. c. 1. præl. 3. n. 148. Leſſius lib. 2. c. 33. dub. 5. n. 39. Turrian. in 2. 2. to. 2. diſp. 14. dub. 4. n. 12. Salas de legib. q. 96. tr. 14. ſect. 11. n. 121. Vaſq. opuſc. de reſtit. c. 6. §. 1. n. 33. Molina de iuſt. tom. 3. tract. 2. diſp. 207. n. 5. & ipſe Malder. in 2. 2. tract. 5. cap. 6. dub. 8. Ergo non eſt verum, dicere abſolutè, quòd per publicationem Bullæ tollitur omnis conſenſus Pontificis: ſed dicendum eſt, quòd ſtante publicatione Bullæ, quando adſit conſenſus Pontificis tacitus, & approbatiuus, colligendus erit prudenter, vt notat. Malderus vbi ſuprà cum Henriquez, ex rationibus, & coniecturis. Sed, quia res eſt multùm dubia, & periculoſa, videant Principes, & miniſtri laïcalis iuriſdictionis, quid faciant.

*An per aliquod priuilegium ſit in aliquibus Regnis ſupradictæ eccleſiaſticæ libertati derogatum?*

RESOLVT. VI.

Aliqui reſpondent affirmatiuè, & ita aſſerit Bannez in 2. 2. q. 67. art. 1. dub. 2. concl. 2. Ioan. de la Cruz in Direct. conſcient. p. 1. præcep. 8. q. 3. art. 1. dub. 1. concl. 3. Peſantius de immun. Eccl. diſp. 3. & alij. Reges Hiſpaniæ habent priuilegium à Summo Pontifice circa Tribunal, quod ipſi vocant, de la fuerza. Et Rex Franciæ, licèt laïcus, obtinet Canonicatus, & Beneficia confert in regno ſuo, ex priuilegio apoſtolico, vt notauit Carolus de Graſſaliis in Regal. Fran. lib. 2. iur. 1. fol. mihi 229. & iur. 2. fol. 237 Et Rempublicam Venetorum, ex priuilegio Summi Pontificis, procedere poſſe in aliquibus cauſis contra Clericos, notauit Zanard. in Direct. Confeſſ. tom. 3. cap. 50. & Decianus tom. 1. lib. 4. cap. 9. num. 66. cum Gigante.

Sed difficultas eſt, an ſupradicta priuilegia, ſi reuerà exiſtant, ſint per Bullam Cœnæ reuocata. Nam aliqui audent dicere, Reges habere aliqua priuilegia immemorabilia, ita vt ceſſerint in iura regia, & non poſſint ampliùs à Pontifice reuocari, vt notat Zipæus in Annal. iur. can. lib. 2. de foro compet. n. 41. in fine. Magis verò modeſtè loquitur Henriquez lib. 10. c. 15. n. 5. in Gloſſa litt. G, quem tacito nomine ſequitur Malderus in 2. 2. tract. 5. c. 6. dub. 7. in fin. vbi aſſerit, Pontificem iura quædam ſpiritualia, quæ Rex quiſpiam contractu remuneratorio, aut immemorabili habet, reuocare non debere.

At, poſſe Pontificem priuilegia, etiam remuneratoria, reuocare, non eſt dubitandum, vt ex multis probat Souſa in Bull. Cœnæ cap. 26. diſp. 102. num. 2. Difficultas, vt dicebam, exiſtit, an ſint per dictam Bullam reuocata. Filliucius tom. 1. tract. 16. c. 10. num. 258. putat, ſi reuerà priuilegium aliquod à Romano Pontifice alicui Principi conceſſum ſit, Bullam Cœnæ illud non reuocare, & ideò ita aſſerit: [ Dixi, ſub prætextu: quia, ſi verè priuilegium conceſſum ſit à Sede apoſtolica, vt poteſt, iuſtè etiam excuſari poterit: & tunc dicendum eſt, legem poſteriorem vniuerſalem non derogare priuilegio anteriori ſpeciali. Atque ita Regem Hiſpaniarum, & Regem Galliarum habere aliqua priuilegia, teſtantur Bannez, & de Graſſaliis: quod præſumi poteſt in Regibus, alioqui Catholicis, & piis. ] Ita ille. Et Pater Suarez contra Regem Angliæ, lib. 4. c. 34. n. 29. ex Cardinali Bellarmino, non auder

audet damnare vſum talium priuilegiorum : ſed hoc apoſtolicæ Sedi remittit : quod anteà fecerat Nauarr. *in Manual. c. 27. n. 91.* vt notat Vaſquez *in part. 2. tom. 2. diſp. 167. c. 4. n. 32.* Becanus *in Sum. Theol. p. 2. tract. 3. c. 6. q. 11. n. 2.* & Salas *de legib. diſp. 14. ſect. 9. num. 108.*

Verùm contrariam ſententiam docuit Sayrus *de cenſ. lib. 3. cap. 25. num. 10.* vbi ita loquitur : [Hinc patet, ſine cauſa dubitaſſe Nauarrum, an Iudices Galliarum, qui cognoſcere, & iudicare ſolent Clericos ſuper quibuſdam caſibus, in cenſuram Bullæ incidant : quia priuilegia iſta per viam remunerationis conceſſa ſunt, & ſunt priuilegia immemorabilia. In qua re, ſi quidem dubitandum eſſet de Summi Pontificis intentione, recurrendum eſſe cenſerem ad iudicium Summi Pontificis. Quia tamen Legiſlatoris mens & intentio ex verbis eius colligenda eſt, non opus eſſe puto, vt quis pro huius rei, ac dubij ſolutione ad Summum Pontificem recurrat : quandoquidem his verbis Bullæ omnia huiuſmodi priuilegia ſe reuocaſſe Summus Pontifex ſatis manifeſtè declarauit.] Ita ille, & reſpondet ad argumenta Nauarri. Idem poſtà etiam docuit noſter Duardus *in Bull. Cœn. lib. 3. §. 5. q. 1. num. 1.* & Philipp. Maynardus *de priuileg. Eccleſ. p. 2. art. 18. num. 10.* vbi ita ait : [ Prædicta priuilegia fuerunt poſteà à Summis Pontificibus reuocata, & inter cæteras reuocationes illa eſt, quæ legitur in Bulla Cœnæ Domini, ibi, *excommunicatus.*] Ita Maynardus : cui adde Vgolinum *in Reſponſ. ad Iuriſconſul. Gymnaſij Patauini, cap. 7. fol. mihi 93.* vbi ita aſſerit : [Per Bullam Cœnæ Domini, quæ ſingulis annis in die Iouis ſancti, præſentibus Principum Chriſtianorum Nunciis publicatur; illa clauſula, *non obſtantibus*, &c. derogat omnibus priuilegiis contra libertatem eccleſiaſticam. ] Idem etiam docet Martha *de iuriſd. p. 4. cent. 1. caſ. 7. n. 12.* Barboſa *in Collect. lib. 1. Decret. tit. 2. cap. Eccl. S. Mariæ. de conſtit. n. 25.* Patres Theologi Religionis ſeruorum *in defenſ. cenſ. Pauli V. c. 8. n. 19. in fin.* & Ioan. Bertran de Gueuara *in propug. Eccleſ. liber. §. 7. num. 43. aſſer. 1.* & Malderus *in p. 2. quæſt. 96. art. 4. fol. mihi 407. col. 1.*

*An ſint aliqui caſus, in quibus Principes ſæculares poßint pœnis coërcere Clericos?*

RESOLVT. VII.

AFfirmatiuè reſpondet ex Victoria, & Soto Antonius Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 2. c. 6. § 1. n. 4.* & Ludouicus Molina *de iuſt. & iure, tom. 1. tract. 2. diſp. 31. num. 10.* vbi ſic aſſerit : [ Obſeruant Victoria, & Sotus, ſi Clericorum libertas in manifeſtam cederet ſæcularis reipublicæ perniciem, Clericis impunè vacantibus in laïcorum cædes, Summique Pontifices admoniti adhibere nollent remedium, poſſe equidem Principes ſæculares ſuis ſubditis conſulere, nihil immunitate, & priuilegio Clericorum impediente. Ratio eſt : quoniam Reſpublica ciuilis eſt ſibi ipſi ſufficiens. Quocirca, quemadmodum propria authoritate poteſt ſe ipſam defendere, & ſeruare indemnem à quacunque Republica alia ſæculari, ſic etiam ab Eccleſiaſticis. Meritò autem admonent, poteſtatem hanc eſſe apud Principem; non verò apud Iudices, & Magiſtratus : & idcircò nefas illis eſſe propria authoritate agere contra Eccleſiæ libertatem, aut Clericos capiendo, vel malefactores extrahendo de Eccleſiis, vel aliqua alia ratione leges tranſgrediendo; tametſi vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ ſuos ab Eccleſiaſticis tutari, ac defendere poſſint. ] Ita Molina, & Guilielmus Benedictus *in c. Raynutius ver. vxorem, num. 454.* Aufrerius *de poteſt. ſæcul. ſuper eccl. perſonas, reg. 2.* Nauarrus *in c. cùm contingat. de reſcript. remed. 1. ver. 1.* Simanchas *de cath. inſtit. cap. 42. num. 32.* Sed meritò aduertit Salas *de leg. quæſt. 94. tr. 14. diſput. 14. ſeq. 9. n. 111.* quòd caſus iſti ſunt metaphyſici, & moraliter contingere non poſſunt : quia Clerici, & Epiſcopi non habent tantam poteſtatem in Rempublicam, ſicut & alius caſus, quem ponit Victoria *in relect. de poteſt. Papæ*, metaphyſicus etiam videtur, vbi aſſerit, quòd ſi Papa faceret aliqua mandata in deſtructionem Eccleſiæ, poſſet Princeps ſæcularis facto, & vi reſiſtere illis, & impedire executionem talium mandatorum. Ita Victoria. Sed certè modum exceſſiſſe aliqua ex parte videtur, vt contra illum notauit Azor. *p. 1. lib. 5. cap. 14. quæſt. 5.*

*An Eccleſiaſtici ſint exempti à legibus ciuilibus, quatenus cum libertate eccleſiaſtica non pugnant?*

RESOLVT. VIII.

AFfirmatiuam ſententiam mordicùs ſuſtinet M. Antonius Genuenſis *in praxi cap. 74. per tot.* Sed communis Theologorum, & Iuriſperitorum ſententia contrarium docet; nempe, Clericos neque iure diuino, neque humano eſſe exemptos aliis legibus ciuilibus, quæ non ſunt contra libertatem eccleſiaſticam : & ideò, ſi Clerici vendunt frumenta vltra pretium iuſtè à Republica ſtatutum, & peccant mortaliter, ſicut laïci, & tenentur ad reſtitutionem, vt docet Sylueſter *ver. lex, q. 15.* Salonius *tom. 2. in 2. 2. q. 77. art. 1. contr. 10.* Angelus *eodem ver. n. 5.* Ledeſma *in ſumma, tom. 2. tract. 8. c. 32. difficult. 4.* Molina *tom. 2. tract. 2. diſp. 31. n. 15.* Sotus *de iuſt. lib. 1. q. 7. art. 7. concl. 1.* & alij, quos citat, & ſequitur Salgado *de protect. regia, tom. 1. p. 1. c. 1. n. 64. præl. 2.* & Ceuallos *tract. de cognit. per viam violentiæ, in Prolog. num. 30.* Peirinus *de priuileg. Minimorum, tom. 1. conſt. Iulij II. §. 33. n. 151.* Et ideò tenentur obedire legibus Principum ſæcularium taxantibus pretia cenſuum, vt notat Auendaño *tract. de cenſ. Hiſp. cap. 32. num. 10.* Laſſarte *de decim. vendit. cap. 10. num. 3.* Mexia *in Prag. taxæ panis, concl. 5. num. 39. in fine* Salas *de empt. & vendit. dub. 9. num. 2. in fine* & alij.

Sed difficultas eſt, an Clerici teneantur dictis legibus directè : nam affirmatiuè reſpondent Sotus, Victoria, Medina, & alij, quos citat, & ſequitur Salas *de legib. diſp. 14. ſect. 8. num. 94. & 104.* Sed contraria ſententia videtur mihi probabilior cum Tannero *in p. 2. diſp. 5. q. 6. dub. 2. num. 3.* Vaſquez *in p. 2. tom. 2. diſp. 167. cap. 4.* Azorio *p. 1. lib. 5. cap. 12. q. 3. & p. 2. lib. 9. cap. 7. quæſt. 8. 9. & 15.* Peſantio *tract. de immun. eccl. diſp. 4.* & aliis.

Dico igitur, Clericos non teneri directè legibus ſæcularibus; ſed ex ratione naturali dictante, ſeruandas eſſe leges ſæculares, propter conformitatem cum perſonis ſæcularibus eiuſdem Reipublicæ. Tenentur igitur Clerici ſeruare leges Principum ſæcularium, non vi coërcitiua, ſed vi directiua. Ita etiam docet Vigianius *tract. de imm. Eccl. diſp. 2. concl. 5.* & Villalobos *in ſumm. tom. 1. tract. 2. dub. 31. n. 1.* Portel. *in dubiis regul. ver. lex, n. 2.* Filliucius *tom. 2. tract. 35. c. 4. n. 94.* Fauſtus *in ſpeculo Confeſſ. diſput. 6. q. 44. num. 3.* Barboſa *in Collect. lib. 1. Decret. tit. 2. c. Eccleſ. S. Mariæ. de conſtit. n. 4.* Et ratio noſtræ ſententiæ eſt : quia nemo tenetur directè legibus eius, qui in ipſum non habet iuriſdictionem, vt docet D. Thom. *in p. 2. q. 96. art. 5.* & conſtat *ex l. fin. ff. de iuriſdict. omnium Iudicum.* Sed Principes non habent in Clericos iuriſdictiones, vt determinat Innocent. III. *in c. Eccleſia S. Mariæ. de conſtit. & cap. placuit. 16. q. 7. & cap. ſæculares de foro compet. in 6.* Ergo. Et hanc ſententiam etiam docuit Cardinalis Bellarminus *in reſponſione ad epiſtolam incerti Authoris pro defenſione Venetorum, contra cenſuras Pauli V.* vbi *fol. 6.* ſic aſſerit : [ E vero, che li Eccleſiaſtici hanno da oſſeruare quelle leggi ciuili, che non ſono contrarie all'eccleſiaſtiche, e ſono neceſſarie per il commercio, che hanno li Eccleſiaſtici con i ſeculari, tuttauia à queſta oſſeruanza delle leggi de Principi ſæculari ſono gli Eccleſiaſtici obligati, quanto alla direttione, non quanto alla forza, cioè vi rationis, non vi legis, ] Ita ille.





Sed notandum eſt primò, quòd etiam ſtando in prima opinione affirmatiua, quòd Clerici tenentur directè legibus ſæcularium; non ſequitur, quòd poſſit per tranſgreſſionem laïcus illos punire, vt benè notat Salas, *vt ſup. num. 104. in fin :* & alij. Secundò, cum Vaſquez, *loco citato*, Iudicem Eccleſiaſticum non debere, quamuis poſſet, Clericis violantibus leges ciuiles, eandem pœnam infligere, quæ laïcis ſtatuta eſt, etiamſi cum eorum ſtatu illa pœna non pugnet. Et rationem adducit Salas *ſect. 10. num. 112. in fine :* quia decet cum Clericis mitiùs agere ob conſeruationem ſtatus eccleſiaſtici : & ita vſu ſeruari videmus, etiam in pœnis ſtatutis pro violatione legum naturalium. Ex his omnibus apparet, quòd cautè legendus ſit Vincentius de Franco *p. 2. dec. 9.* aſſerens, Clericos non eſſe omninò exemptos à legibus ciuilibus, quatenus ſpectant ad tranquillitatem Reipublicæ, vt aduerſùs illum notauit Marius Antoninus *lib. 1. reſolut. 97. num. 8.*

*An ſæculares Magiſtratus poßint cogere Clericos, vt triticum vendant, ſi neceßitas adſit?*

RESOLVT. IX.

AFfirmatiuè reſpondent Iuriſconſulti, &, quod magis miror, ex Theologis Ortiz *in ſumm. c. 4. num. 9.* & Ioannes Salas *in tract. de empt. & vendit. dub. 9. num. 2.* vbi in fine aſſerit, quòd non oportet in tali caſu recurrere ad Iudices eccleſiaſticos. Vide etiam Valerum *in differentiis vtriuſque fori, verb. Clericus, differ. 3. n. 3.*

Sed contrariam ſententiam, amplectendam eſſe prorſus iudico *ex cap. non minùs. & cap. aduerſùs. de immun. eccleſiaſt. cap. quanquam. de cenſibus, in 6. & ex Bulla Cœnæ, can. 12.* Ideò in tali caſu puto recurrendum eſſe ad Superiorem eccleſiaſticum, niſi fames, aut neceſſitas vrgeant, & periculum ſit in mora : nam in tali caſu Iudex laïcus poterit frumentum ſequeſtrare, & ab horreis Clericorum extrahere, & vendere, non vi iuriſdictionis, ſed ob inſtans periculum de facto iuris. Vnde non eſt audiendus Ioan. de Heuia *in Curia Philippica, p. 3. §. 3. num. 10.* & Bobadilla *in polit. tom. 2. lib. 3. cap. 3. num. 13.* vbi ſic aſſerit : [ En eſtas occaſiones hize ſacar el trigo ſobrado, no ſolo de caſa de ſeglares, pero de Canonigos, y Clerigos ricos, y aun de las Ygleſias, y de los Obiſpos, que lo grangean y venden a precios, y por modos iniuſtos, como quiera, que pueden los Eccleſiaſticos ſer compelidos à vender el trigo, que les ſobra, para la prouiſion de la Republica. ]

At fallitur hic Author : nam, licèt Clerici ita facientes peccent, iuri naturali contrauenientes: quia tamen ad ſupradicta tenentur non vi coactiua, ſed directiua; ideò per miniſtros eccleſiaſticos, & non laïcos, ad id faciendum compellendi ſunt : quia ſæculares nullam poteſtatem habent in Clericos; neque publica neceſſitas, ſeu vtilitas iuriſdictionem illis præbet : & ideò tempore penuriæ non poſſunt per illos compelli vendere frumenta, & alia ad victum neceſſaria, & non ad excedendum pretium legale dictarum rerum venalium : ſed ad id compellendi ſunt per Iudices eccleſiaſticos, niſi in caſu, de quo ſuprà. Vide Duardum *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 15. q. 17. num. 45.* Bellettum *in diſquiſ. cler. p. 1. tit. 5. §. 2. n. 9.* Madium *tract. de ſacris Ordinibus, cap. 14. n. 38.* & ex noſtris P. Molfeſium *in ſumma, tom. 2. tract. 12. c. 5. n. 85.* qui impugnat Salas, *vbi ſuprà*, & alios.

*An miniſter laïcus poßit ſpoliare Clericum armis prohibitis?*

RESOLVT. X.

AFfirmatiuam ſententiam docet Couarruuias *pract. qq. cap. 33. num. 7.* Azeuedus *tom. 1. lib. 1. tit. 3. leg. 9.* Borrellus *de præſtat. Reg. Cath. c. 71. num. 45.* Duenn. *reg. 15.* Plaza *de delictis, lib. 1. cap. 8. num. 9.* Ant. Gomez *in leg. 45. Taur. n. 48.* Iul. Clar. *in pract. crim. q. 36. n. 26. & q. 82. ſtat. 6. n. 1.* Cenedo *in collect. iur. can. p. 1. collect. 37. n. 17.* Morla *in empor. iur. par. 1. tit. 1. q. 16. n. 17.* Bobadill. *in Polit. tom. 1. lib. 2. c. 18. n. 71.* Ludouicus Mexia *in prag. taxæ panis, conſ. 5. n. 58.* Ioan. de Heuia *in Curia Philippica, p. 3. §. 3. n. 9.* Vbi aſſerunt, Clericum arma prohibita portantem, à miniſtris laïcæ iuriſdictionis armis his expoliari poſſe, & priuari, abſque metu excommunicationis; & maximè tempore noctis, vt vult Ceuallos *tract. de cognit. per viam violentiæ, p. 2. q. 54. n. 17.* Nec compelli poſſe à Iudice eccleſiaſtico arma illa reſtituere, cùm ita ſe habeat conſuetudo, & tacita Eccleſiaſticorum permiſſio.

Sed, quod magis miror, non deſunt præſtantiſſimi Theologi, qui hanc ſententiam defendunt, vt Rodriquez *in ſumm. tom. 2. cap. 237. num. 13.* Ioan. de la Cruz *in direct. conſcient. p. 1. præcep. 8. q. 3. art. 1. dub. 1. concl. 3.* Bannes *in 2. 2. q. 67. art. 1. dub. 2. concl. 5.* Graffius *in deciſ. p. 1. lib. 4. c. 18. num. 158.* Coriolanus *in Bull. Cœn. excommun. 20. fol. mihi 956.* Ortiz *in ſumm. c. 4. n. 9. & c. 7. n. 1.* Petrus Lorca *in p. 2. tom. 2. tract. de legib. diſp. 25. membr. 4. fol. mihi 486.* & Vaſquez etiam *in p. 2. tom. 2. diſp. 167. cap. 4. num. 31.* qui duo vltimi aſſerunt, in tali caſu miniſtros regios, auferendo arma Clericis, non inducere pœnam legis, ſed efficere, vt lex ſeruetur, & impedire tranſgreſſionem legis. At falluntur viri docti : nam, vt benè obſeruat, contra Vaſquez, Salas *de legib. quæſt. 96. tract. 14. diſp. 14. ſect. 9. n. 106.* non ſpectat ad Iudices ſæculares, propria authoritate efficere, vt leges ciuiles à Clericis obſeruentur, cùm nullam in eos iuriſdictionem habeant. Ideò puto omninò dicendum, minimè poſſe miniſtros laïcalis iuriſdictionis, Clericos armis prohibitis ſpoliare : quia Clerici ad obſeruanda ſtatuta laïcorum ſunt cogendi per Iudicem eccleſiaſticum; vnde non poterunt per laïcum armis ſpoliari : tantùm ad obuiandum delictum, poterunt duci ad Epiſcopum, vt inferiùs dicendum eſt; & in Epiſcopi poteſtate erit diſpenſare de armis. Et ita docent Doctores, quos citat, & ſequitur Barboſa *in ſuis collect. tom. 1. lib. 3. tit. 1. cap. 2. num. 6. & tom. 2. lib. 5. tit. 39. cap. 25. num. 4.* quibus ego addo Madium *tract. de ſacris Ordinib. cap. 14. num. 21.* Bonacinam *de legib. diſp. 10. q. 2. punct. 1. §. 1. n. 2.* Duardum *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 12. quæſt. 11. num. 91.* Bellettum *in diſquiſ. cler. p. 1. tit. 2. §. 2. num. 38.* Martham *de iur. p. 4. cent. 1. caſ. 8. num. 20.* Megalam *in 3. p. lib. 3. c. 11. n. 20.* Genuenſem *in praxi, c. 74. n. 6.* & Riccium *p. 3. deciſ. 299. per totam*, vbi quærit, an Clericus ferens arma poſſit reſiſtere cum armis birruario laïco, volenti eum capere: & reſpondet affirmatiuè.

Ex his ſequitur, eſſe reiiciendos, Villalobos *in ſumma, tom. 2. tract. 10. difficul. 16. n. 2.* Ledeſmam *in ſumma, tom. 2. tract. 8. c. 9. concluſ. 33.* Salſedum *in addit. ad Diaz, cap. 68.* Morlam *in empor. iur. p. 1. tit. 1. q. 16. n. 16. & ſeq.* Cened. *in collect. iur. p. 1. collect. 37. n. 19.* aſſerentes, Clericum exercentem prohibitam venationem, vel piſcationem, poſſe ſpoliari à Iudice ſæculari, vel ſuis miniſtris, auibus, vel canibus, vel aliis inſtrumentis. Vide etiam, circa præſentem quæſtionem, Anguianum *tract. de leg. lib. 2. contr. 15. num. 31.* qui ex parte nobiſcum ſentit, aſſerens nullo pacto eſſe ſuſtinendam ſententiam illorum DD. aſſerentium, arma Clericorum poſſe per ſæculares Iudices capientibus adiudicari.

*An Iudex laïcus, & eius miniſter poßit capere perſonam eccleſiaſticam in flagranti crimine, & ducere illum ſine iniuria ad ſuum eccleſiaſticum Superiorem?*

RESOLVT. XI.

NEgatiuè reſpondet Megala *in 3. p. lib. 3. cap. 11. num. 7.* Martha *de iuriſdict. p. 4. cent. 1. caſ. 42. n. 17.* & Souſa

*in Bulla Cœnæ,c.16.diſp.*82.*n.*8.cum aliis. Et ratio eſt: quia non eſt textus in iure canonico, qui declaret, poſſe laicum Iudicem in hoc caſu Clericum comprehendere, etiam vt ad Prælatum ſuum ducat niſi de ipſius Prælati licentia, & in contrarium ſunt iura abſolutè prohibentia, ne Clericus à laico Iudice comprehendatur; ergo, &c.

Sed non deſunt Doctores, qui contrarium aſſerant: & hi ſunt, Peregrinus *de immun.Eccl.cap.*16.*num.*37. Gomez *var. tom.*3. *cap.*4.*num.*3. Auendañus *de exequ. mand.p.*1. *c.*22.*num.*2. Olibanus *de iure fiſci, cap.* 14.*n.*104. Borrellus *de præſt. Regis Cathol.cap.*71.*n.*185. Duardus ex noſtris *in Bulla Cœn.lib.*2.*can.* 19.*q.*7. *num.* 2. Cenedo *in qq. can. q.*4.*n.*14. Ortiz *in ſumm.cap.*4.*n.*9. Pereira *in tract.de manu regia, c.*10.*num.*6. Salgado *de protect. regia, tom.*2.*p.*2. *c.*4.*num.*13. Bonacina *de legib.diſp.*10.*q.*2.*punct.*1.§.1.*n.*22. Coriolanus *in Bulla Cœnæ, excommun.* 19. *fol.mihi.* 955. Graffius *in deciſ.p.*1.*lib.*4.*c.* 18.*n.* 152. Nauarrus *in Manuali,c.*17.*n.*83. Bellettus *in diſquiſ.cler.p.*1.*tit.*3.§.11.*n.*1. qui pro hac ſententia citat Felinum, Decium, Ioan. Andream, Baldum, Clarum, & alios. Vide etiam Homobonum *de Exam.Eccl.p.*2.*tract.*11.*c.*4.*q.*4.*ſuppoſ.* 3. & Piaſetium *in praxi Epiſ.p.*2.*c.*4.*art.*3.*n.*13.

At ego amplector hanc ſententiam in caſibus, & cum limitationibus, quas adducit Campanili *in diuerſ.iur.rubr.* 4.*n.* 26. & nouiſſimè Barboſa *in ſuis collectan. tom.*2.*lib.*5. *tit.*39.*c.*35.*n.*5. *in fine.*

*Quid ſentiendum, ſi non in flagranti crimine, ſed noctu cum armis prohibitis, vel mutato habitu Clericus inuentus ſit?*

RESOLVT. XII.

NOn poſſe etiam in tali caſu Clericum comprehendi, putat Megala *in* 3.*p.lib.*3.*cap.*11.*n.*7. Et ratio eſt validiſſima: quia in Bulla Cœnæ excommunicantur Magiſtratus, & quomodolibet ſe interponentes circa capturam Clericorum, niſi hoc faciant cum expreſſa licentia Sedis apoſtolicæ: & cùm natura exceptionis ſit firmare regulam in omnibus aliis caſibus non exceptis: ergo capientes Clericos ſine tali expreſſa licentia, ſupradicta cenſura inuoluuntur. Et dictam licentiam accedere dicas, quando fit cum licentia proprij Prælati, vt idem Megala docet.

Sed his non obſtantibus, multi Doctores contrariam ſententiam probant, vt Bellettus *in diſquiſ.cler.p.*1.*tit.*2. §.2.*num.*37. *& tit.*3.§.11 *num.*1. Genuenſis *in praxi,c.*27. *num.*8. Bobadilla *in polit.lib.*2.*c.*18.*n.*50. Et ex Theologis docet hoc etiam Souſa *in Bulla Cœn. c.*16.*diſp.*82.*n.*9. vbi ſic ait: [Non condemnarem comprehendentem Eccleſiaſticum noctu cum armis prohibitis, & præſertim mutato habitu; eò quòd Iudex in tali caſu vtilitati, ac tranquillitati Reipublicæ conſulit: plus enim poteſt Reſpublica, quàm quælibet particularis perſona: cùm ergo particularis perſona poſſit in flagranti delicto defendere innocentem, poteſt illud idem & Reſpublica, etiam præuidendo, & anticipando tumultus, & occaſiones, quibus ipſa perturbari poteſt. ] Ita Souſa, & ex eademmet Dominicanorum familia Pater Ioan. de la Cruz *in direct. conſcient.p.*1. *præcept.*8.*q.*3.*art.*1.*dub,*3.*concl.*3. vbi ſic aſſerit: [Iudex ſæcularis iure defenſionis ſuæ, aut alterius innocentis, licitè comprehendit Clericum, non ſolùm in actuali aggreſſione, & crimine patrando, præueniendo illud; ſed etiam in crimine patrato, ne fugiat, vt præſentetur ſuo Superiori; dum non excedat in hoc, impingendo pugnum nolenti ſe capi, & duci quietè, aut offerenti fideiuſſionem præſentandi ſe ſuo Prælato, niſi immanitas delicti, aut alia iuſta cauſa petat illum debere capi. ] Sic ille. Idem etiam docet Bannez *in* 2.2.*q.*67.*art.*1.*dub.*2.*concl.*5. & Lorca *in p.*2.*tom.*2.*tr. de legib.diſp.*25.*membr.*4. Aduerte tamen cum Megala, *vbi ſup.num.* 10. qui tandem probabilem vocat ſententiam huius, & ſuperioris reſolutionis, non poſſe Iudices laïcos detinere Clericum in ſuis carceribus vltra ſpatium viginti horarum.

At his non obſtantibus, Campanili *in diuerſ.iur. rubr.* 4.*num.*27. non admittit hoc ſpatium viginti horarum; ſed putat, ſtatim Clericum recto tramite ad Iudicem eccleſiaſticum deducendum eſſe. Et fuſiùs probat hanc ſententiam nouiſſimè Barboſa *in ſuis collect. tom.*1. *lib.*3.*tit.* 1.*c.*2.*n.*7. vbi docet, Iudicem laïcum in excommunicationem incurrere, ſi, cùm poſſit, in continenti non tradat Clericum Iudici eccleſiaſtico.

*An Miniſtri Regij poßint detinere in Cancellariis Bullas apoſtolicas, ad examinandum, & executioni mandandum?*

RESOLVT. XIII.

AFfirmatiuè reſpondent Iuriſconſulti, & præcipuè Ceuallos *in tract. de cognitione per viam violentiæ, in Prolog. num.* 157 *gloſſa* 6.*n.*6. *& Gloſſa* 7.*num.*33. Ioan. de Heuia *in Curia Philippica, p.*1.§.5.*num.*5. Seſſe *de inhibitionibus iuſt. Arag.c.*8.§.3.*n.*83. & 88. Cenedus *in quæſt.canonicis, quæſt.*45.*num.*21. *& ſeq.* Flores de Mena, Couarr. & alij: & ex Theologis hanc ſententiam videtur approbare Malderus, Epiſcopus Antuerpienſis, *in* 2.2. *q.*5.*art.* 10. *dub.* 8. *in fine*, vbi ſic ait: [ Non videtur improbabile, quod Couarruuias *pract. qq.cap.*35. accuratè tradidit, ex Papæ conſenſu, præſcriptione, vſu immemorabili, & euidenti ſpiritualis regiminis vtilitate, Tribunalia regia in quibuſdam regnis ritè ita practicare; vt ſine ſua permiſſione, & conſenſu nequeant quædam apoſtolica mandata executioni mandari. ] Ita ille. Sed hæc magis abſolutè docuit Rodriquez *in Addit. ad* §.9.*Bull.Cruciatæ, fol. mihi* 159. ſic aſſerens: ] Duda ſe mas, ſi los Reys, Princepes, y Oydores de los Conſejos Reales, deteniendo las letras apoſtolicas, quedan deſcomulgados por la Bula de la Cena: y reſpondo que no, porque el Iuez eccleſiaſtico no los tiene por deſcomulgados, ni ſu Santitad, haziendo lo que hazen de ordinario, los declara por tales, ni el pueblo Chriſtiano los euita. ] Hieronymus Llamas *in inſtruct. Confeſſ.p.*1.*cap.*7.§. 19. ſic ait: [ Eſt aduertendum, quòd ab immemorabili Reges Hiſpaniæ examinant literas apoſtolicas, ſic gratiæ, ſicut iuſtitiæ, cum omni reuerentia, & ſubiectione, ſolùm ne doloſæ, ſuſpectæve ſint, vel furtiuæ, & ſubreptitiæ: & hoc credit in obſequium apoſtolicæ Sedis: & ſi ij limites non exceduntur, hoc non damnant Summi Pontifices, neque cenſuris vetant; ſecùs ſi malitioſè, & cauteloſè id fiat, in fauorem vnius, & damnum alterius. ] Et ex Iacobo de Graffiis *in deciſ. p.* 1. *lib.*4.*cap.*10.*n.*120. videntur adeſſe concordata inter Pontificem, & Regem noſtrum ſuper hoc: nam ita loquitur: [Conſideratis, viſiſque literis de hac re à Papa Regi Philippo miſſis, & è contra, cenſeo non eſſe condemnandos, nec incurrere excommunicationem regios Magiſtratus, expedientes Regium Exequatur, & illud impetrantes, donec aliter à Sede apoſtolica deciſum fuerit. Caueant autem miniſtri Regis, cuius mens ſanctiſſima eſt, in non inferendo præiudicium ſanctæ Sedi apoſtolicæ; neque diuexent negotiatores in non expediendo Regium Exequatur. ] Ita Graffius. Vide etiam Henriquez *lib.*14. *c.*12.*n.*6.*in Gloſſa, lit. Q.* & Ioan. de la Cruz *de ſtatu Relig. lib.* 1. *c.*6.*art.*2. *dub.*2.*concl.* 1.

Sed his non obſtantibus, communiter Theologi docent, nullo modo ſuſtineri poſſe vſum retinendi, & examinandi literas apoſtolicas per laïcam poteſtatem: vnde, quia Zerola *in praxi,p.*1. *ver. literæ apoſtolicæ*, affirmatiuam ſententiam docebat in editione facta Lugduni; ex permiſſione Magiſtri Sacri Palatij, in loco citato fuerunt appoſita in margine hæc verba: *Cautè lege: nam ſunt hæc contra authoritatem apoſtolicam, & iuriſdictionem eccleſiaſticam.* Et ideò hanc ſecundam opinionem mordicùs tenet Filliucius *tom.* 1.*tract.*16.*c.*7.*num.*129.*& ſeq.* Reginald.



Reginald.*tom.*1.*lib.*9.*cap.*22.*n.*338. Azor.*part.*1.*lib.*5.*c.*14. *q.*4. Altherius *de cenſuris, tom.*1.*diſp.*15.*cap.*2.*fol.mihi* 664. *col.*2. Bonacina *de leg.diſp.*2.*q.*20.*punct.*1.§.1.*num.*15. Peſantius *tract.de immunit.Eccl.diſp.*17. *num.*3. Duardus *in Bulla Cœnæ, lib.*2. *c.*13.*q.*5. Acoſta *in Expoſ.Bull. Cruciat. q.*96.*per totam.* Souſa *in Expoſ. Bull.Cœn. c.*13. *diſput.*76. *concl.*1.*num.*2.4. *&* 9. & alij. Et probatur ex verbis Bullæ, ibi: *Capi, & retineri faciunt.* Et ibi: *Qui impediunt, & prohibent ſimpliciter, vel ſine eorum beneplacito, & conſenſu, vel examinari, executioni mandari.* Non tamen negant hi Doctores, litteras apoſtolicas recognoſci quidem poſſe, & diſcuti, cùm dubitatur de earum ſubreptione, aut falſitate; ſed hoc ad eccleſiaſticum Iudicem pertinet, & non ad ſæcularem. Hæc igitur cauſa diſcuti debet apud Epiſcopos, Archiepiſcopos, & Nuncios apoſtolicos, qui ad Prouincias, & Regna mittuntur; & non apud profanos Magiſtratus, qui iuris, & poteſtatis eccleſiaſticæ incapaces ſunt. Sed circa præſentem quæſtionem, vide omninò Acoſta, *vbi ſuprà.*

*An Miniſtri Regij poßint cognoſcere cauſas eccleſiaſticas per viam violentiæ, vt vulgò dicitur?*

RESOLVT. XIV.

AFfirmatiuè reſpondent Iuriſperiti: & ita docet Salgado *in tract.de protect.regia, tom.*1. *part.*1. *cap.*1. *& ſeq.* Pereira *tract.de manu regia, part.*1.*c.*4. *& q.*7. Ceuallos *in tract. ſuper hac materia edito, & præcipuè in gloſſ.* 6. *n.*56. vbi tenet, hanc cognitionem non fundari in priuilegio Pontificis, neque in eius tolerantia; ſed in iure regali, cuius officium eſt vim tollere. Idem etiam docet Segura *in director.Iudic.eccleſ.part.*2.*c.*13.*n.*51. *&* 53. Caliſtus *in tract.de lege regia,* §.20. *n.*83. Auendañus *in cap. prætorum part.*1.*c.*1. *num.*13. Azeuedus *tom.*1. *lib.*1.*l.*2.*tit.*6. *Recop.* Seſſe *de inhibit.iuſt. Arag.cap.*8.§.3.*& part.*2.*deciſ. Epiſt. ad Regem.* Cenedus *in qq. canonicis, quæſt.* 43. *per totam.* Bobadilla *in Polit. tom.*1. *lib.* 2. *cap.*18. *num.*139. Ioan de Heuia *in Curia Philippica, part.*1.§.5.*num.*34. Graſſ. *de eff. Cler.eff.*1. *num.*300. *&* alij.

Neque talem vſum & cognitionem audent improbare doctiſſimi Theologi, vt Rodriquez *in ſumma tom.*1. *cap.*155.*num.*8. Ioan. Valerus *in differentiis vtriuſque fori verb.peccatum, differ.*3.*n.*2. Ioan. de la Cruz *in Direct.conſcient.part.*1. *præcep.*8.*q.*3.*art.*1.*dub.*3.*concluſ.*3.*& de ſtatu Relig.lib.*1.*c.*6.*art.*2.*dub.*2.*concl.*1. Hieronymus Llamas *in Inſtruct.Confeſſ.part.*1.*cap.*7. §.19. Henriquez *lib.*14.*c.*12. *num.*6.*& lib.*3.*cap.*16.*num.*4. *in Gloſſ.litt. A*, & nouiſſimè Anguiano *tract.de legib.tom.*1.*lib.*2.*contr.*17.*num.*95. cum aliis. Et adducunt pro hac firmanda ſententia *cap. Regum* 23. *quæſt.*5. vbi habetur, quòd regium eſt, per vim oppreſſos à manibus violentorum, & calumniantium liberare, ac iniurias repellere. & *cap. filiis, vel nepotibus.*17. *quæſt.*7. Iudices verò hanc vim repellentes, aſſerunt, id non efficere per viam iuriſdictionis, ſed per viam iuſtæ defenſionis.

Sed hanc opinionem exploſam eſſe video communiter à Theologis; & ideò illam reprobant Suarez *contra Regem Angliæ, lib.*4.*cap.*34. *num.*30. Layman *in Theol.moral. lib.*4.*tract.*9.*c.*4. *num.*4. Azorius *part.*1. *lib.*5. *c.*12. *&* 14. Reginaldus *tom.*1.*lib.*9.*cap.*22.*num.*341. Duardus *in Bull. Cœn.lib.*2. *canon.*14. *quæſt.*9. Bonacina *de legib. diſ.*10.*q.*2. *punct.*1.§.1.*n.*10. Altherius *de cenſuris, tom.*1.*diſp.*15.*lib.*5. *cap.*3. *fol. mihi* 669.*col.*2. Filliucius *tom.*1. *tract.* 16. *cap.*8. *&* 10. Ioan. de Malderiaga *tract.de Senat.c.*39. Sayrus *de cenſuris, lib.*3.*cap.*18.*num.*6. Coriolanus *in Bulla Cœnæ, excommunic.* 14. *fol. mihi* 927. Idem etiam docet nouiſſimè ex Hiſpanis Iuriſconſultis doctus Barboſ. *in collect. lib.*1. *decret.tit.*2.*c. Eccleſia S. Mariæ, de conſtitut, num.*1. & alij. Et ratio eſt: quia Clericus coram Epiſcopo, & Epiſcopus coram Archiepiſcopo conueniri debet, *ex cap. ſacro. de ſent. excommunic. &c. ad reprimendum, de officio Ordin.* Archiepiſcopus conuenitur coram Primate *ex cap. antiqua, de priuileg.* Primas coram Romano Pontifice, vel coram Legato Summi Pontificis ad eam Prouinciam miſſo. Et ideò oppreſſus à Prælato inferiore poteſt recurrere ad ſuperiorem, non verò adire laïcale Tribunal; maximè, quia Canones interdicunt ab eccleſiaſticis Iudicibus ad laïcos appellari, vt habetur *in cap.qualiter, & quando. de iudiciis, & cap. ſi quis Clericum. & cap. Clericum* 11. *q.*1. Cæteras rationes videbis apud citatos Doctores.

Sed ego in controuerſia tam graui puto non eſſe recedendum ab hac ſententia Theologorum, quamuis non videatur ſpernenda aliquorum obſeruatio, qui putant, tunc aliquem, cui violentia infertur, poſſe adire Iudicem laïcum, quando ad talem vim reprimendam, Iudex eccleſiaſticus non adeſſet; ſeu, ſi adeſſet, nollet reprimere. Et ita docent, non ſolùm Iuriſconſulti, ſed etiam doctiſſimi Theologi, & in primis Epiſcopus Antuerpienſis, Ioannes Malderus *in part.*2. *quæſt.*96. *art.*4. *fol. mihi* 407. qui etiam addit, poſſe in tali caſu Iudicem laïcum inſpicere Acta ad eum finem, vt conſtet de iniuria facta in negatione appellationis: quia, qui poteſt defendere, poteſt etiam illa, ſine quibus defenſio fieri non poteſt. Adde, quòd inſpectio Actorum per ſe non eſt actus iuriſdictionis: nam arbitrantes ea inſpicere poſſunt. Et ita hanc ſententiam docet etiam Portell. *in addit. ad dubia regal. in fine Operis, verb. appellare. num.* 3. vbi ſic aſſerit: [Religioſus, ſi per appellationem, vel alia intra ordinem, poteſt vitare vim ſibi iniuſtè illatam, incurret cenſuras, ſi ad Iudices ſæculares recurrat. Si verò neque ſit locus appellationi, vel illa non recipiatur, & Superior, ad quem poſſet recurrere, longè diſtat, ita vt non poſſit illum adire inſtante grauamine, vel etiam cœpto, & ſic iniuſtè illato, arbitrio boni viri; tunc credo, poſſe Religioſum: vel Clericum recurrere ad Principem ſæcularem, qualis eſt Rex, non tanquam appellantem ad Iudicem competentem; ſed ſolùm, vt ſibi ſuccurrat in illo grauamine iniuſto, tollendo vim ſibi factam modo, quo licitè poteſt; imperando, ſcilicet, vel ſuadendo Prælato, vt, vel abſtineat à vi iniuſta, vel det locum appellationi, vel Iudices nouos aſſignet. Et per hoc Religioſus recurrens ad Principem ſæcularem cum prædictis circunſtanciis, nullam cenſuram Bullæ Cœnæ, vel alterius Bullæ incurret.] Ita Portel. cuius ſententiam ſequutus eſt etiam doctus Souſa ex Dominicanorum familia *in Bull. Cœnæ, c.*15. *diſp.*78.*n.*1. *& ſeq.* vbi probat, non poſſe Iudices laïcos vim auferre, niſi priùs eccleſiaſtici Iudices ſuperiores ad eos, qui violentiam inferunt, ſuccurrere requiſiti nolint; quando tamen omni medio ordinario præmiſſo, non eſt alia via repellendi vim à Iudice eccleſiaſtico factam, vel quando periculum eſt in mora, licitum eſt Iudici ſæculari cauſſam eccleſiaſticam ad ſe aduocare, & violentiam auferre.

Ex quibus apparet, vix, aut nunquam, moraliter occurrere caſum iuſtæ defenſionis in hac materia pro Iudice laïco, vt rectè notauerunt Azorius, Bonacina, & alij. Et multò minùs, tam facilè occurrere, vt quidam Iuriſconſulti volunt. Deinde apparet, non rectè dici in hac materia ab aliquibus Iuriſconſultis, quòd etiam tunc, quando adiri poteſt per eum, qui ſe grauatum exiſtimat à Iudice eccleſiaſtico, alius Iudex eccleſiaſticus ſuperior; poſſit nihilominùs authoritatem ſuam interponere Iudex laïcus, quaſi in caſu iſto adhuc locus ſit præuentioni. Reſtat modò reſpondere ad Canones, quos pro prima ſententia afferebant Iuriſconſulti; & hoc in ſequenti reſolutione faciemus.

*Quomodo ſit explicandus textus* in cap. filiis, vel nepotibus, 17. quæſt, 7.

RESOLVT. XV.

EX intelligentia iſtius Canonis pendet reſolutio quæſtionum circa libertatem eccleſiaſticam; & contra illam

illam, aliqui Iuriſconſulti iſtum Canonem audacter, & temerariè adducunt, interpretantes, & putantes, per iſtum textum negligentiam Epiſcopi, ſeu alterius Prælati eccleſiaſtici, ſuppleri poſſe per Iudicem ſæcularem, vt malè ſentit Olibanus *de iure fiſci, cap. 13. num. 31.* cum Gloſſa, & aliis.

Ideò dictum *cap. filiis, vel nepotibus* reſpondeo intelligendum eſſe in caſibus, in quibus iuriſpatronatus collatio, atque inſtitutio ex priuilegio Summi Pontificis ſpectat ad Regem: & ſecundùm iſtum intellectum, qui congruentiùs videtur aptari poſſe illi literæ, primò adeundus eſſet Epiſcopus, deinde Rex in ſubſidium. Extra hunc intellectum, credo nullo modo adeundum eſſe Regem, cùm non liceat apponere manus in meſſem alienam, & prætextu boni turbare iuriſdictionem eccleſiaſticam, & ſic incidere in excommunicationem. Ita Martha *de iuriſdiction. part. 4. centur. 2. caſu 43. num. 4.* & Duardus *in Bulla Cœnæ, lib. 4. conſ. 14. quæſt. 8. num. 8.* qui adducit alias duas interpretationes, nempe, ex vigore dicti Capituli, tunc eſſe recurrendum ad Regem, pro reparatione Eccleſiæ iuriſpatronatus, cum per eccleſiaſticum Iudicem ipſius Rector cogi non poteſt, *vt in cap. petimus. 11. quæſt. 1. & cap. non licuit diſtinct. 17.* vel cùm Iudex eccleſiaſticus deeſt; ne propter diſtantiam ab vrbe Roma, Eccleſia ruat; pendente prouiſione facienda per Romanum Pontificem.

Vel ſecundò reſpondetur, ſupradictum capitulum non eſſe intelligendum, quòd in defectu Eccleſiaſticorum, Princeps ſæcularis poſſit cauſſas eccleſiaſticas ad ſe aduocare: ſed, vt moneat Superiorem eccleſiaſticum de neglecta, vel iniquè adminiſtrata iuſtitia, vel vt faciat inſtantiam alteri Superiori, pro illius correctione. Ita Chriſtophorus de Anguiano *in tract. de legib. to. 1. lib. 2. contr. 17. num. 93.* Peſantius *tract. de immunit. Eccleſ. diſp. 2. num. 1.* Altherius *de cenſuris, tom. 1. diſp. 16. lib. 5. c. 2. fol. mihi 686. col. 2.* qui citat Butrium, Abbatem, & Imolam; & Doctores infrà citandi.

Tertiò reſpondetur, & hæc eſt vera reſponſio, hoc ius fuiſſe ſublatum, & abrogatum ab Innocentio III. *in cap. qualiter & quando. de iudiciis.* Et ita docet Coriolanus *in Bulla Cœn. excommun. 14. fol. 926.* Filliucius *tom. 1. tract. 16. cap. 10. n. 263.* Bonacina *de legib. diſp. 10. qu. 2. punct. 1. §. 1. n. 12.* Salas *de legib. q. 96. tract. 14. diſp. 14. tract. 19. n. 109.* Peſantius *de immunit. Eccleſ. diſp. 16.* Azorius *part. 1. lib. 5. c. 14. q. 2. ad finem.* Duardus *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 14. q. 8. num. 8.* Gloſſa, Ioan. Andreas, Abbas, & alij penes ipſos. Et per dictum *cap. qualiter, & quando.* etiam dicendum eſt cum Duardo, fuiſſe correctum, & ſublatum *c. ſi quis cum clerico. & §. ſi quis autem pecuniaria.*

*An Iudex laïcus, ſiue eius miniſter inueniens Eccleſiaſticos, exportantes pecuniam, frumentum, & equos &c. à regno, contra legem, poſſit talia auferre, ſine fractione libertatis eccleſiaſticæ, & timore excommunicationis?*

RESOLVT. XVI.

POſſe in tali caſu laïcos miniſtros illas res auferre, docet Ioan. de Heuia *in curia Philippica, part. 3. §. 3. n. 11.* Bobadilla *in Polit. tom. 1. lib. 2. c. 18. n. 117.* vbi ſic ait: [Si algunos Prelados, o Clerigos ſacaſſen deſtos Reynos moneda; podran los corrigedores tomarſela, y por la miſma razon otras qualeſquier coſas vedadas, aſſi por leys como por ordenençàs, como ſeria tambien el pan, ò vino, ò otras virtuallas, que ſacan fuera de la iuriſdicion, que ſe perden ipſo facto, y caen en comiſſo bien aſſi como à los Clerigos ſe les toman, y quitan las armas por la paz, y quietud comun, aſſi tambien eſtas coſas que ſon vedadas por il bien vniuerſal de Clerigos, y legos.] Ita Bobadill. Sed contra illum meritò inſurgit noſter Megala *in 3. part. lib. 3. cap. 11. num. 36.* Et ratio eſt: quia Clerici non poſſunt comprehendi ſub tali ſtatuto, & ordinatione, vt communiter docent Doctores, & præſertim Altherius *de cenſuris, tom. 1. diſp. 16. lib. 5. in fin.* Bartholomæus à S. Fauſto *in ſpeculo Confeſſ. diſp. 33. q. 20.* Valerus *in differentiis vtriuſque fori, verſ. Clericus, differ. 3. n. 4.* & Azorius *part. 3. lib. 5. c. 19. qu. 13.* Nec valet dicere cum Bobadilla, hoc ſtatutum reſpicere bonum commune, tam laïcorum, quàm Clericorum: nam reſpondetur cum Azorio, quòd, licèt reſpiciat bonum commune; non tamen ex æquo reſpicit Clericos, & laïcos: & ideò exempti ſunt Clerici, nec ſub tali ſtatuto poſſunt comprehendi. Ad caſum verò ſimilem, quem adducit de ſpoliatione armorum, reſpondeo, illam ſententiam communiter non eſſe receptam. Adde, quòd eſt diſpar ratio inter vtrunque caſum: nam in caſu armorum probabiliter timetur damnum tertij, & perturbatio reipublicæ; & ita per modum defenſionis, & non punitionis à Iudice laïco auferuntur: in hoc verò caſu non timetur damnum innocentis; ſed ſolùm ſequitur bonum commune, ad quod, vt dictum eſt, Clerici non tenentur. Ergo, &c.

Deinde, vt *ſuprà* obſeruatum eſt ex Vaſquez *in part. 2. tom. 2. diſp. 167. c. 4.* & Salas *de legib. diſp. 14. ſect. 10. n. 112.* Clericos, etiam à Iudicibus eccleſiaſticis non eſſe puniendos pœna legibus ciuilibus conſtituta, etiamſi cum eorum ſtatu non pugnet: nam lex ciuilis pœnam ordinariam aſſignans, non potuit Clericos ad eam obligare: non enim habent laïci poteſtatem, ſaltem coërcitiuam, & punitiuam, in ordine ad Clericos: & licèt Clerici teneantur vi directiua obedire ſtatutis Principum iuſtis, & in bonum commune ordinatis; non tamen poſſunt puniri ex tranſgreſſione à Iudice laïco, neque ad pœnam vllam ex vi talium ſtatutorum tenentur. Ergo, &c.

*An Legatus natus poſſit exercere iuriſdictionem in Regulares exemptos?*

RESOLVT. XVII.

REſpondeo negatiuè: nam Legatus à latere poteſt talem iuriſdictionem exercere in exemptos. Et ita docet Gloſſ. *in c. 1. de off. Legati, in verb. vniuerſos.* & ibi noſter Abbas, Panormitanus *num. 8.* qui hanc ſententiam probat *ex cap. ſi Abbatem. de elect. in 6. & ex cap. 1. de verb. ſignificat.* Et ita docet etiam Villadiego *in tract. de legato, q. 8. num. 20.* & ex neotericis tenet etiam hanc ſententiam Eraſmus de Cochier. *in tractat. de iuriſdict. in exemptos, part. 2. qu. 2. per totam, & q. 50. num. 6. & part. 4. q. 26. num. 2.* cum aliis. Quinam verò ſint Legati nati, vide Henriquez *lib. 10. cap. 28. num. 3.* Gambacurtam *de immunit. Eccleſ. lib. 10. cap. 8. num. 19.* & alios.

*Vtrùm Epiſcopi, & Eccleſiaſtici, tanquam inobedientes mandatis Regis, vel ex aliis delictis, poſſint expelli à regno?*

RESOLVT. XVIII.

AFfirmatiuè reſpondet Bobadilla *in polit. tom. 1. lib. 2. cap. 10. num. 66.* vbi ſic ait: [Es de aduertir, que eſta obediencia a los Reales mandados liga, y comprende tambien alos Obiſpos, y Prelados, y otras perſonas eccleſiaſticas, quando ſe les manda comparecer, ò otras coſas permetidas por cuya contumacia, y tranſgreſſion pueden los dichos Eccleſiaſticos ſer achados de los Reynos.] Idem docuit Calliſtus Remirez *in tract. de lege regia, §. 27. n. 12.* Ioan. de Heuia *in Curia Philippica, part. 1. §. 5. num. 35* Pereira *de manu regia, cap. 12. n. 12.* Humada *in leg. 65. tit. 5 part. 1. in Gloſſa 8. fol. mihi 17. col. 4.* Ceuallos *tract. de cognit. per viam violentia, Gloſſa 6. num. 65.* Azeuedus *tom. 2. lib. 4. titul. 1. leg. 4. num. 12.* Cenedo *in quæſtionibus canonicis, quæſt. 45. num. 24.* & alios penes ipſos, & Bobadillam, *vbi ſuprà cap. 18. num. 62.*

Sed hanc ſententiam, & meritò reprobat ex Iuriſconſultis



ſultis Hiſpanis vir doctus, & pius Valenzuola *in defenſ. monitor. Pauli V. part. 4. n. 101.* & ſemper mihi ſummoperè diſplicuit: nam concedo ſupradictis Doctoribus, Eccleſiaſticos eſſe aſtrictos obedire mandatis Principum ſæcularium, & ſeruare eorum leges; quoniam partes ſunt reipublicæ, eundémque communem Regem habent; ſed vi directiua, ita vt non obediendo poſſint Principes illos punire. Ita Molina *tom. 1. tract. 2. diſp. 3. concl. 6.* Becanus *in ſumm. Theolog. part. 2. tract. 3. c. 1. ſect. 11. n. 11.* Vaſquez *in p. 2. tom. 2. diſp. 167. toto c. 4.* præter illos, quos citat, & ſequitur Bonacina *tract. de legib. diſp. 1. q. 1. punct. 6. n. 29.* & alij communiter.

Nec valet dicere cum Olibano *de iure fiſci, cap. 9. n. 28.* Bobadilla, Ceuallos, Cenedo, & aliis, hoc eſſe verum, ſi Principes expellerent Eccleſiaſticos à ſuis regnis per viam iuriſdictionis contentioſæ, & iudicialis; ſed ipſi hoc faciunt per viam iuriſdictionis œconomicæ, & politicæ, ſicut paterfamiliâs poteſt expellere, & de facto expellit famulum Clericum inobedientem, ſeu domum perturbantem. Reſpondeo, hanc diſtinctionem eſſe chimericam in caſu noſtro, & exemplum, quod adducunt, non facit ad rem. Nam pater familiâs ipſe conſtituit famulum Clericum ad ſeruiendum domui ſuæ; & ideò poteſt ad placitum ſuum, illum non ſolùm inobedientem, & domum perturbantem; ſed etiam obedientem, & pacificum expellere: neque illi facit iniuriam, cùm talis Clericus non habeat vllum ius commorandi in domo ſua. Sed Clerici, Prælati, & Epiſcopi à Summo Pontifice conſtituuntur in regnis ad ſeruitium, & regimen Eccleſiarum: vnde, ſi in aliqua re delinquunt, non poſſunt illos Principes ſæculares expellere; quia habent ius commorandi in eorum regnis, non ſolùm vt ciues; ſed vt perſonæ conſtitutæ à Summo Pontifice ad ſeruitium, & gubernationem dictarum Eccleſiarum, ad quem ſpectat de omni iure illos, ſi in aliquo deliquerint, punire: & hac de cauſa dixit Bellettus *in diſquiſ. cler. tit. de fauore Clericorum perſonali, §. 5. n. 3. p. 1.* non poſſe Principem expellere Clericum, ſi aliquam Eccleſiam obtinuit à Papa in ipſius dominio, niſi de licentia ipſius Papæ. Et hæc opinio iam eſt determinata in Bulla Cœnæ.

Vnde Principes expellentes Epiſcopos à ſuis Diœceſibus, & Conſiliarij id conſulentes incurrunt in excommunicationem vndecimam ſupradictæ Bullæ, vt communiter obſeruant Theologi, & præſertim ex noſtra Religione Megala *in 3. p. lib. 3. c. 11. n. 4. q. 1.* Duardus *in Bulla Cœnæ, lib. 3. canon. 11. q. 9.* ex Societate IESV Scortia *in Bull. Pon. Epit. c. 66. theor. 420.* Filliuc. *tom. 1. tract. 16. c. 9. n. 247.* Suarez *de cenſuris, diſp. 21. ſect. 2. n. 70.* Reginald. *in praxi, tom. 1. lib. 9. c. 20. n. 313.* Henriquez *lib. 14. c. 12. n. 6. & in Gloſſa littera V:* Ex Dominicanorum familia doctiſſimus Souſa *in Bulla Cœnæ, c. 12. in notat. ad text. n. 3. & diſp. 67.* Idem docet Altherius *de cenſuris, tom. 1. diſp. 12. lib. 5. c. 4. §. quod verum eſt.* Gambacurta *tract. de caſ. reſeru. c. 11. n. 4.* Sayrus *de cenſuris, lib. 3. c. 15. n. 8.* Bellettus *in diſquiſ. cler. p. 1. tit. 3. §. 2. n. 26.* Coriolanus *in Bulla Cœnæ, excomm. 11.* & ante illos Nauarrus *in Manuali, c. 27. n. 67.* quem poſteà ſequutus eſt pius, & doctus Iuriſconſultus Martha *de iuriſd. p. 2. c. 34. n. 24.* quicquid nimis audacter ſentiat Pereira *vbi ſuprà*, & Salzedus *in Addit. ad pract. crimin.* Diaz *c. 102.* ita vt ex ipſis Iuriſconſultis Hiſpanis non audeat talem ſententiam conſulere Ioſeph Seſſe *de inhibitionibus, c. 8. §. 3. n. 103. & 104.* & periculoſam vocat Ioan. de Heuia *in Curia Philippica, p. 3. §. 3. n. 30.*

Nec valet dicere: Ergo Principes debent impunè in regnis ſuis relinquere Epiſcopos, & Clericos ſeditioſos, & perturbantes pacem, & rempublicam: nam reſpondeo, quòd in ſimilibus caſibus Epiſcopi, & Clerici poſſunt à Summo Pontifice, & à ſuis Iudicibus reprimi, ac puniri, id iuſtè poſcentes Principes ad bonum publicum; quòd ſi tanta adeſſet neceſſitas, quòd clarè, & euidenter periculum eſſet in mora; tunc, vt notat Molina *tom. 1. tract. 2. diſp. 31. concl. 4.* Salas *de legib. tract. 14. diſp. 14. ſect. 9. n. 111.* Tanner. *in 2. 2. diſp. 4. quæſt. 4. dub. 1. num. 30.* aduersùs Clericos, & Epiſcopos per modum iuſtæ defenſionis, liceret Principi ſæculari facere id, quod recta ratio ad impediendum damnum reipublicæ imminens, neceſſarium eſſe dictauerit. Et ideò Ceuallos mutans ſententiam *vbi ſuprà tract. de cognit. per viam viol. part. 2. q. 77. n. 9.* & Vgolin. *in Bulla Cœnæ, c. 11. part. 2. verſ. aut eos §. 1. n. 3. in fin.* docuit, tunc Principes ſæculares poſſe Epiſcopos expellere à regno, & ſuis Diœceſibus, ſine timore excommunicationis, quando id faciunt de licentia Romani Pontificis, vel quando graue ſcandalum, & periculum reipublicæ timetur: quod vt moraliter contingat, vix credi poteſt, & Romanus Pontifex conſuli non poteſt: quod etiam loquens de Clerico docuit Salſedo *in pract.* Bernardi Diaz *cap. 141. lit. B.* Et ratio eſt: quia, quando non adeſt periculum in mora, non habet locum modus iuſtæ defenſionis: nam conditio neceſſaria ad iuſtam defenſionem eſt, vt efficiatur cum moderamine inculpatæ tutelæ: ſed quando princeps poteſt à Summo Pontifice, vel Prælato eccleſiaſtico defenſionem poſtulare, non inculpatè ſe defendit: ergo, &c. Vide Suarez *contra Regem Angliæ, lib. 4. cap. 34.* & alios.

*An Princeps ſæcularis poſſit punire Clericum delinquentem, ratione officij, ſibi ab ipſomet Principe conceſſo.*

RESOLVT. XIX.

AFfirmatiuam ſententiam docet Borrell. *de præſt. Reg. cath. c. 71. n. 34.* Anguiano *de legib. lib. 2. contr. 21. n. 58. & 59.* Suarez *contra Regem Angliæ, lib. 4. c. 34. n. 26.* Layman. *in Theol. mor. lib. 4. tr. 9. c. 4. n. 3.* Cenedo *in collect. iur. can. p. 1. collect. 37. n. 16.* qui citat Doctores. Idem docet Bobadilla *in polit. tom. 1. lib. 2. c. 18. n. 99.* & Ceuallos *tract. de cognit. per viam violentiæ, part. 2. q. 65. n. 14.* vbi ſic aſſerit: [Quando algun Eccleſiaſtico delinque en el oficio, que tomò come ſi es Medico, Boticario, ò Abogado, ò tutor, ò curador de alcun menor, ò tiene oficio de ſu Mageſtad Præſidente de hazienda, ò Conſejero, y delinque en el, ò vende el Clerigo con medidas falſas ſu mercaduria, y en otros caſos ſemejantes, porque entonces, ratione oficij poteſt puniri in bonis, & Iudex ſæcularis eſt competens]. Ita Ceuallos, qui citat multos alios.

Sed contrarium aſſerendum eſt: & ita docent communiter Theologi, vt Megala *in 3 part. lib. 3. c. 11. n. 26. & 36.* Bonac. *de legib. diſp. 10. q. 2. punct. 1. §. 1. n. 24.* Ambroſin. *de immunit. Eccleſ. c. 20. n. 54.* Duardus *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 15. qu. 21. n. 273.* vbi ſic ait: [Clericus trahi non poteſt ad forum ſæculare etiam ratione officij ſibi conceſſi à Principe ſæculari, ſi in eo delinquat, nec etiam ratione cuiuſcunque artificij, ſi quam artem exerceat, quæ Conſules habeat, ac Primates, apud quos illius artificij iuriſdictio reſideat.] Ita ille. Et hanc ſententiam docet etiam Eraſmus Cochier *de iuriſd. tom. 2. p. 3. q. vlt. n. 1. & 2.* Zanardus *in direct. Confeſſ. tom. 3. cap. 50. fol. 285. in fin.* D. Carolus de Graſſis *de eff. Cler. eff. 1. n. 82.* aſſerens, in hoc regno ita fuiſſe obſeruatum in cauſa cuiuſdam Equitis Hieroſolymitani, qui officium Capitaneatus exercuit in Ciuitate Calatagironis, & alia vice in Patrimonio.

Nec valet dicere, quòd non punitur in perſona, ſed in bonis: quia reſpondeo, quòd non ſolùm perſonæ Clericorum, ſed eorum bona ſunt exempta à iuriſdictione laïcali, & ideò idem Duardus *n. 31.* inuehitur in quoſdam Iudices, qui puniunt Clericos pœna pecuniaria, & pro pœna corporali eos ad Epiſcopos remittunt: quia dicta bona Clericorum ſequuntur priuilegium perſonæ, vt idem notauit *n. 52.* Genuenſis *in praxi, cap. 8. n. 5.* Souſa *in Bulla Cœnæ, c. 20. diſp. 95. n. 4.* & ideò Abbas *in cap. qualiter. de Iudiciis, num. 8.* ita aſſeruit: [Certum eſt, quòd ſi perſona exempta eſt; ergo etiam res.] Vnde noſtram ſententiam docet Iuriſconſultus Martha *de iuriſd. p. 4. cent. 2. caſ. 127. n. 5.*

*n.* 5. Vide etiam Riccium *in praxi tom.2.reſol.* 413.*num.*2. & Barboſam *in Collect. tom.*1.*lib.*3.*tit.*50.*c.*2.*n.*4. Franciſc. Marc. *part.* 3. *deciſ.*479. *num.*4.& 5. Caballum *reſol.crim. caſ.*64.& alios.

*An perſonæ eccleſiaſticæ, quæ commiſerunt crimen læſæ maieſtatis, per Principes, ſæculares, & eorum Iudices puniri poßint.*

RESOLVT. XX.

AFfirmatiuè videtur reſpondendum ex Conſtitutione Regni Neapolis de perſonis, qua cauetur, quòd ſi Clericus commiſerit aliquod delictum, debet iudicari, & condemnari per ſuum Epiſcopum, & non per Iudicem ſæcularem; excepto, ſi commiſerit crimen proditionis contra Regem: & ibi Gloſſa dicit, ſi eſſet crimen læſæ Majeſtatis. Deinde in multis partibus vi conſuetudinis vigentis Clerici rebelles à iudice ſæculari puniuntur. Et hanc opinionem docet etiam nouiſſimè Calliſtus Ramirez *in tract.de lege regia* §.27.*n.*11. qui in Gloſſa *litera D*, citat multos alios.

Sed hæc ſententia non poteſt ſuſtineri, & contrariam communiter docent Theologi, & Iuriſperiti, vt Vigianius *tr. de immun. Eccl.diſp.*2.*concl.*2. Bellettus *in diſquiſ. cler.p.*1.*tit.*3.§.1.*n.*4. vbi pro hac ſententia citat tredecim Doctores. Idem docet Peſantius *tract. de immunit. Eccleſ. diſp.*13. Zanardus *in direct.Confeſſ.tom.*3.*c.*50. Valenzuola *in defenſione cenſ. Pauli V. part.*4.*n.*70.& ita nouiſſimè anno 1600. vt notauit Genuenſis *in praxi, c.*72.*per totum*, in caſu quodam atrociſſimæ rebellionis cuiuſdam Religioſi, qui aliquas terras Regni Neapolitani in manus Turcarum tradere volebat, declarauit Clemens VIII. nam, cùm Fiſcus allegaret, pro tali delicto quendam Clericum Neapolitanum olim fuiſſe decapitatum, dictum fuit malè iudicatum. Et dicta cauſa fuit à dicto Summo Pontifice commiſſa Nuncio Neapolitano, dato adiuncto alio Conſiliario Clerico; tamen, vt in illo iudicio interueniret, tanquam delegatus à Sede apoſtolica. Et ideò aſſerit Genuenſis: [Hæc diſputatio in hoc Regno finem accepit, vt cognitio talis criminis pertineat ad Eccleſiaſticum, niſi cauſa delegetur à Summo Pontifice, quæ delegatio facta à Clemente VIII. demonſtrauit, apud Iudices laïcos, circa tale crimen, nullam extare iuriſdictionem.] Vnde cautè legendus eſt Ramirez *vbi ſuprà*.

Ad argumenta in contrarium reſpondeo, illam Conſtitutionem nullius fuiſſe roboris: quia Princeps laïcus nullā habet iuriſdictionem in Eccleſiaſticos; & ideò non poteſt condere legem, quòd Clerici committentes crimen læſæ maieſtatis iudicentur à Iudice laïco. Ad conſuetudinem verò allegatam reſpondeo, eſſe corruptelam, nec vis vlla præſcriptionis, & longæ conſuetudinis ius dare poteſt Iudici laïco: quia in laïcum poteſtas eccleſiaſtica cadere non poteſt, vt *ſuprà* probatum eſt. Ergo, &c. Sed circa præſentem quæſtionem vide etiam Cabed. *par.* 2.*deciſ.*83.

*An Iudex laïcus poßit citare Clericum creditorem, in confectione alicuius inuentarij?*

RESOLVT. XXI.

HIc caſus eſt practicabilis: quia in confectione inuentarij citandi ſunt omnes creditores, & legatarij, de quorum præiudicio agitur. Aliqui igitur reſpondent, poſſe Iudicem ſæcularem in tali facto, per edictum vel ſpecialiter citare Clericum creditorem, dum non expreſſè citetur ad comparendum, ſed cum illa conditione, & qualitate: *Si ſua putauerit intereſſe.* Et ratio eſt: nam talis citatio non eſt vera & ſimplex citatio; ſed potiùs monitio, vt compareat, ſi voluerit; quæ de iure non ſupponit iuriſdictionem, & ſuperioritatem; & ſic non arctat citatum ad neceſſariò comparendum. Et ita docent communiter Iuriſconſulti, quos citat, & ſequitur Ceuallos *tract. de cogit. per viam violentiæ, part.*2.*q.*78.*n.*3. *& ſeq.* Ioan. de Heuia *in curia Philippica, part.*1.§.5.*n.*31. Gironda *de gabellis, p.*4.§.1.*num.*18.& alij.

Sed contrariam ſententiam docet Duardus *in Bulla Cœnæ, lib.*2.*canon.*15.*q.*11.*n.*50. vbi ſic aſſerit: [Eccleſiaſtici non poſſunt trahi ad Curias ſæculares pro confectione inuentarij. Hinc hæres, cùm vult hæreditatem adire cum beneficio legis, & inuentarij, quanuis ſuper illius confectione citandi ſint omnes creditores, & legatarij; nihilominus, ſi Clerici ſunt, non poſſunt citari per Iudicem ſæcularem illius loci, vbi bona hæreditaria ſunt, vel vbi hæres domicilium habet; ſed debent moneri per Iudicem eccleſiaſticum: quia Clerici non poſſunt compelli ad comparendum coram Iudice laïco vigore generalis edicti. *Si ſua putauerint intereſſe.* quoniam iſtæ citationes edictionales à iure communi ſunt exorbitantes.] Ita Duardus: quòd anteà docuerat Martha *de iuriſdict. part.*4. *centur.* 1.*caſu* 38.*n.*8. Et idem docet Bonacina *de legibus, diſp.* 10.*q.*2.*punct.*1.§.1.*n.* 27. Ambroſinus *de immunitat. eccleſiaſt.c.*22.*n.*73.& alij.

*An Iudex laïcus poßit compellere Clericum ad reſtituendum depoſitum, quoties ſe obligauit reſtituere in Tribunali Iudicis ſæcularis?*

RESOLVT. XXII.

AFfirmatiuam ſententiam docent non pauci Iuriſconſulti, vt Guttierrez *de tutelis, p.*3. *c.*1.*n.*9. Ioann. de Heuia *in Curia Philippica, part.*1.§.5.*n.*23. Salgado *de protectione regia, tom.*1.*part.*4.*c.*14.*n.*105. Borrellus *de præſtan. Regis Cathol. c.*71.*n.*204. Mexia *in pragmatic. taxæ panis, concluſ.*5.*n.*35. cum aliis citatis à D. Carolo de Graſſis *de effect. Cler. effect.*1.*n.*855. & nouiſſimè Bobadilla *in polit. tom.*1.*lib.*2.*c.*28.*n.*130. vbi ſic ait: [Si el Clerigo fueſſe depoſitario de alguna coſa de voluntad de la parte, ò por mandado del Iuez ſeglar, podra ſer compelido por el à la reſtitucion del depoſito, no por tela, y orden de iuyzio, ni por pena criminal, ſi no executiuamente por toma de bienes.] Ita ille.

Sed hæc ſententia non admittitur à ſapientiſſimo Iuriſconſulto Surdo *lib.*3.*conſ.* 396.*n.*33. Belletto *in diſquiſ. cleric.p.*1.*tit.*3.*n.*37. Bonacina *de legibus, diſp.* 10. *quæſt.*2. *punct.*1.§.1.*num.*26. Ambroſino *de immunit. Eccleſ. c.* 20. *n.*53.& à noſtro P. Duardo *in Bulla Cœnæ, lib.*2.*canon.*15. *qu.*11. *n.* 36. vbi docet, Clericos deputatos depoſitarios, non poſſe per Iudices laïcos compelli ad reſtitutionem depoſiti, vel ſequeſtri. Et Iuriſconſulti, Ceuallos *tract. de cognitione per viam violentiæ, p.*2.*q.*76. *n.* 16. & Martha *de iuriſd. p.*4.*cent.*2. *caſ.*104.*n.*9. admittunt, ſententiam contrariam Bobadillæ, & aliorum, quoad cognitionem, non autem quoad executionem; & ideò putant, poſſe Iudicem laïcum declarare, Clericum debere depoſitum reſtituere; ſed non poſſe executionem huius ſententiæ, ad reſtituendum depoſitum, contra Clericum exercere: ſed hoc à Iudice eccleſiaſtico faciendum eſſe affirmant.

*An Iudex laïcus poßit citare Clericum ad exhibenda iura ſua coram eo, quando eius debitor petit dilationem ex conſenſu maioris partis creditorum, vel ſi velit beneficium ceßionis bonorum obtinere?*

RESOLVT. XXIII.

HIc caſus frequenter in praxi poteſt accidere; & ideo dicam hîc quid ſentiunt Doctores. Affirmatiuam ſententiam docet Ceuallos *tr. de cognitione per viam violentiæ, p.*2.*q.*72.*n.*3. Afflictus *deciſ.*280.*n.*7. & ex noſtris regnicolis Maſtrillus *deciſ.*79.*n.*5. cum aliis. Et ratio eſt: quia



quia in tali caſu Clericus non conuenitur, vt reus; ſed prouocatur, vt actor ad comparendum, & docendum de ſuo iure: neque in tali caſu præiudicatur iuriſdictioni eccleſiaſticæ; neque fit in damnum, & præiudicium Clerici, ſed in eius vtilitatem: nam, ſi reliqui creditores recuperent ſua debita, & ipſe non compareat, & oſtendat ſua credita, remanet ſine debito; & tenetur poſteà litigare contra cæteros creditores, intentando reuocatoriam coram Iudice laïco.

At, is non obſtantibus, contrariam ſententiam docet noſter P. Duardus *in Bulla Cœn.lib.*2.*can.*15.*qu.*11. *n.*53. vbi ſic ait: [Debitor laïcus? petens admitti ad miſerabile beneficium ceſſionis bonorum, vel ad remiſſionem partis ſuorum creditorum, non poteſt trahere Clericum ad forum ſæculare; ſed debet adire Iudicem Eccleſiaſticum: niſi debitor detineretur in carceribus ad inſtantiam Clerici creditoris: nam tunc per viam reconuentionis poteſt petere contra Clericum admitti ad beneficium ceſſionis.] Ita Duardus. Et ita etiam anteà docuerat Martha *de iuriſdict.p.*4.*cent.*2.*caſ.*123 *n.*9.*& ſeq.*

*An Iudex laïcus poßit punire Clericos, qui ſine habitu, & tonſura immiſcent ſe in delictis grauißimis?*

RESOLVT. XXIV.

AFfirmatiuè reſpondent aliqui Iuriſconſulti: putant enim Clericum facinoroſum; qui dimiſſo habitu clericali immiſcet ſe enormitatibus, fori priuilegium amittere, & conueniri, & puniri poſſe per Iudicem ſæcularem. Ita inter multos docet Ioan. de Heuia *in Curia Philippica, p.*3.*n.*30. Riccius *in praxi, tom.*2.*reſol.*172.*num.*2. Bobadilla *in polit. tom.*1.*lib.*2.*c.*18.*n.*95. vbi ſic ait: [Si el Clerigo, dexado el habito, y tonſura clerical por vn año, ò mas, cometieſſe delitos enormes, y crueles, como ſerian homicidios, furtos, ſacrilegios, adulterios, falſos teſtimonios, ò violencias publicas, y ſe mezclaſſe en otras torpedades deteſtables, y perſeueraſſe en ellas viuiendo ſuelto; y diſſolutamente, entonces el Clerigo: ora ſea en ordenes menores conſtituido, ora en mayores, pierde el priuilegio de canon, y del fuero: y podrà el corregidor, ſin encorrir en eſcommunicacion, y ſin que proceda à moneſtacion, ſecreſtar le ſus bienes, prenderle, y atormentarle, y ſin degradacion caſtigarle en pena de muerte.] Ita ille, qui *in Gloſſa, littera B*, adducit plures Doctores ita ſentientes, & præcipuè Alex. de Neuo *conſ.*59. Verum eſt; quòd poſteà *in n.*96. limitat hanc ſententiam, quando delictum commiſſum adeò eſſet reipublicæ pernicioſum, vt pium ſit illud punire.

Sed hæc ſententia, quoad Clericos in ſacris conſtitutos, eſt prorſus exterminanda à Tribunalibus; & contra Bobadillam inſtāt ferè omnes Doctores, & Theologi. Ideò dicendum eſt, ſupradictum Clericum non poſſe à iudice ſæculari puniri, niſi anteà præceſſerit trina monitio; aliàs à ſuo Iudice eccleſiaſtico eſt puniendus, etiamſi perpetraſſet quodlibet atrociſſimum delictum. Et ita docet Ceuallos *tract. de cognitione per viam violentiæ, p.*1.*q.*76.*n.*6. *& ſeq.* qui citat plurimos Iuriſconſultos. Idem docet Bellettus *in diſquiſ. cler.p.*1.*tit.*3.§.7. *n.*3. & alij penes ipſum. Ex noſtris hanc ſententiam aduersùs Bobadillam defendit Megala *in* 3.*p.lib.*3.*c.*11.*q.*1.*n.*31.*&* 32. Ex Societate IESV Filliucius *tom.*1.*tract.*16.*c.*11.*n.*314. cum aliis. Et ratio deſumitur *ex cap. in audientia* 25.*de ſent. excommun.* ibi [Huiuſmodi Clerici, ſi à Prælato tertiò commoniti militaria noluerint arma deponere, de priuilegio Clericorum ſubſidium aliquod habere non poſſint.] Et *in cap. fin. de vit. & honeſt. Cler.* ſic habetur: [Mandamus, quatenus; ſi tales tertiò à te commoniti, ab huiuſmodi non reſipuerint; ſed prætermiſſis diuinis Officiis, negotiationibus inſtiterint ſupradictis, cùm eo facto priuilegium abiiciant clericale.] Ex quibus clarè apparet, Clericum, ante trinam monitionem non eſſe priuandum priuilegio fori, nec Curiæ ſæculari tradendum. Et hanc ſententiam præter DD. citatos tenet amicus heu! quondam noſter, D. Carolus de Graſſis *de effect.cler.eff.*1.*n.*891. Martha *de iuriſd. p.*4.*cent.*2.*caſ.*135. Barboſa *in collect.tom.*2.*lib* 5.*tit.*39.*c.*25. *n.*2. Ambroſinus *de immunit. Eccleſ.c.* 17.*n.*16. Bonacina *de legib.diſp.*10.*q*2.*punct.*1.§.4.*n.*6.& alij penes ipſos. Nec obſtat *c. perpendimus, de ſent. excomm.* nam ibi Summus Pontifex, vt communiter tenent Doctores, non agit de priuilegio fori, ſed de priuilegio canonis, vt notat Coninch. *de Sacram. diſp.*14.*dub.*15.*n.*160. Bonacina, Ambroſius, Barboſa, & alij penes ipſos. Nec obſtat etiam aduersùs noſtram principalem concluſionem, quòd Decian. *lib.*2.*conſ.*82.*n.*9. afferat Bullam Pauli III. anno 1542. qua conceditur licentia Iudicibus ſæcularibus, procedendi contra Clericos in atrociſſimis delictis: nam reſpondeo cum Ceuallos *tract. de cognitione per viam violentiæ. p.*2. *q.*102.*num.*4. dictam Bullam non extare. Notandum eſt etiam, quòd ad priuandum Clericum priuilegio fori, ad hoc, vt dicatur ſe in enormitatibus immiſcere, requiritur primò, vt incedat ſine habitu, & tonſura. Secundò, non ſufficit vnum delictum; ſed plura requiruntur. Tertiò, neceſſe eſt, vt in enormitatibus comprehendatur: comprehenſus autem dicitur, ſi in flagranti fuerit captus; vel, ſi ipſe, antequàm opponat de priuilegio clericali, delictum fateatur, ſeu de eo ſit legitimè conuictus; vel, ſi crimen ſit adeò notorium de facto, vt nullus ſit inficiationi locus. Et ita docet doctus Barboſa *in collect.tom.*2.*lib.*5.*tit.*9.*c.*1.*n.*2. 3.*&* 4. quæ ſunt valdè notanda. Vide etiam eundem Barboſam *ibid.tit.*33.*c.*27.*per totum.* Sed de hac quæſtione vide *infrà in Reſolut. ſeqq.*

*An Iudex laïcus poßit iudicare cauſam Clericorum, qui hæredes ſunt alicuius ſæcularis, cauſa ante eius mortem coram ſe incepta?*

RESOLVT. XXV.

AFfirmatiuè communiter reſpondent, & tenent Doctores, quos citat, & ſequitur D. Carol. de Graſſ. *de eff.cler.eff.n.*282. quibus ego addo Ioan. de Heuia *in curia Pilipp.p.*1.§.*n.*20. Caſtillo *part.*1.*deciſ.*2. Coriolanum *in Bulla Cœn.excommun.*16.*fol. mihi.*945. Megalam *in* 3.*par. lib.*3.*c.*10.*n.*59. Graffium *in deciſ.p.*1.*lib.*4.*c.*18. *num.* 128. Rodriquez *in ſumma nouiſſima, tom.*1.*c.*216.*n.*15. Ceuallos *tract. de cognit. per viam violentiæ. p.*2.*q.*40.*n.*9. qui citat plures Iuriſconſultos, & Reginald. *tom.*1.*lib.*9.*c.*23.*n.*352. vbi ſic ait. [Clericus, ratione hæreditatis, quam accipit à laïco ſubiicitur foro ſæculari: & ideò omnes lites, quæ inceptæ fuerint viuente laïco defuncto, ipſe Clericus hæres coram eodem ſæculari Iudice proſequi debet. Aliæ autem lites circa bona defuncti, vel actiones, venire debent ad Iudicem Eccleſiaſticum.] Ita ille.

Sed non deſunt Doctores, qui contrariam ſententiam docent, vt Bonac. *de leg.diſp.*10.*q.*2.*punct.*1.§.1.*n.*25. & Ambroſinus *de immunit. Ecc.c.*10.*n.*45. qui aſſerunt, quòd Clericus hæres laïci non tenetur coram Iudice ſæculari proſequi litem iam cœptam contra laïcum, cui ſucceſſit, ſed denuò erit ſuper eadem re, vel actione, coram Eccleſiaſtico conueniendus. Et ratio eſt: quia militat eadem ratio exemptionis, vel ſi lis ſit incepta, vel non. Et ſequeretur ex contraria ſententia magnum inconueniens; nempe, quòd ſequuta ſententia condemnatoria contra Clericum hæredem laïci, iſta ſententia ſeruiret de vento, poſtquàm exequi non poſſet, niſi per Iudicem Eccleſiaſticum, qui, cùm non ſubiaceat eidem Principi, cui ſubeſt Iudex laïcus, non teneretur dictam ſententiam exequi. Vide etiam M. Anton. *lib.*1 *reſolut.*49.*numer.*2. vbi probat ex multis, quòd inſtantia inchoata coram Iudice ſæculari contra laïcum defunctum, cui ſucceſſit hæres Clericus; non continuatur in Clericum, qui debet propterea conueniri coram Eccleſiaſtico: & hæc ſententia mihi placet.

Notandum

*gloſ.5.§.2.n.*11. Garſias *de benef.tom.*1.*p.*1.*c.*2.*n.*117. Bonac.*de legib.diſp.*10.*q.*2.*punct.*1.§.4.*n.*11. & alij.

*An Clericus gaudeat priuilegio fori, & ſit à laïca iuriſdictione exemptus; ſi tantùm deferat habitum, & non tonſuram; vel è contra?*

RESOLVT. XXXIII.

NEgatiuè reſpondent Bellett. *in diſquiſ.cler. p.*1.*tit.*3. §.8.*n.*7. & Riccius *part.*4. *deciſ.*154.*n.*8. qui notant ita declaraſſe Sacram Cardinalium Congregationem. Et ratio eſt: quia Concilium Tridentinum loquitur copulatiuè; nempè, vt clerici deferant habitum, & tonſuram, & alicui Eccleſiæ deſeruiant.

Non reticebo tamen Marium Antoninum Maceratenſem, Vicarium Generalem Cardinalis Borromæi, contrarium aſſerere *in ſuis variis reſolutionibus*, *lib.*3. *reſol.*48. *num.*5. vbi tenet, Clericum inuentum ſine habitu, ſed cum tonſura; vel cum habitu, & ſine tonſura; gaudere priuilegio fori. Et Capiblancus *de offic.Bar.prag.*8.*cap.*3. *num.* 28. putat, dimiſſionem tonſuræ non eſſe tantæ ſolennitatis, ſi cætera concurrant: & citat Barboſam. Notandum eſt etiam contra Guttierrez *qq.canon. lib.*1. *c.*12. *num.*9. Mexiam *in prag.taxæ panis*, *concluſ.*1.*num.*31. & alios, Clericum gaudere priuilegio fori, ſi tempore capturæ inueniatur ſine veſtibus clericalibus, dummodo tempore delicti illas geſtauerit. Et ita declaraſſe Sacram Cardinalium Congregationem anno 1586. notauit Marius Antoninus *vbi ſupr.lib.*3.*reſol* 48.*n.*7.& docet Sanch. *de matrim.tom.*2.*lib.*7.*diſp.*46.*n.*10. qui multos alios citat. Et ratio eſt: quia ad gaudendum priuilegio fori, non attenditur, niſi tempus commiſſi delicti: parum ergo refert; ſi tempore capturæ Clericus ſine habitu inueniatur; ſi tamen tempore, quo commiſit delictum, illum geſtauerit.

*An Clericus, qui aliquando dimittit habitum, & tonſuram, amittat priuilegium fori; & Iudex laïcus poſsit illum punire?*

RESOLVT. XXXIV.

REſpondeo negatiuè: & vt amittat ſupradictum priuilegium, opus eſt tanta perſeuerantia in dimiſſione habitus, vt publicè æſtimetur, vt laïcus. Ita Proſper de Auguſtino *in addit.ad ſummam Quaranta*, *verſ. Habitus clericalis.* Layman *in Theol. moral.lib.*4.*tract.*9.*c.*6. *num.*2. *aſſer.* 1. Suarez *de cenſ. diſp.*22.*ſect.*1. *num.* 11. Bonacina *de legib.diſp.*10.*q.*2.*punct.*1.§.4.*n.*14. vbi aſſerit, Sacram Cardinalium Congregationem declaraſſe, Clericum, qui dimiſſo clericali habitu homicidium commiſerat, & ſine clericali habitu à laïca poteſtate captus fuerat, remittendum eſſe ad forum eccleſiaſticum: quia non præſumitur dimiſiſſe habitum animo illum deſerendi; ſed, vt commodiùs delictum perpetraret: quod eſt valdè notandum: & hoc etiam notauit Capiblancus *in tractat.de offic. Bar. prag.*8.*part.*3.*n.*34.

An verò requiratur trina monitio, vt Clericus incedens ſine habitu, & tonſura perdat priuilegium fori? Reſpondeo, quòd de iure antiquo requirebatur, vt patet *ex cap. finali, de vita. & honeſt.Cleric.* Sed hodie de iure nouo Concilij Tridentini non requiritur: nam dictum Concilium loquitur cum dictione, *niſi*, quæ excipit *iuxta leg. actione. Cod.de action.*& Decium *in cap. ſi pro debilitate, ff.de offic. deleg* & ita docent Marius Antoninus *lib.*3. *reſol.*48. *n.*7. & Riccius *part.*4.*deciſ.*154.*n.*4. qui teſtantur, ita fuiſſe declaratum à Sacra Cardinalium Congregatione: & ita tenet Bellettus *in diſquiſ.cleric.part.*1.*tit.*3.§.8.*n.*6. & alij.

*An Clericus incedens cum habitu, & tonſura, ſed non deſeruiens alicui Eccleſiæ; gaudeat priuilegio fori?*

RESOLVT. XXXV.

AFfirmatiuè reſpondet Marius Antoninus *lib.*3. *reſolut.*48.*n.*14. Sed negatiuam ſententiam docet Bonac. *de legib.diſp.*10.*q.*2.*punct.*1.§.4.*n.*10.& 15. Ambroſinus *de immunit. Eccl.c.*17.*n.*13. Menochius *tom.*10.*conſ.*912.*n.*27. & alij. Et ratio eſt: quia, vt *ſuprà* diximus, Concilium loquitur copulatiuè, videlicet, vt Clericus deferat habitum, & tonſuram, & alicui Eccleſiæ deſeruiat.

Notandum eſt tamen, quòd dicta licentia Epiſcopi deſeruiendi in certa Eccleſia, ſufficit, vt obtineatur ore tenus; nec ſufficit, vt bis, vel ter talis Clericus deſeruiat: quia verba Concilij requirunt actum perſeuerátiuum. Verum tamen eſt, quòd verba Concilij non ſunt intelligenda ita literaliter, & rigidè, id eſt, pro omni tempore; ſed pro maiori parte ipſius. Et ita declaraſſe Sacram Cardinalium Congregationem teſtatur Riccius *p.*4. *deciſ.*134.*n.*5. & Capiblanc. *in tract. de officio Bar. prag.*8. *p.*3.*n.*30. cum Gratiano *in diſcept. tom.*3.*cap.*440. *num.*6. Vnde, ſi aliquo impedimento fuerit dictum ſeruitium interpellatum, gaudebit vtique Clericus priuilegio fori, & ſufficit, ſi ante menſem, quo perpetratum fuit delictum, inueniatur dictum ſeruitium præſtitiſſe, licet Concilium loquatur de præſenti, ibi: *Inſeruit.* & ibi: *Verſetur.* nam dicta verba intelligenda ſunt moraliter. Et tandem nota, quòd ſupradicta verba intelligenda ſunt de ſeruitio ſpirituali; & non ſufficit ſeruitium in temporalibus? & aliqui addunt, non ſufficere ſeruitium, ſi præbetur alteri Eccleſiæ, quàm illi in qua mandauit Epiſcopus.

Sed contrariam ſententiam tenendam eſſe puto, quam docet Capiblanc. *vbi ſuprà n.*32. & Riccius *part.*4.*deciſ.* 111.*n.*5. vbi ita declaraſſe Sacram Cardinalium Congregationem teſtantur. Et ita conſuluiſſe noſtrum doctiſſimum Aponte, notauit Proſper de Auguſtino *in addit ad ſummam Quaranta, verb.habitum Clericorum*, quod aſſerit, etiam procedere, ſi dictus Clericus deſeruiret Capellæ exiſtenti in Eccleſia, quæ ab ipſo confraternitati laïcorum, pro Oratorio eſſet aſſignata. Et ita declaraſſe Sacram Cardinalium Congregationem obſeruat Riccius *part.*4. *deciſ.*154.*num.*2.

Sed hæc dicta ſufficiant circa exemptionem Clericorum in minoribus à iuriſdictione laïcali, & intelligentiam verborum Concilij Tridentini, circa quæ hoc vnum addam; hîc Concilium loqui tantùm de priuilegio fori, & non Canonis, & ideò percutiens Clericum non deferentem habitum, & tonſuram, incurrit in excommunicationem Canonis, *Si quis.* Et ita declaraſſe Sacram Cardinalium Congregationem, teſtatur Gonzales *in regul.*8. *Cancellar. Gloſſ.*5.§.5.*n.*7. & docet Bellett. *in diſquiſ. cleric. p.*1.*tit.*3 §.8.*n.*59. Vnde cautè legendi ſunt Auendañus *de exeq.mand.p.*1.*cap.*22.*n.*12.& Menochius *lib.*6.*præſumpt.* 76.*num.*12. aſſerentes, non incurrere excommunicationem illum, qui percutit Clericum repertum in habitu laïcali. Sed ad alias circa immunitatem eccleſiaſticam quæſtiones deueniamus.

*An Princeps poſsit imponere, & exigere gabellas, à Clericis in minoribus conſtitutis?*

RESOLVT. XXXVI.

DE Clericis primæ tonſuræ affirmatiuè reſpondet Angles *in* 4.*tom.*2.*de reſtit.veſtig.diffic.*5. Laſſarte *de decim vendit.c.*19.*n.*21. Guttierr. *pract.q.lib.*1.*q.*8. Ledeſma *in ſumma, tom.*2.*tract.*17.*c.*2.*concl.*27.& Ioan.de la Cruz *in direct.conſcient.p.*1.*præcep.*7.*art.*3.*concluſ.*1.

Sed ſtando in iure communi, contrariam ſententiam prorſus amplectendam eſſe puto: nam omnes Clerici, etiam primæ tonſuræ, gaudent exemptione gabellarum, vt notat Molina *tom.*3.*tract.*2.*diſp.*270. *num.*5. Malderus, Leſſius, & alij, *vbi infrà*: & colligitur *ex cap.fin.de vita, & honeſt. Cler. ex cap.quanquam. de cenſibus, & ex l.Preſbyteros.C, de Epiſc.& Cler.* Dixi ſtando in iure communi: nam in aliquibus Regnis, Clerici in minoribus conſtituti, ſi actu beneficium non habent, non ſunt exempti ab onere gabellarum, vt notant Aragon.*in* 2.2.*q.*62.*art.*3. Bobadilla *in polit.tom.*1.*lib.*2.*c.*18. *n.*263. & 283. Ioan. de Heuia *in tract.de commerc.lib.*1.*cap.*14.*num.*9. Flores de Mena *lib.*2.*q.*21.*n.*199. Felicianus *de cenſ. lib.*2.*cap. vlt.n.*13. Gironda *de gabellis*, *p.*7. *n.*7. Rodriquez *in ſumma tom.*1. *cap.*75.*concluſ.*14. Ioan.de la Cruz *in direct. conſcient.p.*1 *præcept.*7. *q.*7.*art.*3. *dub.*1. *concl.*1. & alij penes ipſos. Et hoc ſtante conſuetudine, à Romano Pontifice ſcita, & approbata, vt obſeruant Vaſquez *opuſc. de reſtit.cap.*6.§.1. *num.*33. Leſſius *lib.*2.*c.*33.*dub.*5.*num.*39. Malderus *in* 2.2. *tract.*5. *cap.*6.*dub.*8. Molina *tom.*3.*tract.*2. *diſp.*270.*num.*5. Turrianus *in* 2.2. *tom.*2. *diſp.*44. *dub.*4.*n.*12.& Salas *de legibus, q.*96. *tract.*14.*diſp.*14. *ſect.*11.*num.*121.

Sed hanc conſuetudinem, & Doctorum opinionem refellit ex Theologis Hiſpanis Garſias *de beneficiis, tom.*1. *part.*2.*cap.*3.*à num.*1.*vſque ad* 10. & ex noſtris P.Megala *in part.*2.*lib.*2.*c.*17.*q.*6.*n.*101. Quicquid igitur ſit de hoc certum eſt, talem conſuetudinem non extare in hoc Regno Siciliæ: & ideò Clericos minores, etiam primæ tonſuræ, gaudere exemptione gabellarum: & qui vectigalia ab illis exigerent, vel imponerent, in excommunicationem Bullæ Cœnæ inciderent.

*An Princeps ſæcularis poſsit imponere, & exigere gabellas à Clericis non habentibus requiſita Concilij Tridentini*, ſeſſ. 23. cap.6. *de quibus* ſuprà *dictum eſt?*

RESOLVT. XXXVII.

ETiam ſecluſa conſuetudine in contrarium, de qua in ſuperiori reſolutione, affirmatiuam ſententiam docent non ignobiles Authores, vt Homobon.*de exam.Eccl. p.*1.*tract.*7.*cap.*29. *q.*120. Layman *in Theolog. moral.lib.*4. *tract.*9.*cap.*6.*n.*3. Suarez *contra Regem Angliæ, lib.*4.*c.*27. *n.*14. Azorius *part.*3. *lib.*5.*c.*19.*q.*6. Filliucius *tom.*1. *tr.*16. *cap.*11.*n.*298. Reginaldus *tom.*1.*lib.*9.*c.*25.*n.*376. Coriolanus *in Expoſ.Bull. Cœn. excommun.*18.*fol.mihi* 949. Altherius *de cenſur.tom.*1.*diſp.*19.*lib.*5.*c.*6.*dub.*10. Barboſa *in collect.tom.*1.*lib.*3.*tit.*49.*cap.*7.*num.*7. & Ceuallos *tract.de cognit.per viam violentiæ, in proœm.c.*7.*n.*22. vbi ſic aſſerit: [Clericus, ſi non obſeruet requiſita Concilij Tridentini, non poteſt dici exemptus à tributis, niſi ſit iuriſdictioni Eccleſiæ ſubiectus: & ſic, cùm Clerici in minoribus non gaudeant priuilegio fori ex defectu dictarum conditionum, conſequenter non gaudent immunitate à tributis, & gabellis.] Ita ille. Et ſecundùm hanc opinionem, vt Clericus ſit exemptus à gabellis, debet incedere, non ſolùm in habitu, & tonſura; ſed etiam deſeruire alicui Eccleſiæ, de mandato Epiſcopi: nam has conditiones requirit Concilium Tridentinum, vt *ſuprà* ſatis explicatum eſt. Et ita etiam docet noſter P.Molfeſ.*in ſumma, tom.*1. *tract.*6. *cap.*10.*n.*65.& *tom.*2.*tract.*12.*c.*22.*n.*162. Hæc opinio eſt probabilis cum Graff. *part.*1.*lib.*2.*cap.*125.*num.*21.

Sed non minùs probabilem, contrariam eſſe ſentio, quam ſæpiùs in praxi conſului: nam dicti Clerici de iure communi ſunt exempti à ſolutione gabellarum. Nec obſtat ius nouum Concilij Tridentini: nam loquitur tantùm de priuilegio fori, & tantùm reſtringit illis hoc priuilegium: immunitas verò à tributis non dependet à priuilegio fori, & poteſt habere rationem omninò diuerſam: nam & laïcis quibuſdam ſine priuilegio fori conceditur. Ergo, &c. Et ita hanc ſententiam docet Leſſius *lib.* 2. *cap.*33.*dub.*5. *n.*38. Molina *tom.*3. *tract.*2. *diſp.*270.*num.*5. Malderus *in* 2.2.*tract.*5.*cap.*6. *dub.*8. Garſias *de beneficiis*, *tom.*1.*cap.*3.*part.*2.*num.*5.*in fine.* Et ita declaraſſe Sacram Cardinalium Congregationem, apparet apud Comitolum *in reſponſ. moral. lib.*6.*q.*20. vbi habetur epiſtola tenoris ſequentis, directa ad eundem Comitolum.

[Molto Reuerendo Padre, ſono ſtati altre volte conſiderati, & riſoluti nella Congregatione del Concilio i dubij, che mi ſcriue la R. V. Quanto al primo, è ſtato deciſo, che chi non hà benefizio, ò non camina con habito, è tonſura, ſenza altra monitione, viene eſcluſo del priuilegio del foro. Quanto al ſecundo, la Congregatione hà ſentito: ch'i Chierici, che mancando nelle coſe contenute *nel c.*6.*ſeſſ.*23. no godono il priuilegio del foro non per queſto s'intendono priuati del priuilegio *del can. ſi quis ſuadente Diabolo.* Da queſta ne ſegue la riſolutione al terzo queſito. Perche non togliendo il Concilio (notentur hæc verba) ſe non il priuilegio del foro, tutti quell'altri priuilegij che competono à Chierici, rimangono nella diſpoſitione della raggione commune. Con che imaginandomi, &c. Di Roma il di 21. di Agoſto, 1581. Di V. R. come fratello amoreuoliſſimo, Antonio Cardinale Garaffa.]

Ex his apparet, ſupradictos Clericos gaudere immunitate gabellarum: quia, vt diximus, & docuit Sacra Congregatio, hoc teſtante ſupradicto Cardinali, Concilium tollit Clericis priuilegium fori; non autem alia priuilegia, quæ illis competunt de iure communi, & diligenter enumerat idem Comitolus *lib.*1.*q.*54.*num.*2. Et poſt hæc ſcripta inueni, hanc opinionem docere etiam Iuriſconſultum Hiſpanum Torreblancam *in defenſione, lib.de Magia, cap.*6. *num.*96. vbi ſic aſſerit: [El Clerigo de corona *exemptus eſt ab exactionibus, & contributionibus, tam realibus, quàm perſonalibus tributorum, petitorum, gabellarum, & munerum temporalium.* Porque cerca deſto el Concilio Tridentino, nò tratò nada, y aſſi, lo dexo à la diſpoſicion del derecho comun, en que eſtà mandado, que goze de todos los priuilegios de los Clerigos, y aſſi lo reſolue nouiſſimamente la Congregacion de los Señores Cardenales diputados por la Sede Apoſtolica para la interpretacion del Concilio *in dicta ſeſſ.*23.*cap.*6.] Ita Torreblanca, vnde de hoc non eſt ampliùs dubitandum à ſcrupuloſis.

*An Princeps poſsit imponere gabellas ſuper bona Nouitiorum.*

RESOLVT. XXXVIII.

AFfirmatiuè videtur reſpondendum ex Molfeſio *in ſumma tom.*2. *tract.*12. *c.*22. *n.*162. vbi docet Regulares profeſſos eſſe exemptos à gabellis: ergo videtur excludere nouitios: quia non ſunt Regulares profeſſi. Sed non credo, virum doctum, & pium hanc ſententiam docere; ſed ſub nomine Regularium profeſſorum, Nouitios etiam incluſit: nam in fauorabilibus, ſub nomine Religioſorum includuntur. Igitur ſoli Paladorius *rer. quotidianar.lib.*1.*cap.*13.§.1. *num.*21. *in* 2.*edit.* & Ignatius Laſſarte, Doctor, Hiſpanus docuerunt hanc affirmatiuam ſententiam *in tract.de decim. vendit. cap.*19. *num.*59. *fol.mihi* 189.

Sed aduersùs illos, & meritò inſurgit Molina *tom.* 3. *tract.*2.*diſp.*671.*n.*2. Malderus *in* 2.2. *tract.*1. *cap.*6.*dub.*8. Turrianus *in* 2. 2. *tom.*2. *diſp.*44. *dub.* 4. *num.*12. Bartholomæus à S. Fauſto *in ſpeculo Confeſſ. diſput.*33. *quæſt.* 14. *n.*2. & nouiſſimè Barboſa *in collect.tom.*1.*lib.*3. *tit.*49. *c.*7. *num.*11. Sanchez *in ſumma, tom.*2.*lib.*6.*cap.*10.*num.*16. Et probatur hæc opinio duplici ratione: quia Nouitij verè ſunt de familia Monaſterij, & pars communitatis iſtius Religionis, quæ exempta eſt. Deinde, receptiſſimus vſus habet, vt tributum merè perſonale Nouitius non ſoluat: quia verè perſona eius habetur eccleſiaſtica. Itaque meritò, qui agnoſcitur pro Eccleſiaſtico, etiam in patrimonialibus bonis, inſtar reliquorum Eccleſiaſticorum exemptus habendus erit. Et ita hanc ſententiam

non ſolùm Theologi omnes ſequuntur, ſed etiam peritiſſimi Iuriſconſulti, vt Graſſ. *de effectibus cleric. effect. 3. num.* 131. qui citat Abbatem, Bartolum, Ripam, & alios. Idem etiam docuit Flores de Mena *in ſuis variis qq. lib.2. quæſt.21.§.4.num.*198.*fol.mihi* 270.& anteà docuerat Berrachinus *tract. de gabellis, part.7.principali, n.*55. Nec valet dicere cum Laſſarte, *vbi ſuprà*, quòd Nouitius non ſit verè Religioſus, & tranſire poſſit ad ſæculum: quia etiam Acolytus ad ſæculum, relicto officio eccleſiaſtico, tranſire poteſt; & tamen gaudet exemptione gabellarum. Sufficit igitur, vt Nouitius in Religionem ſit admiſſus: quia, vt diximus, pars eſt communitatis Religionis, quæ verè eſt communitas perſonarum eccleſiaſticarum, éſtque is Nouitius in via, vt perfectè, & indiſſolubiliter vniatur eidem communitati, ac proinde eo ipſo reputatur perſona eccleſiaſtica, & gaudet priuilegio canonis, & fori, & exemptione gabellarum.

*An Princeps laïcus poſſit imponere gabellas ſuper bona Eccleſiaſticorum, propter reparationem pontium, murorum, &c.*

RESOLVT. XXXIX.

AFfirmatiuè reſpondent aliqui Iuriſconſulti ex authoritate leg. *Ad instructiones itinerum, pontiúmque, etiam diuinas domus, & venerabiles Eccleſias, libenter adſcribimus.* Et præter Iuriſtas, quos adducit Borrellus *de præſt. Reg.Cathol. cap.*62. *num.*48. Salgado *de protectione regia, part.3.cap.5.n.*9. & nos adduximus *in tract.de Parlament.* docet hanc ſententiam ex Theologis Viualdus *in Candelabro aureo ſuper Bullam Cœn. caſu* 18.*n.*3. & Henriquez *in ſumma, lib.*10. *cap.*15. *n.*5. vbi *in Gloſſ.lit.L*, aſſerit, ius ciuile in hoc non eſſe correctum; ſed declarare ius canonicum, & mentem Pontificis.

Sed hæc opinio exploditur cemmuniter à Theologis, quos citaui *dicto tract.* quibus nunc addo Homobonum *de exam.Eccl.p.2.tract.11.cap.6.quæſt.9.ſuppoſ.2.* Layman *in Theol.mor.lib.4.tract.9.c.6.n.6.* Ioan.de la Cruz *in director.conſcient.part.1.præcept.7.q.7.art.3.dub.1.concluſ.1.* Auguſtinum Barboſam *in ſuis conſiliis poſt Flores director. Inquiſ. conſ.2.* Salonium *tom.2.in 2.2.q.78.art.5 contr.5.* Souſam *in Bull.Cœn.cap.19.diſp.92.n.6.* Bellettum *in diſquiſ.cleric. part.1.tit.5.§.2.n.12.* Portel. *in addit. ad dubia regularia, verb.tributum, n.5.& 8.* Altherium *de cenſ.tom.1. diſp.19. lib.6.cap.6.dub.8.*

Ad argumentum verò deſumptum ex leg. *Ad instructiones.* reſpondeo cum Leſſio *lib.2.cap.33.dub.3.num.25.* cùm ſit contra immunitatem Eccleſiarum, vim non habere, & fuiſſe correctam à iure canonico, vt notat Gloſſa *in cap.generaliter.verſ.Nouarum, & verſ.Collationib.6.q.1.* Et contrarium etiam poſteà docuiſſe ipſos Imperatores in iure nouo ciuili, *ex authent. item nulla communitas. C. de Epiſc.& Cler.* tenet Azorius *p.3. lib.5. cap.19 quæſt.10.* & Portel. *in addit.ad dubia regularia, verb.tributum num.11.* qui citat textum *in leg.placet.de ſacroſ.Eccleſ. & l.2. C.de Epiſc. & Cler.*

Sed quidquid ſit de hoc, in ordine ad ius ciuile, certum eſt ex iure canonico, Clericos non teneri ad dictas contributiones, vt apparet *in cap.non minùs. & in cap.aduerſùs. de immunit. Eccleſ. & ex canone Bullæ Cœnæ.* Ex his omnibus apparet, cautè legendum eſſe Henriquez, *vbi ſuprà*, qui etiam *in Gloſſa litera L*, aſſerit per ſententiam Senatus Regij declaratum eſſe, teneri Clericum ad contributionem, vt oppidum, quod Rex vendere parabat, ſe redimat: quod etiam poſteà docuit Bobadilla *in polit.tom.1. lib.2.cap.18. num.*286.

Sed hæc ſententia mihi diſplicet: nam id bonum non æquè principaliter, primariò, ac directè concernit Clericos, ſed laïcos: & ideò Clerici non tenentur ad contributionem ſupradictam: quia, vt obſeruant contra ſententiam Henriquez, & aliquorum Iuriſconſultorum, omnes Theologi, & ex ipſamet Societate Leſſius, Molina, & alij à me citati *in tract.de Parlam.* quando bonum commune, & publicum non tangit principaliter Clericos, ſed ſecundariò, vt eſt in caſu ſupradicto. Et in reparatione viarum, turrium, murorum, &c. Clerici non tenentur contribuere, licèt contrarium docuerit Henriquez, & ideò non ſequendus, vt *ſuprà* probatum eſt.

*An Principes poſſint imponere gabellas ſuper bona patrimonialia Clericorum?*

RESOLVT. XL.

AFfirmatiuam ſententiam docet ex Iuriſconſultis neotericis Bobadilla *in polit.tom.1.lib.2. c.18.n.160.* qui *in Gloſſa, litera F*, citat pro hac ſententia quamplurimos Iuriſtas, & cum limitatione, vt hoc non intelligatur, quoad bona patrimonialia, ad quorum titulum ordinati ſunt.

Sed communi calculo Theologorum, hæc doctrina, tanquam ſacris Canonibus contraria, meritò exploſa eſt: & illam reprobant Homobonus *de exam. Eccleſ. part.2. tract.11.cap.6.quæſt.9.* Riccius *part.2.deciſ.299.num.3.* Syluester *verb.immunitas, 1. n.6.* Duardus *in Bulla Cœn. lib.2. can.18.q.5.num.4.* Layman *in Theol. mor.lib.4. tract.9.c.6. num.9.* Leſſius *lib.2.c.33.dub.3.num.19.* Azorius *p.3.lib.5. cap.19.q.7.* Reginaldus *tom.1.lib.9. c.25.n.379.* Filliucius *tom.1.tract.16.c.11.n.297.* Molina *tom.3.tract.2.diſp.671. num.2.* Molfeſius *in ſumma, tom.2. tract.12. cap.22. num.166.* Altherius *de cenſ.tom.2.diſp.19.lib.5. c.6.dub.2.* Suarez *contra Regem Angliæ, lib.4.cap.24. & 25.* Coriolanus *in Bulla Cœn.excommun.*18. Proſper de Auguſtino *in addit.ad ſummam Quaranta, verb.vectigal.* Megala *in part. 2.lib.2.cap.17.q.6.n.14.* Salonius *tom.2.in 2.2.q.78. art.5. contr.2.n.2.* Sayrus *de cenſur.lib.3. c.22.n.9.* Bartholom. à S.Fauſto *in ſpec. Confeſſ.diſp.33. quæſt.13. num.2.* Bellett. *in diſquiſ.cler.part.1.tit.5.§.5.num.1.* & Authores veteres penes ipſos.

Probatur hæc ſententia *ex cap.1. de immunitat. Eccleſ. cap.quanquan.de cenſ.in 6.* & præcipuè *ex canon.Bullæ Cœnæ*, in illis verbis: *Imponentes decimas, &c. perſonis eccleſiaſticis, ac eorum, & Eccleſiarum bonis.* Vbi dictio illa, *eorum*, contradiſtinguitur contra alteram dictionem ſequentem, *Eccleſiarum*: & ideò non niſi de bonis patrimonialibus, & propriis Clericorum, & aliis, quæ ad Eccleſiam non pertinent, intelligi poteſt.

*An Princeps, ſeu alius Superior laïcus, ſine conſenſu Cleri poſſit imponere gabellas ſuper eius bona, ex aliqua publica neceſſitate, vt peſtis, &c.*

RESOLVT. XLI.

HÆc quæſtio fuit diſcuſſa anno præterito, quando Illuſtriſſimus Senatus Panormitanus impoſuit aliqua vectigalia pro expenſis factis, tempore morbi contagioſi, qui ciuitatem hanc miſerrimè afflixit. Et reſpondi negatiuè: quia obligatio totius populi non ſufficit ad obligandum Clerum: & cùm ageretur de vtilitate vtrorunque neceſſe erat, vtrorunque interuenire conſenſum. Et ita in terminis reſoluit hunc caſum Rodriquez *in ſumma, tom.2. cap.75.n.13.* Petrus Ledeſma *in ſumm. tom.2. tr.7. c.2.concluſ.27.fol.mihi* 205. Ioan.de la Cruz *in direct.conſcient.part.1.præcep.7.quæſt.7.art.3.dub.1.concluſ.1.fol.98.* Azorius *part.3.lib.5.cap.19.quæſt.11.* & Lopez *in instruct. part.2.cap.*40. agens de peſte graſſante olim Hiſpali. Idem docet Syluester *verb.immunitas, quæſt.2.* Altherius *de cenſur.tom.1.diſp.16.lib.5.c.6.dub.15.* Salonius *tom.2. in 2.2. q.78.art 5. contr.1.* Bellettus *in diſquiſ. cleric.part.1.tit.5. §.2.n.6.* & alij penes ipſos: vbi aſſerunt, quòd quãdo neceſſitas publica concernit de directo, & principaliter æquè vtilitatem Eccleſiaſticorum, & laïcorum; tunc debent





Eccleſiaſtici contribuere; non tamen ad deliberationem ſolius populi; ſed oportet, quòd Clerus, & populus ſimul conueniant, & deliberent: quia, quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. Et ſi in tali caſu Clerus, ſine legitima cauſa, nollet conſentire; poſſent laïci implorare auxilium Superioris eccleſiaſtici, vt compelleret Clericos.

Sed notandum eſt, quòd in hoc caſu non habet locum diſpoſitio *cap.aduerſùs.* de conſultatione Romani Pontificis: nam contributio in iſto caſu non fit ſolùm propter vtilitatem publicam; ſed ob priuatam vtilitatem Clericorum: & *d. cap.aduerſùs.* tractat in caſu, vbi agitur de vtilitate publica. Et ita docet Tabiena *verb.excommunicatio, 5.caſ.18.num.4.* Syluester *verb.immunitas, quæſt.5.n.20.* Angelus *eodem verb.num.*37. Layman *in Theolog.mor.lib.4. tract.9.cap.6. num.7.* Molina *de iuſt.tom.3.diſp.672.num.5. concluſ.3.* Megala *in part.3. lib.2. cap.17. q 6.num.121.& conſ.72.num.18.* Ledeſma, Rodriquez, Lopez, & Ioan.de la Cruz, *vbi ſuprà.* Et ſecundùm hæc, quæ dicta ſunt, intelligendus eſt Bobadill. *in pol. tom.1. lib.2.cap.18.n.291.* vbi ait: [ En la ſiſa, ò repartimiento, que ſe hecha para guardar el pueblo de peſte, en lo qual por ſer para coſa comun aſſi à Clerigos, como à legos, deuen contribuir los Eccleſiaſticos. ] Et idem docet Garſias *de nobilit. Hiſpan.gloſſa 9.num.*53. cum aliis, quorum opinio admittenda eſt, præcedentibus iis, quæ *ſuprà* narrata ſunt: nam ſolus populus, vel Princeps, ſine conuocatione, & conſenſu Cleri, hoc minimè efficere poteſt, vt *ſuprà* probauimus.

*An Superior laïcus, quando Clerici tenentur ſoluere gabellas, poſſit illos ad ſoluendum compellere?*

RESOLVT. XLII.

AFfirmatiuè reſpondet Salgado, *vbi infrà.* Mexia *in pragm.taxæ panis, concluſ.5.n.23.* Laſſarte *de gabellis, cap.19.n.84.* & alij cum Coriolan. *in Bull.Cœn.excomm.16. fol.mihi* 945. vbi ait, poſſe Clericos coram Iudice ſæculari conueniri in cenſibus, & tributis: nam videntur potiùs res eorum, tanquam affectatæ, conueniri, quàm perſonæ. Aliqui Iuriſconſulti admittunt etiam hanc ſententiam, dummodo Iudex laïcus procedat contra bona, & non contra perſonam Clerici.

Sed contrariam ſententiam, & meritò docet Anguiano *in tract.de legib.tom.1.lib.2.contr.15.num.14 & ſeq.* Bartholomæus à S. Fauſto *in ſpeculo Confeſſ.diſp.33. quæſt.21.* vbi docet, quòd, quando Clerici nolunt ſoluere collectam, ſeu aliam contributionem, quam tenentur ſoluere, Iudices eccleſiaſtici debent illos ad ſoluendum compellere, & non ſæculares. Nec valet dicere, quòd adeſt conſuetudo in contrarium: quia dicta conſuetudo eſt corruptela, & reprobata per Canones. Et licèt in tali caſu Iudex laïcus non exerceat iuriſdictionem in perſonam Clerici, ſed ſolùm in rem temporalem eius: tamen, quando onus eſt perſonale, quod ſoluitur ex rebus, eſt ratione perſonæ; vnde, ſicut perſona Clerici eſt priuilegiata; ita etiam & res Clerici priuilegiata erit: quia onus imponitur ratione perſonæ.

Adde, quòd, vt ſæpius *ſuprà* dictum eſt, ego non poſſum intelligere hanc diſtinctionem Iuriſconſultorum, quam affert Ramirez *in tract. de lege regia, §.27. num.12.* & alij penes ipſum *in Gloſſa, lit.F*, cum Salgado *de protect.regia, p.4.cap.14.num.100.col.2.* nempe, non poſſe Iudices laïcos punire Clericos in perſona, ſed poſſe in eorum bonis: nam eo ipſo, quòd perſona Clerici exempta eſt à laïcali iuriſdictione, exempta ſunt etiam eius bona: nam, vt benè notat Suarez *contra Regem Angliæ, lib.4.cap.24.n.11.* bona ſemper adhærent perſonæ ipſius Clerici; & ideo tunc dicitur perſona perfectè, & integrè exempta, quandò etiam eius bona exempta ſunt. Neque facit ad rem, quòd bona Clericorum ſint temporalia, & quòd reſpiciunt Clericum, non vt Clericum; ſed vt dominum temporalem, vel ciuem: quia ille non tantùm exemptus eſt, vt Clericus, ſed etiam vt ciuis, & ſimpliciter eius perſona, & conſequenter etiam ea, quæ illi acceſſoria ſunt. Ita Suarez. Et *in cap.vnico, de Cleric. coniug. in 6.* ſtatuitur, quòd perſona Clerici non poſſit in rebus moleſtari, ne per vnam viam concedatur, quod per aliam denegatur.

Vnde non ſunt audiendi, Angelus *in l.quoties.in fin.C.de iudiciis.* Federicus de Senis *conſ.*88. Lancellott. *de attent. p.2.cap.15.n.97.* Aufrerius *in repet.clem.1. de officio Ordin. n.*81. Guillelmus de Benedictis *in cap. Raynutius. verb. & vxorem.deciſ.2.n.142.* Caſſaneus *de conſuet.Burgund.rubr. 1.§.5.n.82.* Franciſc. Marcus *deciſ.215.n.1.part.1.* aſſerentes, poſſe Iudicem ſæcularem punire Clericum, non in perſona quidem, ſed in bonis, ſi falſum depoſuerit coram eo: licèt aliqui Doctores Iuriſtæ exiſtiment, in tali caſu ſupradictum Clericum non ſolùm in bonis, ſed etiam in perſona à Iudice laïco puniri poſſe.

Sed hæc opinio eſt falſa; & illam reprobant ex ipſiſmet Iuriſconſultis Afflictus *deciſ.*230. Farinac. *tit. de Inquiſ.q.7.num.26.* Fachineus *lib.9.controuerſ.cap.25.* Surdus *conſ.396.num.27.* Decianus *in tract. crim.lib.4 cap.9.n.22.* & nouiſſimè Martha *de iuriſd. p.4. cent.2.caſ.138.num.9. in fin.* cum aliis.

*An Princeps poſſit imponere gabellas ſuper bona Clericorum ipſis donata, aut empta.*

RESOLVT. XLIII.

HIc caſus ponitur maximè pro Regno Neapolitano vbi de iure eius municipali Clerici non gaudent immunitate collectarum in bonis donatis, vt notat, nec improbat Riccius *part.4.collect.*901.

Sed non poſſe Principes hoc efficere, docet noſter P. Duardus *in Bull.Cœn.lib.2.can.18.q.6.n.1. & ſeq.* & patet ex verbis Bullæ, ibi: *Imponentes decimas, &c. perſonis eccleſiaſticis, ac eorum, & Eccleſiarum bonis.* Ex quibus verbis bona Clericorum eximuntur ab oneribus huiuſmodi: & cùm textus Bullæ generaliter loquatur de bonis Eccleſiaſticorum, non debemus illum reſtringere; ſed generaliter, vt loquitur intelligere de quibuſcunque eorum bonis, ſiue patrimonialia ſint, ſiue donata, ſiue empta, aut quouis alio titulo quæſita. Et ita etiam hanc ſententiam docet Barboſa *in ſuis collect. tom.1. lib.3. tit.49.c.4.num.4.* Filliucius *tom.1.tract.16.cap.11.n.298.* Reginaldus *tom.1. lib.9.cap.25.num.377.* Altherius *tom.1. diſp.19.lib.5.cap 2. fol.mihi.307.col.2.* Leſſius *lib.2. c.3.dub.3.num.19.* & alij, qui non ſolùm docent, vt *ſuprà* probatum eſt, bona patrimonialia Clericorum eſſe exempta; ſed etiam alia, alio quouis titulo quæſita.

Ex his igitur apparet, cenſura Canonis 17. Bullæ Cœnæ innodari omnes illos, qui imponunt collectas, decimas, tributum, ſiue gabellam cuiuſcunque generis ſuper omnia Clericorum bona, ſiue ſint patrimonialia, ſiue acquiſita ex teſtamento, donatione, emptione, aut quouis alio titulo: & ideò conſuetudo Regni Neapolitani videtur improbanda.

Non reticebo tamen, aliquos Doctores illam approbare, vt Coriolanum *in Bull. Cœnæ, excomm. 18. fol.mihi* 951. & Proſpero de Auguſtino *in addit.ad ſummam Quaranta, verb.vectigal.fol. mihi* 632. Sed an probabiliter, videant viri docti, & iudicent. Duardus *vbi ſuprà num.* 12. talem conſuetudinem improbat, & aſſerit, quòd ſi in Regno Neapolitano non adeſt priuilegium Pontificis id concedentis, illam conſuetudinem, ſeu Conſtitutionem imponendi gabellas ſuper bona Clericorum donata, eſſe contra libertatem eccleſiaſticam, & nullam prorſus retinere firmitatem. Sed, an Clericus teneatur ſoluere gabellas impoſitas ſuper bona laïcorum, ad ipſum poſteà aliquo titulo, de quibus *ſuprà*, peruenientia? reſpondeo diſtinguendo: vel illa bona habebant annexam aliquam gabellam, vel collectam certam perpetuã, & inuariabilem,

tit.17.leg.1.n.81.Auendañus de cenſ.Hiſpan.c.28.n.4. vbi ex onere gabellæ, adiecto emptioni, & venditioni, nihil commodi actu percipiunt emptor, aut venditor, id non habetur loco pretij: nam tunc onus gabellæ, pars pretij eſſe dicitur, quando ineſt rei, vel quando aliquid commodi ex eo peruenit ad emptorem, vel venditorem. Vide etiam Guttierrez de gabellis, q.67.

Tertiò, argumentantur pro iſta ſententia, ex authoritate Doctorum; qui illam tuentur, & ſunt Boërius deciſ. 213.n.19. Burſatus lib.1. conſ.42.n.14. Alexander de iure fiſci, lib.1.reſol.5.n.7. Purpuratus conſ.489.n.7.& 8. Tiraquellus de retract.conſanguin.§.1.gloſ.13.n.12.& alij quamplures. Hi omnes aſſerunt gabellam impoſitam ſuper emptore rerum eccleſiaſticarũm eſſe licitam.

At, his non obſtantibus, non deſunt Doctores pro contraria ſententia, aſſerentes, talem gabellam eſſe iniuſtam, & contra eccleſiaſticam immunitatem. Et ita docent Gratianus in diſceptat.forenſ.tom.2. cap.250.per totum. Menochius lib.2.conſ.136. Laderchius conſ.103. à n.8. vſque ad n.15. Riccius in praxi, tom.2.reſol.187.n.2.& reſol.283.per totam, Surdus conſ.305.n.80. Homobonus de exam. Eccleſ. p.2.tract.9.c.1. q.1. & Zerola in praxi Epiſc.p.1. verb.gabellam, q.4. vbi probat, talem gabellam indirectè latam eſſe contra Clericos: ait enim: [ In quibuſdam locis Regni, ratione velaminis alicuius Vniuerſitatis, laïci imponunt gabellam ſuper ſerico, vel vino, vel aliquo huiuſmodi & volunt, vt ſoluantur duo carleni, vel quid ſimile pro libra, vel dolio: & quia vident, ſe non poſſe aſtringere perſonas eccleſiaſticas vendentes, ſtatuunt, vt ſoluant ementes: & non vident, quòd indirectè iſta gabella cadit ſuper perſonas eccleſiaſticas; etſi dicant, non Clericos, ſed ementes ſoluere: nam propter onus gabellæ ſoluendum, viliùs emunt. ] Ita ille.

Secundò ita argumentatur Laderchius, vbi ſuprà. Ementes à Clericis de iure communi non tenentur ſoluere gabellas: ergo ſi ſtatutum hoc addat, dicitur contra libertatem eccleſiaſticam. Probatur conſequentia: nam illud ſtatutum, quod coarctat Clericos, & adimit id, quod communi iure eis permiſſum eſt, dicitur violare libertatem eccleſiaſticam; at Clerici ſecundùm ius ciuile, & canonicum poſſunt liberè contrahere cum laïcis quibuſcunque, nec illi tenentur ſoluere gabellam: ergo, ſi ſtatutum hoc addat, vt dixi, erit contra eccleſiaſticam libertatem. Et ſic ſubdit Laderchius: [ Dicat Eccleſia, Tolle ſtatutum & ſi emptores tenentur ad gabellam, compelle: ſin minùs, ne mihi ius meum auferas; intereſt enim mea, habere emptores immunes.]

Tertiò, lex, & Magiſtratus, ſeu communis prudentum exiſtimatio, in impoſitione iuſti pretij alicuius rei, multas circunſtantias, tam intrinſecas, quàm extrinſecas conſiderat, & præcipuè onus gabellæ, inter illas, reſpicit. Ita Leſſius lib.2.c.23.dub.8. n.68. & ſic ait Molina tom.3.tr.2. diſp.678. n.6. tota latitudo pretij franci, & alcaualæ, eſt pretium iuſtum rei: ergo gabella eſt pars pretij, vt ipſemet Molina aſſerit etiam in diſp.668.n.2. in fine Malderus in 2.2.tract.5.c.6.dub.5.in fine. Bonacina de contract.diſp.2. q.9.punct.1.n.4. Vaſquez opuſc.de reſtit. cap.6. §.2.dub.9. n.52. Turrian.tom.2.in 2.2.diſp.46.dub.8.n.9. qui citat Molinam in alio loco ſuprà non adducto. Molfeſius in ſumma tom.2.tract.12.c.22.n.123. Laſſarte de decim.vendit, cap.15. n.19. Paulus de Caſtro conſil.433.n.2. & alij. Cùm igitur gabella ſit pars pretij, ſemper inuoluitur in pretio, nec poteſt ab illo ſeparari: ergo iuſtum pretium alicuius rei dicitur tam pretium francum, quàm ipſa gabella. Vnde, licèt Clerici non ſoluant vectigal ratione rei vendendæ debitum; poſſunt tamen rem illam vendere pretio ordinario, & non minore, quia in ipſo inuoluitur gabella, vt apparet ex Leſſio, vbi ſup.lib.2.cap.33. dub.8.num.68.

Hæ ſunt contrariæ ſententiæ ſuper poſitam quæſtionem quas conatur concordare Bellettus in diſquiſ. cler. part.1.tit.de exemptionibus Clericorum, §.8.n.2. cum illa celebri diſtinctione Baldi conſ. 31. quem poſteà amplexi ſunt Rolandus à Valle lib.4.conſ.61.n.18. Riminaldus lib.6. conſ.724.n.49. & 59. Surdus conſ.127.n.66. & alij. Aut onus gabellæ eſt annexum contractui, vt ſi, verbi gratia, ponatur ſtatutum, quòd ſoluantur duo ſolidi pro quolibet dolio vini, quod emitur, vel venditur; hæc gabella immediatè reſpicit contractum, vt eſſet in caſu noſtro, & lædit emptorem, & venditorem immunem: nam propter onus gabellæ, vel cariùs, vel viliùs emet, ſeu vendet. Aut onus gabellæ adiicitur actui ſeparato ab ipſo contractu, vt ſi ſtatutum dicat, quòd qui vult exportare dolium vini in ciuitate, ſoluat gabellam; tunc hæc gabellæ ſolutio non reſpicit immediatè contractum ipſum, ſed actum exportationis, qui nil commune habet cum ipſa Eccleſia, ceu immuni. Hac ſuppoſita diſtinctione ait Bellettus primam ſententiam negatiuam ſuprà poſitam eſſe amplectendam, quando onus gabellæ adiicitur actui ſeparato ab ipſo contractu: ſecundam verò ſententiam affirmatiuam eſſe veram, quando onus gabellæ eſt annexum ipſi contractui. Et hæc olim, circa præſentem quæſtionem in caſu propoſito, vt dixi, à Senatu Panormitano collegeram, pro ſubleuando labore Theologorum, qui conſulendi erant: & quia res viſa eſt difficilis, & periculoſa, Senatus non poſuit dictam gabellam.

*An Princeps poſſit imponere, & exigere gabellam ab Equitibus D.Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ.*

RESOLVT. L.

AFfirmatiuè reſpondet Bobadilla in polit. tom.1. lib.2. cap.18.n.264. nam putat, dictos Equites eſſe tantùm immunes à gabellis, quoad bona commendarum. Ita etiam ſentiunt alij Iuriſperiti, & Theologi, qui tenent, dictos Equites non eſſe verè Religioſos, vt præter DD. quos citat Sanchez, vbi infrà, docent Ioan.de la Cruz de ſtat.Relig.lib.1.c.2.dub.3. concluſ.2. Petrus de Ledeſma in ſumm. tom.2.tract.10.c.8.dub.2.concl.2. Emanuel Sà verb.Religio, n.41. Burgos de Paz conſil.17.n.2.& 3. Natta lib.3.conſ.508. & 509. Graffius tom.1.lib.3.conſil.11.de Regul. Valent.to.3. diſp.10.q.4.punct.12. Moneta de conſer.iudic.cap.10.n.389. Molfeſius in ſumma, tom.1.tract.6.cap.2.num.30. & alij.

Sed contrariam ſententiam amplectendam eſſe puto; nempe, hos Equites eſſe verè Religioſos. Ita Sanchez in ſumma, tom.1. lib.4.c.16. n.11. vbi citat pro hac ſententia octo Doctores, quibus ego addo alios, quos citat Garſias de benef.tom.1.part.1.c.4.n.15. & Hieronymus de Cenedo tract.de pauper.relig.dub.60.n.11. & ſeq. & Baſilium Poncium in tract. de impedim. matr. cauſa 27. q.2. §.4. vbi ſic aſſerit: [ Dictos Equites eſſe verè, & ſubſtantialiter Religioſos, adeò certum exiſtimo, vt oppoſitum iudicem nimis licentioſè dictum, ne dicam grauius, cùm pleno ore literæ pontificiæ illos appellent Religioſos, & etiam cum caſtitate coniugali, vera Religio conſtare poſſit: eò quòd ſicut in paupertate latitudo eſt; ita etiam in caſtitate, quæ eſt materia voti.] Ita Poncius cum aliis Theologis, quorum vota circa præſentem quæſtionem adducit Mota de confirm. ordin. D.Iacobi, lib.2. c.2. §.29.per totum, vbi n.4. Michaël de Carranca probans, dictos Equites eſſe verè Religioſos, ſic ait: [ Confirmaſe tambien por la practica deſte Reyno de Valencia, donde vemos, que ſon exemptos de ſiſas, y impoſiciones, que no pagan los Eccleſiaſticos, y Regulares, y los ſeglares las pagan, y eſtos Caualleros de Santiago, Calatraua, Alcantara, y Monteſa, como he dicho, no las pagan.] Ita ille. & doctiſſimus Sancius in ſuis practicis diſputationib. ita tenet, dictos Equites eſſe verè Religioſos; & docet, illos poſſe confiteri cum Sacerdote ſæculari non approbato ab Ordinario, ſicut poſſunt alij Regulares. Sic ille in diſp.49. n.11. & 13. quod eſt valdè notandum, quia nouum. Et Flores de Mena lib.2.q.21.n.205. docet etiam, dictos Equites non eſſe collectandos, & eſſe immunes à gabellis: quia, dato, & non



non conceſſo, quòd non ſint verè Religioſi, ſunt tamen perſonæ eccleſiaſticæ, & largo modo Religioſi. Vnde ex his, me conſulente, in cauſa D.Aloyſij Maſtrantoni, & D. Ioannis de Gioeni Illuſtriſſ. Senatus Panormitanus conceſſit exemptionem gabellarum ſupradictis Equitibus, qui erant adhuc Nouitij.

*An miniſter laïcalis iuriſdictionis poſſit exercere iuriſdictionem circa Clericos coniugatos, non in criminalibus, ſed in ciuilibus?*

RESOLVT. LI.

AFfirmatiuè reſpondet Couarr.pract.qq.c.31.n.7. Barboſa de poteſt.Epiſc.part.2.alleg.12.n. 25. Cenedo in qq.canonicis, q.4.n.18.& 19. Guttierrez pract. qq.lib.1.q.5. n.3. Azeuedus tom.1.lib.1.leg.2.tit.4.Recopil. Sanch.de matr. tom.2. lib.7.diſp.46.n.22. Megala in 3.p.lib.3.c.20.n.40.& Coriolanus in Bulla Cœnæ, excomm.16.fol.mihi 945. Layman vbi infrà, cum aliis. Probatur hoc ex c.vnico.de Cler. coniug.in 6. vbi ſolùm conceditur Clericis coniugatis priuilegium Canonis, & fori; in cæteris autem minimè. Et licèt textus loquatur etiã de cauſſis ciuilibus, intelligendus eſt, quoad capturã perſonæ, non autẽ ſi merè ciuiliter contra bona ſine carceratione agatur; vt fuit reſolutũ in Capella Tholoſana, deciſ.184.& apud Guidum Papam deciſ.13.

Sed mihi contraria ſententia videtur probabilior. Dico igitur, Clericum coniugatum, ſi contraxit cum virgine, & tonſuram, & habitum clericalem geſtet, & alicui Eccleſiæ deſeruiat, gaudere priuilegio fori, non ſolùm in criminalibus, ſed etiam in ciuilibus, & ante Iudicem eccleſiaſticum eſſe conueniendum, vt patet ex cap.2.de foro comp.& c.vnico, de Cleric.coniug. vbi habetur, neque ab ipſis ſæcularibus Iudicibus eos debere perſonaliter, vel etiam pecunialiter nullatenus condemnari. Vbi pondera verbum illud, nullatenus, quod totum negat, & vniuerſaliter iuriſdictionem Iudicis ſæcularis excludit. Et dato, quòd hic caſus eſſet dubius in iure, potiùs pro iuriſdictione eccleſiaſtica iudicandum eſt, quàm pro iuriſdictione laïcali. Et ita docuit quidam Regius, is eſt Ceuallos in tract. de cognit.per viam violentiæ, p.2.qu.73.n.4. aduersùs alios Iuriſtas. Et ex noſtris docet etiam hanc ſententiam Duardus in Bulla Cœnæ, lib.2.can.15.q.4.concl.3.num.12. Riccius in ſuis deciſionibus, p.4.deciſ.320.n.5. & collect. 308.& nouiſſimè ex Iuriſtis Martha de iuriſdict. par.1. centur.2. caſ. 159.n.5. Vide etiam Zanardum in director. Confeſſ.p. 1.de Sacram. Matrim.c.23.q.24. & alij apud Ceuallos. Notandum eſt etiam cum noſtro D. Carolo de Graſſis de effect. Cler.effect.2.n.218. & aliis, Clericum negotiatorem, ſi ter non fuerit monitus, non ſubiacere ſtatutis laïcorum: & Layman notauit, quòd omnis negotiato, quæ aliis Clericis prohibita eſt, etiam coniugatis prohibita cenſeri debet. Ita ille in Theol.moral.lib.4.tract.9.cap.8.n.5. & Suarez contra Regem Angliæ, lib.4.c.28.n.9. cum aliis, quidquid in contrarium aſſerat Clar.§ fin.q.30.n.12.

*An Iudex laïcus poſſit punire Clericum aſſaſſinum notorium?*

RESOLVT. LII.

AFfirmatiuè reſpondet Iacob. de Graffiis in ſuis deciſ. p.1.lib.4.c.18.n.15. ſed iſte Author in ſuis Commentariis ſuper Bullam Cœn. latas opiniones docet aduersùs eccleſiaſticam immunitatem. Et ideò contrariam ſententiam docet Bonacina de legibus, diſp.10.q.2.punct.1.§.4.n.8. Ambroſinus de immun. Eccleſ. cap.17.num.10. Duardus in Bulla Cœn.lib.2.can.15.q.11.n.63. Martha de iuriſdict.p.4. cent.2.caſ.129.n.17. Maſtrillus tom.3. deciſ.288.n. 28. Bellettus in diſquiſ. cler.p.1.tit.3.§.7.n. 6. Marius Antoninus lib.3.reſol.2.num.9. Salzedus in pract.crim. Diaz c.98.lit.B. Ceuallos tract.de cognit.per viam violen. p.2.q.102.n.6.& q.87.n.4. Megala in 3.p.lib.3.c.20.q.4.num.35. & alij: quicquid in contrarium aſſerant aliqui Iuriſperiti, vt noſter D. Carolus de Graſſis de effect. Cler.eff.1.n.668. & Petrus de Cenedo in collect.37.n.11. & alij penes ipſos, quorum ſententiam, ſed immeritò, probabilem vocat Gambacurta de immun.Eccleſ.lib.7.c.14.n.13. & illum ſequitur Molina tom.4.tract.3.diſp.25.n.6.& diſp.49.n. 20.

Dico igitur contra Graffium, & ſupradictos Iuriſtas, Clericum aſſaſſinij reum non ſubiici poteſtati ſæculari, niſi poſt ſententiam criminis declaratoriam, quam ferre debet Iudex eccleſiaſticus: & Iudicem ſæcularem, aliter facientem, certum eſt in excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrere. Et idem dicendum eſt de Clerico incorrigibili: nam non amittit priuilegium fori abſque alia declaratione, & depoſitione; ſed requiritur ſententia Iudicis eccleſiaſtici, qui illum brachio ſæculari tradat. Et hoc habetur in cap. cùm non ab homine, de iudiciis. Et ita docet Suarez de cenſuris, diſp.22.ſect.1.num. 9. Coninch.de Sacram.diſp.14.dub.15.n.19. Sayrus de cenſ.lib.3.c.19.n.5. & alij apud Ambroſinum de immun. c.17.n.28 & habetur expreſsè in quadam Bulla Clem.V I I I. dat.Rom.18.Decembr. 1591.

Hoc etiam militat, & idem dicendum eſt, in Clerico ſodomita nototio: quia illum non poteſt punire Iudex laïcus, niſi præcedat declaratio Iudicis eccleſiaſtici, quicquid in contrarium aſſerat Garſias de nobil.gloſſ.9.num.19. vbi cautè legendus eſt: nam in illa Gloſſa multas opiniones affert contra immunitatem eccleſiaſticam. Sed noſtram ſententiam tenet, & docet Duardus in Bulla Cœnæ lib.2.canon.15.q.11.n.61. Ceuallos tract.de cognit.per viam violentiæ, p.2.q.97.art.4. Martha de iuriſd.part.2.c.16.n.4. Bobadilla in polit.tom.1.lib.2.c.18. n.59. Megala in 3.part. lib.3.cap.11.n.11. & iterum Ceuallos vbi ſuprà, q. 43.n.6. vbi ſic aſſerit: [ Hoc vidimus in facti contingentia in quodam Clerico alienigena, qui in Matua Carpentana non ſolùm committebat agens, & patiens, illud nefandum ſodomiæ crimen; ſed etiam contrahebat matrimonia inter maſculos, mutato ordine naturæ. Et licèt illud delictum fuerit grauiſſimum, & nunquam auditum; Clericus tamen ille, poſt degradationem, fuit traditus Curiæ ſæculari. ] Ita ille.

*An Iudex ſæcularis proceſſans occultè Eccleſiaſticum in cauſa criminali, cum intentione poſteà proceſſum præſentandi Prælato, faciat contra libertatem eccleſiaſticam, & incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ?*

RESOLVT. LIII.

NEgatiuè reſpondet Graffius in deciſ.p.1.lib.4.cap.18. num.135. ſed iſte Author, vt ſuprà notauimus, multa docet, non admittenda in his materiis eccleſiaſticæ libertatis.

Et ideò contrarium aſſerendum eſt, nempe, in excommunicationem incidere Iudicem ſæcularem, qui ſecretò Eccleſiaſticos proceſſaret, etiamſi animum haberet præſentandi talem proceſſum Summo Pontifici, vel alij Prælato. Et ita docent Filliucius tom. 1. tract. 16. cap.11.num. 312. & Souſa in Bulla Cœnæ, c.20 diſp.95.concl.2.n.4. qui num. 2. hanc ſententiam limitat dicendo: [ Quando (hæc ſunt eius verba) non eſt aditus ad Prælatum, qui iuridicè ſe informare poſſit de facto criminali alicuius Eccleſiaſtici, & in eo continuatur, & eſt periculum in mora; poteſt Iudex ſæcularis informationem facere, vt Prælato præſentet; non verò in aliis caſibus. Quando verò in aliquo facto criminali, Eccleſiaſtici, & ſæculares ſimul conuenerunt; eatenus Iudex ſæcularis poterit circa Eccleſiaſticos, teſtium dicta recipere, quatenus ad id procedendum, contra laïcos neceſſarium fuerit; aliàs ab hac cenſura illum non excuſarem: ſed informationem talem verbaliter, vt Prælato denunciet, non verò iudicialiter accipere, exiſtimo

exiſtimo non prohiberi hoc loco. ] Ita Souſa, quæ ſunt valdè notanda à Iudicibus laïcis. Ad argumentum verò, quod adducit Graſſius, reſpondetur, quòd, licèt capere informationem, propriè, & in rigore loquendo, non ſit proceſſare; eſt tamen quomodolibet in cauſſis Eccleſiaſticorum criminalibus ſe intromittere; quod eſt contra libertatem eccleſiaſticam, & ſufficit ad incurrendam excommunicationem.

*An Principes poßint ſtatuere, ne laïci vendant Clericis, ne molant, aut coquant panem, vel ne exhibeant aliqua ſeruitia, & obſequia?*

RESOLVT. LIV.

ITa facientes non incurrere in excommunicationem Bullæ Cœnæ, putauit Caietanus *in ſumma verb.excommunicatio,c.*31. Nauarrus *in Manuali,c.*27.*n.*119. Et hanc ſententiam nouiſſimè probabilem vocat Filliucius *tom.*1. *tract.*16. *c.*10. *n.* 271. & illam abſolutè etiam docet Pereira *de manu regia,prælud.*3.*n.*7. & Anguiano *in tract. de legibus,tom.*1.*lib.*2.*contr.* 15.*n.*39.*& ſeq.*

Sed ego falſam exiſtimo. Dico igitur, Principes ita ſtatuentes in excommunicationem Bullæ Cœnæ incidere; quia tale ſtatutum eſt contra libertatem eccleſiaſticam, vt habetur *in c.eos.de immun. Eccleſ.in* 6.his verbis: [In eos, qui temporale dominium obtinentes ſuis ſubditis, ne Prælatis, aut Clericis ſeu perſonis eccleſiaſticis quidquam vendant, molant, coquant panem, aut alia obſequia exhibere præſumant, aliquando interdicunt. cùm talia in derogationem libertatis eccleſiaſticæ præſumantur, eo ipſo excommunicationis ſententiam decernimus. ] Ita textus. Et ita docent communiter omnes Theologi, vt Suarez *de cenſuris diſp.*21.*ſect.*2.*n.*93. Reginaldus *tom:* 1. *lib.*9.*c.*24.*n.*358. Gambacurta *tract. de caſ.reſeru.c.* 10. *n.* 10. Coriolanus *in Bulla Cœnæ,excommun.* 15.*fol.mihi* 937. Filliucius *vbi ſup.*& alij.

Nec valet dicere, quòd talia ſtatuta ſint potiùs contra libertatem politici conuictus, quàm contra eccleſiaſticam libertatem: nam reſpondetur primò: Saltem indirectè ſupradicta ſtatuta ſunt contra immunitatem eccleſiaſticam: ſed in Bulla excommunicantur etiam, qui indirectè aliquid ſtatuunt contra dictam libertatem: ergo, &c. Secundò: Durius eſt, & incommodiùs vexantur Clerici in his, quæ pertinent ad politicum conuictum, quàm in aliis, quæ pertinent ad Eccleſiam, vt Eccleſia eſt: ergo, &c. Tertiò: Eſt contra libertatem eccleſiaſticam denegare Clericis ea, quæ de iure communi illis competunt: ſed iure communi quilibet alteri obſequia prædicta præſtare poteſt: ergo, &c. Et ideò noſtra ſententia omninò tenenda eſt.

*An Principes, ſeu miniſtri regij, faciendo literas hortatorias ad Epiſcopos, vt ab aliqua mala determinatione deſiſtant, vt eſt in vſu in Regno Neapolitano, faciant contra libertatem eccleſiaſticam, & incidant in cenſuras Bullæ?*

RESOLVT. LV.

NEgatiuam ſententiam docet Coriolanus *in Bulla Cœnæ excomm.*16. vbi ſic habet: [Hortatoriæ hîc non comprehenduntur: eſt autem hortatoria, litera amicabilis, ſi Epiſcopus aliquid contra laïcum impertinenter faciens ab Officialibus ſæcularibus hortatur, vt deſiſtat à faciendo talia. ] Idem etiam docet Megal. *in* 3. *p. lib.*3.*c.* 19. *n.*6. quia verba exhortatoria ſolum conſilium important, & neceſſitatem non inducunt; niſi tamen in his literis Princeps precatoriis verbis vteretur, & non tantùm exhortatoriis: nam in tali caſu res eſſet multùm ſcrupuloſa: nam preces Principum mandato æquiparantur.

*An laïcus ſit Iudex competens, quando agitur de poſſeſſorio matrimonij?*

RESOLVT. LVI.

AGitur de poſſeſſorio, v.g. inter virum, & vxorem; & vir innititur poſſeſſione aduersùs mulierem, quæ propria authoritate diuertit, vel è contra: quæritur, an Iudex laïcus ſit competens in hoc caſu? Affirmatiuam ſententiam ex neotericis Iuriſconſultis docet Theſaurus *deciſ.* 117. & ita fuiſſe deciſum in Senatu Pedemontano teſtatur. Sed malè, & contra iuriſdictionem eccleſiaſticam: nam matrimonialis poſſeſſoria admixtam habet cauſam ſpiritualitatis ſimul, & titulum: & Iudex laïcus certum eſt, quòd poteſt cognoſcere de poſſeſſoriis rerum eccleſiaſticarum, quando per titulum iuſtificari debent: vnde poſſeſſorij cauſa mixtam habens cauſam ſpiritualitatis, ad ſolos Iudices eccleſiaſticos pertinet. Et ita in terminis hæc omnia probat nouiſſimè Franciſcus Molinus *tract.de ritu nupt.lib.*2.*differ.*10.*n.*19. *& ſeq.* Adi illum, & non pigebit.

*An ſtatutum diſponens, mulierem extra territorium nubentem, cum ſua familia priuandam fore hæreditate, etſi ei ſit quæſita; ſit contra immunitatem eccleſiaſticam?*

RESOLVT. LVII.

SI in hoc Siciliæ Regno tale ſtatutum adeſſet, non pauci illud frangerent. Sed ad rem. Multi hoc ſtatutum valere opinati ſunt: & ita docet Baldus *in leg. ſi matre.C.de ſuis,& legit.her.* idem Baldus *lib.* 1.*conſ.*357.*& in cap.conſului.n.*6.*de offic. deleg.* Socinus, & Iaſon *in l.* 1. §. *veteres.ff.de acquir.poſſeſſ.* Alexander *lib.*2.*conſ.*251.*num.*2. Ruinus *lib.*3.*conſ.*49.& alij. Et ratio eſt: quia huiuſmodi ſtatuta facta ſunt in bonum Reipublicæ, ad eam replendam liberis, & vt etiam plures ſint in ea, qui gabellas ſoluant, & onera ſuſtineant. Sed contrariam ſententiam omninò amplectendam eſſe puto: quia matrimonia libera eſſe debent ab omni coactione, *ex leg. Titia.ff.de verborum oblig.* Vnde & in terminis huius quæſtionis non valere ſimilia ſtatuta, etiam ſi colorem quendam publicæ vtilitatis præſe ferant, docet Panormitanus *in c.*1. *de ſponſ.* Decius poſt Felinum *in cap.Eccleſ.S.Mariæ. n.* 36. *de condit.* & hanc opinionem communem eſſe teſtatur Gabriel *lib.*2.*conſ.*12. *n.* 9. & illam nouiſſimè docuit Molina *de ritu nuptiarum, lib.*2.*differ.*7.*n.*26.& poſt illum Barboſa *in collectan.tom.*2. *lib.*4.*tit.*1.*c.*1.*n.*7.

*An ſit contra libertatem eccleſiaſticam, condere ſtatutum, vt immobilia non alienentur in extraneos, prohibendo expreſſè, ne alienentur in perſonas eccleſiaſticas?*

RESOLVT. LVIII.

NEgatiuè reſpondent aliqui, vt Molina, quod valdè miror, *de iuſt.tom.*1.*tract.*2.*diſp.*104. *num.*18. & alij quamplures Iuriſconſulti, quos affert, & ſequitur nouiſſimè Chriſtophor. de Anguiano *in tract. de legib. tom.* 1. *lib.*2.*contr.*15.*n.*33.*& ſeq* & tales ſtatuentes non incurrere in excommunicationem Bullæ putauit Iacobus de Graſſis *in ſuis deciſ.p.*1.*lib.*4. *c.*18.*n.*233. vbi hæc verba aſſeruit: [Si in ſtatuto cauetur, quòd nullus ſubditus poteſtati Mediolani poſſit alienare rem immobilem in non ſubditum, niſi ſoluat tantùm pro libra expreſsè prohibendo, ne poſſit alienare in perſonam eccleſiaſticam; dico, quòd tale ſtatutum eſt iuridicum, non improbandum, nec cenſendum contra libertatem Eccleſiæ: quia eſt conditum fauore publici, & communis boni, & ſubditorum,

vt



vt eis ſalua immobilia, & territoria, conſeruentur. ] Ita ille.

Sed talis opinio eſt contra communem, & veram ſententiam omnium Theologorum, & Iuriſconſultorum, quam inter alios docet Comitolus *in tract. Apolog.cap.*1. *n.*18.*folio mihi* 26. Bouius *in reſponſ.ad M.Paulum,part.*3. *fol.mihi* 33. Colleg.Bononien. *in reſponſ. pro libert.eccleſiaſtica.n.*18.*& ſeq.* Vgolinus *in reſponſ.ad Iuriſconſ.Gymnaſij Patauini,c.*6.§.1.*& ſeq.* Vigianius *tract. de immunit. Eccleſ.diſp.*3.*concl.*2 Barboſa *in collect.ad lib.*1.*Decr.tit.*2. *c.Eccleſia S.Mariæ.de conſtit.n.*29.*tom.*1. Franc. Fagnanus *in tract.de iuſt.cenſ.Pauli V.p.*3.*fol.*42. Genuenſis *in pract. Eccleſ.tricenario* 13.*q.*379.*n.*5. Duardus *in Bull.Cœn.lib.*2. *can.*15.*q.*19.*n.*83. Filliucius *tom.*1. *tract.*16.*c.*10.*num.*272. Reginald. *in praxi,tom.*1.*lib.*9.*cap.*23.*n.*359. Suarez *contra Regem Angliæ.* Martha *de iuriſdict.p.* 4. *cent.*1.*caſ.*6. *n.*16. Bellettus *in diſquiſ.cler.p.*1.*tit.*4.§.4.*num.*1.*&* 4. vbi citat quam plures Doctores. Surdus *lib.*3.*conſ.*301.*n.*67. Maynardus *de priuileg. Eccleſ.contra Venetos, p.*2.*art.*22.*n.*67. *& ſeq.* & alij.

Et ratio eſt: quia tale ſtatutum prohibet Eccleſiaſticis, quod nec naturali, nec diuino iure prohibitum eſt: imò, id humano iure conceſſum eſt, vt patet *ex leg. generali, & leg.iubemus.de ſacroſ. Eccleſ.* vbi conceditur, vt Eccleſiaſticis liberè legari, & donari poſſint à laïcis eorum bona, tam inter viuos, quàm inter mortuos. Et hoc facere prohibentes damnantur expreſsè *in c.eos de immun. Eccleſ. in* 6. Et hoc maximè procederet, ſi ſtatutum expreſsè prohiberet, ne fiat alienatio in Eccleſias, vt ex multis notat Bellett. *vbi ſup.n.*4. Et etiamſi talis mentio Eccleſiaſticorum non adeſſet, ſed tantùm laïci, & ſubditi nominarentur; adhuc tale ſtatutum Clericos non comprehenderet, nec illis præiudicaret: nam, vt benè notat Maynardus *vbi ſup. n.*68. licet dictum ſtatutum, quoad verba, non videretur infringere eccleſiaſtcam libertatem, cùm præcipiat ſubditis; tamen quoad mentem, eſt contra libertatem eccleſiaſticam, faciendo fraudem de perſona ad perſonam. Et in ſimilibus non tantùm inſpicitur, cum quo ſtatuens loquatur; ſed in quem effectum ſermo conferatur.

Adde, quòd nullà diſpoſitio generalis comprehendit caſus, vel perſonas in ſpecie priuilegiatas, & ſub generali diſpoſitione non comprehenditur id, quod in ſpecie diſponi non poteſt, *ex leg. Lucius,§.pen.ad municip.* Vnde, vt *ſuprà* dixi, valdè miror, Graſſium, virum eccleſiaſticum, doctum, & pium, contrarium dixiſſe. Et ideò, ſpeciatim loquendo de illo ſtatuto Mediolanenſi, obſeruat Maynardus *vbi ſupr.* cum Menochio *lib.*9.*conſ.*878.*n.*10.*in fin.* Senatum Mediolanenſem conſueuiſſe ſeruare, vt illud ſtatutum Clericos non comprehendat.

Notandum eſt verò, quòd, licèt Coriolanus *in expoſit. Bull.Cœn.excomm.*15.*fol.mihi* 958. aſſerat, ſtatutum, quòd non alienentur bona immobilia in extraneos, non eſſe contra libertatem eccleſiaſticam; tamen docet, in tali caſu poſſe Epiſcopos cogere ita ſtatuentes, vt declarent, illud ſtatutum non debere extendi ad Clericos. Vide Surdum *lib.*3.*conſ.*301.*n.*45.

*Quædam ciuitates habent priuilegium, vt qui ad eas confluunt habitationis cauſa, non poßint per quinquennium ab eorum creditoribus conſtringi: quæritur, an, ſi Princeps in caſu particulari ſtatuat per publicam ſcripturam, ne aliqui debitores, inter quos nominat quendam Sacerdotem, poßint dicto priuilegio frui; an, inquam, hoc ſtatutum ſit contra immunitatem eccleſiaſticam?*

RESOLVT. LIX.

DE hoc caſu interrogatus fui in cauſa Dominorum de N. & pro ſtatuto, & validitate actus, adſunt multa argumenta.

Primò: Quando Princeps ex iuxta cauſa reuocat priuilegium Clericis, vel Eccleſiæ conceſſum, non facit contra libertatem eccleſiaſticam dummodo non ſit receptum à Summo Pontifice: ſed hoc, imò minùs, accidit in caſu noſtro: ergo, &c. Minor patet. Maior probatur ex authoritate Fulgoſij *in l.ſi quis Curialis C.de Epiſc.& Cleric.* & aliorum Iuriſconſultorum: & ex Theologis mordicùs ſuſtinet hanc ſententiam Ioſeph Souſa *Bull. Cœn. cap.*16. *diſp.*84.*concl.*5.*n.*6. Et Decius *in conſ.*85.*n.*4.*& conſil.*275. *n.*3. aſſeruit, valere Principis ſtatutum, per quod Clericis, & Eccleſiæ denegantur beneficia, & priuilegia aliorum ſtatutorum.

Secundò Princeps in caſu noſtro non reuocat, ſed declarat primam conceſſionem priuilegij non fuiſſe ad ſimilem euentum extenſam: nam, ſi docti, & ſimiles creditores, inter quos adeſt Clericus, gauderent, vergeret hoc in detrimentum Regis & Regni; & ideò talis caſus ex natura rei non intelligitur incluſus in prima conceſſione; quia priuilegium generaliter inductum non includit caſum, publicæ vtilitati contrarium, vt ex multis notat doctus Mexia *in pragm. taxæ panis. concl.*4.*n.*20. Azeuedus *lib.*6. *leg.*1.*tit.*1.*n.*25.*recopil.* & nouiſſimè Gironda *in tract. de priuileg.q.*70.*n.*334.

Tertiò: Tunc aliquod ſtatutum eſt contra libertatem eccleſiaſticam, quandò Clerici ex illo efficiuntur deterioris conditionis, quàm laïci, vt probat Riccius *in praxi. tom.*3.*reſol.*207.*n.*7.& Megala *in* 3.*par.lib.*3.*c.*10.*q.*1.*n.*51. & alij communiter. Sed in noſtro caſu Clericus non efficitur deterioris conditionis, quàm laicus: nam priuilegium vtrique negatur, Ergo, &c.

Quartò; Statutum contra libertatem politici conuictus, non eſt contra libertatem eccleſiaſticam, vt fert ſententia Caietani *in ſumm.c.*31. & Nauarri *c.*27. *n.*11. Sed hoc ſtatutum Principis reſpicit tantum libertatem politicam, nempe perſonam dicti Clerici: non quatenus Clericus eſt: ſed vt perſona politica, & vaſſallus. Ergo non eſt contra libertatem eccleſiaſticam.

Sed his non obſtantibus, tunc ego, vt dixi, interrogatus de hoc caſu contrarium cenſui: & conſulentes poſteà mihi dixerunt, ita etiam ſenſiſſe P. Ioſephum de Auguſtino, Societatis IESV, virum mihi amiciſſimum, & doctiſſimum. Et primò, ſuppono, de iure communi Clericos poſſe gaudere, & vti beneficio ſtatutorum; & priuilegiorum alicui Vniuerſitati, vel certo generi perſonarum conceſſorum, vt patet *ex cap.conſtitutus.de reſtit. in integr.* & notauit noſter P.Duardus *in Bulla Cœn.lib.*2. *canon.*15. *q.*19.*num.*11.13.31.33. 40.*&* 41. Secundò notandum eſt quòd ſtatutum, per quòd tolluntur Clericis ea, quæ de iure communi illis competunt, eſt contra libertatem eccleſiaſticam, vt docent Decius & Felinus *in cap.eccleſia S.Mariæ,de conſt.* hic *in num.*69. ille *in n.*8. Mandellus de Alba *lib.*1.*conſ.*8.*n.*3.*&* 10. *conſil.* 164.*n.*13. & ex Theologis Filliucius *tom.*1,*tract.*16.*c.*10.*n.*271. & Megala *in* 3.*p. lib.*3.*c.*10.*q.*1.*n.*56. cum aliis communiter.

His verò ſuppoſitis, ſic argumentor: Statutum, quod aufert alicui Clerico ea, quæ de iure communi ſibi competunt, eſt contra libertatem eccleſiaſticam: ſed in noſtro caſu denegatur Clerico priuilegium, quòd ſibi de iure communi competit, vt *ſuprà* probatum eſt: ergo tale ſtatutum erit contra libertatem eccleſiaſticam. Nec valet dicere, quòd in noſtro caſu, etiam laici non gaudent, vt apparet ex lectura ſtatuti: ergo neque debet gaudere Clericus; quia ceſſat ratio noſtri argumenti. Nam reſpondeo, quòd hoc eſſet verum, ſi Princeps per dictum actum, & ſtatutum generaliter denegaret in poſterum omnibus laïcis tale priuilegium; ſed cùm denegat tantùm aliquibus, manet adhuc ius, & vrget ratio noſtræ argumentationis.

Deinde, & hoc eſt maximum argumentum, Princeps in iſto actu vtitur verbis imperatiuis, dicens, *mandauit & mandat*: quod quidem verbum præſupponit iuriſdictionem: nam inducit præceptum, vt inter multos notat

Salas

Salas *de legib.diſp.*10.*ſect.*9. *n.*35. Bonacina etiam *legibus, diſp.*1.*q.*1.*punct.*7.§ 4.*n.*7. Vaſquez, Sanchez, & alij penes ipſos. Sed Princeps non habet iuriſdictionem in Clericos, Ergo nullus erit actus, & contra Canonem 15. Bullæ Cœnæ, vbi prohibetur Principibus, condere ſtatuta. & ordinationes ex quacunque cauſſa contra Clericos.

Adde, quòd Princeps in iſta ordinatione facit ſpecificam mentionem de Clerico: ſed ſtatuta laicorum, etiam Clericis fauorabilia, ſi de illis mentionem faciant, ſunt nulla, & contra libertatem eccleſiaſticam, vt ex communi ſententia Doctorum notat Alexander *lib.* 2. *conſil.*211.*n.*2. *&* 6. Surdus *lib.*2.*conſ.*301.*n.*13. Oddo *lib.*1.*conſ.*44.*n.*3. Cioffus *lib.*1.*conſ.*81.*n.*84. Plotus *conſ.*93.*n.*2. Caualcanus *lib.*3.*deciſ.*33.*n.*16. Decius *in c.quæ Eccleſiarum, de conſtit. n.*38. & alij. Ergo nullum erit ſtatutum, de quo loquimur, ex defectu poteſtatis, qua caret Princeps in nominando Clericum.

Reſtat modò reſpondere ad argumenta in principio poſita. Ad primum dico, doctrinam illam non procedere in caſu noſtro, vbi reuocatur Clerico priuilegium quod ei competit de iure communi, vt *ſuprà* probatum eſt, ſed procedere in caſu, quo ſtatutum denegaret aliquibus Clericis beneficium proprium, vt, v. gr. poſſet Princeps reuocare per ſtatutum eleemoſynam ſingulis annis faciendam Eccleſiæ, vel Clericis, per alterum prius ſtatutum diſpoſitam. Sed, quia hæc opinio, vt *infrà* videbimus, mihi non placet, ideò reſpondetur ad argumentum, negando abſolutè illam ſententiam, vt de facto negauit Martha *de iuriſdict.p.*4.*cent.*1.*caſ.*52.*n.*6.*& ſeq.* & præter DD. quos ipſe citat: refellunt etiam hanc opinionem Alterius *de cenſ.tom.*1.*lib.*5.*diſp.*16.*dub.*1. Fabius de Anna *lib.*1. *conſ.* 86.*n.*4. M. Antonius Genuenſis *in Pract. Eccleſ.Tricen.*6. *q.*158.*n.*2. Azorius *p.*1.*lib.*5.*c.*13.*q.*5. cum aliis.

Ad ſecundum reſpondeo, Principem non declaraſſe, ſed ſtatuere, & ordinare, vtendo verbis præceptiuis, & nominando Clericum in ſpecie, quæ omnia ſunt contra libertatem eccleſiaſticam, & Bullam Cœnæ Domini: ſecùs autem, ſi generaliter declararet ſimiles debitores non gaudere, nec fuiſſe incluſos in priuilegio ciuitatis Agrigentinæ, non nominando Clericos.

Ad tertium reſpondetur, quòd in noſtro caſu Clericus efficitur deterioris conditionis, quàm laici, non quidem prænominati in tali ſtatuto, ſed alij. Et ratio eſt: quia iſte actus non reuocat generaliter priuilegium illius ciuitatis pro omnibus laicis, ſed pro aliquibus, vt dictũ eſt: & ſicut multi laici ante hoc decretũ pro ſimili cauſa (vt mihi aſſerunt) vſi ſunt tali priuilegio; ſic & in poſterũ vtentur; quia, vt diximus, reuocatio talis priuilegij minimè generica, ſed ſpecifica eſt. Deinde in hoc ſtatuto maximè Clericus efficitur deterioris conditionis, quàm laicus: quia poteſt quidẽ Princeps ratione iuriſdictionis in ſuis ordinationibus facere ſpecificam mentionem de laicis; non autem de Clericis: quod factum in iſto ſtatuto apparet: ergo, &c.

Et tandem ad quartum reſpondetur, falſam eſſe illam ſententiam Caietani, vt *ſuprà* probatum eſt: nam ex illa ſequeretur poſſe Principes ſtatuere, ne Clerici quid emãt, aut vendant; ne alterius operas conducant; ne apud aliquos faciant molere ſuum triticum, aut panem coquere; ne tranſeant per pontem; ne habitent in aliqua Ciuitate; & ſimilia; quæ omnia abſurdiſſima eſſe ſatis apparet. Ita Reginald. *tom.*1.*lib.*9.*c.*24.*ſect.*2.*n.*358. & alij.

*An, ſi Princeps ſtatuat, ne ſuis priuilegiis potiantur ij, qui ſibi ſubditi ſunt; faciat contra libertatem Eccleſiaſticam, & Clerici illis non poßint vti?*

### Resolvt. LX.

NOn eſſe ſtatutum cõtra immunitatem eccleſiaſticam putauit D. Carolus de Graſſis *de effect. cler.eff...n.*26. Azorius *p.*1.*lib.*5.*c.*13.*q.*4. qui citat Bartolum, & Felinum *in c.Eccleſia S.Mariæ*, & ideò Clericos huiuſmodi priuilegio non gaudere. Et rationem adducit: quia Princeps in tali ſtatuto nullam facit mentionem de Clericis; & ideò non eſt inualidum defectu iuriſdictionis. Deinde, aliud eſt, beneficium, vel priuilegium non concedere; aliud verò, derogare: nam hoc, quod eſt concedere, abſque vlla iniuria alterius fit; adimere verò, tollere, aut ex parte minuere, ſine iniuria, & damno minimè contingit. Ergo, &c.

Sed ego de hoc caſu interrogatus à Sereniſſ. Principe Philiberto, reſpondi affirmatiuè, & adduxi noſtrum P. Duardum, qui *in Comment. in Bull.Cœn.lib.*2.*can.*15.*q.*19. *n.*41. contra Azorium in ſpecie loquens, hanc ſententiam docet. Et ratio eſt: quia, vt *in ſuperiori Reſol.* dictum eſt; ſtatutum, per quod tolluntur alicui Clerico ea, quæ de iure communi ſibi competunt, eſt contra libertatem eccleſiaſticam, vt notat Filliucius *tom.*1.*tract.*16.*c.*10.*q.*8.*n.*271. Riccius *in praxi*, *tom.*3 *reſol.*107.*n.*8. Mandellus de Alba *lib.*1.*conſ.*8.*n.*3.*&* 10. cum aliis. Sed in noſtro caſu denegatur Clericis priuilegium, quod de iure communi illis competit. Ergo, &c. Probo minorem. Nam de iure communi Clerici poſſunt gaudere, & vti beneficio ſtatutorum, & priuilegiorum alicui Vniuerſitati, vel certo generi perſonarum conceſſorum, vt patet *ex c.conſtitutus, de reſt. in integr.* vt notauit Duard. *vbi ſup.n.*11.14.31.33.40. *&* 41. Ergo, &c, Et ita ſecundùm hanc ſententiam tunc fuit determinatum.

*An, ſi Princeps conderet ſtatutum abrogans aliud ſtatutum ſuum, quod Clericorum priuilegium continebat; peccet contra immunitatem eccleſiaſticam?*

### Resolvt. LXI.

NEgatiuam ſententiam docet Souſa *in Bull.Cœn. c.*16. *diſp.*84.*concl.*5.*n.*6. Duardus etiam *in Bull.Cœn.lib.*2. *can.* 15.*q.*27.*num.*16. Villalobos *in ſumm.tom.*1. *tract.*17. *dub.*21. *num.*4. & alij, dummodo, vt *in alia Reſol.ſuprà* diximus, huiuſmodi priuilegium non fuerit confirmatum per Summum Pontificem, putant enim hi Doctores: priuilegia particularia huius, vel illius Eccleſiæ, Religionis, vel perſonæ, directè non pertinere ad immunitatem eccleſiaſticam & poſſe reuocari. Et ratio eſt, quia lex ad libitum ſtatuentis, præſertim quando ſponte facta eſt, & adeſt iuſta cauſa, reuocari poteſt: ergo & priuilegium Eccleſiæ conceſſum: nam, qui eſt cauſa iuris, poteſt etiam eſſe cauſa reuocationis illius, quod ſine iniuria tertij fit, cùm adeſt cauſa. Et cùm per reuocationem illius, quod priùs conceſſum fuerat, aliquid reducitur ad ius, quod priùs competebat antiquitùs, conqueri non poteſt, qui ex tali reuocatione damnum patitur, vt docet Gloſſa *in leg.ſi vnus §.pactus ne pereat.verb.quod in ſpecie.ff.de pactis.* Ergo, &c.

His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam amplectendam eſſe puto, quam ex Theologis docet Azorius *part.*1.*lib.*5.*c.*13. *quæſt.*5. Coriolanus *in Bulla Cœnæ, excommun.*15.*folio mihi* 935. Peſantius *tract. de immunit. Eccleſ.diſp.*9. & ex Iuriſperitis Martha *de iuriſd.p.*4.*cent.* 1.*caſ.*62.*n.*6 Alterius *tom.*1.*diſp.*16.*lib.*5.*c.*6.*fol.*703.*col.*2. qui citat Felinum *in c.Eccleſ.S.Mariæ,n.*124. *de conſtitut.* & copioſè noſter D. Carolus de Graſſis *de effect.cler.eff.*2. *n.*14.*&* 23. Filliucius *tom.*1.*tr.*16.*c.*10.*n.*269. qui citat Sayrum, & Syluestrum; & alij. Et ratio eſt, quia priuilegium conceſſum, poſtquàm ratum habetur ab eo, in quem collatum eſt, tranſit in ius: ergo laicus potuit à principio priuilegium Clericis concedere; ſed ſemel conceſſum non poterit ampliùs reuocare, vt habetur ex Felino *in cap. Eccl. S. Mariæ,n.*124.*de conſtit.*

Deinde, priuilegium conceſſum alicui non ſubdito, reuocari non poteſt, vt habetur *in c.nouit.de iudiciis*, & notat Abbas *in c.inter alia,n.*19.*de immun.Eccleſ.* & alij. Sed

Clerici



Clerici non ſunt ſubditi ſæcularibus: Ergo priuilegium illis conceſsũ, ampliùs auferri non poteſt, & aliter facientes in excommunicationẽ Bullæ Cœnæ incurrerent: quod in verbis Bullæ determinatũ videtur, ibi: *Quaruncunque Eccleſiarũ iuribus quomodolibet præiudicatur.* Itẽ, ſemper indirectè per ſtatutũ contra particularem Eccleſiã præiudicatur cæteris generaliter. Ergo, &c. Et ita, ſtante hac opinione, ſi erat ſtatutũ antiquum laicorũ, vt ſingulis annis, certo die cuiuſdam menſis, cuidam Collegio Clericorum, vel Monaſterio Regularium, erogarentur certæ eleemoſynæ: ſed deinde efficerent aliud ſtatutum, ne in poſterum ea eleemoſyna præbeatur; ſecundùm hanc poſteriorem ſententiam, tale ſtatutum eſſet contra libertatem eccleſiaſticam. Vide etiam circa præſentem quæſtionem Genuenſem *in Pract. Eccleſ. triennario* 17. *q.*480. *n.*2. qui contra aliquos probat, ſtatutum eſſe contra libertatem Eccleſiæ quando eſt contra libertatem vnius Eccleſiæ tantùm.

*An Principes ſtatuentes, ne in eorum ſtatu poßint ædificari de nouo Eccleſiæ, & Monaſteria ſine eorum licentia; derogent immunitati eccleſiaſticæ?*

### Resolvt. LXII.

SEptem argumenta pro parte negatiua addacit Anton. Bouius *in reſponſ. pro cenſuris Pauli V.contra Venetos*, quæ poſteà ſolidè euertit, & impugnat, probans, tale ſtatutũ eſſe contra libertatẽ eccleſiaſticam. Idem etiâ docet Vgolin. *in reſponſ.ad Iuriſc. Gymnaſij Patauini contra Venetos, c.*6.§.1.2.3.4.*&* 5. Collegium Bononienſe *pro libert. Eccleſ. contra Venetos,n.*43. Philip. Maynard. *de priuilegiis Eccleſ.contra Venetos,p.*2.*art.*24.*per.totum.* Bellert. *in diſq. cler.p.*1.*tit.*6.§.1.*n.*20. Duard. *in Bull.Cœn.lib.*2.*can.*15.*q.*19. *n.*68. Aloyſius *in praxi,tom.*3 *reſol.*207.*n.*7. Patres Theologi Religionis ſeruorũ *in defenſ.cenſ.Pauli V.* Ioan. Franc. Fagnan. *in tr.de iuſtit.cenſ.eiuſdem Pauli V.p.*2.*fol.*26. Ferdinand. de Baſtidia *in Antidoto cõtra Paulum Venetum,p.*2. *argum.*10.*& ſeq.* Valenzuola *in defenſ.Monit.Pauli V.p.*2. *n.*28.*& ſeq.* Lupus *tract.de liber.Eccl.q.*4.*num.*7. & Paulus Comitolus *in tr. apolog. contra Venetos*, *c.*1.*n.*17. qui hoc probat ex multis, & præcipuè *ex diſt.*1. *de conſecratione*, & in particulari *ex can. de locorum. Gelaſij Papæ: ex can. Eccleſiæ, Nicolai Papæ: ex c.nemo. Concilij Aurelianenſis: & ex Decretalibus ſub titulo, de Eccl.ædifican. vel reparandis.* & maximè *ex Decret.finali.* & ex illa, quæ incipit, *Ad audientiam.* & ex illa Bonifacij VIII. quæ incipit, *Auctoritate de priuileg.in* 6. patet hoc etiam *ex auth.de Eccl.tit. per totam, & auth.vt null.fabric.orat. & loc.* Et licèt à Valente; Theodoſio, & Arcadio Imperatoribus fuerit prohibitum, Eccleſias ædificari ſine Principis licentia, vt patet *ex l.nemo.C.de relig.& ſumpt.funerũ.* hoc tamẽ imperatores illi effecerunt de facto, & propterea totum hoc fuit poſteà reuocatum à Iuſtiniano *in leg.ſancimus.§.ſi quidem, C.de Epiſc.& Cleric. & in dicta authent.vt null.fabr.&c.*

Sed audiamus de hac re diſſerentem Cardinalem Baronium *in ſua Paræneſi ad Rempublicam Venetam*, quæ tale ſtatutum contra libertatem eccleſiaſticam fecerat, & propterea à Paulo V. excommunicata, vbi *fol.* 15. ſic aſſerit: [Exagitamini inſuper Literis apoſtolicis per vos ſtatutũ; Ne quis Eccleſias, Monaſteria, atque alias religioſas Domos Venetiis, & vbique locorũ domino veſtro ſubiectorum, ſine veſtra ſpeciali licentia fundet, & erigat. Quàm autem contra ius, fáſque id præſumpſeritis, quæ dicturi ſumus, vos cõmonebunt. Nam illa accidentalis Imperij culmina auguſtiſſima æquè, & robore militari potentia, ſimúlque doctrina rerũ ſacrarum conſpicua, Carolus, & Ludouicus, cùm faterentur ſuper Eccleſias nullũ ſibi vendicandum eſſe dominium, verè legitimi laudati ſunt Imperatores, vt qui lege ſcripta profeſſi ſunt, non tantũ in Eccleſiarum conſtructione aliquod ius non eſſe conceſſum Imperatoribus; ſed neque abſque Epiſcopi licentia domi ſuæ Oratorij conſtruendi habere aliquam facultatem. Quod probè cognitum, pragmatica ſanctione ita relinquere voluêre teſtatum his verbis: Placuit nobis, vt (ſicut ab Epiſcopis, & reliquis Sacerdotibus, ac Dei ſeruis admoniti fuimus) ne Capellæ in noſtro Palatio, vel alicubi ſine permiſſu Epiſcopi, in cuius eſt parochia, fiant. Si igitur nec Capellam vnã, & in ſuo Palatio ædificandi abſque licentia Epiſcopi, tanti Imperatores facultatem ſe habere teſtati ſunt, quomodo ædificandi Eccleſias, & alia religioſa loca dandi licentiã, vel negandi, vos ita vobis arrogatis authoritatem?] Ita Cardinalis Baronius, qui ex aliis exemplis probat, tale ſtatutum infringere eccleſiaſticam libertatem.



His omnibus addendum eſt, quòd Conſtantinus Imperator conceſſit facultatem, vt Eccleſiæ per totum orbem poſſint ædificari, vt patet *in cap.futuram.*12.*q.*1. Ergo non poſſunt Principes, etiã aliàs abſoluti, & imperio non ſubiecti, reuocare priuilegia ab imperio Eccleſiæ conceſſa: nam, vt notat Filliucius *tom.*1.*tract.*16.*c.*10.*n.*270. & alij penes Valenzuolam *vbi ſuprà in defenſ. Mon. Pauli V. p.* 2. *n.*36. ſtatuta quæ reſtringunt priuilegia conceſſa toti Eccleſiæ à Deo, Papa, vel Imperatore, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, ſunt contra libertatem eccleſiaſticam. Quod etiam notauit Maynardus *de priuileg. Eccleſiæ,part.*2.*art.*22.*n.*95.*& art.*23.*n.*24.

*An ſtatuta, quibus cauetur, ne quis poſſeßionem apprehendat alicuius Eccleſiæ, vel beneficij, ſine facultate Principis, vel ſuorum miniſtrorum, ſit contra libertatem eccleſiaſticam.*

### Resolvt. LXIII.

REſpondeo affirmatiuè cum Canoniſtis, & Theologis, qui communiter reprobant *conſ.*21. Angeli, & Camillum *in diuerſ.iur.p.*2.*c.*2.*n.*137. Ita docet ex veteribus Abbas *lib.*1.*conſ.*83. Felinus *in cap.Eccleſ. S.Mariæ.de conſtit.n.*96. & ex neotericis Vgolin. *in Bull.Cœn.p.*2.*c.*13. *ver.*4. *Quive illa.n.*2. Laderchius *conſ.*103.*n.*4. Altherius *de cenſur.tom.*1. *diſp.*16.*lib.*5.*c.*5.*fol.mihi* 699.*col.*1. & Alexander Peſantius *tract.de immun.Eccleſ.diſp.*10 cum Azorio. Et ratio eſt: quia Eccleſia habet ius immittendi Clericos in poſſeſſionem beneficiorum; & Clerici ex iſto ſtatuto redduntur timidiores, & laici in ſtatuendo audaciores. Vnde notat Altherius *vbi ſuprà,c.*6 *fol.*704.*col.*2. quòd ſi poſſeſſio beneficij à Clerico legitimè capiatur, nec teſtes, nec Notarius, qui interfuerunt, incurrunt vllam pœnam dicti ſtatuti: quia quando ſtatutum inualidum eſt, pœna in eo appoſita non ligat, *ex Auth.Caſſan.C.de ſacr.Eccleſ.& cap.nouerit. de ſent.excommun.* Imò ita ſtatuentes ſunt excommunicati.

Limitatur ſupradicta ſententia à Duardo *in Bull. Cœn. lib.*2.*can.*15.*q.*11.*n.*59 & Marth. *de iuriſ.p.*4.*cent.*1.*caſ.*46. *n.*8.*&* 14. nõ procedere in Regibus, qui ex priuilegio Romani Pontificis habent collationẽ, & inſtitutionem beneficiorum, vel priuilegium, vt in eorum Regnis nullus exterus beneficium poſſit obtinere, vt habet Rex noſter.

*An ſtatutum mandans, bona Eccleſiæ relicta intra certum tempus vendi, ſit contra libertatem eccleſiaſticam?*

### Resolvt. LXIV.

AFfirmatiuè reſpondet Hoſtienſis *in c.fin. n.*11.*ver.in mortuariis,de rebus Eccl.non.alien.* Archidiaconus *in c.Romana.n.*13. *ver.non tamen quoad alienationem, de appell.* & ex neotericis Surdus *lib.*1.*conſ.*2.*n.*20.*& ſeq.* & Philippus Maynardus *de priuileg. Eccl.p.*2.*art.*22.*n.*44.

*An Principes, ſi per aliqua ſtatuta diſponant de his, quæ ad funera, & exequias pertinent, efficiant contra libertatem eccleſiaſticam, & ſint excommunicati?*

### Resolvt. LXV.

HIc caſus agitatus, & diſcuſſus fuit tempore Excellentiſſ. Proregis D. Franciſci de Caſtro, & tunc reſpondi

D cum

cum Felino *in c. Eccleſ. S. Mariæ de conſtit. n.* 112. & aliis, diſtinguendo: Vel in ſimili ſtatuto Princeps diſponit de his, quæ ſpectant ad Clerum, vel cultum diuinum, aut ad animarum ſalutem, puta de numero Miſſarum, de candelis, de eleemoſyna Clericorum, & de eorũ numero, vel Religioſorũ, qui debent comitari funus, & ſimilibus. Et in hoc caſu tale ſtatutum eſſet contra libertatem eccleſiaſticam. Sed, ſi Princeps in ſtatuto prohiberet abuſus circa pompã funeris, vt de veſtibus lugubribus, de pannis nigri coloris, ne cubicula parentur pannis nigris, & de aliis externis ſolennitatibus, quæ nullam habent relationem ad cultum diuinum, & ex quibus nihil vtilitatis minuitur Eccleſiis, aut Clericis, neque aliquid detrimenti patitur cultus diuinus, vel Eccleſia; tunc eiuſmodi ſtatutum eſſet validum, nec aliquid contra immunitatem eccleſiaſticam contineret. Et ita ex neotericis docet Altherius *de cenſ. tom. 1. diſp. 16. lib. 5. c. 6. fol. 704. col. 2.* Reginaldus *in praxi, tom. 1. lib. 9 cap. 23. n. 360.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 15. q. 19. n. 7* Megala *in 3. p. lib. 3. cap. 10. q. 3. n. 54.* Carolus de Graſſis *de eff. cler. eff. 2. num. 467.* Martha *de iuriſd. p. 4. cent. 1. caſ. 54.* Naldus *in ſumma, verb. ſtatutum, n. 2.* & alij.

Ex his apparet, non eſſe admittendam ſententiam Caietani *in ſumm. verb. excom. c. 31.* Nauar. *in man. c. 27. n. 120.* Graffij *in deciſ. p. 1. lib. 4. cap. 18. n. 135.* Souſæ *in Bull. Cœn. cap. 16. diſp. 94. concl. 2. n. 3.* Layman *in Theol. mor. lib. 4. tr. 9. c. 9. n. 3.* aſſerentium, poſſe Principes in ſuis ſtatutis Clericis moderari ſumptus ceræ, & candelarum: nam ſi intelligunt de cera, & candelis, quæ in Eccleſia, & apud funus comitantes remanent, hoc ſtatutum eſſet inualidum: quia ex illo impediretur eleemoſyna, & minueretur aliqua vtilitas Eccleſiæ, & Clericis, ſeu Religioni. Et ita docent Doctores citati, quibus adde doctiſſimum Tabienam *verb. excomm. G. caſ. 20. num. 5. fol. mihi* 672. qui notat, tale ſtatutum eſſe contra libertatem eccleſiaſticam: nam indirectè prohibet liberam facultatem dandi eleemoſynam Clericis, & Eccleſiis.

Vnde non benè dixerunt Souſa, & Graffius, *vbi ſuprà*, quòd numerus candelarũ ordinetur ad pompã, & temporalem honorẽ defuncti: nam, vt benè notat Tabiena, dictæ candelæ, quæ remanent apud Eccleſiam, & Clericos, non ſolùm deſeruiunt ad honorem defuncti; ſed etiam ad eleemoſynam Eccleſiæ, & Clericorum, ſeu Religioſorum.

Idem, quod diximus de cereis, & candelis, dicendum eſt de culcitris, quæ apponuntur ſuper corpus defuncti: quidquid in contrarium aſſerant Duardus, & Martha: nam de illis nihil poteſt ſtatuere Princeps laïcus, cùm remaneant apud Eccleſiam; & ex illis poſteà aliquando, vel efficiuntur paramenta pro ornamento altarium, vel veſtes ſacerdotales, vel ſaltem remanent pro eius ornamento: nam, vt hîc, & in ciuitate Neapolitana vidimus, in diebus feſtiuis Eccleſiæ integræ de illis ornantur: & ſic non dubito, dictas culcitras non ſolùm deſeruire pro honore temporali defunctorum, ſed etiam pro eleemoſyna Eccleſiarum, vbi defunctus ſepelitur. Et ita Sylueſter *verb. immun. 5. n. 10. verſ. ſtatutum, q. 2. ver. 8.* ait, prædicta ſtatuta eſſe licita laicis, quatenus diſponunt in his, quæ non applicantur Eccleſiis: ſed dictæ culcitræ, de quibus loquimur, Eccleſiis applicantur: ergo, &c. Ita etiam Paludanus *in 4. diſt. 18. q. 3. art. 3.* vbi ſic aſſerit: [Videtur eſſe contra eccleſiaſticam libertatem, ſtatuendo, quòd ſuper mortuum non ſit, niſi talis pannus, vel tot cerei, & huiuſmodi: quia liberæ Eccleſiæ etiam liberas oblationes habere debent.] An verò, quod dictum eſt de culcitris, dicendum ſit de extructione ſepulturæ, negant Duardus, & Martha: ſed affirmat D. Carolus de Graſſis *de effect. cler. eff. 2. num.* 483. vnde tempore, vt dixi, Excellentiſſ. Comitis de Lemos, Proregis meritiſſimi huius Regni, nihil circa hoc innouatum eſt. Scio, Filliucium *tom. 1. tract. 16. cap. 10. num.* 473. vocare opinionem Caietani probabilem, licèt ipſe noſtram ſententiam teneat; tamen in praxi talem opinionem admittendam eſſe, minimè exiſtimo. Sed ad alia deueniamus.

*An, quando ſumus in dubiis, an aliquod ſtatutum ſit contra immunitatem eccleſiaſticam, debeamus opinionem, quæ fauet Eccleſiæ, amplecti?*

RESOLVT. LXVI.

Reſpondeo affirmatiuè: quod eſt valdè notandum, quia quotidianum. Et ratio eſt: quia in dubio tenenda eſt opinio, quæ fauet Eccleſiæ, vt patet *ex c. fin. de ſent. & re iudicata, & ex l. ſunt perſonæ. ff. de relig. & ſumpt. funer.* Idem docet ex veteribus Felinus *in c. 1. n. 104. de conſtit.* Iaſon *in l. filius fam. §. Diui. num. 82. & in repet. n. 110. ff. de leg. 1.* Decianus *lib. 3. conſ. 80. n. 22.* Hondedeus *lib. 1. conſ. 3. n. 24.* nouiſſimè Bellettus *in diſq. cler. p. 1. tit. 6. §. 4. n. 13. &* Maynardus *de priuil. Eccl. contra Venetos, p. 2. art. 22. n. 61.*

*An Iudex, & miniſter regius poſſint cognoſcere cauſam, cùm agitur, vt Petrus, v. g. Clericus, recuperet Eccleſiæ poſſeſſionem, à qua eſt eiectus per vim; vel retineat beneficij poſſeſſionem, in qua ab alio turbatur?*

RESOLVT. LXVII.

Qvidquid in contrarium aſſerant Doctores, quos refert Couar. *pract. qq. c. 35. n. 1.* negatiuè reſpondendum eſt. Et ita docet Peſant. *in tract. de imm. Eccl. diſp. 15.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 1. can. 15. q. 19. n. 47. & ſeq.* Azor. *p. 1. lib. 5. c. 14. q. 1.* Et ratio deſumitur ex authoritate *clement. 1. de cauſſa poſſeſſ. & clement. 1. de ſequeſt. poſſ.* vbi cauſa de beneficio, ſiue iure petitorio, ſiue poſſeſſorio, ſpiritualis cenſetur. Neque ob receptam conſuetudinem, hanc cauſam ad iudices laïcos pertinere poſſe, contra Chriſtophor. de Anguian. *in tr. de leg. tom. 1. lib. 2. contr. 19. n. 30.* Couarr. & Marth. de Affl. *deciſ. 24.* teſtantem de vſu Regni Neapolitani, notat Peſant. & Azor. quia per conſuetudinẽ Iudex laïcus non poteſt ſibi vendicare ea, quæ ſunt eccleſiaſtici iuris, vt *ſuprà* ſatis probatũ, & fusè probat Carol. de Graſſ. *de eff. cler. eff. 1. n. 372. vſque ad n.* 387. neque poteſt adduci tolerantia Sum. Pontificis: nam, quicquid aliqui aſſerant quotannis in Bulla Cœnæ omnes iſtas conſuetudines, tãquã corruptelas, dãnare Sum. Pontifices apparet. Ergo, &c.

*An ſit licitum Principibus, & magiſtratibus laïcis diſcutere facultates, & poteſtates alicuius Nuncij, qui in illa Prouincia à Pontifice mittitur?*

RESOLVT. LXVIII.

Negatiuè reſpondetur communiter contra Couarr. *pract. qq. c. 34. n. 4.* & Bobadillam *in pol. tom. 1. lib. 2. c. 18. n. 207.* Et ita docet Bonacina *de legibus, diſp. 10. q. 2. punct. 1. §. 1. n. 15.* Peſantius *de immun. Eccl. diſp. 20.* Azor. *p. 1. lib. 5. c. 14. q. 6.* & alij.

Nec valent rationes, quas adducit Couar. quia ad ſummum tantùm probant, Nunciorum poteſtatem diſcuti debere per Iudices eccleſiaſticos, qui in illis Regnis reperiuntur, vt ſunt Epiſcopi, Archiepiſcopi, &c. Ex commiſſione verò Summi Pontificis debent Nuncij exhibere Regibus, ſeu Magiſtratibus, litteras ſuarum legationum, vt eis innoteſcat legitima eorum legatio, & authoritas, vt colligitur *ex c. nobiliſſimus, diſt. 97.*

*An ſtatuta prohibentia extractionem annonæ, videlicet, vini, frumenti, bladæ, leguminum, & huiuſmodi, extra territorium deferri, vt conſeruetur abundantia in ciuitate, comprehendant Clericos, extrahentes eorum bona, vel fructus à ſuis prædiis collectos?*

RESOLVT. LXIX.

Affirmatiuè reſpondent Menochius *tom. 8. conſ. 800. n. 38.* & ex Hiſpanis Mexia *in prag. taxæ panis, concl. 5.* Auila *in c. 17. prætor gloſſ. 1. ver. buenas, n. 12.* Pereira *tract.*





*de manu regia, p. 1. in concordatis Regis Sebaſtiani concor.* 291. Cum aliis Iuriſperitis.

Sed contrarium omninò aſſerendum eſt, cum Azorio *part. 3. lib. 5. c. 19. q. 13.* Bartholomæo à S. Fauſto *in ſpeculo Confeſſ. diſp. 33. q. 20.* Belletto *diſquiſ. cler. p. 1. tit. 6. §. 3. n. 1.* Martha *de iuriſd. p. 4 caſ. 83. n. 1.* Grammatico *deciſ. 100. n. 15.* Burſato *lib. 1. conſ. 42. n. 28.* Ioan. de Amico *conſ. 18. n. 17.* Baiardo *in addit. ad Iul. Clar. §. fin. q. 82. n. 87.* Rolando *lib. 4. conſ. 61. n. 22.* & aliis.

Nec valet dicere, quòd ad publicam, & communem vtilitatem ſpectat, vt ſupradicta extra territorium non extrahantur: nam reſpondetur, licèt ſi bonum commune; non tamen ex æquo reſpicit Clericos, vt laïcos: & ideò Clerici ſunt exempti. Ad authoritatem Menochij reſpondeo, licèt ipſe doctiſſimus equidem Iuriſconſultus fuerit; tamen in illo conſilio cautè legendus eſt: nam multa dicit non ferenda contra libertatem eccleſiaſticam. Vnde meritò Carol. de Graſſis *de eff. cler. eff. 2. n.* 420. ſic aſſeruit: [Cauendum eſt à conſilio 800. Menochij: nam in multis libris deletum eſt, quia eſt contra libertatem eccleſiaſticam.] Ita ille. Idem dicendum eſt de conſ. 100. eiuſdem Authoris, aduersùs quæ ſcripſit tunc Sapientiſſimus Surdus *conſil.* 301. quod omninò videatur. Et etiam in hoc caſu cautè legendus Bobadilla *in polit. tom. 1. lib. 2. c. 18. n. 117.* quem *ſuprà* refutauimus.

*An ſtatuta prohibentia introduci in ciuitatem vinum recollectum, vel aliud extra territorium, comprehendat Clericos?*

RESOLVT. LXX.

Affirmatiuam ſententiam docuit Mexia *ſuper pragm. taxæ panis, conſil. 5. n. 17.* Morla *in empor. iur. part. 1. tit. 1. q. 16. n. 19.* & alij.

Sed non ſunt audiendi: & ita contrarium docet Bellet. *in diſquiſ. cler. p. 1. tit. 6. §. 3. n. 3.* Baldus *lib. 1. conſil. 198. verſ. non obſtat.* Martha *de iuriſd. par. 4. centur. 1. caſ. 2. n. 10. & 13.* Ripa *tract. de peſte, tit. de remed. ad conſer. vbertatem, n. 122.* Grammaticus *deciſ. 100. n. 15. & 16.* Ioan. de Amico *conſ. 18. in fin.* & Menochius *lib. 8. conſ. 800. n. 30.* cum alis. Et ratio eſt, quia tale ſtatutum non reſpicit publicam vtilitatem; ſed priuatam, illorum ciuium, qui habent vineas, & prædia in territorio: ſed Clerici non tenentur, quando ſtatutum latum eſt propter publicam vtilitatem, ſi talis vtilitas non reſpiciat æquè principaliter Clericos, vt laïcos: ergo, multò magis non obligabit, ſi reſpiciat tantùm vtilitatem aliquorum, vt eſt in caſu, de quo loquimur. Vnde non approbo conſuetudinem huius vrbis, ſi adhuc tamen obſeruatur, in quam non poſſunt introire vina recollecta extra territorium, ſi Clericos comprehendat: nam, vt diximus, non includuntur, neque poſſunt includi in tali ſtatuto. Et etiam noſtram ſententiam præter Doctores citatos docet Burſatus *lib. 1. conſ. 42. n. 18. & conſ. 93. num. 26.* & Couarr. *in c. poſſeſſor. p. 2. §. 4. n. 8. de reg. iur. in 6.*

*An lex, ſiue ſtatutum, quò aliquis adiens hæreditatem, non facto inuentario, teneatur vltra vires hæreditatis; comprehendat Clericos?*

RESOLVT. LXXI.

Affirmatiuè reſpondent aliqui; etiamſi Clericus fuiſſet inſtitutus hæres amore Dei. Ita Morla *in empor. iur. tit. 1. q. 16. n. 11.* & alij quos citat, & ſequitur Carolus de Graſſis *de effect. cler. eff. 2. n. 252.*

Sed ego contrariam ſententiam amplectendam eſſe puto quam docet noſter P. Duardus *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 15. q. 17. n. 8.* vbi ſic ait: [Eccleſiaſtici hæredes inſtituti, non conficientes inuentarium, non tenentur vltra vires hæreditatis in ſolidum omnibus creditoribus hæreditariis iuxta text. *in l. ſi te bonis, & l. fin. 15. cùm igitur. C. de iur. delib.* & citat Ioan. Andream. Idem etiam ex neotericis docet Martha *de iuriſ. p. 4. cent. 1, caſ. 75. n. 5.* qui *n. 12.* optimam rationem adducit pro hac ſententia; nempe talem legem non comprehendere Clericos ex defectu iuriſdictionis. Adi illum, & non pigebit: Notandum eſt tamen, quòd etiam ſtando in prima opinione, illa non procederet, cùm Eccleſia, vel Monaſterium inſtituitur hæres; nam, licèt non confecerint inuentarium, non propterea tenentur vltra vires hæreditatis. Ita de Graſſis *vbi ſupr. n.* 253. & Morla *n. 12. in fine.* Abbas, & Felinus *in c. Eccleſ. S. Mariæ, de conſtit.* hic *num.* 66. ille *n.* 13. cum aliis.

*An Clerico vendenti vinum, frumentum, &c. vltra taxam à Principe impoſitam, poſſit Iuſtitia ſæcularis dicta victualia in pœnam tollere, vt à lege ſtatutum eſt?*

RESOLVT. LXXII.

Affirmatiuè reſpondet Bobadilla *in polit. tom. 1. lib. 2. c. 18. n. 122.* vbi ſic aſſerit: [Si el Clerigo vendieſſe el trigo, ò el pan cozido, ò el vino, fruta, ò otros mantenimientos, à mas de la tazza, y por ello ſegun la ley, ò ordenanza, lo tuuieſſe perdido, podrà la Iuſticia ſeglar tomarſelo, por auer caydo en comiſo, y aplicarlo conforme à la ley.] Ita ille.

Sed hæc opinio eſt prorſus eliminanda: nam verum eſt, vt *ſuprà* diximus, quòd Clerici tenentur ſeruare legẽ taxantem pretia rerum. Et ita docet Salonius *tom. 2. in 2. 2, q. 77. art. 1. contr. 10.* Molina *tom. 1. tract. 1. diſp. 31. num. 13.* Sotus *de iuſt. lib. 1. q. 6. art. 7.* Nauar. *en Man. c. 23. n. 887.* & alij. Sed ad id non tenentur ex vi coactiua, ſed directiua; non tenentur ex vi legis, quatenus ciuilis eſt: nam non habet ius in Clericos; ſed, quia ex vi iuris naturalis tenentur vendere res ſuas, iuſto pretio. Sed iuſtum pretium eſt illud, quod taxatur à lege. Ergo, &c.

Ex his ſequitur contra Bobadillam, Clericos non teneri ad pœnam, ad quam laïci tenentur, ſi dicta victualia venderent vltra iuſtum pretium. Sed audiamus Azorium *p. 1. lib. 5. c. 13. q. 4.* de hac re diſſerentem: [Clericus (ait) ſuum vinum, vel frumentum cogitur iure naturali, non ciuili Principis lege, tantidem vendere, laicus verò eodem pretio vendere, non ſolùm naturali, ſed etiam ciuili iure compellitur. Et hinc eſt, vt ſi Principis lege pœna ſit ſtatuta in eos, qui pluris venderent, eius pœnæ laicus ſit reus, non Clericus. Quòd ſi Princeps expreſſerit, vt ea pœna afficiantur etiam Clerici, qui pluris vendiderint; nihil valet ex ea parte lex: quia pœnam ſtatuit in eos, à quibus exigere, & ſumere non poteſt.] Ita Azorius.

Idem docet Peſantius *tract. de immun. diſp. 4. in fin.* Nec ego intelligere poſſum diſtinctionem Bobadillæ, inter res, quæ pluris venduntur, & ex ordinatione legis cadunt in commiſſum, & alias pœnas à lege impoſitas: nam illa prior eſt etiam pœna à lege conſtituta, ad quam Clericus non tenetur; nec Iudex laïcus ex carentia iuriſdictionis poteſt illam exigere: Ergo dicendum, quòd in tali caſu Clerici ſunt exempti, & liberi ab incurſione dictarum pœnarum legis, quam Princeps promulgauit; verùm poſſunt puniri ab Epiſcopis, mitiori tamen pœna, vt *ſuprà, in alia Reſolutione* notauimus.

*An Iudex laïcus poſſit ciuiliter, ſeu criminaliter cognoſcere cauſas aduersùs Equites D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ?*

RESOLVT. LXXIII.

Affirmatiuè reſpondent, qui opinantur dictos Equites non eſſe verè Religioſos, quorum ſententiam *ſuprà* refutauimus.

Et ideò aſſerendum eſt ſupradictos eſſe verè Religioſos, & gaudere priuilegio fori, ſicut gaudent cæteri Mendicantes: & eorum Iudices Conſeruatores poſſunt excommunicationem fulminare aduersùs Iudices laïcos qui illos cognoſcere volunt. Et ita docet doctiſſimus Mora *de confir. ord. D. Iacobi, lib. 2. c. 1. §. 9.* ex Bullis pontificiis

ciis Alexandri III. & aliorum. Idem docuit Franciſcus Molina, & Michaël Carranca, præſtantiſſimi Theologi apud eundem Motam *lib.2.c.2. §.32.n.31.& 43.* Et nouiſſimè hanc ſententiam amplexus eſt Ceuallos *tract.de cogn.per viam violentiæ, p.2. q.149.n.23.* vbi ita pluries fuiſſe iudicatum in Hiſpania teſtatur. Maſtrillus verò *tom.3.deciſ.280.n.165.* adducit literam Regiam datam die 10.Ianuarij 1609.vbi ſtatuitur, huiuſmodi Milites in cauſis criminalibus,& mixtis gaudere priuilegio fori; cauſas verò ciuiles terminari debere iuxta ſtylum, & conſuetudinem loci. Sed pro omnimoda exemptione fori dictorum Militum facit doctrina Layman *in Theol.mor.lib.4.tract.9. c.7.n.1.*& Suarez *contra Regem Angliæ, lib.4.c.29.n.7.* aſſerentium gaudentes priuilegio canonis, gaudere priuilegio fori. Sed dicti Milites D.Iacobi, Calatrauæ, &c. gaudent priuilegio canonis, vt ex multis notat Bonacina *de cenſur. diſp.4.q.4.punct.1.n.7.* Filliucius *tom.1. tract.15.c.1.q.4. n.14.* Marius Antoninus *var.reſol.lib.1.c.112.caſ.63.* Carolus de Graſſis *de effect.cler.eff.9 n.131.* Nauarr. *conſ.11. de Regular.* Giptius *de caſ.reſer.c.3.n.15.* & alij. Ergo debent gaudere priuilegio fori; quia aliter in iure non eſt determinatum, vt de Clericis minoribus, qui gaudent priuilegio canonis, ſed non fori, ſi conditiones Concilij Tridentini non obſeruant.

*An principes, ſeu miniſtri laïci, poßint ſtatuere, irritando aliqua iuramenta, quæ in certis contractibus apponerentur?*

RESOLVT. XXX.

AFfirmatiuè videtur reſpondendum: & ita in Luſitania *iure regio nouæ Recopil. l.4.tit.73.* irritantur omnia iuramenta, quæ in contractibus, & promiſſionibus apponuntur. Sed negatiua ſententia prorſus ſuſtinenda eſt: quia lex lata à Principe ſæculari nihil poteſt circa iuramentum, cum negotium merè ſpirituale ſit, vt *ſuprà* de matrimonio, decimis, & ſimilibus. Et præter Doctores, quos citat, & ſequitur Carolus de Graſſis *de effect. cler. eff.2.n.81.* docent hanc ſententiam Duardus *in Bull.Cœn. lib.2. can.15.q.19.n.56.* & pius, & doctus Iuriſconſultus Martha *de iuriſ.p.4.centur.1.caſ.72.n.18.* qui contrariam ſententiam falſam vocat: & reuerà eſt: & multos alios citat, quidquid ſit de illa lege Luſitaniæ, quam conatur defendere Fagundez *de Precept.Eccleſ.tract.2.lib.3.c.7.n.17.* vbi putat, Reges illam legem conſtituiſſe, ex priuilegio Summi Pontificis: quod licèt modò non extet, ſufficit extare illius famam tempore immemorabili per effectum, & vſum priuilegij probatam. Dicendum eſt igitur, quòd quoties ſtatutum facit mentionem de iuramento, etiamſi hoc efficeret propter bonum finem, & bonum commune; eſt contra iuriſdictionem eccleſiaſticam. Vnde ſi ſtatutum præciperet, ne minores, & mulieres poſſint contrahere, non ſeruata certa ſolennitate, & contractus aliter factus ſit nullus, præſumptus, & ſimulatus, atque præſumendum minores dolo inductos ad contrahendum, etiamſi iurauerint; non valet: quia diſponit de iuramento per indirectum, imò & de directo, cùm faciat expreſſam mentionem de iuramento. Poſſet tamen dictum ſtatutum ſuſtineri, concurrentibus duobus, de quibus Martha *vbi ſupr.n.28.* Sed de hac quæſtione vide *infrà*

*An valeat ſtatutum, in quo cauetur, ne filia, vel filius poßint contrahere ſine conſenſu patris; aliàs cadant ab hæreditate?*

RESOLVT. LXXV.

ALiqui affirmatiuam ſententiam docuerunt: & ita ex Soto docet Ledeſma *in ſumm. tom. 2. in Addit. ad Matr.c.7.conc.5.fol.mihi 57.* vbi defendit legem quandam Hiſpaniæ ita decernentem, vbi ſic ait: [ Eſta ſentencia tiene el Padre Maeſtro Soto, y otros Doctores. La razon es, porque el caſarſe ſin la voluntad de los padres, es contra la ley natural, y es pecado, que perturba la paz de la Republica, comme ſe vee la experiencia, Luego iuſtamente las leyes poeden caſtigar el tal pecado.] Ita ille. Et idem ex neotericis tradit Cancer *p.1.c.24.n.4.& p.3.c.11. n.4.* & teſtatur; in Senatu Regio Cathaloniæ ita fuiſſe iudicatum, 1.Octobr.103. Vide etiam Mencha *tract de ſucceſſ.creat.§ 10.n.628.* & Lup. *in repet. cap.per verba.not.3. §.3.n.9.de donat.inter vir. & vxor.*

Sed meritò aduersùs dictam legem inſurgunt etiam DD. Hiſpani, vt Couarr. *ſuper 4.decr.p.2.c.3.§.8.n.5.6.& 7.* & nouiſſimè Franciſc. Molinus *de ritu nupt. lib.2. differ.7. n.14.* Veracruz *in ſpecul. coniug. p.3. art.20. concl.3. rat.2.* Corduba *in tract.caſ.conſcien.q.171.* Nauarr. *in Manuali, c.14.n.15.* Molin. *de primog.lib.2.c.16.n.6.* Guttierrez *pract. quæſt.lib.2.q.1.n.2.* Matienzo *in leg.1.tit.1.gloſſ 4.n.2. lib.5.* & alij penes ipſos. Et ratio eſt: quia diſponit de ſpiritualibus; & ideo eſt contra libertatem eccleſiaſticam: & ita etiam Ludou. Mor. *conſ.97.n.8.* vbi multos adducit. Martin.Vran. *lib.1. conſ.4. n.34.* Rauſner. *lib.1.conſ.10.* & alij. Vnde ſtatutum puniens contrahentes matrimonium cum hominibus alterius ciuitatis, infringit eccleſiaſticam libertatem, & non eſt validum. Ita Ludou. Mor. *conſ.96. num.9.* & alij. Vide Carolum de Graſſis *de effect.cler.eff.2. num.81.& ſequ.* & nouiſſimè Bellettum *in diſquiſ.cler. part.... tit.6. §.4. n.43.* vbi ſic ait: [ Neque vim legum habent leges, quæ inferunt pœnas matrimonium contrahentibus ſine parentum conſenſu; nam etſi Principes eas tulerint ad honeſtatem perſuadendam, quæ conſiſtit in exigendo parentum conſenſu ab ipſis filiis ad coniugalem contractum, non tamen habent vim, cùm id ſpectet ad Summum Pontificem: laïci etenim nihil poſſunt ſtatuere, quod matrimonij liberum conſenſum impediat, etiã circa accidentia ipſi matrimonio, ] ita ille, qui adducit nouem Doctores pro hac ſententia: vnde de illa non eſt dubitandum: vt ex aliis iuribus, & rationibus probat Martha *de iuriſd.p.4.cent.1.caſ.70.n.5.* vbi *n.11.* notat, hoc procedere, ſi in ſtatuto requiritur conſenſus de neceſſitate: ſecùs autem ſi de conſilio: quia ſi teſtator poteſt diſponere, vt eius filia nubat de conſilio alicuius: ergo & id poterit induci per ſtatutum.

Notandum eſt etiam, quòd in Concilio Tridentino *ſeſſ.24.c.9.* ſic habetur: [Præcipit Synodus omnibus cuiuſcunque gradus, dignitatis, & conditionis exiſtant, ſub anathematis pœna, quam ipſo facto incurrant, ne quouis modo, directè, vel indirectè, ſubditos ſuos, vel quoſcunque alios cogant, quominùs liberè matrimonia contrahant.] Ex quibus verbis videant miniſtri laïci, ne ſtatuendo aliquid circa matrimonia, incurrant in dictam excommunicationem: in quam minimè incurrerent Reges, & imperatores, ſi talia ſtatuta efficerent, quia oportet illos exprimere, vt alibi expreſſit Concilium *ſeſſ... c.11.de refor.* & in Bulla Cœnæ, vt notat Henriquez *lib.11.c.6.n.6.in Gloſſa, litt.G.*& Guttierrez *tract.de matr.c.79.n.12.* Neque etiam talem excommunicationem incurreret pater, ſi iniuſtè impediret matrimonia filiorum: quidquid in contrarium aſſerat Martha *vbi ſup.de iuriſ.p.4.cent.1.caſ.71.n.23.* Et ita docet Sanchez *de matr.tom.1.lib.4.diſp.22.n.8.* Nauarr. *in ſum. c.27.n.150.* Molina *tract.2.diſp.176.* Henriq. & Guttierrez, *vbi ſuprà*, cùm aliis. Ex his omnibus apparet, patrem non debere, neque poſſe in foro conſcientiæ exhæredare filiam, etiam ſtantibus his legibus, ſi nupſerit contra eius voluntatem; nec poſſe Confeſſarium abſoluere patrem in articulo mortis, niſi priùs reuocet teſtamentum, vbi eam exhæredauit.

Poſt hæc ſcripta inuenio Ioan. Valerum *in ſuis differentiis vtriuſque fori, verb.matrimonium, differ.1.* hanc quæſtionem tractare, & nobiſcum ſentire. Vnde miror, Rebellum *p.2.l.2.q.14.ſect.vlt.n.29.* contrarium docere: quia tales leges tantùm per accidens derogant libertati eccleſiaſticæ: ergo non ſunt iniuſtæ, & inualidæ, vt docet Caietanus *in ſumm.verb.excomm.caſ 31.& 37.* cum Nauar. *cap.21.n.120.*





Sed hanc ſententiam Nauarri, & Caietani *ſuprà* refutauimus: ergo non eſt audiendus Rebellius. Ad illud verò, quod aſſerit Ledeſma, quòd dictæ leges ſunt latæ propter bonum commune, vt conſeruetur pax, & concordia inter ciues; reſpondeo, quòd vtilitas publica, & bonum commune non confert iuriſdictionem laïcis, vt poſſint ſtatuere aliquid in detrimentum libertatis eccleſiaſticæ, vt notant communiter Doctores, tam Theologi, quàm Iuriſconſulti: ſed hoc accideret in caſu noſtro: ergo, &c.

*An Clerici teneantur, & poßint per ſæculares Iudices cogi ad reparandam viam ante domus ſuas.*

RESOLVT. LXXVI.

AFfirmatiuè reſpondet Petrus de Cenedo *in collect. iuris can.p.1.collect.37.n.4.* Humada *in l.54.tit.6.p.1. gloſſ.2.n.18.* Tiraquell. *de retract, lignag.§.32.gl.vnica, n.80.* Ludouicus Mexia *in prag.taxæ panis, concl.5. n.70* vbi ait, Clericos, eccleſiaſticáſque perſonas cogi poſſe per ſæcularem poteſtatem reparare viam ante domum, & itineris pertinentia ſua mandare facere ſuis expenſis; quod eſt notandum in praxi, circa ordinationes Hiſpalenſes. [Para que no echen agua ſuzia por las calles, ni otras immundicias.] Et ad mandata Præfecti vrbis Hiſpalenſis pro mundandis per vicinos viarum ſuis pertinentiis, vt ab his munditiis Clerici etiam non excuſentur, nec à pœna, & mulcta effundentium amurcam per vias publicas, quod iam vidi practicari. Ita ille, & alij Iuriſconſulti.

Sed hæc omnia ſunt contra immunitatem eccleſiaſticam, vt in caſu ſimili aduersùs Henriquez *lib.10. c.15.§.7. in Gloſſa, lit.G.* rectè notauit Viualdus *in candelabro ſuper Bull.Cœn.caſ.18. n.9.* Et ita aſſerit Ludouicus Molina *de iuſtit.tom.3.tract.2. diſp.261. n.6.* Si vicini omnes contribuant ad ſternendam lapidibus viam, quæ eſt ante ianuas ipſorum; tunc etiam Eccleſiaſtici, qui ibi habent domum, tenentur ſimiliter contribuere. Sed in tali euentu non poſſunt ſæculares per ſe ipſos compellere Eccleſiaſticos, vt contribuant, ſi Eccleſiaſtici renuant, ſed id efficere debent per Epiſcopum, aut per alium legitimum Iudicem eccleſiaſticum. Idem etiam docet Layman *in Theol.moral. lib.4.tract.9.c.6.n.7.* Falſum eſt etiam, quòd tenentur ad pœnam effundentium amurcam, & ſimilia per vias publicas: nam Clerici non ſubduntur pœnis impoſitis à ſæculari poteſtate, ex defectu iuriſdictionis. Et horum omnium ratio iam *ſuprà* ſæpiùs explanata eſt.

Nec etiam mihi placet doctrina illa, quem adducit dictus Mexia *loc.cit.n.44.* nempe, quòd ſi graculi, aut vermes, vel locuſtæ, ſeu bruchi naſcuntur in vineis, & meſſibus alicuius Clerici, per ſtatutum cogi poteſt cum aliis, in quorum vineis, & meſſibus reperiuntur huiuſmodi animalia, vt ſuis expenſis ea capiat, & occidat: quo in caſu, quantũcunque priuilegiati, ne & alij inficiarentur, poſſunt cogi etiam de facto, vt ſuis expenſis id faciant: & ita ſe vidiſſe practicari teſtatur: non, inquam, hæc doctrina mihi placet, & illam reprobat Molina, *vbi ſuprà*: nam in tali caſu Eccleſiaſtici, licèt teneantur, debent tamen ad id compelli per Iudicem eccleſiaſticum, & non per ſæculares. Et exempla, quæ adducit Mexia ad confirmandam ſententiam, non faciunt ad rem: quia in illis caſibus adeſt neceſſitas, nec aliter fieri poteſt, neque tempus concedit adire eccleſiaſticum ſuperiorem. Ergo, &c. Et ita etiam docet in ſimilibus caſibus Ioan. Salas *de legib.diſp.13.ſect.9. & ſect.11. num.114.* vbi ſic ait; [ Quando contributio facienda eſt æquè primariò in vtilitatem Clericorum, ac laïcorum, v.g. pro reparatione aggerum, ne flumen vicinos agros Clericorum, & laïcorum inundet; non poteſt tamen tunc per ſe poteſtas laïca Clericos recuſantes compellere: ſed per eccleſiaſticam. Quòd ſi id commodè fieri non poſſet, putant quidam, non eſſe omnino improbandam realem executionem: quia in tali caſu præſumi poteſt ratihabitio, ſeu tacita licentia Summi Pontificis. Sed tutius cenſet Leſſius, & ego omninò neceſſarium, vt hæc expreſsè ad tales caſus per Principes petatur.] Hæc Salas.

*An Clericus, qui falſa menſura triticum, vinum, vel oleum vendidit, poſsit puniri à Iudice ſæculari?*

RESOLVT. LXXVII.

AFfirmatiuè reſpondet Chaſſaneus *conſuet. Burgund. rubr.1.§ 5.num.90.* Petrus Cenedo *in collect. iur.can. p.1.collect.37. num.18.* & Ludouicus Mexia *in prag.taxæ panis.concluſ.5.num.29.* cum aliis Iuriſconſultis.

Sed ex dictis contrarium prorſus aſſerendum eſt: nam; vt firmat Auguſtinus Vigianus *tract. de immunit. Eccleſ. diſp.2. concluſ.5.* Vaſquez *in p.2. tom.2.diſp.167. c.4. n.29. & 30.* Salas *de legib.diſp.14.ſect.9.n.106.* Barboſa *in collect. tom.1.lib.3.decret.tit.17.c.vt menſuræ, de empt.& vend.n.3.* qui citat Martham; & alij Theologi communiter; Clerici legum ciuilium violatores, minimè puniri poſſunt à politico Magiſtratu. Et licèt, vt *ſuperiùs* diximus, teneantur obedire legibus ciuilibus in his rebus, quæ ſpectant ad regimen ciuitatis, & ſacris Canonibus, ac clericali officio non repugnant: tamen ad hoc tenentur, non directè, ſed indirectè, non vi legis, ſed vi rationis; & ideò non poſſunt à Iudice ſæculari; ſi illas tranſgrediuntur, aliquo pacto puniri, ſed ad Iudicem eccleſiaſticum recurrendum eſt. Vide etiam Filliucium *tom.2.tract.35.c.9.n.94.* & Bartholomæum à S.Fauſto *in ſpecul.Confeſſ.diſp.6.q.44.num.3.*

*An Iudex laïcus poßit cognoſcere crimen vſuræ, ſiue de facto, ſiue de iure quæratur?*

RESOLVT. LXXVIII.

AFfirmatiuè reſpondet Tannerus *in 2.2.diſput.4. q.4. dub.1.n.35.* Salas *tract.de empt.dub.45.n.1.& 2.* cum Emanuële Sà *verb. vſura, n. 15.* & nouiſſimè Ioannes de Heuia *in ſuo labyrin.commer.lib.2. c.1. n.37.* vbi ſic aſſerit: [ Del delito de la vſura no ſolo puede conocer el Iuez ecleſiaſtico, ſino tambien el ſeglar, por ſer mixti fori. Y procede no ſolo en quanto à la queſtion del hecho, ſi ſe cometio, ò no, la vſura, ſino tambien en quanto à la queſtion del derecho, ſi el contrato es vſurario, ò no.] Idem etiam docuit *in Curia Philippica, p.3.§.9. n.27.* & ante illum Rodericus *de ann.reddit.lib.3.q.3. n.122.* cum multis aliis Iuriſconſultis.

Sed meritò contrariam ſententiam tenuit Salonius *in 2.2.tom.2.q.78.art.3. contr.vlt.* vbi ita ait: [Verior, & communior DD. tam Theologorum, quàm Canoniſtarũ ſententia docet, vbi fuerit apertum, contractũ aliquem vſurarium eſſe, huiuſmodi delictum eſſe mixti fori, ita vt ſit locus præuentioni; poſséque huius delicti reum, vbi non vertitur in dubium, illum commiſiſſe vſurã, tam ex mandato Iudicis eccleſiaſtici, quàm ſæcularis, compelli ad reſtitutionem vſurarum, ſi quas acceperit, & ratione illius delicti puniri. Vbi res verò dubia fuerit, & anceps, vtrunque pertinet ad Eccleſiaſticum Iudicem; & declarare, an contractus ille in iudicium Eccleſiæ tãquam ſuſpectus de vſura vocatus vſurarius ſit: & reũ, ſi in labem iniquitatis vſurariæ inciderit, ad reſtitutionem compellere, & punire. Quæ omnia communi vſu Tribunalium eccleſiaſtici, & ſæcularis obſeruantur.] Ita Salonius cuius ſententiã amplexi ſunt etiam Layman *in Theol.mor.lib.4.tract...c.2.n.8. & 9.* Azorius *p.2.lib.3. c.53. q.2.* Ragucius *in lucerna Parochorum, tit.de Reſtit.q.219.* Michaël de Palatio *lib.4.contract.c.vlt.* Cardinalis Tuſchus *tom.8. §.vſura, concl.357. n.19.* Clarus *§.fin.q.37.* Reginald, *in praxi tom.2.lib.23.c.9. ſect.1. n.93. in fin.*& Bonac. *de contr. diſp.3.q.3. punct.vlt. n.2.* Martha *de iuriſd.p.2.c.7.n.11.* ita aſſerens: [Alia cauſa eſt, cur vſura dicatur crimen eccleſiaſticũ; nempe, quòd, licèt dũ de punitione agitur, & quæſtio eſt facti, pertinet tã ad laïcum, quàm ad eccleſiaſticũ Iudicem: quando tamen

quæſtio eſt iuris, hoc eſt, quando inquiritur, num contractus ſit vſurarius; propriè pertinet ad Iudicem eccleſiaſticum de ea cognoſcere. ] Ita ille. Et hanc ſententiam docuit etiam ex Panormitano Syluest. *verb. vſura, 9. in princ.* & Scaccia *tract. de commer.* §. 7. *gloſſ. 5. num.* 81. vbi ita ait: [Conclude ex horum omnium caſuum diſtinctione, & reſolutione, quod cognitio, an contractus ſit vſurarius, pertinet ad Iudicem eccleſiaſticum, & non ad ſæcularem, vt notauit Card. Turrecremata *in c. quid dicam, ſub num. 5. ver. ad tertium.* 14. *q.* 4.] Ita Scaccia. Vide etiam Bobadillam *in polit. tom. 1. lib. 2. cap.* 17. *num.* 40.

*Vtrùm Clerici teneantur ad gabellam, quæ impoſita eſt pro manutenendo exercitum in partibus inimicorum, vt tutiùs confinia Regni conſeruentur?*

RESOLVT. LXXIX.

AFfirmatiuè reſpondet Henriquez *lib.* 10. *cap.* 15. *n.* 5. *in gloſſa, litt. Q*, vbi ſic aſſerit: [Anno 1590. conſulti Salmanticenſes Iuriſperiti, Moya, Solis Didacus, Henriquez, Sahſagum, Bernal, & ex Theologis Magiſter Gueuara, Bannez, & plerique alij, admittunt, iuſtè compelli Clerum per Epiſcopum, contribuere pro ingenti pecunia, quam Regna, & Senatores vrbis promiſerant Regi pro adiuuandis Catholicis contra Hæreticos Gallos, & vt tutiùs conſeruarentur confinia Hiſpaniæ.] Ita Henriquez.

Sed contrariam ſententiam docet Carolus de Graſſis *de eff. cler. eff. 3. n.* 243. vbi putat, quòd tunc Clerici tenentur contribuere, quando vtilitas, ſiue neceſſitas principaliter, & immediatè, & non mediatè, & in remotis, tangit illos, vt ait ipſe, quando Princeps vellet imponere gabellam, ſeu collectam pro manutenendo exercitum, & faciendo bellum in partibus inimicis, ne inimicus accederet ad ſuas ciuitates; licèt ex iſto actu ciuitas, cui imponitur gabella, conſequatur vtilitatem; ſcilicet, quòd propter tale bellum hoſtes non poſſunt moleſtare ciuitatem. Ita ille. Et hæc opinio contra Henriquez eſt omninò tenenda, vt nos ſuprà etiam firmauimus.

*An Clericus coniugatus cum vnica, & virgine, veſtes clericales, & tonſuram deponens, ſi poſteà illas reaſſumat, gaudeat priuilegio fori?*

RESOLVT. LXXX.

NEgatiuè reſpondent aliqui Iuriſconſulti ex neotericis. Hoc etiam docet Auendaño *de exequend. mandatis Reg. lib. 1. cap.* 32. *num.* 15.

Sed contrariam ſententiam amplectendam omninò eſſe iudico. Et ita docet M. Antonius Cucchus *in inſtit. lib. 3. tit. 9. num.* 67. vbi ita aſſerit: [Si Clericus coniugatus, qui clericales veſtes induere non ſolebat, eas tandem cum tonſura aſſumpſerit, priuilegio fori potietur.] Vide etiam Barboſam *im l. Titia.* 35. *num.* 33. *ff. de ſolut. matr.* Clarum *lib. 5. receptarum*, §. *fin. q.* 36. *n.* 15. & alios.

*An Iudex laïcus poſſit procedere contra animalia, & pecora Clericorum, quæ in alienis paſcuis reperta fuerunt?*

RESOLVT. LXXXI.

HAnc quæſtionem tractant, inter multos, Guttier. *Pract. qq. lib. 1. q. 4. n.* 2. & Ceual. *in tract. de cognit. per viam viol. p. 2. q. 11. n.* 44. & diſtinguunt; nam, aut Iudex ſæcularis procedit contra perſonam Clericorum, & Religioſorum, pro executione pœnæ ſtatuti, & ordinationis; vel contra ipſa pecora, quæ fuerunt reperta in paſcuis alienis, & prohibitis. In primo caſu non poteſt: ſecùs autem in ſecundo, quando, ſcilicet, procedit contra pecora, Et ita fuiſſe deciſum in Regali Cancellaria Pinciana, & eſſe de ſtylo Curiarum ſæcularium, teſtantur. Idem etiam docet Heuia *in Cur. Philipp. p. 3.* §. 17. *num.* 13.

Sed ego circa præſentem diſtinctionem ſemper magnã habui difficultatem, & nouiſſimè illam improbat Barboſa *in collect. tom. 1. lib. 1. tit. 2. c. 10. n. 6.* vbi ſic ait: [Statuta laïcorum, pœnarum condemnationem, & exactionem imponentia aduersùs eos quorum pecora damnum dederunt, aut in fructibus, vel in paſtibus vetitis fuerunt inuenta, non ligant Clericos, & eccleſiaſticas perſonas: quia indiſtinctè ſæcularibus prohibetur, Clericos diſtringere, aut condemnare, *c. 2. de foro comp.* tum, quia cauſa, quamuis ſua natura merè temporalis ſit ratione perſonæ Clerici, contra quem mouetur, manet eccleſiaſtica, quidquid contrarium reſoluant aliqui. Idque ſuadere conantur ex eo: quia, quando onus impoſitum eſt rei, poteſt ſæcularis iubere, vt executio fiat in re, quæ in ſuo territorio, & iuriſdictione eſt, non habito reſpectu, an perſona, cuius res eſt, pertineat ad ſuum forum, vel iuriſdictionem. Confirmatur hæc ratio: quia hoc pacto perſona Clerici non condemnatur à Iudice ſæculari, nec eius ſtatuto ligatur: quia in perſonam Clerici nulla dirigitur executio; ſed onus reale rei impoſitum à Clerico exigitur, ſicut aliud quodcunque tributum reale. Sed ratio hæc non euincit, cùm omninò oporteat ſententiam ferri, & condemnationem pœnarum fieri in perſonam: quia animalia minimè ſunt capacia, quòd conueniantur, vel condemnentur, *arg. c. 2.* vbi rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit. *hoc tit. c. mulier. verſ. quæritur* 15. *q.* 5. ibi: *Nec vllo modo capax legis ſit.* Bonus text. *in l.* 1. *poſt princ. ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur.* ergo fundamentum prædictum contrariæ opinionis ſecundùm iuris rigorem, ſtare non poteſt.] Ita Barboſa, licèt, vt *ſuprà* diximus, contrariam ſententiam multi doceant.

*An Iudex eccleſiaſticus poſſit punire laicum, qui crimen ſacrilegij commiſit?*

RESOLVT. LXXXII.

HAnc quæſtionem pertractat nouiſſimè Ceuallos *in tract. de cognit. per viam violentiæ, part. 2. q. 59. per totam*, & alij penes ipſum, aſſerentes aliqua, quæ mihi minimè placent.

Ideò abſolutè aſſero cum Barboſa *in ſuis collect. tom. 2. lib. 5. tit. 23. c. 2. n. 9.* & aliis, ſacrilegium eſſe mixti fori ita vt non minùs, ſed æquè principaliter de eo aduersùs laïcum cognoſcere poſſet eccleſiaſticus Iudex, atque ſæcularis, & inter eos locus ſit præuentioni, *iuxta cap. de foro comp. & in c. cùm ſit generale, de pœnis in* 6. Vnde idem Barboſa *n.* 54. aſſerit, tenendam eſſe ſententiam eorum, qui docent eſſe mixti fori, & ad eccleſiaſticum Iudicem trahi poſſe non ſolùm inuaſores rerum eccleſiaſticarum, quando per vim eas occupant; verùm etiam omnes alios, qui in negotiis cum Eccleſia geſtis, eius rebus præiudicant quoquo modo, per fraudem, ſcilicet, vel aliter contra iuſtitiã. Quòd confirmatur ex alia communi reſolutione Doctorum aſſerentium, Eccleſiam læſam in contractu, de cuius nullitate, vel exceptione agitur per in integrum reſtitutionem, laïcos coram eccleſiaſtico Iudice poſſe conuenire. Notandum eſt, etiam, quòd ſupradicta ſententia non ſolùm procedit in rebus Eccleſiæ, ſed etiam in rebus Clericorum; ita vt laïci earum inuaſores, coram eccleſiaſtico Iudice conueniri, & coërceri valeant: quidquid in contrarium aſſerant Barboſius, Decianus, Pereira, & alij, putantes minimè res Clericorum potiri priuilegio rerum eccleſiaſticarum, neque propter violentiam eis illatam, poſſe laïcos trahi ad eccleſiaſticum Iudicem: quæ ſunt omnia notanda, vt obſeruat doctè Barboſa *loc. cit.*

Et pro fine huius Reſol. obſeruandum eſt, etiam malè Ceuallos *vbi ſup. n.* 17. docere, laïcum non poſſe conueniri coram Iudice eccleſiaſtico, ſi verba iniurioſa aduersùs Clericum emiſit: nam contrarium docent DD. & inter



Hiſpanos ipſos Io. de Heuia *in Curia Philip. p. 3.* §. 2. *n.* 6. vbi ſic aſſerit: [ Conoſe tambien el Iuez eccleſiaſtico contra legos, que injurian à los Clerigos, y perſonas eccleſiaſticas, aunque tambien lo puede hazer el ſeglar.

*An quædam doctrina Syluestri de gabella ſoluenda à Clericis ſuper pane, vino, &c. ſit vera?*

RESOLVT. LXXXIII.

IN *verb. immunitas, p... n.* 22. Sylueſter ſic aſſerit: [Poſito, quòd propter debita, aut aliud, Conſules gabellam ponant ſuper carne, aut vino; & huiuſmodi, quam Eccleſiæ ſoluunt indirectè, cùm emant cariùs; diſtinguendum eſt: nam, ſi eam ponunt propter abuſum, & exceſſum eorum, ſcilicet, quem fecerunt; ſic non licitè ponunt, ſed ſoluant de ſuo, ſi verò ponunt propter communem vtilitatem, tam Clericorum, quàm laïcorum; ſic licet eis. Si verò propter vtilitatem laïcorum principaliter; Clericorum verò indirectè, & à remotis, putà quia ciuium proſperitas in Eccleſia, & eccleſiaſticarum perſonarum vtilitatem redundat; iterum diſtinguitur: nam, aut faciunt animo extorquendi pecunias ab Eccleſiaſticis, quia extorquere alio modo non poſſunt; & ſic non licet: aut non faciunt eo animo; quia, etſi non eſſent eccleſiaſticæ perſonæ, adhuc eam imponerent; & ſic licet eis.] Ita ille: & ante illum Angelus *in verb. immunitas. n.* 42. Idem docet Henriquez *lib. 10. c. 15. n. 5. & in Gloſſa, lit. O*: Paulus de Caſtro *conſ. 432. lib. 2.* Octauianus Vulpellius *de libert. eccleſ. p. 2. n.* 51. Lopez *in inſtruct. p. 1. c.* 40. Vide etiam Malderum *in 2. 2. tract. 5. c. 6. dub. 11. in fine.*

Sed falluntur equidem, & cautè legendi ſunt: nam, vt *ſuprà* probatum eſt, Eccleſiaſtici non tenentur ſoluere gabellam, quæ principaliter concernit laïcorum vtilitatem, & ſecundariò Clericorum. Et ridiculum eſt dicere, quod dicti Authores aſſerunt, Clericos tunc non teneri ad ſolutionem dictæ gabellæ, quando extorquetur ex animo recipiendi dictas pecunias ab Eccleſiaſticis, quas extorquere alio modo laïci non poſſent; ſecùs autem, ſi non eo animo: nam reſpondetur, exemptionem Clericorum non dependere ex bono, vel malo animo imponentium gabellas; ſed ex priuilegio, quod ex iure diuino, & humano habent non ſoluendi illas: &, ſi talis opinio eſſet vera, ſemper laïci imponerent gabellas abſque illo malo animo; & ſic Clerici ſemper illas ſoluerent. Dicendum eſt igitur Clericos exemptos eſſe à dicto onere gabellarum ſuper carne, vino, ſerico, &c.

Et ideò Rodriquez *in ſumm. tom. 2. c. 74. n.* 14. ita ait [Ni deſto ſe pueden quexar los Clerigos, pues pueden comprar eſtas coſas en ſus carnicerias, y tauernillas, y oficinas, particularmente deputadas para ellos, donde comodamente las pueden tener. Verdad es, que donde comodamente las no pueden auer eſtas oficinas particulares, tenia por muy ſoſpechoſas las dichas impoſiciones reſpeto de los Eccleſiaſticos.] Sic ille. Et abſolutè, tanquam falſam, hanc opinionem Angeli, & Sylueſtri refellit ex noſtris P. Megala *in p. 2. lib. 2. c. 16. q. 9. n.* 106. & Guttierrez *in tract. de gabellis, q. 92. n.* 60. Sed, an in dicto caſu poſſint laïci aperire tabernas, in quibus ſine onere vectigalis confluere poſſint Clerici, reſpondent Rodriquez, & Henriquez, *vbi ſuprà*, affirmatiuè; quibus etiam adde Ledeſm. *in ſumm. tom. 2. tract. 7. c. 2. concl.* 27. Sed hoc difficultate non caret. Vide *ſuprà reſol.* 44.

*An Epiſcopus poſſit viſitare Hoſpitale, etiamſi à Patrono, in ipſius fundatione, aliter cautum ſit, & maximè conſentiente ipſo Epiſcopo?*

RESOLVT. LXXXIV.

REſpondeo negatiuè; nam, licèt DD. communiter aſſerant, poſſe Epiſcopum viſitare Hoſpitalia; eſto, ſi teſtator prohibuiſſet, ne ſe Epiſcopus intromitteret, vt docet Duardus *in expoſ. Bull. Cœn. lib. 2. can. 15. q. 7. n.* 16. Vgol. *de poteſt. Epiſc. c. 24.* §. 1. *n.* 3. Cochier *de poteſt ordin. in exemptos, p. 4. q.* 53. Zerola *in praxi Epiſcop. p. 1. verſ. Hoſpit. num.* 2. Martha *de iur. p. 4. cent. 2. caſ.* 88. *num.* 14. *& caſ.* 113. *num.* 31. Fuſchus *de viſit. lib. 2. cap. 12. num. 7. &* 8. Vide etiam Riccium *part. 4. deciſ. 209. per totam*, cum multis aliis.

Tamen iſta opinio eſt limitanda, vt non procedat quando Epiſcopus in ipſa fundationé conſenſit, vt rectè obſeruarunt doctiſſimi Iuriſconſulti, Perez de Lara, *de Aniuer. & Capellan. lib. 2. cap. 1. n.* 48. Guttierrez *in repet. in l. nemo poteſt. ff. de legat. 1. n.* 451. *iuncto conſ. 1. num.* 1. & Gonzalez *ſup. 8. Reg. Cancell. gloſſ. 5. n.* 41. qui citat Rochum de Curte, Abbatem, Felinum, & Lambertinum.

Et ratio eſt: quia, licèt Epiſcopus non poſſit conſentire in præiudicium, & derogationem iuris acquiſiti Epiſcopatui: poteſt tamen iuri quærendo præiudicare. Et licèt ſupradicta limitatio non admittatur à Federico de Senis *conſ.* 247. & aliis; attamen poſt Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. c. 8. &* 9. meo iudicio non eſt dubitandum: nam, vt notat, *vbi ſuprà* Gonzalez *n.* 48. cùm Eccleſiæ, & loca pia fundari nequeant ſine conſenſu Epiſcopi, præſupponendo Concilium validam fundationem; diſponit, quod clauſula, & conditio, expreſsà appoſita, quòd Ordinarius non ſe intromittat, eſt ſeruanda. Ergo Concilium intellexit, quòd ſi Epiſcopus in fundatione conſentiat, non poſſit poſteà locum pium viſitare, & ita poſſit in iure quærendo Epiſcopatui præiudicare.

Sed, quidquid ſit de hac quæſtione, etiamſi Epiſcopus non conſentiat, dummodo Fundator in fundatione Epiſcopum à viſitatione excluſerit, puto non poſſe Hoſpitale illud viſitare. Et ita declarauit Sacra Cardinalium Congregatio, vt notat Armendar. *in addit. ad leg. Nauar. lib. 1. tit. 6. leg. 5.* §. 2. *n.* 66. in hæc verba: [Si in fundatione Hoſpitalis ſit dictum, quòd Ordinarius non poſſit ſe intromittere in eius viſitatione, non poterit illud viſitare.] Et ſtante dicta declaratione, in vna Abulenſi ita fuit deciſum per Sacram Rotam Romanam, vt patet apud Farinacium *tom. 1. p. 2. deciſ.* 33. Vide etiam Ricc. *in collect.* 1227. *&* 1228. Et ita ſentiunt DD. communiter, Azeuedus *tom. 2. lib. 4. tit. 1. leg. 10. n.* 29. Mura *deciſ. 28. n.* 29. Carolus de Graſſis *tract. de effectib. cleric. effect. 1. n.* 610. & Garzia *de benef. tom. 1. part. 1. c. 2. n. 98. &* 104. vbi aſſerit, ita nouiſſimè declaraſſe S.D.N. Paulum V. die 7. Aprilis 1626. in cauſa Abulenſi, pro Comite de Oropeſa, contra Epiſcopum, vt in eius Breui ſub annulo Piſcatoris.

Vnde per dictas declarationes apparet primò, reprobandam eſſe ſententiam Zerolæ, qui *in praxi Epiſc. p. 1. verb. Hoſpitale, num.* 3. putauit Concilium Tridentinum, *vbi ſuprà*, loqui tantùm in caſu viſionis computorum, non autem in caſu viſitationis: nam Congregatio Cardinalium extendit verba Concilij, non ſolùm ad viſionem computorum, ſed etiam ad viſitationem.

Secundò, reprobatur etiam ſententia Alexandri Monetæ, qui *in tract. de commut. vlt. volunt. cap. 10. concluſ. 7. num.* 478. aſſeruit, quòd Concilium loquitur ſolùm de adminiſtratoribus fabricæ alicuius Eccleſiæ. Sed fallitur: nam illa verba Concilij: *Niſi ſecùs in inſtitutione.* intelliguntur etiam habere locum in viſitatione; & caſu viſionis computorum alicuius Hoſpitalis, vt aduertit Guttierrez *can. qq. lib. 1. cap. 35. n.* 19. quem ſequitur Rodriquez *in ſumm. tom. 3. cap. 198. num.* 3. & patet ex verbis declarationis Cardinalium, quæ *ſuprà* adduximus. Nec minùs fallitur hic Author, dum aſſerit, quòd quando teſtator excludit Ordinarium à viſitatione, intelligendum eſt, cùm agitur de immutanda principali diſpoſitione defuncti, non autem præciſe exequenda. Sed hoc eſt gratis dictum: nam in caſibus, in quibus fuerunt factæ dictæ declarationes clarum eſt, quòd Epiſcopi non intendebant viſitare illa Hoſpitalia ad immutandas Fundatorum, & teſtatorum voluntates; ſed ad exequendas. Et hoc non obſtante,

reſponderunt Domini Cardinales abſolutè, & ſine vlla diſtinctione, quòd ſi in fundatione dictum ſit, quòd Ordinarius non poſſit ſe intromittere in eius viſitatione, non poteſt illud viſitare.

Tertiò exploditur Auguſtinus Barboſa *de poteſt. Epiſc. p.3. allegat.75. num.9.* qui docet ſupradictas declarationes Cardinalium intelligendas eſſe de Hoſpitalibus, quæ à laïcis reguntur, quaſi merè laïcalia, & in quibus piæ diſpoſitiones non adſunt: vel de loco pio, hoſpitalitatis cauſa priuatim inſtituto, intra ipſiuſmet inſtituentis ædes intercluſo, ita vt ab extra, ſi quod opus ſit, ſpiritualitatis vocetur. Sed miror, Barboſam, aliàs virum doctum, ſic leuiter in hac materia loqui: nam declarationes Cardinalium loquuntur de Hoſpitalibus omnibus in communi, & abſolutè, & ſine vlla diſtinctione, & in quibus piæ diſpoſitiones adſunt, & erectæ ſunt Capellæ, cum onere Miſſarum, vt patet ex illa declaratione facta in cauſa Hoſpitalis de Holmedo ciuitatis Abulenſis, & in multis aliis.

Quartò, non valet dicere, quòd declarationes Cardinalium loquuntur de Epiſcopo, qui vult viſitare aliquod Hoſpitale, vt Epiſcopus; non autem, vt apoſtolicæ Sedis Delegatus, vigore Concilij Tridentini *ſeſſ. 23. cap.8.* Et pro hac opinione faciunt ea quæ adducit Marius Antonius *var. reſolut. lib.1. reſolut.66. num.4.* Sed hæc reſponſio eſt ridicula: nam Cardinales fuerunt interrogati in ordine ad dictum Decretum Concilij; & ipſi de dicto Decreto loquentes reſponderunt. Et ratio, per quam adſtricti fuerunt ad faciendas illas declarationes, nempe, vt ſeruetur forma in fundatione appoſita; non ſolùm militat, ſi Epiſcopus velit viſitare Hoſpitale vt Epiſcopus; ſed etiam, vt Delegatus apoſtolicus. Et ita in caſibus occurrentibus, pro quibus emanarunt dictæ declarationes, Epiſcopi ſe abſtinuerunt à viſitatione Hoſpitalium, & aliorum locorum piorum, in quorum fundatione cautum erat, ne Epiſcopi ſe intromitterent.

Et tandem pro complemento huius quæſtionis, licèt Garzias, *vbi ſuprà, de benef. tom.1. part.1. cap.2. n.98.* cum aliis aſſerat, dictas declarationes non eſſe intelligendas in caſu negligentiæ; nam Fundator, ſeu teſtator, non poteſt prohibere, ne Epiſcopus ſe intromittat circa implementum, & executionem eorum, quæ ad pias cauſas relinquuntur, vt *ex cap. tua nobis. §.1. de teſtament.* probant Bobadilla *in polit. lib.2. cap. 17. num.102.* Suarez *in praxi, tom.2. præl.2. n.44.* Sarmiento *lib.1. ſelect. cap.11. à num.14.* Spino *in ſpeculo teſtam. gloſſ.28. principali, num.20.* & alij: tamen quidquid ſit de hac opinione, notandum eſt, quòd ſi eſſet amplectenda, limitanda foret, vt non procederet, quando in caſu negligentiæ Fundator, ſeu teſtator, alios executores ſubſtituerit, vt rectè notant Aufrerius *in Apoſt. d. deciſ.112. Capellæ Tholoſanæ*, & Alexander, *vbi ſuprà, de commut. vlt. volunt. c.10. concluſ.7. num.475.* cum Couarruuia *in cap. tua nobis. de teſtam. n.2.* & Matienzo *lib.5. tit.4. leg.7. gloſſa.2. n.2. fol.120. & leg.14. gloſſ.1. n.45. fol.130.* tunc enim excluditur Epiſcopus, donec ſubſtituti conſtituantur in negligentia. Et ita etiam docet Perez *de Anniuer. lib.2. c.9. n.26.* Et hæc dicta ſufficiant circa præſentem ſatis difficilem quæſtionem.

Hoc vnum addam, & multùm notandum, quòd licèt Concilium Tridentinum *in ſeſſ.22.* annullet omnia priuilegia exemptionis, Hoſpitalibus conceſſa, in illis verbis *cap. 8. Etiamſi exemptionum priuilegio ſint munita.* tamen hæc verba intelligenda ſunt de priuilegiis extrà, & non in ipſa fundatione conceſſis. Et ita declarauit Sacra Congregatio, exponens ſupradictum locum Concilij, in hæc verba: [Si loca pia, in eorum fundatione exempta facta fuiſſent ab Ordinario, per hoc decretum nihil eſt eis derogatum.] Hanc declarationem ego inueni in ſchedis meis deſumptam olim ex Farinacio.

***

*An Tertiarij D. Franciſci, ſeu Biſochæ, vel Beatæ, vt vocant, gaudeant priuilegio fori, & poſſint conſequi legatum relictum pro Monachatu?*

RESOLVT. LXXXV.

GAudere, ſi in communitatibus viuant, putauit Barboſa *de poteſt. Epiſc. p.2. alleg.12. n.14.* & alij penes ipſum. Difficultas verò eſt, ſi non collegialiter viuant, ſed in propriis domibus. Negatiuam ſententiam docuit Carolus de Graſſis *de eff. cler. eff. 1. num. 93.* & præter illos, quos ipſe citat, mordicùs docet hanc ſententiam Ceuall. *in tract. de cognitione per viam violentiæ, p.2. q.61.* vbi *n.24.* aſſerit, quòd etiamſi collegialiter ſupradicti Fratres viuant, non gaudent priuilegio fori ex determinatione Leonis X. & ſic non eſt ampliùs de hoc dubitandum, cùm cauſa ſit iudicio Eccleſiæ deciſa. Ita ille.

Sed fallitur: nam, vt benè notant Poncius, *vbi infrà*, & Ioan. Baptiſta Confettus *in collect. priuil. tit.23. c.14. in fin.* poſteà ſupradictus Pontifex per aliam ſuam Conſtitutionẽ in ſpecie illud Breue derogauit, & deinde Paulus IV. Gregor. XIII. & Sixtus V. in eorum litteris, dictorum priuilegiorum confirmatoriis, eiuſdem Concilij Lateran. Decretis derogarunt. Ergo non benè aſſerit Ceuallos, hanc ſententiam eſſe ab Eccleſia deciſam; & ideò multi contrariam opinionem tuentur, nempe, ſupradictas mulieres, quamuis poſſint contrahere matrimonium; tamen interim donec religioſè viuant, gaudere priuilegio fori, & canonis, ſicut Clerici in minoribus: & Nouitij poſſunt contrahere matrimonium; & tamen fori priuilegio gaudent. Et in fauorem dictarum mulierum tertij Ordinis D. Franciſci, nouiſſimè ex Felino, & aliis docet Gratianus *in diſcept. tom.3. cap.413. n.38.* & ex Theologis Rodriquez *in qq. regular. tom.2. q.65. art.5.*

Sed quid ego ſentiam, dicam breuiter, Igitur, ſi viri huius Ordinis collegialiter viuant; & mulieres, ſi vitam virginalem ſimpliciter, expreſséque vouerint, etiamſi habitent in propriis domibus puto priuilegio fori gaudere. Et ita docet Baſilius Poncius *de imped. matr. cauſ.27. c.19. §.5.* Portell. *in dubiis regular. ver. Tertiarij, n.7.* Piaſecius *in praxi Epiſcop. nouiſſima, p.2. cap.3. art.7. n.11.* & Cherubinus *in compend. Bullar. tom.1. conſt. 22. Leonis X. Schol.2.* ex declaratione Illuſtriſſ. Cardinalium ita aſſerentium: [Sacra Congregatio Cardinalium Tridentini Interpretum conſulta reſpondit, Fratres Tertiarios, Mantellatos, Corrigiatos, alióſque ſimiles, ita demum Ordinis, cuius tertiæ Regulæ habitũ aſſumpſerunt, priuilegiis potiri, & ab Ordinarij iuriſdictione exemptos eſſe, ſi viri collegialiter viuant, ſeu cum Clauſtralibus habitent; & mulieres virginalem, ſeu cœlibem, aut caſtam vidualem expreſſo voto, & ſub dicto habitu vitam traduxerint, quemadmodum cauetur Conſtitutione Concilij Lateren. ſub Leone X. quæ habetur *ſeſſ.11. in fin.* Hoc tamen voto mulierum, alia duo ſcilicet, paupertatis, & obedientiæ nequaquam includi. Quinimò huiuſmodi mulieres, ſi vitam virginalem, aut cælibem ſimpliciter, expreſséque vouerint, etiam in conſanguineorum, & affinium ſuorum, aut propriis domibus, vel ſeorſum habitantes ſupradictis priuilegiis Ordinis, cuius tertiæ Regulæ habitum deferunt, exemptionéque ab Ordinarij iuriſdictione frui debere, quemadmodum idem Leo poſteà declarauit Conſtitutione edita die prima Martij, anno 1618. Quòd ſi Fratres, Sororéſque tertij Ordinis, quid ampliùs prætendant vigore conſuetudinis, poſſe ius ſuum proſequi in iudicio ordinario. Hier. Card. Pamphilius.]

Ex his apparet, me his diebus probabiliter reſpondiſſe Gubernatoribus Montis Pietatis, ſupradictas mulieres Tertiarias, ſi habuerint requiſita expreſſa in dicto reſponſo Cardinalium, conſequi poſſe legatum relictum pro Monachatu, licèt contrarium doceat noſter Franciſcus del Caſtillo *lib.1. deciſ.88. n.2.* & Aloyſius Riccius *part.4. collect. 1051.* Et ratio noſtræ ſententiæ deſumpta eſt *ex §. ſed*



*§. ſed hoc præſenti. Authen. de ſanct. Epiſc. coll.9.* Nec obſtat Bartolus *in leg. commodiſſimè; ff. de fil. & poſth.* quia loquitur de ingreſſu Monaſterij: non autem de ſimplici Monachatu. Et ita fuiſſe deciſum apud Rectores Orphanarum, & in Curia Archiepiſcopali Panormitana, teſtatur Caſtillo, *vbi ſuprà*, licèt, vt diximus, ipſe contrarium ſentiat. Idem etiam fuiſſe deciſum apud Rectores S. Barbaræ, & Montis Pietatis, mihi conſtat. Et ita etiam tenuit P. Ioſeph Raguſa, Societatis IESV: in quodam Conſilio in fauorem Monachatus dictarum mulierum. Vide etiam Souſam *in tract. de Tertiariis.*

*An Iudex eccleſiaſticus poſſit cognoſcere inter laïcos, de alimentis filio ſpurio debitis?*

RESOLVT. LXXXVI.

NEgatiuam ſententiam docuit Ceuallos *tract. de cogn. per viam violentiæ, p.2. q.53. n.5.* qui citat Theſaurum *deciſ.221. n.4.*

Sed contrariam ſententiam prorſus amplectendam eſſe eſſe puto: nam cognitionem huius cauſæ eſſe mixti fori, docuit ex Theologis Societatis IESV nouiſſimè Sanctarellus *var. reſol. part.1. q.34. n.2.* qui citat Laram, & Barboſam, quibus ego addo Surdum *de alimentis tit.8. priuil.6. n.6.* & à fortiori Couarruuiam *de ſponſ. p.2. c.8. §.6. n.6.* Molinam *de primog. l.2. c.15. n.76.* Aretinum *conſ.48. n.5.* & alios. Vide etiam Bellettum *in diſquiſ. cler. p.1. tit. de fauore Clericorum reali, §.5. n.69.* Igitur in electione filij ſpurij erit, petere alimenta coram Iudice eccleſiaſtico, vel laïco: vnde reiecta manet opinio Ceualli, Theſauri, & aliorum.

Notandum eſt tamen pro Iudice eccleſiaſtico in præſenti caſu, quòd ſub nomine alimentorum veniunt cibaria, veſtes, potus, habitatio, medicinæ, lectus, & alia huiuſmodi, ſine quibus vita tranſigi non poteſt, vt ex pluribus notauit ſupradictus Sanctarellus, *vbi ſuprà, quæſt.37. per totam.*

Sed difficultas eſt, an alimenta præſtanda ſint filio ſpurio, attentis, & conſideratis diuitiis paternis & eius qualitate, & dignitate? Negatiuam ſententiam docet Lara, Palatius, Gamma, Rebellius, & alij apud Barboſam *in collect. tom.3. lib.4. tit.7. c.5. n.12.*

Sed ipſe meritò affirmatiuam ſententiam tenet: & ita docet Francus *deciſ.183. n.18. & 19.* Molina *de iuſt. tr.2. diſp.168.* Leſſius *lib.2. c.19. n.67.* cum aliis apud Barboſam, quibus adde Sanctarellum *loco cit. var. reſol. part.1. q.31. num.20.* Azorium *part.2. lib.2. c.3. q.2.* & noſtrum Megalam *in p.2. lib.2. c.2. q.2. num.4.* qui vt ſemper ſolet, doctè hanc quæſtionem pertractat. Id verò, quod diximus de parentibus circa filios, dicendum eſt de filiis circa parentes, vt notant decem Doctores apud Barboſam *vbi ſuprà n.9.* qui *n.11.* cum multis aliis limitat ſupradicta, ſi ſpurij de ſua arte, vel operibus, aut aliunde commodè viuere poſſunt. Et ita ex Theologis docuit etiam Henriq. *lib.11. cap.19. n.2. & in Gloſſa, lit. N*, vbi alios citat.

*Quando Iudex laïcus, & eccleſiaſticus poſſit cognoſcere de crimine adulterij?*

RESOLVT. LXXXVII.

DE hac quæſtione agunt Ioan. de Heuia *in Curia Philippica, q.3. §.2. n.20.* Couarr. *de ſponſ. p.2. c.7. §.7. n.12.* Pereira *in l. ſi curatorem, verſ. læſis n.22.* Suarez de Paz *in praxi, tom.2. præl.2. n.31.* Miranda *in ord. iudic. tom.1. q.1. art.5. concl.7.* Martha *de iuriſdict. p.2. c.19.* Vincentius de Franco *deciſ. 312.* Ceuallos *de cognit. per viam violentiæ, p.2. q.8.* Riccius *p.5. collect.2076.* Farinacius *in praxi crim. p.3. q.99. n.112. & p.5. q.141. n.42.* Azorius *part.2. lib.3. cap.53. quæſt.2.* & alij.

Dico igitur, quòd de adulterio ad pœnam ſanguinis imponendam, ſolus Iudex ſæcularis eſt competens; quoad alias verò pœnas eſt mixti fori, & ideò datur locus præuentioni. In cauſa verò diuortij, Iudex eccleſiaſticus ſolus eſt competens, ad cognoſcendum de adulterio. Ita DD. citati, quibus adde Germonium *de ſacror. immunitat. lib.3. cap.12. n.58.* & Miranda *de ordine iudiciali, q.1. art.5. concl.6.* Sanchez *de matrim. tom.3. lib.10. diſp.8. n.15.* vbi refellit Decium *in conſ.212. n.2.* & alios, aſſerentes; quòd ſi ſimul agatur de diuortio, & amiſſione dotis, talis cognitio eſt mixti fori.

Imò, etſi de ſola coniugum ſeparatione ad tempus ob lepram, vel aliud impedimentum agatur, ſolus Iudex eccleſiaſticus eſt competens: quidquid in contrarium aſſerat Rupellarus *forenſ. inſtit. Galliæ, lib.1. c.25.* Et ſi quando ageretur de diuortio coram Iudice eccleſiaſtico, quæſtio alimentorum, & dotis amittendæ, tanquam ei acceſſoriæ pertinet ad eundem, ſecùs autem, dum cauſa principalis verteretur de dote: nam tunc talem cognitionem pertinere ad ſolum Iudicem laïcum, exiſtimandum eſſe puto.

Ex his autem infert Sanchez *n.17.* quòd quæſtione mota de alimentis præſtandis adulteræ à viro ſeparatæ coram Iudice ſæculari, viróque excipienti de ſufficienti cauſa diuortij: debet ſæcularis Iudex liti ſuperſedere, donec eccleſiaſticus diuortij quæſtionem dirimat. Ita ille, & alij: quæ omnia pro praxi ſunt valdè adnotanda. Sed circa prædicta, & multa alia, in ordine ad præſentem materiam, vide Barboſam *de poteſtat. Epiſcop. part.3. allegat.84. per totam.*

*An Iudex eccleſiaſticus poſſit punire laïcos concubinarios?*

RESOLVT. LXXXVIII.

REſpondeo affirmatiuè, vt clarè patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ.24. c.8.* Aduertendum eſt tamen, quòd dictum Concilium non tollit alias pœnas à iure communi vel ſtatutis ſynodalibus, contra concubinarios inflictas, nec alium modum procedendi contra eoſdem, niſi velit Ordinarius eos excommunicare: quia tunc forma *dicti c.8.* ſeruanda eſt. Et ita fuiſſe deciſum à Sacra Cardinalium Congregatione teſtatur Armendariz *in Recopil. leg. Nauarræ, lib.5. tit.3. leg. vnica, de adulter. n.9.* & poſt illum Barboſa *in collect. tom.1. lib.1. tit.35. cap.1. n.3.* qui *n.4.* doctè, vt ſemper ſolet

Ex his infert, poſſe Epiſcopum in prima admonitione, pœna pecuniaria concubinarium punire: quia, vt tenuit eadem Sacra Congregatio, trina monitio tunc neceſſaria eſt inter concubinarios, quando contra eos vult ferri ſententiam excommunicationis; non verò ſi pœnis pecuniariis, vel aliis puniri illos velit Epiſcopus: quia in tali caſu non requiritur ſolennitas de qua loquitur Concilium *in illo cap.8.* & ita nouiſſimè docuit etiam Pereira *tract. de manu regia, p.1. c.7. n.24.* licèt contrarium, ſed non benè, videatur docere Riccius *in praxi, p.1. reſol.319. n.3.* contra quendam Epiſcopum huius regni: ſed poſteà ſe retractauit, & noſtram ſententiam docuit *in ſuis deciſionibus, p.4. deciſ.43, n.9.* Notandum eſt tamen, quòd concubinatus eſt etiam crimen mixti fori. Ita Azorius *p.2. lib.3. cap.53. q.2.* & alij.

*An Iudex eccleſiaſticus in criminibus mixti fori poſſit laicos ſine auxilio brachij ſæcularis in carcerem detrudere?*

RESOLVT. LXXXIX.

NOn poſſe excepto, caſu hæreſis, putauit nouiſſimè Salgado *de protectione regia, tom.2. p.2. c.4. n.36. & ſeq.* cum Anguiano *tract. de legib. lib.3. contr.30. per totam*, & Bobadilla *in polit. tom.1. lib.2. c.17. n.167.* Iulio Claro *in pract. crim. q.47. num.8.* & aliis penes Barboſam *de poteſt. Epiſcop. p.3. allegat.107. num.8.* qui aſſerunt, Epiſcopos non

non poſſe procedere contra laïcos aliis pœnis, quàm cenſuris eccleſiaſticis.

Sed hanc ſententiam optimè refellit Barboſa *loco citat.* & ex Theologis Azorius *p.2.lib.3.c.53.q.3.* & alij communiter. Notandum eſt etiam contra dictum Bobadillam, *vbi ſup.n.187.* in tali caſu, dictos criminoſos, non in regiis carceribus, ſed eccleſiaſticis reponendos eſſe, vt tradit Segura *in direct. Iudic.p.2.c.13.n.44.* & alij.

*An Iudex laïcus poßit iudicare in cauſa decimarum?*

RESOLVT. XC.

DE hac quæſtione, & ſequentibus tractat Ceuallos *de cogn. per viam violentiæ, p.2.q.25. per totam.*

Sed, quia in aliquibus mihi diſplicet, ideò aſſero, quòd quæſtio iuris circa decimas pertinet ad ſolum Iudicem eccleſiaſticum. vt ſi, v.g. ad quandam Eccleſiam pertineat ius decimarum, & ſitne aliquis priuilegiatus, quo titulo percipiantur, item de modo decimandi, de tempore, &c. Sit autem quæſtio ſit facti. Iudex etiam laïcus competens erit, & eſt mixti fori, vt ſi, v.g. talis percepit vel ſoluit, ſeu etiam percipiat, vel ſoluat decimas, ad effectum quoque vt is, de quo non dubitat, an iure ſoluere debeat decimas, eas ſoluere Eccleſiæ, eiúſque exactori cogatur: vel, quia agatur contra tertium detentorem fructuum decimandorum: item, ſi agatur de reſtitutione illarum, quando furto auferuntur, aut venduntur, aut in alios vſus temporales conuertuntur, &c. & ita docet Fagundez *Præcept.5. lib.3. c.5.n.1.& 2.* & alij penes ipſum, quibus ego addo Monetam *de decimis.cap.8.q.1.n.1.& 5.* Guttierez *de iuram.confir.part.1.c.2.n.35.* Germonium *de ſacr.immun. lib.3.c.19. n.84.& 99.* & alios.

Non reticebo tamen contrarium ſentire Homobonum *de exam.Eccl.p.2.tr.8.c.8.q.24.* & Azorium *p.1.lib.7.c.36. q.5.* vbi docent, etiam quando quæſtio eſt facti, ſolum eccleſiaſticum eſſe Iudicem competentem circa decimas; ex Bal. Fulgoſ. Cup. Gem. Fachin. & aliis, qui aſſerunt cauſam ſpiritualium; cùm etiam quæſtio eſt facti, eccleſiaſtici Iudicis eſſe. Sed circa præſentem quæſtionem, & alias ſequentes de decimis, vide omninò Tannerum *in 2.2.diſp.5. q.3.dub.2.n.40.*

*An, quando decimæ ſunt ſæcularibus in feudum datæ, cognitio pertineat ad Iudicem ſæcularem?*

RESOLVT. XCI.

AFfirmatiuè reſpondet Couarruuias *tract. qq. cap.35. n.2.* Rebuffus *tract.de decimis, quæſt.10.n.39.* & alij penes ipſos.

Sed meritò ſupradictam ſententiam refellit Azorius *p.1.lib.7.c.26.quæſt.3.* Fagundez *Præcep.5.lib.3.c.5.num.5.* & alij penes ipſos. Et ratio eſt: quia feudum ipſum adhuc ex iure decimarum oritur, quod eſt eccleſiaſticum: neque priuilegium percipiendi decimas extendi debet ad cognitionem cauſæ, niſi id exprimatur. Ad authoritatem verò Couarruuiæ, & Rebuff. reſpondeo cum Suarez *de relig. tom.1.lib.1.de diuino cultu c.38.n.16.* illos & alios, quos ipſi referunt, eſſe cautè legendos, quia plùs, quàm oportet inclinant in fauorem ſæcularium Principum.

Notandum eſt tamen cum Moneta *de decimis, c.8.q.1. n.15. circa finem.* quòd ſi opinio Couarruuiæ, & aliorum eſſet vera, tamen adhuc poſſet non ſolùm laïcus, ſed etiam Iudex eccleſiaſticus decimarum cauſam definire: quia non cenſetur Summus Pontifex, aut Eccleſia, ius decimandi laïcis concedentes, eiuſdem iuris cognitionem, aliàs ſibi de iure competentem, niſi aliud in contrarium appareat, à ſe in dubio abdicare voluiſſe. Eſſet igitur in tali caſu cognitio decimarum, cauſa mixti fori: quod ego non approbo: quia, vt diximus, talis cognitio ſpectat ſolùm ad Iudicem eccleſiaſticum, modo, quo *ſuprà.*

*An Iudex laïcus poßit cognoſcere de cauſis decimarum, ſi Clerici illas petant à laïcis, qui præſcriptione, & conſuetudine immemorabili eas nunquam ſoliti ſunt perſoluere?*

RESOLVT. XCII.

ALiqui affirmatiuè reſpondent, vnde aſſerunt, in tali caſu licitè ipſos laïcos cauſam iſtius litis ad forum ſæculare deducere: & ita docet Couarr. *pract.qq.c.35.n.2. var.reſol.lib.1.c.17.n.19.* & alij.

Sed negatiuam ſententiam prorſus affirmandam eſſe cenſeo cum Fagundez *Præcep.5.lib.2.c.5.n.8.* Azorio *part.1.lib.7.c.36.q.4.* & aliis. Quòd ſi aliqui Principes ſententiam Couarruuiæ in praxi obſeruant, dicendum eſt, illos hoc efficere ex aliquo priuilegio Summorum Pontificum. Sed an reuerà ita ſit, ipſi videant.

*An Iudex laïcus poſsit ſimul cum Iudice eccleſiaſtico cauſam decimarum cognoſcere, ſaltem titulo compromiſsi?*

RESOLVT. XCIII.

NEgatiuè reſpondendum eſt: & ita docet Bonac. *tract. de legib.diſp.vlt.quæſt.5.punct.6.n.1.* & alij penes ipſũ.

An verò de poſſeſſorio decimandi Iudex eccleſiaſticus, vel laïcus cognoſcat, vide Doctores, quos citat Barboſa *in collect.tom.1.lib.3.tit.30.c.25.n.3.* mihi verò placet opinio affirmatiua, hoc ad Iudicem eccleſiaſticum pertinere eo pacto, quo docet Moneta *de decimis.c.8.quæſt.1.n.10.& ſeq.*

*An laïcus conductor decimarum ſit conueniendus coram Iudice laïco?*

RESOLVT. XCIV.

AFfirmatiuè reſpondet Couarruuias *pract.qq.c.35.n.2.* & Guttierrez etiam *pract.qq. lib.3.q.26.num.10.* Sed Germonius *de ſacror.immunit. lib.3.c.19.n.97.* docet, non ſolùm Iudicem laïcum, ſed eccleſiaſticum in tali caſu cognoſcere poſſe.

Mihi verò magis placet opinio Azorij *p.1.lib.7.c.36.q.6.* aſſerentis, hanc cauſam ſolùm coram Iudice eccleſiaſtico tractandam eſſe: quia ortum habet ex iure decimarum, quod ius eccleſiaſticum, ac ſpirituale eſt; non autem ciuile, & prophanum: ſententiam tamen Germonij, quàm etiam ſequitur Moneta *de decimis, c.8.q.1.n.17.* eſt probabilis: opinionem verò Couarruuiæ minimè ſequendam eſſe exiſtimo.

*An Iudex eccleſiaſticus ſit Iudex competens; quando agitur de dando tutore, ſeu curatore Clerico minori, aut mente capto?*

RESOLVT. XCV.

NEgatiuè reſpondet Aufrerius *in Clem.1.de officio ord. reg.4.fallen.25.* quia datio tutoris, ſeu curatoris, reſpicit patrimonium Clerici: ſed Iudex laïcus poteſt ſe intromittere in bona patrimonialia Clerici: ergo, &c.

Sed iſte Author eſt cautè legendus: nam multa aſſerit non fauorabilia, & abſurda contra immunitatem eccleſiaſticam. Dico igitur, dandum eſſe tutorem: vel curatorem Clerico minori per Iudicem eccleſiaſticum: & idem dicendum eſt de Clerico mente capto. Et ita in terminis docet Georgius de Cabedo *part.1. deciſ.80. n.2.* Anguianus *de legib.tom.1.lib.2.contr.23.n.69.* & Bellettus *in diſq. cler.*



*cler.p.1.tit.de fauore Clericorum perſonali, §.6.n.15.* qui notant, quòd ſi Clericus minor litigat tanquam actor coram Iudice ſæculari, poteſt idem Iudex ſæcularis dare ei curatorem ad litem: quia dictus curator datur rebus, & non perſonæ. Notandum eſt etiam, quod idem Cabedo *in ſequenti deciſ.81.* obſeruat, quoad inuentarium bonorum Clerici mortui, qui filios minores reliquit ad Iudicem laïcum pupillorum pertinere illud facere, quæ quidem ſunt valdè adnotanda, quia multùm quotidiana.

*An concordata Summi Pontificis cum aliquo Rege, ſint priuilegium; & an ſint reuocata per Bullam Cœnæ?*

RESOLVT. XCVI.

DOctus Iuriſconſultus Gabriel Pereira *in ſuo tract. de manu-regia, p.1.c.6. n.3. & 4.* partem tenet negatiuam: putat enim, ex concordatis non induci priuilegium; ſed ſpecialis contractus vltrò, citróque obligatorius: Et impugnat Suarez *contra Regem Angliæ, lib.4.c.24. num.22.* affirmatiuam ſententiam docentem.

Sed Epiſcopus Antuerpienſis, Ioannes Malderus, *in p.2. D.Thomæ, q.96.art.4.fol.407. col.1.* ſententiam Suarez, & meritò amplexus eſt. Dico igitur, tales concordias habere vim cuiuſdam priuilegij. Vnde inferendum eſt, quòd, ſicut priuilegium reuocatur ad libitum concedentis, ita pariter concordata. Et ita etiam docet nouiſſimè Layman *in Theol.mor.lib.4.tract.9.c.10.n.3.*

An verò reuocata ſit per Bullam Cœnæ, negatiuè reſpondet Pereira *vbi ſupr. n.13.* Sed ſententiam affirmatiuam docet Azor. *in ſumm.tom.1.lib.5.c.12.verſ.ex dictis,* quam videtur probare Suarez *loco cit. à n.29.* Sed, cùm ſit dictum, concordata concedi per modum priuilegij, aſſerendum eſt de dictis concordatis id, quod diximus de priuilegiis *ſuprà in Reſol. 6.* vbi adduximus DD. partem negantem, & affirmantem defendentes.

*An aliqua ciuitas, vel Princeps, poßit exigere tributa à Clericis: quia per conſuetudinem immemorabilem ita ſemper factum eſt?*

RESOLVT. XCVII.

AFfirmatiuam ſententiam docet Gabriel Pereira *in tract.de man.regia, p.1.c.10.n.2.* Vide etiam Paulum de Caſtro *in conſ.423.*

Sed hæc ſententia prorſus eſt abiicienda: nam, vt in caſu ſimili docet noſter doctiſſimus P. Megala *in conſ.72. n.4.* Bulla Cœnæ Domini non ſolùm tollit quaſcunque conſuetudines, etiam immemorabiles; ſed etiam continet clauſulam irritantem, quæ deſtruit, & inficit titulum, & poſſeſſionem. Et ita citans alios DD. aſſerit Megala, decreuiſſe Romanam Rotam, die 10. Decembris, 1598.

*An Epiſcopi poßint excommunicare Iudices laïcos, quia volunt cognoſcere delicta famulorum ſuorum?*

RESOLVT. XCVIII.

NEgatiuam ſententiam docuit nouiſſimè Gabriel Pereira *in tract. de man.regia.p.1. c.19. n.13.* vbi aſſerit, quòd, licèt de iure communi competeret Epiſcopis priuilegium pro tota familia; attamen ex iure nouo Concilij Tridentini *ſeſſ.23. c.6.* contrarium tenendum eſſe affirmat quia Concilium ibi ſtatuit, priuilegium clericale neminem iuuare, niſi beneficium habeat, vel Eccleſiæ ſit affixus, vel clericalem deferens habitum in ordine ad maiores ordines, in Vniuerſitate, vel Collegio degat.

Sed miror, doctiſſimum Virum hæc cogitaſſe, & typis mandaſſe: nam Concilium loquitur de Clericis; non autem de aliis, qui ex alio capite, priuilegio fori, & eccleſiaſtico gaudere poſſunt; & ideò poſt Concilium Tridentinum noſtram ſententiam, & meritò, docent Doctores quos citat, & ſequitur Bellet. *in diſq.cler.p.1.tit.de fauore cleric.reali, §.1.n.13.& ſeq.* Idem etiam docent Riccius *in praxi, p.1.reſol.473.n.2.* Marius Antoninus *var lib.3.reſolut.14.à n.1.* Campanili *in diuerſ. iur. canon. rubr.12.c.13. n.88.* & nouiſſimè Barboſ. *de poteſt. Epiſc.p.3.allegat.107. n.1.& ſeq.* Madius *in tract.de ſacris.Ordinib.c.14.n.46.* Leo *in Theſ.fori eccleſ.p.1.cap.11.n.19.* Zerola *in praxi Epiſc. p.1.verb.Epiſcopus, n.11.*

Dicendum eſt igitur, etiam poſt Concilium Tridentinum, Epiſcopos poſſe tenere familiam armatam, quæ quidem familia, licèt laïca, gaudebit eodem priuilegio fori, ſicut ipſi Clerici gaudent. Vide Narbon. *in 3.part. recopil. lib.4. tit.1. l.20.gloſſ.22.n.4.* Cened. *in q.can. q.4. num.26.* Gratianum *deciſ.Marchiæ 233.n.1.* Martham *de iuriſdict. p.4. caſ.111. n.3.* & alios communiter. Vnde apparet, ſententiam Pereira pugnare cum omnibus recentioribus, non ſolùm Theologis, ſed etiam Iuriſconſultis.

*An, tranſacto, anno, Epiſcopus ſit executor vltimarum voluntatum, etiam quoad legata profana?*

RESOLVT. XCIX.

NEgatiuam ſententiam docet Gloſſa *in cap. tua nobis, verſ.Piis de teſtament.* Aufrerius *in addit. ad Capell. Tholoſ.deciſ.251.* & alij penes Pereiram, *vbi infrà.*

Sed contrariam ſententiam omninò amplectendam eſſe puto. Dico igitur, quòd, tranſacto anno à iure teſtamentariis, ſeu executoribus conceſſo, Epiſcopus ſit executor, vt voluntas defuncti impleatur, non ſolùm quoad legata pia, ſed etiam profana, vt ex Bartolo, Boërio, Nauarra. Tiraquello, & aliis docet Gabriel Pereira *in tract. de manu regia, p.1. cap.16.num.5.* qui addit, hunc caſum eſſe mixtæ cognitionis, & quòd datur præuentio inter Iudicem eccleſiaſticum, & ſæcularem: & hoc in Regno Portugalliæ, propter concordata inter Regem, & Pontificem: vnde in aliis Regnis hoc efficere, videtur iuri canonico aduerſari. Quid autem dicendum ſit de dictis concordatis in Regno Luſitano, vel in aliis Regnis *ſuprà* iam ſatis explicatum eſt. Vide Ceuallos *de cognit.per viam viol. p.2. q.8. n.12.* qui noſtram ſententiam admittit tantùm in legatis omninò piis.

*An, quando Clericus inſtituit hæredem alium Clericum, vel laïcus condidit teſtamentum ad pias cauſas, poßit Iudex eccleſiaſticus dicta teſtamenta publicare?*

RESOLVT. C.

NEgatiuè reſpondet Barboſa *in leg. Hæres abſens.ff. de iudiciis, num.189.* & Pereira *in tract. de manu regia, p.1.cap.16.n.18.* vbi pro affirmatiua ſententia, citat Molinam Theologum.

Sed ego ſententiam affirmatiuam, contra Pereiram cum Molina amplectendam eſſe puto: & illam cum Iuriſconſultis neotericis docet Guttierrez *pract. qq. lib. 2. q.49.num.5.6.& 7.* & Ioan. de Heuia *in Curia Philippica, p....§ 5.n.26.* vbi ſic aſſerit: [ La inſinuacion, y publicacion del teſtamento, ò donacion, en que el Clerigo inſtituye por heredero, ò dona à otro Clerigo, aunque no ſea para pias cauſas, ò inſtituye, ò done à ellas, y el inuentario, que ſe hiziere, ſe ha de hazer ante el Iuez eccleſiaſtico, come, algando otros, lo trae Tello Hernandez, de que ſe ſigue lo miſmo ſe ha de dezir en eſta ſucceſſion ab inteſtato. ] Ita ille. Dicendum eſt igitur, in dictis caſibus publicationem teſtamenti ſpectare etiam ad Iudicem eccleſiaſticum.

An

### *An Epiſcopus poßit viſitare Hoſpitalia, & confraternitates, quoad decentiam diuini cultus, etiamſi exiſtant ſub protectione Regum?*

#### Resolvt. CI.

TAles Confraternitates, & Hoſpitalia nullo pacto in omnibus ab Epiſcopis viſitari poſſe, docent ex Concilio Tridentino communiter Doctores, quos citat, & ſequitur Barboſa *de poteſt. Epiſc. p.3. alleg.75. n.16.* quibus ego addo Piaſecium *in praxi Epiſcop. p.2. c.3. art.5. n.11.* Azeuedum *tom.5. lib.8. tit.14. l.13. n.9.* & Vgolin. *de poteſt. Epiſc. cap.24. §.1. n.3.*

His tamen non obſtantibus, poſſe Epiſcopos in dictis locis viſitare diuinum cultum, & ornamenta, docuit Gabriel Pereira *in tract. de man. regia, p.2. c.17. n.12.* vbi ſic aſſerit: [In his Confraternitatibus de Regum protectione poſſunt Prælati viſitare decentiam diuini cultus, & ornamentorum *ex reg. c.2. in fine, de cuſtod. Euchar. & per totum titulum de Relig. & vener. Sanct.* Vnde Abbas *in c. vlt. de cenſib.* & plures, quos citat Pariſius *conſ.34.* inquiũt, quòd, licèt Epiſcopus non viſitet Capellas particulares, & exemptas; tamen poteſt inquirere, an decenter ibi ſacra miniſtrentur. Nec obſtat Concil. Trident. *ſeſſ.22. c.8.* quia procedit circa opera, quæ in illis locis exercentur, & circa petendas rationes eorum, quæ ibi expenduntur; non autem de viſitatione circa cultum diuinum, quæ ad Epiſcopum neceſſariò, & priuatiuè ſpectat: quia res ſpiritualis eſt, & eccleſiaſtica, & debet intelligi, vt Ordinarij non viſitent in his, quæ ſub protectione Regum comprehenduntur; non verò de diuinis, in quibus Reges iuriſdictionem non habent: ſtylus tamen aliter obſeruat. Viderint, qui aliter iudicant.] Ita Pereira.

### *An Reges poßint ſe intromittere, quando ab aliquo Epiſcopo non obſeruatur aliquod decretum Concilij Tridentini?*

#### Resolvt. CII.

AFfirmatiuè reſpondet, loquens de Rege Hiſpaniarum, Bobadill. *in polit. tom.1. lib.2. cap.18. n.194.* & Ceuall. *tract. de cognit. per viam viol. p.1. gloſſ.6. n.62. & p.2. q.3. n.9. & p.99. n.16.* vbi ſic aſſerit: [En nueſtra Eſpaña ſe pratica, que el Rey nueſtro Señor, y ſu Real Conſejo, ſea Iuez competente, para que ſe guarde el Concilio Tridentino.]

Sed iſtam practicam non ſolùm Theologi, ſed etiam Iuriſconſulti minimè admittunt: vnde Pereira *in tract. de man reg. p.1. c.8. n.11.* ſic ait: Reſpuenda eſt illa praxis, quæ maximè inualuit pluribus ſententiis Senatus coroborata, quòd ad regium Tribunal ſupplicare liceat, quoties aliquod Concilij Trieenti decretum ab Epiſcopo non obſeruatur; quaſi Reges ſint Concilij Protectores: hoc enim repugnat ipſi Concil. *ſeſſ.21. de reform. c.3.* nec his caſibus violentia ineſt, cui occurri per ſæcularem debeat.] Ita ille, & ego. Quando igitur Epiſcopus non obſeruat aliquod Concilij Decretum, recurrendum eſt ad Archiepiſcopum, & non ad Regem.

### *An Appellationes, quæ dicuntur tuitiuæ, rectè à Iudicibus laicis, in cauſis eccleſiaſticis concedantur?*

#### Resolvt. CIII.

AFfirmatiuam ſententiam docet Humada *l.3. gloſſ.4. tit.13. p.2.* Azeuedus *lib.1. recop. tit.6. l.2.* & latiſſimè Pereira *in tract. de man. reg. c.22. per tot.* cum multis aliis.

Sed, cùm hanc ſententiam doceret etiam Viualdus *in prima editione Candelabri aurei, in explicatione Bull. Cœnæ,* fuit dictum Candelabrum propter multa ſuſpenſum, & prohibitum, & poſteà ſine ſupradicta opinione, & multis aliis, denuò conceſſum, & typis excuſſum. Vnde apparet, ſupradictam ſententiã Romæ non eſſe receptam: & illam reprobare videtur Concilium Tridentinum in iſtis verbis: [Nefas autem ſit ſæculari cuilibet Magiſtratui, prohibere eccleſiaſtico Iudici, ne quem excommunicet, aut mandare, vt latam excommunicationem reuocet, ſub prætextu, quòd contenta in præſenti decreto non ſint obſeruata, cùm non ad ſæculares, ſed ad Eccleſiaſticos hæc cognitio pertineat.] Ita Concil. *in ſeſſ.25. c.3. de reform.*

Quando verò, & quomodo concedantur ſupradictæ charthæ, vel Appellationes tuitiuæ, apparet ex illa Ordinatione regni Luſitaniæ, quam affert Pereir. *vbi ſuprà,* ſic aſſerens: [Iubemus, quòd quando aliqua proferetur ſententia à Iudice eccleſiaſtico contra Clericum, vel contra laïcum, qui ſit ſuæ iuriſdictionis, ſi ipſe Clericus, vel laïcus appellauerit ad Romanam Curiam in eo caſu, in quo appellare poſſunt, & antequam appellationis tempus finiatur implorauerit chartam, ne pendente appellatione contra ipſum procedatur, & ne capiatur, vel ab illo pœnæ exigantur excommunicatis impoſitæ: Volumus, vt eorum cuilibet dicta charta tuitiua concedatur, qua per ſcripturam publicam doceant, quòd appellarunt, & ſuas appellationes proſequantur, quanuis nullatenus receptæ ſint: ita enim ab antiquo fieri conſueuit, vt tales chartæ tuitiuæ per Senatores Palatij expedirentur.] Sic habet Ordinatio Luſitana. Dicendum eſt tamen, dictas chartas, vt vocant, tuitiuas non eſſe concedendas, quia offendunt eccleſiaſticam libertatem: & in caſu, in quo conceduntur ſupradictæ appellationes, poteſt Clericus, vel laïcus oppreſſus recurrere pro remedio obtinendo ad Iudicem eccleſiaſticum competentem, vt Canones iubent; & non ad Iudices ſæculares incompetentes, quod prohibent. Sed ad alia deueniamus.

### *An ſit licita lex prohibens, ne bona, vulgò dicta,* de Realengo, *transferantur in Eccleſias, vulgò,* A mano morta, *ſine licentia Regis?*

#### Resolvt. CIV.

HÆc lex poſita eſt in quibuſdam Regnis, & illam defendit nouiſſimè Olibanus *in tract. de iure fiſci, c.7. n.31.* quia ait ipſe: [Omnia bona Regni à Principio ſunt de Realengo, & ſunt Regis, & ipſe potuit legem in eis ponere, ne ſine licentia ſua tranſirent in Eccleſiam.]

Sed dictam legem eſſe contra immunitatem eccleſiaſticam, docent non ſolùm Theologi; ſed inter Hiſpanos Iuriſconſultos doctus Ioann. Valerus *in ſuis differentiis vtriuſque fori, verb. Bona, differ.3. per tot.* Adi illum, & non pigebit. Vide etiam *ſuprà.*

### *An Princeps ſæcularis poßit ferre aliquam legem aduersùs filios, contra iuſtam parentum voluntatem nubentes?*

#### Resolvt. CV.

AFfirmatiuam ſententiam docent non pauci Iuriſconſulti; & inter Theologos illam docet Molina *de iuſt. tom.1. tr.2. diſp.176. à n.24.* & Rebell. *de obligat. iuſtit. p.2. q.14. ſect.3.* quos nouiſſimè ſequitur Pontius *de Sacr. matr. lib.2. c.1. §.3. n.29.* & ex Iuriſtis neotericis Cancer. *lib.3. var. cap.11. n.4.* & Anguiano *in tract. de legib. tom.1. lib.2. contr.13. n.15. & 30.*

Sed meritò ſupradictam ſententiam non admittit Bellettus *in diſq. cler. part.1. tit. de exemptionib. cleric. à ſtatut. ſæcul. §.5. n.43.* qui citat octo Doctores, quibus ego addo ex Theologis Sanchez *de matr. tom.1. lib.4. diſp.25. num.2.* & Vaſquez *in 3. p. tom.4. diſp.4. de matr. cap.2. n.24.* Dicendum eſt igitur, ſupradictas leges eſſe contra immunitatem eccleſiaſticam: &, licèt filij non benè agant, ſi nubant





ſine parentũ licentia; attamen nõ eſt ferenda lex, quæ eos exhæredari à parentibus permittat, ſi velint: & hoc, etiãſi ſupradicti filij indignè nuberent, vt obſeruat Sanch. *n.3.* Vide citatos Doctores. Et ratio eſt: quia ius canonicum omnimodam in matrimonio libertatem poſcit: & ideò reiicit pœnam in ſponſalibus poſitam, *c. gemma. de ſponſalib.* Sed propter pœnam exhæredationis, vel aliam valdè minuitur dicta libertas. Ergo dictæ leges erunt contra ius canonicum, & ſunt ab illo correctæ. Et ideò Valerus *in differ. vtriuſque fori, verb. matr. diff.1. n.2. & ſeq.* ſupradictas leges, tanquàm improbas, in foro conſcientiæ damnat, & reprobat: ſicut etiã damnarunt Doctores, quos citat Molinus *de ritu nupt. lib.2. diff.7. n.57.* Nec obſtat contra ſupradicta, lex quædam, quæ obſeruatur in Regno Cathaloniæ: nã hoc pertinet ad factũ; & in Regno illo leges condũtur in Comitiis generalibus, non ſolùm à laïcis, ſed etiam ab Epiſcopis, & aliis Eccleſiaſticis. Ergo, vt ait Molinus *vbi ſuprà,* iuſtificantur ſupradictæ leges ex ſcientia, & tolerantia Romani Pontificis. Sed de hac ſcientia, & tolerantia dictum eſt *ſuprà*: ad alia igitur procedamus.

### *Quid ſentiendum de aliquibus Conſtitutionibus Iuſtiniani Imperatoris, præſertim de Conſtit. 3.5.6.57. & 58.*

#### Resolvt. CVI.

AD hoc dubium nouiſſimè reſpondet Tanner. *in 2.2. D. Thomæ, diſp.1. q.4. dub.1. n.30.* ſic aſſerens: [Cõſtitutiones Iuſtiniani de rebus eccleſiaſticis, quatenus quidem iuſtæ ſunt, & legitimæ, non ſunt leges, aut ſanctiones eccleſiaſticæ, noui quidpiam ordinantes, præſcribentes, aut definientes circa fidem, diſciplinámque eccleſiaſticam: ſed ſunt meræ executiones Canonum, iam ante in Conciliis legitimè conſtitutorum, ſpectantes ad conſeruationem, & ſecuriorem eorundem obſeruationem.

Dixi tamen, *quatenus iuſtæ ſunt*: quia negari non poteſt, Iuſtinianum nonnulla etiam liberiùs præter ius, fáſque ſanxiſſe. In qua re quantùm, & ſibi ipſi, & toti imperio nocuerit, non obſcurè oſtendit Baronius anno Chriſti 528. & anno 549. vbi breuiter ait, eum, dum dogmatibus eccleſiaſticis perſcrutandis, pluſquàm decet Imperatori, curioſè vacaret; vniuerſum peſſundediſſe Imperium.] Ita ille, & ante illum Azorius *tom.1. lib.5. c.20. §. Item leges.* Iniquis igitur Iuſtiniani, & aliorum Principum ſæcularium legibus circa perſonas, & cauſas eccleſiaſticas ſancitis, rectè communi iure derogatum eſſe conſtat *ex cauſa 11. q.1. & cap. non minus. de immunit. Eccleſ. & cap. quanquam de cenſib. in 6.* cum Bulla Cœnæ.

### *An Clericus poßit ſe ſubiicere Iudici ſæculari, vt arbitro?*

#### Resolvt. CVII.

DIximus *ſuprà*, Clericos non poſſe exemptioni renunciare, vt à Iudice poſſit validè iudicari, etiam in ciuilibus, vt patet *ex cap.41. inolita. 11. q.1. & c. placuit. 42. ibidem, & c. ſi diligenti. 12. extrà, de foro compet.*

At, his non obſtantibus, poteſt Clericus in ciuilibus ſe ſubiicere Iudici ſæculari, vt arbitro. Sed in tali caſu notandum eſt, quòd ſi dictus Clericus nolit ſtare ſententiæ, non poteſt Iudex laïcus illum per ſe cogere. Et ita docet Leſſius *lib.2. c.29. dub.6. num.52.* & nouiſſimè poſt illum Adamus Tannerus *in 2.2. D. Thomæ, diſput.4. q.4. dub.1. num.29.* & alij.

### *An ſemel punitus in foro Eccleſiæ, poßit iterum pro eadem culpa à Iudice ſæculari puniri, etiam ad exceſſum pœnæ?*

#### Resolvt. CVIII.

AFfirmatiuam ſententiam docent multi Iuriſconſulti, quos citat, & ſequitur Cenedo *in canonicis qq. q.36.*



*n.25.* & Bobadilla *in polit. tom.1. lib.2. c.17. n.94. in Gloſſa lit. D.* & in caſu ſimili Pereira *tract. de manu regia, part.1. c.10. n.12.* Madius *in tract. de ſacris Ordinib. c.15. n.6.* & ex Theologis Adamus Tannerus *in 2.2. diſp.4. q.4. dub.4. n.93.* & Miranda *in lib. de ordine iudic. tom.1. q.1. art.7. concluſ.4.* Guttierez *canon. qq. lib.1. c.12. num.15.* cum aliis, ex authoritate *cap. felicis. §. per hoc. de pœnis, in 6.* Et hanc ſententiam, cum aliqua limitatione, tenet etiam Sigiſmundus Scaccia *de iudic. cauſ. lib.1. c.12. n.91.* & Layman *in Theol. mor. lib.4. tract.9. cap.2. n.6.*

Sed contrariam ſententiam prorſus amplectendam eſſe iudico, quam nouiſſimè ex multis Doctoribus, & validiſſimis rationibus probat Iuriſconſultus Chriſtophorus de Anguiano *in ſuo tract. de legib. lib.3. contr.32. num.7. & ſeq.* quia ſimilis ratio eſt in Iudice eccleſiaſtico, circa cauſas mixti fori, quæ adeſt in quolibet Iudice, qui ſpeciali ratione iudicat de ſubdito alterius territorij: ſed accuſatus in foro delicti non poteſt recuſari in foro domicilij, quanuis diuerſa ſit pœna, vt manifeſtum eſt, & probat textus *in l. Senatus. ff. de accuſat.* Ergo laïcus, ſemel accuſatus de crimine mixti fori in iudicio eccleſiaſtico, non poterit iterum accuſari in foro ſæculari. Alias rationes adducit hic Author, quas penes ipſum inuenies, qui etiam reſpondet ad omnia argumenta contrariæ ſententiæ.

Notandum eſt tamen, quòd Auctores primæ ſententiæ, vt Tannerus, qui citat etiam Delrium, aſſerunt è conuerſo, quòd ſi delictum ſit mixti fori, & inſufficienter ſit à Iudice ſæculari punitum, poteſt iterum à Iudice eccleſiaſtico puniri.

### *An Iudex eccleſiaſticus teneatur in cauſis eccleſiaſticis, aut mixti fori, præbere proceſſus Iudicibus ſæcularibus, à quibus auxilium petit?*

#### Resolvt. CIX.

AFfirmatiuam ſententiam docet Baldus *in l. in criminali. C. de iuriſdictione.* Bartholus *in l. Magiſtratib. ff. eodem. & in l. Diuus. de cuſtodia reorum.* cum Roland. à Valle *lib.1. conſ.37. n.5. & 7.* & aliis penes ipſum, & apud Barboſam *de poteſt. Epiſc. p.3. allegat.108. num.27.* & Cenedum *in canonicis qq. quæſt.36. n.13.*

Sed falluntur equidem, & ideò meritò contrariam ſententiam nouiſſimè docuit Moneta *de iudicibus conſer. c.8. n.261. & 262.* Segura *in director. Iud. eccleſ. par.2. cap.13. num.33.* Chriſtophorus Anguiano *in ſuo doctiſſimo tract. de legib. lib.3. contr.31. n.7. & ſeq.* vbi ex profeſſo ex ſolidis rationibus, & ex communi Canoniſtarum ſententia probat, ſæcularem Iudicem requiſitum per Ordinarium, vel Delegatum eccleſiaſticum, petere non poſſe, ſe inſtrui velle ex actis coram tali eccleſiaſtico requirente factis, num ritè, & rectè proceſſum fuerit; ſed ſtatim teneri impertiri brachium ſuum, etiamſi proceſſus ſibi non oſtendatur, cuius copiam petere non poteſt, neque differre exequutionem brachij petiti, nec directè, neque indirectè ſe intromittere, vtpote ad quem nuda, & pura duntaxat ſpectat executio. Et hæc opinio aduersùs Mirandam *de ordine iudiciario, tom.1. q.5. art.1. concluſ.1.* Azeuedum *in recopil. lib.4. tit.1. leg.15. n.4.* & alios, non ſolùm tenenda eſt, quando Iudex eccleſiaſticus procedit in cauſis eccleſiaſticis, ſed etiam in cauſis mixti fori, vt tradunt Doctores citati.

### *An Clericus falſum teſtimonium dicens coram Iudice laïco, ab eo puniri poßit?*

#### Resolvt. CX.

AFfirmatiuam ſententiam docet, circa eius bona, non autem circa perſonam, Guillelmus Benedictus *in cap. Raynutius. verſ. & vxorem. deciſ.2. n.142.* Chaſſaneus *in conſuet. Burgundiæ, rubr.1. §.5. num.81.* Franciſc. Marc.

p.1.deciſ.215.n.1. Lancellot. de attentat.p.2.cap.2.cap.15. n.97. & ex veteribus Angelus in l.quoties.in fine,C.de iudiciis, & Federicus de Senis conſ.88. & alij,quos retulit Iulius Clar.in pract.crim.quæſt.38.n.14.& Anguiano vbi infrà,lib.3.contr.22.num.7.

Sed abſolutè dicendum eſt, neque in perſona,neque in bonis,in tali caſu poſſe Iudicem ſæcularem Clericum punire:& ita docet Ceuallos in tract. de cognit.per viam violent.p.2.q.67.Afflictus deciſ.230.Guttierrez pract.qq.lib.1. q.24.verſ.ſic quæro.Fachineus lib.9.controuerſ.c.27.Salzedo in pract.crim.Bernardi Diaz,c.63.& ex noſtris P.Duardus in ſuis comment.in Bull.Cœn.lib.2.can.15.q.11.n.34. Nullus enim Clericus puniri poteſt à Iudice laïco ex cap.ſi diligenti.de foro competenti,cap.1. de Clericis coniug. & ex auth.ſtatuimus.C.de Epiſc.& Cler.

An verò, ad effectum repellendi Clericum à teſtimonio, poſſit Iudex laïcus per viam exceptionis cognoſcere de crimine Clerici,negat Hoſtienſis in cap. verum.de foro compet.& Ioan.Andr. in cap.at ſi Clerici.in princ. n.21. ſed affirmat Guttierr.pract.qq.24.n.2. Iulius Clar. §.vlt.q.38. n.14.& alij,quos citat,& ſequitur Chriſtophor.Anguiano in tract.de legib.tom.1.lib.3.contr.28.num.11.

*An Iudex eccleſiaſticus poſſit incidenter cognoſcere de rebus temporalibus, ſeu profanis; & è contrà, Iudices laïci de rebus ſpiritualibus, & eccleſiaſticis?*

RESOLVT. CXI.

Difficilis eſt iſta quæſtio,& non ſemel in praxi occurrens,ad quam Chriſtophorus de Anguiano in tract. de legib.tom.1.lib.21.contr.22.num.21.& 25. duabus concluſionibus reſpondet, quarum prior ſic habet:

[Laïci Magiſtratus de rebus eccleſiaſticis omnimodo prohibentur cognoſcere, & ſuper eis,neque principaliter, neque incidenter iudicare poſſunt.]

Secunda concluſio: Prælati, ſiue Iudices eccleſiaſtici, licèt non magis poſſint cognoſcere de cauſis profanis inter ſæculares, quàm laïci, reſpectu cauſarum eccleſiaſticarum; nihilominùs tamen, quia ſolummodò incompetentes ſunt, non incapaces erga tales cauſas, ſi eas contingat incidere, rectè poterunt per incidentiâm ſæcularem iuriſdictionem in laïcos exercere.] Ita ille. Ratio igitur, quare laïcus non poteſt, etiam incidenter, cognoſcere cauſam eccleſiaſticam, eſt; quia non ſolùm circa illam eſt Iudex incompetens,ſed etiam incapax: eccleſiaſticus verò poteſt incidenter de cauſa profana cognoſcere;quia eſt quidem Iudex incompetens,ſed non incapax.

Et hæc omnia intelligenda ſunt circa Iudices laïcos, vt non poſſint cognoſcere cauſam eccleſiaſticam, non ſolùm ordinariam cognitionem exercendo; ſed etiam neque ſummariè. Et ratio eſt: quia, quotieſcunque Iudex aliquis prohibitus eſt, vel incompetens in negotio ordinario, ſeu plenario, pariter etiam prohibitus cenſeri debet in ſummaria cognitione, iuxta duas Clementinas,ſi rectè intelligantur; vnam incipientem,Sæpè.de verb.ſignific.alteram verò ſecundam in ordine ſub tit.de Iud. Et ita docet, ex multis aliis rationibus, ſupracitatus Anguiano, vir nunquam ſatis laudatus; quidquid in contrarium aſſerant Menochius de retinen.poſſeſſ.rem.3. n.336. & Guttierrez canonicar.qq.lib.1.c.34.num.46. inferentes ex eorum ſententia vnum abſurdum, ſcilicet, poſſe Iudicem laïcum,in cauſa ſummaria ſuper poſſeſſorio, v.g.ſi ageretur de concedenda reſtitutione ei, qui ſuo beneficio ſpoliatus fuit, incidenter cognoſcere de titulo beneficij,tanquàm de re neceſſaria ad definiendum ſuper reſtitutione: quia omnia ex ſupradictis neganda ſunt.

*An Princeps laïcus poſſit legitimare filium Clerici, ſi ipſe filius ſit Clericus?*

RESOLVT. CXII.

Affirmatiuam ſententiam docet Couarruuias 2.p.de ſponſalib.c.8.§.8.n.19.qui citat ad propoſitum Ioan. Andream,& Lambertinum. Et ratio eſt:quia poſſunt laïci Clericis priuilegia concedere ex cap. nouit. de iudiciis. Ergo priuilegium legitimationis poteſt Princeps ſæcularis Clerico communicare: & licèt Clerici, ſæculari iuriſdictioni ſubiecti non ſint, & Princeps in illos poteſtatem non habeat, tamen ſupradicta legitimatio in effectu non tam reſpicit ipſius Clerici legitimandi perſonam, quàm bona ipſa, quæ ſupponuntur ſita intra territorium Principis legitimantis.

At, his non obſtantibus, contrariam ſententiam amplectendam eſſe exiſtimo, cum Baſilio Poncio de matrimonio,lib.11.c.6.n.9. & Anguiano tract.de legib.tom.1.lib. 2.contr.23.n.65.quia ſupradicta legitimatio eſt actus iuriſdictionis: ſed Clericos à ſæculari poteſtate exemptos eſſe ex ſe patet: ergo,&c. Adde,quòd non ſolùm perſonæ,ſed etiam bona Clericorum ſunt exempta: ergo non poteſt Princeps ſæcularis, etiam ex hoc capite, Clericum legitimare. Vnde patet reſponſio ad argumenta contrariæ ſententiæ.Ad primum reſpondetur,quòd procederet,ſi in tali legitimatione ageretur tantùm de vtilitate Clerici,& non de eius præiudicio, vt eſt in caſu noſtro, per iuriſdictionem incompetentem in illum exercendam, &c. Et noſtra opinio eſt admodum vera,vt aliqui doceant,etiamſi filius Clerici ſit laïcus, non poſſe Principem ſæcularem illum legitimare.Et ita fuiſſe deciſum anno 1561.in Senatu Pariſienſi,teſtatur Petr.de Gregor. lib.10. Syntag.c.4. Vnde Azorius tom.2.lib.2.c.15.q.vlt. aſſerit, tutius eſſe ab vtroque Principe legitimationem poſtulare.

*An Prælati Summo Pontifice inferiores delegare poſſint indiſtinctè laïcis cauſas eccleſiaſticas?*

RESOLVT. CXIII.

Clarum eſt,poſſe Summum Pontificem, ſi viderit expedire,iuriſdictionem ſpiritualem laïcis exercendam committere,ad tractandas cauſas, non ſolùm ciuiles, & criminales; ſed etiam ſpirituales,vt tradunt Nauarrus in Manual.cap.27.n.6.Aufrerius de poteſt.ſæcul.reg.4.fallent. 3.& alij.

Difficultas conſiſtit, an idem dicendum ſit de Epiſcopis.Et diſtinguendo communiter reſpondent: nam, vel cauſæ ſpectantes ad eccleſiaſticam iuriſdictionem ſunt cauſæ merè ciuiles, & pecuniariæ,vel ſunt ſpirituales:primas cauſas Epiſcopus poteſt laïcis delegare;ſecundas minimè. Et hæc opinio in praxi communiter obſeruatur, & obſeruanda eſt,licèt de iure nouiſſimè Anguianus in tract. de legib.tom.1.lib.2.contr.25.num.4. ſolidè, & perdoctè,vt ſemper ſolet,contrarium doceat.

*An Princeps ſæcularis non tantùm poſſit reſiſtere iuramento, ita vt prohibeat, ne fiat; ſed etiam poſſit impedire effectum illius, ita vt,ſi fiat,nullatenus ſequatur obligatio?*

RESOLVT. CXIV.

Affirmatiuam ſententiam docent nouiſſimè Pereira de manu regia,c.19.per tot. & alij penes ipſum, quibus ego addo ex Theologis Molinam de iuſt.tom.1.tract. 2.diſp.147.n.13. Sanchez in ſumma,tom.1.lib.3.c.22.n.10. & 11. Vaſquez de teſtam. c.3.dub 2.Pontium de matrim. lib.12.c.8.§.5.n.39. & Layman in Theol.moral.lib.4.tract. 3.c.11.num.9. Sed aduersùs Theologos pugnant in hac quæſtione præſtantiſſimi Iuriſconſulti, vt Martha de iuriſdict.part.4.cent.1.caſ.62. & nouiſſimè Molinus de ritu nupt.



nupt.lib.1.compar.19.n.60.qui excuſat huiuſmodi ſtatutum in Regno Cathaloniæ,quia leges municipales in illo Regno conduntur in Comitiis generalibus, non ſolùm ex laïcis,ſed ab eccleſiaſticis. Et Ioan.Valerus in differentiis vtriuſque fori,verb.Iuramentum.differen.9. reprobat quandam ordinationem Luſitanam,prohibentem apponi iuramentum in vllo contractu,eò quòd fuerit lata non fauore publico, nec in bonum publicum; ſed fauore tantùm regio,& fauore eius iuriſdictionis; ne videlicet, ratione iuramenti; contrahentes traherentur ad forum eccleſiaſticum,iuxta cap.nouit.de iudiciis. Et dato, & non conceſſo quòd opinio contraria eſſet vera: tamen, vt benè obſeruant Alexander lib.1.conſ.59.n.9. Couarr. in cap. quamuis pactum,p.2.§.1.n.8.Barboſa in leg.1.§.1.n.70.& 71.ff.ſolut. matr.Parladorius rer.quotid. lib.2.c.4. Valerus vbi ſupr. & alij,poſſunt Principes reſiſtere iuramento,& prohibere,ne fiat;non tamen poſſunt ita impedire,vt ſi iuramentum efficiatur,nulla ſequatur obligatio: ideò in tali caſu contra Sanchez, & alios, iuramentum eſt obſeruandum, donec relaxet Epiſcopus. Et ita hanc ſententiam ex Theologis docet P.Suarez de Relig.tom.1.tract.5.lib. 2.c.38. n.15.vbi ſic.aſſerit:[Ad leges aliquorum Regnorum reſpondetur,in illis nullum eſſe verbum de irritatione iuramenti: nam talis irritatio, etiamſi directè fieri poſſet, non poſſet fieri per legem ciuilem, cùm ſit extra forum eius. Solùm ergo irritantur ibi contractus ciuiles, quando iuramentum eis additur. Et tunc, licèt ex contractibus non naſcatur obligatio ratione illarum legum,iuramentum per ſe obligabit ad id,de quo factum eſt,quodque ſine peccato fieri poteſt hoc enim non poteſt impedire lex ciuilis, ſtante tali conditione;vt illis iuramentis reuerà ſtat,non obſtantibus illis legibus: nam, ſi iuramentum eſt de non contraueniendo illis contractibus, quantumuis nullis, licitè ſeruari poteſt: ſeruandum ergo eſt.Non carent tamen difficultate illæ leges, irritantes contractum ſolùm propter adiectionem iuramenti;nam videntur, ſaltem indirectè,eſſe contra libertatem eccleſiaſticam, licèt lex Caſtellæ expreſsè id neget & in ea dicatur, ita poſt diligentem inquiſitionem iudicatum eſſe. Sed hoc examinare, ad rem præſentem non ſpectat.] Ita Suarez. Ex quibus verbis apparet, quòd vir doctiſſimus valdè dubitauit de ſupradictis legibus,an ſint contra eccleſiaſticam immunitatem:ideò Principes ex illis abſtineant: nam efficerent contra libertatem Eccleſiæ,vt nos ſuprà in Reſol.63. diximus, & nunc dicemus.Non reticebo tamen pro coronide huius Reſolutionis, Layman in Theol.moral.lib.4.tract.3.c.11.n.10. adnotare, quòd non ſolùm Iudex laïcus, ad obſeruationem iuramenti ſuper contractu,vel ſimili negotio interpoſiti,laïcos ſuos compellere poteſt, ſed etiam Iudex eccleſiaſticus,ſicuti habetur in c.vlt.de foro compet.in 6.vbi Doctores adnotãt,quòd iuramentum non mutat forum,ſed addit forum foro.Senſus eſt,ſi contractus,v.g.iuramento confirmatus ſit,poteſt quidem iurans ratione contractus politici,coram ſæculari Iudice conueniri, vt is totam litem definiat: ſed poteſt etiam conueniri coram Iudice eccleſiaſtico;ratione interpoſiti iuramenti,cuius obligatio per ſe ad forum eccleſiaſticum ſpectat;quare in tali caſu materia iuramenti mixta eſt.

*An Princeps ſæcularis poſſit relaxare obligationem iuramenti præſtiti?*

RESOLVT. CXV.

Affirmatiuè reſpondent aliqui;quos refert Couarruuias in relect.de iuram. p.1.§.3.n.10. & ex recentioribus Theologis docet etiam hanc ſententiam Molina de iuſt.tom.1.tract.2.diſp.249.verſ.dixi deinde. & cum aliqua formidine Raphaël de la Torre in 2.2.tom.2.q.89. art.9. dub.5. Vide etiam Layman in Theolog. moral. lib.4.tract.3. cap.11.num.10.

Sed contrariam ſententiam omnino affirmandam eſſe cenſeo: & ita docet Ledeſma in ſumm.tom.2.tract.11.c.4. dub.3. vbi ſic aſſerit: [El principe ſeglar no tiene authoridad para relaxar los iuramentos de ſus ſubditos, ni para quitar ſu effetto. Eſta concluſion es comun entre los Theologos. La razon es porque el iuramento pertenece derechamente à la virtud de la Religion, y ſu vinculo és coſa eſpiritual,y en orden à las coſas eſpirituales no tienen authoridad los Principes ſeglares.] Hanc ſententiam etiam tenuit Barboſa in lib.1.p.1.n.77.ff.ſolut.matr.& Ioan. Guttierr.in auth.Sacram.pub.n.46.C.ſi aduerſ.vendit.Azeuedus in Recopil.tom.1.lib.5.leg.11.n.3. & alij.

Verum eſt, quod aliqui notant, quòd, licèt Princeps ſæcularis non poſſit propriè iuramenta relaxare, poteſt tamen condonare; & remittere obligationem, quam pars ipſa,cui iuratur,concedere poteſt. Et ita docet Sanchez in ſumm.tom.1.lib.3.c.22.n.15.

*An Iudex ſæcularis poſſit cogere laïcos ad condonandam obligationem iuramenti, metu, aut iniuria extorti?*

RESOLVT. CXVI.

Dubius manet Felinus in cap. cùm ſit generale, n.7.de foro compet.an poſſit Iudex laïcus: ſed affirmatiuam ſententiam docet Azorius tom.1. lib.11.cap.9. q.6. in fine. Auendaño in cap.prætorum.p.2. c.27.n.15. Molina Theologus de iuſt.tom.2.tract.2.diſp.149.verſ.aliud accipe.Afflictus deciſ. Neapol.263.n.3. Guttierrez authent. Sacram. puberum.n.160.C.ſi aduersùs vendit. & alij.

Verùm hæc opinio limitanda eſt:nam, quando conſtat de recipientis turpitudine,tenetur ipſum relaxare; ſi verò dubium adeſt, ſolus Iudex eccleſiaſticus erit competens, non autem laïcus. Ita Tabiena verb.iurare,q.20.n.21. Afflictus,& Molina vbi ſuprà. Abbas in c.2. de iureiur.n.3.& ibidem. Alexander de Nouo n.3.cum aliis.Et quando res, circa quam præſtitum eſt iuramentum, alioquin pertinet ad forum ſæculare: nam, ſi ad eum non ſpectat, non poteſt Iudex laïcus de tali iuramento cognoſcere,ex Molina loco citato.

Notandum eſt etiam,quòd quando Iudex laïcus poteſt hoc efficere,poterit etiam Iudex eccleſiaſticus: & ideò iurans poteſt relinquendo Iudicem laïcum, adire Iudicem eccleſiaſticum, vt compellat creditorem remittere huiuſmodi iuramentum. Ita habetur in c.2.de iureiurando.& ita docet ibi Abbas n.3. Alexander de Nouo n.8. & Couarr. var.lib.1.c.4.n.5. Sed ad alia tranſeamus.

*An de cauſa dotis, principaliter, & non incidenter intentata, poſſit Iudex eccleſiaſticus inter laïcos cognoſcere?*

RESOLVT. CXVII.

Doctores pro negatiua,& affirmatiua ſententia vſque ad ſatietatem adducit Cenedo in Canonicis quæſtionibus,q.37.per totam, & Ceuallos tract. de cognit. per viam violent.p.2.q.13.per totam. Ioan.de Heuia in Curia Philippica,p.1.§.1.n.9. & ipſi negatiuam ſententiam ſequuntur, quam veriorem exiſtimat nouiſſimè Auguſtinus Barboſa in ſuis collect.tom.1.lib.3.tit.21.c.5.num.3. & Chriſtophorus de Anguiano in tract.de legib.tom.1.lib.2.contr.13.n.17.

Sed, quidquid ſit de hoc certum eſt, quòd quando dos in teſtamento relicta eſt puellæ pauperi, tunc non Iudex ſæcularis; ſed Iudex eccleſiaſticus erit competens contra laïcum etiam principaliter, & ad inſtantiam partis. Et ita docet Bobadilla in polit. tom.1.lib.2. cap.17. n.10.in fine:& in Gloſſa littera C,Guttierrez practic. qq.lib.1.q.44.n.10.& lib.3.q.29.n.30. Cenedo num. 7. Ceuallos num.4. vbi ſuprà, & alij.

***

*An, ſi viduæ, pupilli, vel aliæ perſonæ pauperes fuerint oppreſſæ, tunc etiam nulla data negligentia Iudicis ſæcularis, poßint aduerſarios ſuos ad Iudicem eccleſiaſticum trahere, & in illius foro conuenire.*

RESOLVT. CXVIII.

NEgatiuam ſententiam ſuſtinet Couarruuias *practic. qq.c.6.n.*1. & ita mordicus, vt affirmatiuam ſententiam ridiculam appellet.

Verùm ego non ridiculam, ſed veram exiſtimo, & Couarruuiæ opinionem falſam puto, vt etiam illam nouiſſimè exiſtimat Anguian. *in tract. de leg. tom.*1. *lib.*3. *contr.* 22. *n.*48. & alij penes ipſum, ex multis iuribus, quæ affert, & præcipuè *per c. ex part. de foro compet.* vbi cauſa viduæ Reginæ bonis ſuis ſpoliatæ, in foro eccleſiaſtico fuit agitata. Vide etiam textum *in cap. ſuper quibuſdam. §. vlt. de verb. ſignif. & in cap. ſignificantib. de officio delegati.* quibus iuribus minimè ſatisfacit Couarruuias, nec quiſquam poterit ſatisfacere, quin indiſtinctè probent, atque conuincant, etiam non data Iudicum ſæcularium negligentia, poſſe perſonas habitu, & actu miſerabiles, aduerſarios ſuos ad forum eccleſiaſticum trahere. Scio praxim in contrarium eſſe: ſed ego loquor, quid ſentiendum de iure: ius autem, vt viſum eſt, noſtram ſententiam aptè docet. Ergo, &c. Vide etiam Tanner. *in* 2.2. *diſp.*4. *q.*4. *dub.*1. *n.*31.

*An Clericus relegatus à Iudice eccleſiaſtico, ſi durante relegatione efficiatur laïcus, & frangat relegationem, poßit pro dicta fractura à Iudice eccleſiaſtico puniri, & duplicari pœna?*

RESOLVT. CXIX.

HAnc quæſtionem tangit breuiter doctus Iuriſconſultus Barboſa *in Remiſſ. ad ordinat. Regn. Luſitan. lib.*5. *tit.*139. *n.*153. & negatiuam ſententiam tenuit Vincentius de Franchis *in deciſ.*395.

Sed mihi ſententia affirmatiua ſummoperè placet, in quam videtur inclinare Barboſa, & abſolutè tenet Epiſcopus Genuenſis *in praxi Archiepiſc. Neapol. c.*8. *n.*3. qui teſtatur de obſeruantia illius Curiæ, & adducit multos canones, & rationes: qui etiam *in num.* 2. optimè docuit quòd Clericus, qui dum eſſet laïcus, fuit relegatus à Iudice laïco, & pendente relegatione, aſſumpſit Clericatum, non poteſt puniri à Iudice laico de fractura prædicta; ſed ab eccleſiaſtico puniendus eſt. Idem dicendum erit, ſi Clericus committat delictum tempore clericatus, & poſt delictum ducat vxorem: nam adhuc erit puniendus à Iudice eccleſiaſtico. Hæc omnia Genuenſis, & poſt illum Madius *in tract. de ſacr. Ordinib. c.*13. *n.*44.

*An Iudex eccleſiaſticus ſit competens, non ſolùm quoad relaxationem iuramenti; ſed etiam ad effectum agendi, vt præſtita relaxatione annullet, & reſcindat ipſum contractum?*

RESOLVT. CXX.

NEgatiuam ſententiam docet Guttierr. *de iuram. confirmat. p.*3. *c.*12. *n.*6. Decius, Couarruuias, & aliis penes ipſum.

Sed affirmatiuam opinionem amplectendam eſſe exiſtimo; & præter Doctores, quos citat, & ſequitur Suarez de Paz *in praxi, tom.*1. *prælud.*2. *n.*39. tenet etiam hanc ſententiam ex Hiſpanis Iuriſconſultis Ioan. de Heuia *in Curia Philippica, part.*1. *§.*5. *n.*16. vbi ſic ait: [ Quando ſe pide eſta relaxacion, ad effectum agendi, ſe puede pedir iuntamente con ella en libelo, y peticion, en que ſe pide la nulidad, y reciſion del contrato iurado ante el Eccleſiaſtico, y conocerſe por el della, aunque ſea entre legos, y contra ellos, porque por razon del iuramento es ſu Iuez, y aſſi la cauſa del contrato iurado, aunque ſea contra legos, eſt mixti fori de entrambos fueros Eccleſiaſtico, y ſeglar, tratandoſe con el lego iurante, que hizo el iuramento, mas no ſi ſe trata con ſus herederos, ò ſucceſſores que entonces; ſiendo legos no puede conocer della el eccleſiaſtico, porque no paſſo à ellos, quanto à eſto, y el perjuro el iuramento, aunque ſi quanto à la confirmacion de contrato, y fuerça, que por el ſe le dio.] Ita ille, & ante illum Antonius Gomez *tom.*2. *var. c.*12. *n.*22.

*An Ordinarius, vel Iudex delegatus debeat neceſſariò præmittere cenſuras, antequàm imploret pro ſua ſententia exequenda brachium ſæculare?*

RESOLVT. CXXI.

AFfirmatiuè reſpondet Couarruuias *pract. qq. cap.*10. *n.*1. Franciſcus Molinus *in tract. de brachio ſæculari, lib.*1. *c.*3 & alij quamplures Iuriſconſulti apud Monetam *vbi infrà.* Et rationem adducunt *ex cap. cùm non ab homine de iudic.* vbi mandatur Eccleſiaſticis iudicibus, vt procedant per cenſuras contra reos: & ſi non proficiant, cùm non habeant ampliùs, quid faciant, inuocent brachium ſæculare.

At hæc opinio non eſt tenenda: & illam nouiſſimè impugnat Ioan. Petrus Moneta *in tract. de Iudicibus conſer. c.*8. *n.*268. Segura *in director. Iudicum eccleſ. p.*2. *c.*13. *n.*33. & alij penes ipſos. Et ratio eſt: quia omnia iura, cùm de inuocatione brachij ſæcularis agunt, loquuntur per hæc verba: *Si neceſſe fuerit, ſi opus fuerit.* Vnde *ad c.*1. *de officio ordin. & cap. dilecto de ſent. excomm. in* 6. *& ad cap. cùm ab homine.* reſpondetur, quòd procedit in proprio caſu: vel meliùs dicendum eſt, quòd fuit correctum per poſteriora iura, & nouiſſimè per Concilium Trident. *ſeſſ.*15. *cap. de regul. ſeſſ.*25. *c.*3. *de reform.* Ita Moneta, & alij. Notandum eſt etiam pro hac materia, quòd ſi iudex ſæcularis non vult brachium ſuum præſtare eccleſiaſtico, poteſt ad id cogi pœna excommunicationis, vt notant Doctores, quos citat, & ſequitur Barboſa *in collect. tom.*2. *lib.*5. *tit.*26. *cap.*2. *num.*8. Vide etiam Sanctarellum *tract. de hæreſi, c.*6. *dub.*4. *num.*23.

*An Summus Pontifex habeat in toto orbe Chriſtiano temporalem poteſtatem?*

RESOLVT. CXXII.

PRima ſententia docet, Summum Pontificem in toto orbe Chriſtiano iuriſdictionem & poteſtatem immediatè à Deo ſibi commiſſam habere, habitu quidem, cùm eius vſum, & exercitium in ſæculares tranſtulerit. Ita DD. quos citat Chriſtophorus de Anguiano *vbi infrà, num.*15. Comitolus *in tract. Apologet. c.*3. *per tot.* Pereira *vbi infrà, n.*1. Martha *de iuriſdict. part.*1. *cap.*18. *cum ſeq.* & hanc opinionem nouiſſimè ex Theologis docet Peſantius *in tract. de poteſt. Pontificis, diſp.*3. *& ſeq.* vbi probat hanc ſententiam ex multis iuribus, & præcipuè per extrauag. *Vnam ſanctam.* Bonifacij VIII. Vide etiam circa præſentem quæſtionem Valenzuolam *in defenſ. Monitorij Pauli V. part. num.*45. *& ſeq.*

Sed mihi contraria ſententia probabilior videtur, quam tènent communiter Theologi, & plerique Iuriſconſulti. Dico igitur, quòd Summus Pontifex in terris Principum non habet iuriſdictionem directè quoad temporalia: ex vi tamen pontificalis officij habet ſufficientem poteſtatem ſuper omnia negotia ſæcularia, quando id expedierit ad quietem, & conſeruationem, ac Eccleſiæ defenſionem, & ad bonum ſpirituale, ac ad finem eccleſiaſticæ poteſtatis ſupernaturalem aſſequendum. Poteſt igitur Summus Pontifex indirectè, & minùs principaliter, exercere ſupremam poteſtatem in temporalibus, quatenus id exigit,





vt diximus, finis ſupernaturalis, & in ordine ad bonum ſpirituale. Et ita docet Bellarminus *contr.*3. *lib.*5. *cap.*6. Malderus *in* 2.2. *q.*1. *art.*10. *dub.*8. Azorius *part.*2. *lib.*11. *cap.*5. *quæſt.*6. Suarez *de legibus, lib.*3. *cap.*22. Tannerus *in part.*2. *diſp.*4. *quæſt.*4. *dub.*1. *numer.*33. Molin. *de iuſtit. tom.*1. *tract.*2. *diſput.*29. *concluſ.*3. Rebellius *part.*2. *lib.*14. *q.*23. *ſect.*1. *num.*2. *&* 3. *ſect.*5. *num.*29. Chriſtophorus Anguiano *tract. de leg. tom.*1. *lib.*2. *contr.*17. *numer.*29. *& ſeq.* Maynardus *de priuileg. Eccleſ. part.*1. *art.*6. *numer.*1. Salgado *de protectione regia, tom.*1. *part.*1. *cap.*1. *præl.*1. *num.*55. Ceuallos *tractat. de cognit. per viam violentiæ, in Prolog. num.*9. *in fine, & n.*12. Paramus *de origin. Inquiſ. lib.*3. *q.*1. *opin.*4. Syluius *in* 2.2. *quæſt.*66. *art.*1. *quæritur, concluſ.*2. *&* 3. Pereir. *de man. regia, præl.*1. *num.*4. *& ſeq.* Barboſa *in collectan. tom.* 2. *lib.*4. *tit.*17. *c.*13. *num.*37. Morla *in empor. iur. part.*1. *tit. de iuriſd. quæſt.*4. Sotus *in* 4. *diſt.*25. *q.*2. *art.*1. Turrecremata *in ſumma, lib.*2. *c.*13. & alij penes ipſos. Vide etiam circa præſentem quæſtionem Bobadillam *in polit. tom.* 1. *lib.*2. *c.*18. *n.*2. *& ſeq.* Reſtat modò reſpondere ad argumentum ex Bonifacio Pontifice.

*Quomodo ſit intelligenda Extrauag.* vnam ſanctam. *Bonifacij VIII.*

RESOLVT. CXXIII.

REſpondeo cum Chriſtophoro Anguian. *loco citato, in tract. de legib. lib.*2. *contr.*17. *n.*64. quòd mens Pontificis in ſupradicta Extrauagante nequaquam fuit, velle Reges, & Principes Chriſtianos ſubiicere magis imperio Eccleſiæ, quàm anteà erant; ſed tantummodo demonſtraſſe, quòd vltra gladium ſpiritualem, eſt etiam in Eccleſia gladius temporalis, non actu, & directè exercendus; ſed habitu, & indirectè duntaxat, eo modo, quo *in ſuperiori reſol.* dictum eſt. Verùm, quia multi putabant, nec rectè, vtrunque gladium eſſe actu apud Romanum Pontificem, & imperium ab eodem haberi, ídque tanquam veritatem catholicam definitum eſſe in dicta Extrauag. *Vnam ſanctam.* ideò Clemens V. ad tollendum illum rumorem ſtatuit in Extrauag. *Meruit.* Bonifacium VIII. in dicta Extrauag. *Vnam ſanctam.* non generaſſe præiudicium Regi, Regno, aut Regnicolis Franciæ; neque intendiſſe Bonifacium, neque mentis ſuæ fuiſſe, aliquod illis præiudicium inferre, nec illos magis ſubieciſſe, quàm anteà eſſent ſubiecti; vt ita dicta Extrauag. *Meruit.* nihil noui conſtituerit; ſed magis declarauerit prædictam Extrauag. *Vnam ſanctam.* quæ ex tot Interpretum Commentariis aliquantulùm obſcura videbatur. Hæc Anguianus perdoctè, vt ſemper ſolet. Sed ex ſupradictis ſequitur deciſio ſubſequentis Reſolutionis.

*An Summus Pontifex poßit cognoſcere, & Iudex exiſtere competens, vbi lis aliqua, vel diſcordia oritur in re graui inter duos ſupremos Principes neminem in temporalibus recognoſcentes?*

RESOLVT. CXXIV.

REſpondeo, quòd ſi dum non conſentiunt in Iudicem aliquem, vel arbitrum, & ex tali diſcordia, ſeu lite, probabiliter timetur, vel fidei catholicæ, vel Eccleſiæ, ſeu boni ſpiritualis detrimentum, ex bello, ſeditione, vel perturbatione Reipublicæ; tunc poteſt, & debet Romanus Pontifex, in ordine ad finem ſupernaturalem, & ad vitanda eiuſmodi incommoda, cognoſcere, & ſententiam ferre, cui tales Principes Chriſtiani ſtare tenentur. Et ita docet Molina *de iuſt. tom.*1. *tract.*1. *diſp.*29. qui citat Victoriam, Riccium, Durandum, & Turrecrematam. Idem docet Sotus *in* 4. *diſt.*25. *quæſt.*2. *artic.*1. *concl.*4. & Anguianus *tract. de legibus, tom.*1. *lib.*2. *contr.*17. *num.*79.

Sed ad alia procedamus magis in praxi occurrentia.

*An ſtatutum, vt quis, qui nondum habet ius in re, bonorum, quæ poſſeſſurus eſt, dominus ſit, ſi non ingrediatur Religionem; ſin verò, amittat: an, inquam, tale ſtatutum ſit illicitum, & contra immunitatem eccleſiaſticam?*

RESOLVT. CXXV.

NEgatiuè reſpondet Bartolus *in leg. final. C. de pactis, n.*6. Sed contrariam ſententiam meritò docet Dec. *in c. in præſentia, de probat. n.*52. & nouiſſimè Baſilius Pontius *de matrim. lib.*3. *c.*8. *n.*25. vbi ſic aſſerit: [ Statutum, quo decerneretur, vt is, qui nondum habet ius in re, bonorum, quæ poſſeſſurus eſt, dominus ſit, ſi in ſæculari conuictu permaneat; eorundem autem non liberum dominium nanciſcatur; ſi religionem ingrediatur; nequaquam licitum eſt: libertati enim eccleſiaſticæ aduerſari videtur: ac proinde tenentur eius Authores excommunicatione, quæ eſt in Bulla Cœnæ.] Ita Pontius.

Ex quibus inferendum eſt, non eſſe admittendas illas conditiones, quas aliqui in eorum teſtamentis apponunt, videlicet, *Do, lego, ſi Religionem non ingrediaris, ſed in ſæculo permaneas.* Quidquid in contrarium aſſerat Sanchez *de matr. tom.*1. *lib.*1. *diſp.*34. *n.*11. quem meritò Pontius *vbi ſupr. n.*20. ſolidè, vt ſemper ſolet, impugnat. Et ego etiam puta contra eundem Sanchez *num.* 12. Molinam *tom.*1. *tract.*2. *diſp.*207. *à n.*13. & alios, ſi legentur ducenta, ſi nubat? centum verò, ſi Religionem ingrediatur; deberi ducenta religionem ingredienti. Ita Leſſius *lib.*2. *c.*18. *dub.*15. Comitolus *in Reſp. mor. lib.*7. *q.*7. & alij. Sed de hac quæſtione nos fuſiùs alibi.

*An Reges, & Principes recipiant ſuam poteſtatem immediatè à Deo.*

RESOLVT. CXXVI.

AFfirmatiuam ſententiam docet Ceuall. & aliqui Iuriſconſulti. Alij ſecùs ſentiunt. Sanè Pontificem ſuam poteſtatem accipere immediatè à Deo, apud omnes conſtat.

Nec obſtat, quòd homines eligere Pontificem dicuntur: nam eligendo, ſeu nominando, nullam ipſi poteſtatē, vel authoritatem pōtificiam electæ perſonæ tribuunt; ſed eam ſolummodo Deo veluti præſentant, & offerunt, à quo demum ſuam poteſtatem accipiat: eſt igitur electio iſta tantùm conditio, ſine qua Deus poteſtatem Pontificis in hominem non transferret; non autem ratio, ſeu medium, quo electores ipſi eam poteſtatem electo tribuant.

*An priuilegium exemptionis à iuriſdictione temporali, Clericis conceſſum fuerit, & incœperit tempore Conſtantini?*

RESOLVT. CXXVII.

AFfirmatiuam ſententiam docet Salgado *de protectione regia, tom.*1. *part.*1. *cap.*1. *Præl.*1. *n.*51. Ceuallos *tract. de cognit. per viam violentiæ, in Prooemio, c.*5. *n.*11. & alij penes ipſos.

Sed ſupradicti Auctores in hoc non ſunt audiendi: & ideò contrariam ſententiam docet Ioan. de Maderiaga *in tract. de Senatu, cap.*39. *§.*2. *fol. mihi.*367. & Cardinalis Bellarminus *in Reſponſ. ad duos libellos cuiuſdam Theologi, fol. mihi* 8. Et probatur manifeſtè ex authoritate Concilij Carthaginenſis III. *can.*9. vbi ſic habetur: [ Item, placuit, vt quiſquis Epiſcoporum, Preſbyterorum, ſeu Clericorum, ſi derelicto eccleſiaſtico iudicio publicis iudiciis purgari voluerit, etiamſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat, & hoc in criminali actione: in ciuili verò, perdat, quod euicit.] Ita illud Concilium, quod fuit celebratum centum triginta annos ante Conſtantinum. Vnde apparet manifeſtè falſitas cōtrariæ ſententiæ.

Vide etiam Concilium Chalcedonenſe *c.9.* & Agathenſe *can.31.* Rectè igitur Bellarminus, *vt ſuprà*, ſic aſſerit, [Ecco quanto ſia falſo, che prima del tempo di Giuſtiniano non ci foſſe diſtintione di foro; ma perche Giuſtiniano ſi vſurpò grande authorità in voler giudicare le cauſe de gli Eccleſiaſtici, però, Menna, Patriarca di Conſtantinopoli, domandò all'Imperatore, che al menò laſciaſſe alli Veſcoui la cognitione delle cauſe ciuili: è l'Imperatore lo conceſſe.] Ita ille. Vnde apparet, quàm cautè legendi ſunt aliqui Iuriſconſulti, quando loquuntur de immunitate, & poteſtate eccleſiaſtica.

*An Principes poſſint leges condere circa matrimonium?*

RESOLVT. CXXVIII.

POſſe quidem, quantùm ex ſe eſt, attamen eam poteſtatem ſibi reſeruaſſe Pontifices, putat Sanchez *tom.3. lib.7. diſp.3. num.2.*

At contrariam ſententiam docet Baſilius Pontius *de matrimon. lib.7. c.2. n.3.* nempe, ex ſe non poſſe Principes legem aliquam conſtituere circa matrimonia: quòd enim materia huius Sacramenti contractus ſit, non ſatis eſt, vt poſſit Princeps ſæcularis leges condere ad ſubſtantiam matrimonij directè, vel indirectè pertinentes; cùm ex eo, quòd ea materia per Chriſtum ſacra facta eſt, iam extra iuriſdictionem, & poteſtatem ſit.

Ex his infert idem Pontius *num.4.* neque circa acceſſoria matrimonij poſſe Principem ſæcularem, ex defectu poteſtatis, legem ferre, ſi eo acceſſorio impeditur principale; poſſet tamen circa alia accidentalia, vel acceſſoria, quæ non pertinent ad eius ſubſtantiam, neque ex ſe impediunt principale, vt, verbi gratia, ferre leges circa dotem, & lucrum dotis, vel donationes inter virum, & vxorem, & ſponſalitiam largitatem, & ſimilia. Vide etiam Riccium *part.3. deciſ.178.* & Bellettum *in diſquiſ. p.1. tit. de exemptione Clericorum à ſtatutis ſæcularium, §.4. n.43. & 44.* vbi latè diſſerunt, an Principes poſſint ſtatuere aliquid contra matrimonij libertatem. Sed de hoc *ſuprà* etiam ſatis dictum eſt.

*An edictum, ſeu ſtatutum de non ædificandis Monaſteriis, ſeu habendis cœtibus Religioſorum ſine licentia Principis, ſit contra immunitatem eccleſiaſticam?*

RESOLVT. CXXIX.

POſſet aliquis reſpondere, quòd non: quia per decretum hoc conſulitur aliis Monaſteriis, iam erectis, ne, ſcilicet, alimenta eis deſint ob aliorum ædificationem, & multitudinem, & ne prætextu boni, & quæſito pietatis colore, pernicioſæ ſocietates ineantur.

Sed tale ſtatutum eſſe contra eccleſiaſticam immunitatem, docent Doctores, vt Vgolinus *in Reſpon. ad Iuriſconſ. Gymnaſij Patauini, cap.6. §.5. num.2.* Valenzuola *in defenſ. cenſ. Pauli V. part.2. per tot.* Collegium Bononienſe *in Reſponſ. pro liber. Eccleſ. num.43.* & alij: quia hoc eſt iuriſdictionem eccleſiaſticam vſurpare: & ideò inter alias cauſas, ob quas licentia Prælatorum requiritur, dum Monaſteria, & nouæ Religiones in Ciuitates introducuntur, hæc eſt, vt videant, ac perſpiciant, vnde, & quomodo dicti Regulares ſuſtentari poſſint: non enim permittitur eorum ædificatio, ſi non habent, vnde ſuſtententur. Hæc omnia igitur ſpectat ad Eccleſiaſticos, & non ad Principes laïcos conſiderare. Vide *ſuprà in reſol.6.*

*An N. Religioſus profeſſus, qui miſcuit ſe enormibus: amiſerit priuilegium fori, ita vt ſine metu cenſurarum, poſſit illum Iudex laïcus punire?*

RESOLVT. CXXX.

SVppono primò, Religioſum profeſſum nunquam perdere priuilegium fori, etiamſi apoſtataret à Religione, habitúmque dimitteret, niſi in caſibus, quibus illo priuilegio priuantur Clerici, in ſacris conſtituti, propter delicta in aliquo canone expreſſa. Ita DD. communiter. Vide Layman *in Theol. mor. lib.4. tract.9. cap.7. n.5.* & Aldrete *de religioſa diſciplina tuenda, lib.1. c.3. per tot.*

Suppono ſecundò, Profeſſum Religionis approbatæ æqualem eſſe initiato Ordinibus ſacris quoad priuilegiũ fori: eſt enim mancipatus ſeruitio Eccleſiæ, & Religionis, & addictus diuino obſequio, nec ampliùs ad ſæcularem ſtatum redire poteſt. Ita Nauarrus *de priuilegiis. conſ.25. num.7.* Rodriquez *tom.2. q.2. art.5.* Scaccia *de iudic. tom.1. c.11. n.82.* Sylueſter *verb. excom.6. n.7.* & alij.

His ſuppoſitis, poſſet aliquis reſpondere ad dubitationem propoſitam, affirmatiuè. Primò, ex authoritate *cap. perpendimus. de ſent. excom.* Secundò, *ex c.1. de apoſt.* Tertiò, *ex c. ex parte. de priuileg.* Et ita docent Doctores, quos citat, & ſequitur Farinacius *de inquiſit. q.8. n.54.* & Iulius Clarus *in pract. crim. lib.5. q.26. num.23.* quibus ego addo Sylueſtrum *verb. excommun.6. n.7.* Caietanum *in ſumma, verb. excommunicatio, cap.11. not.7.* Coriolanum *in expoſ. Bull. Cœn. excomm.19. caſ.3.* Molinam *tom.4. tract.3. diſput.49. n.21.* Reginald. *tom.2. lib.19. c. vlt. ſect.1. n.79.* Graſſium *in deciſ. aur. p.1. lib.4. c.20. n.151.* Bobadillam *in polit. tom.1. lib.2. c.18. n.95.* Heuia *in Curia Philippica, p.3. §.3. n.30.* Scaccia *de iudic. tom.1. c.11. num.79.* & Riccium *in praxi, tom.1. reſol.172. num.2.* vbi aſſerit, quòd in Regno vtriuſque Siciliæ, ad inſtantiam Imperatoris Caroli V. Summus Pontifex Clemens VII. pro bono regimine conceſſit, ne abſque trina monitione procedi poſſit contra Clericos incedentes ſine habitu, & tonſura, ac ſe immiſcentes ſæuis, & enormibus.

At his minimè ſuffragantibus, contrariam ſententiam prorſus amplectendam eſſe exiſtimo. Dico igitur, ſupradictum N. Religioſum gaudere priuilegio fori, eò quòd non fuerit monitus. Et ita in terminis caſus noſtri docet ſapientiſſimus ſenex Nauar. *de priuilegiis. conſ.25. per totum* loquens de quodam Religioſo profeſſo, non autem ſacris Ordinibus initiato, qui plurima, & enormiſſima delicta perpetrauerat. Idem etiam docent communiter Theologi, vt Ioan. de la Cruz *in direct. conſcient. p.2. de Sacram. Ordin. dub.8. concl.4.* ex Societ. IESV Comitol. *in reſponſ. moral. lib.1. q.96. n.3.* Filliuc. *tom.1. tract.16. cap.11. n.314.* ex noſtra Religione Megala *in 3. p. lib.3. c.11. num.30. 31. & 32.* Franciſcus Aponte *conſ.24. num.4.* vbi ex Butrio, & aliis, ſic aſſerit: [Sunt neceſſaria ad hoc, vt clericale priuilegium, quoad forum, perdatur, primò, quòd non incedat in habitu. Secundò, quòd immiſceat ſe enormibus. Tertiò, quòd in aliis frequentauerit. Quartò, quòd in illis ſit deprehenſus. Quintò, quòd ſit monitus. Sextò, quòd poſt monitionem fuerit incorrigibilis.] Ita etiam docet Rodriquez *tom.2. q.2. art.5.* Bonac. *de legib. diſp.10. q.2. punct.1. §.1. num.5.* Angelus *in verb. Clericus, 10. num.1.* Tabiena *verb. excommunicatio, 5. n.25.* vbi carpens Sylueſtrum, ſic ait: [Quidam dicunt, quòd opinio, quæ dicit, quòd perdit priuilegium fori, eſt practicanda: ſed, me degente Bononiæ, practicata eſt opinio contraria, toto approbante ſtudio.] Nec deſunt pro hac ſententia doctiſſimi Iuriſconſulti: nam præter Abbatem, Ioan. Andr. & alios, quos adducit Farinacius, *vbi ſuprà*, illam mordicùs tenet Ceuallos *tractat. de cognit. per viam violentiæ, part.2. q.75. per tot.* Anguiano *de legib. lib.2. contr... num.19. 21. & 24.* Albertinus *in cap. quanquam. de Hæret. quæſt.14. n.11.* Alexander de Imola *libr.1. conſ.8.* Salſedo *in annotat. ad pract. crim. Bernardi Diaz, cap.141.* Bellettus *in diſquiſ. cler. p.1.*





*tit.3. §.7. n.3.* Barboſa *in Collect. tom.2. lib.5. tit.39. c.25. n.2.* Ambroſinus *de immun. Eccleſ. c.17. n.16.* Fachineus *in controuer. lib.9. c.28.* Triuiſanus *lib.2. deciſ.48. num.117.* & alij penes ipſos. Vide etiam Zipeum *in nouo iure pontificio, lib.2. tit. de foro compet. n.36.* & ratio eſt clara, & expreſſa habetur *in c. in audientiam, & in c. contingit. de ſent. excomm.* vbi Summus Pontifex determinat, quòd non præcedente trina monitione, Clericus non amittit priuilegium fori. Quæ doctrina eſt ita vera, vt Clericus etiam incorrigibilis non amittat priuilegium fori, niſi priùs ter fuerit monitus, vt ex multis probat Altherius *de cenſuris. tom.1. diſp.1. lib.2. c.6. fol. mihi 183.* Vide etiam pro hac ſententia Decretalem Bonifacij VIII. *Si Iudex laïcus. de ſent. excom. in 6.*

Nec faciunt pro contraria ſententia Canones adducti: nam dicendum eſt, vt iura iuribus concordemus, Canones illos intelligendos eſſe, quando præceſſit trina monitio, cùm alia iura clament, vt notatum eſt; Clericos non amittere priuilegium fori, niſi præcedente monitione. Ergo, &c. Et ita reſpondet noſter Megala *vbi ſup. in 3. p. lib.3. c.11. n.31.* & Ambroſin. *de immun. c.17. n.16.* cũ aliis. Vnde Albertinus *vbi ſup. in cap. quanquam. de Hæret. q.14. n.11.* Ioan. Lupus *tract. de libertate Eccleſ. p.2. q.9.* Altherius *de cenſ. tom.1. diſp.1. lib.2. c.6. fol.185. col.1.* putant, in caſu *c. perpendimus.* præceſſiſſe monitionem. Nec valet dicere cum Vincentio de Franchis *deciſ.463. n.15.* & aliis, quòd in noſtro caſu idem operatur diuturnitas temporis, quàm trina monitio: nam reſpondetur, quòd iura non diſtinguunt, ſed abſolutè aſſerunt, neceſſariam eſſe monitionem. Et Doctores pro noſtra ſententia adducti loquuntur de Clericis in enormitatibus inueteratis: & ita intelligunt illa iura, prout realiter, & ſine tali diſtinctione intelligenda ſunt.

Vel poſſet aliquis reſpondere. *ad c. perpendimus.* quòd loquitur de priuilegio Canonis; & non fori: & ita præter DD. citatos reſpondet Coninch *de Sacram. diſp.14. dub.15. n.160.* & Suarez *vbi infrà, & de cenſuris, diſp.22. ſect.1. n.13.* & patet ex contextu literæ: nam *in dicto cap.* narratur, quendam Comitem curaſſe ſuſpendi Presbyterum, qui abiecto habitu ſeditionem fecerat; dicitúrque illius interfectores non mittendos quidem pro abſolutione, ad Pontificem, (quia, ſcilicet, non erant excommunicati;) iniungendam tamen iis eſſe pœnitentiam; quia, ſcilicet, peccauerant vſurpando iuriſdictionem in non ſubiectum. Si autem talis Sacerdos amiſiſſet priuilegium fori, fuiſſet ſubiectus illi Comiti, & meritò ſuſpenſus, atque ita eius interfectores non peccaſſent. Vnde, vt diximus, clarè patet, quòd in hoc Canone Summus Pontifex loquitur de priuilegio Canonis, & non fori. Vel dicendum eſt cum Anguiano *tract. de legib. lib.2. contr.15. n.29.* quòd in caſu particulari *dicti cap. perpendimus*, periculum erat in mora: quod non accidit in caſu noſtro. Ergo, &c.

*Ad cap.1. de apoſtatis*, reſpondeo cum Suarez, *vbi infrà*, quòd loquitur de Clericis minoribus. Vel meliùs dicendum eſt, quòd in hoc textu non dubitatur de iuriſdictione eccleſiaſtica; ſed, an Clericus perdat priuilegium clericale ſine vlla monitione. Et huic dubitationi reſpondet Pontifex: *Eum per cenſuram eccleſiaſticam non præcipimus liberari.* & ſic non vult Pontifex ei ſuccurrere, vt liberetur. Et aſſignat rationem: quia indignum eſt, eis ab Eccleſia ſubueniri, per quos conſtat in Eccleſia ſcandalum generari: & ſic non dicitur in eo textu, an ij, qui talem Clericum comprehendunt, & manus violentas in eum iniiciunt, excommunicationem incurrant; ſed, quòd non vult tales Clericos iuuare. Neque ex hoc benè ſequitur, permitti Iudicibus ſæcularibus facultatem eos apprehendendi, tanquam exutos omni priuilegio clericali. Ratio autem dubitandi erat: quia adhuc Clericus retinebat priuilegium clericale, ex eo, quia ter monitus non fuit. Et ita reſpondet ad verbum Ceuallos *tract. de cognit. per viam violentiæ, p.2. q.75. n.15.* & ante illum Fachineus, *vbi ſupr. in contr. lib.8. cap.29.* Vnde noſter P. Magala aſſeruit *in 3. p. lib.3. cap.11. q.1. num.31. dictum c.1. de Apoſtat.* non probare, Iudices laïcos poſſe punire prædictos Clericos Apoſtatas; ſed tantùm non præcipere Iudicibus eccleſiaſticis, vt per nouas cenſuras cogant Iudices ſæculares, qui huiuſmodi Clericos retinent, ad illos dimittendos. Vnde fit, vt in hoc caſu poſſint Epiſcopi, ſi volunt cogere, laïcos per cenſuram eccleſiaſticam, vt huiuſmodi Clericos captos ad ſua Tribunalia remittant; hoc tamen facere non tenentur. Sed quamuis Epiſcopi taceant; nullum tamen ius laïci acquirunt, ad puniendos prædictos Clericos, cùm ob hoc de illorum foro non efficiantur. Ita noſter Megala.

*Ad c. ex parte. de priuilegiis*, multipliciter reſpondent Doctores apud Barboſam *in collect. tom.2. lib.5. tit.33. c.17. n.3.* Sed mihi placet reſponſio Patris Suarez *contra Regem Angliæ, lib.4. c.27. n.24.* Butrij *in d. c. ex parte*, Couarruuiæ, & aliorum, quòd *dictum cap.* loquitur de Clericis minoribus, vt *cap. vnicum. de vita, & honeſt. Cler. & clem.1. eodem tit.* vel dicendum eſt cum Abbate *in d. c. perpendimus. n.8.* Couarruuia *pract. qq.42. n.2.* quia dictæ Conſtitutiones pœnales ſint; ideò non debent ad alium caſum extendi; & cùm ſint caſus particulares, non eſt trahenda illatio ad alios caſus etiam maiores, vt rectè notat Altherius *de cenſuris, tom.2. diſp.1. lib.2. c.6. fol.184. col.2. §. hoc autem. & fol.184. col.2. §. reſpondeo.* & Fachineus *vbi ſuprà, libr.9. contr. cap.28. in fine.*

Ad priuilegium verò Clem. VII. in contrarium adductum, reſpondeo, quòd firmat noſtram ſententiam: nam ex illo apparet, non poſſe ſine monitionibus Principes Clericos facinoroſos punire. Sed an dictum priuilegium ſit verum, neſcio, & an ſit reuocatum per Bullam Cœnæ, remitto me ad Patres Theologos Religionis ſeruorum *in defenſ. cenſur. Pauli V. c.8. n.19.* Ioan. Beltramum de Gueuara *in propugnac. Eccl. libertatis. §.7. num.43. aſſer.1.* Sayrum *de cenſuris, lib.3. c.25. n.10.* Duardum *in Bull. Cœn. lib.3. §.5. q.1. n.1.* Maynardum *de priuileg. Eccleſ. p.2. art.18. n.10.* Barboſam *in collect. tom.1. lib.1. tit.2. c.10. num.25.* & alios. Adde, quòd, licèt tale priuilegium non eſſet reuocatum; tamen nihil operatur in caſu noſtro: nam hoc priuilegium, vt patet ex ipſius contextu apud Marthã *de iuriſ. p.2. c.32. n.38.* loquitur de Clericis minoribus; non autem de Religioſis profeſſis, qui, vt *ſupr.* notauimus, æquiparantur initiatis ſacris Ordinibus. Vnde ex his omnibus manifeſtè apparet, ſupradictum Religioſum gaudere priuilegio fori, nec poſſe illum vllo pacto Iudicem laïcum, ſine incurſu cenſurarum punire. Vnde ex ipſiſmet aduerſariis Clarus, & Farinacius cum formidine, & cum proteſtatione correctionis Romanæ Eccleſiæ contrariam ſententiam docent: & Caballus, licèt cum Farinacio, & aliis ſtet aduersùs noſtram ſententiam; tamen *vbi ſuprà, caſ.60. n.22.* tandem in hæc verba prorupit. [Non caret (ait) dubitatione opinio per Franchis firmata, quòd tali priuilegio priuatus ſit Clericus, quando plura commiſerit delicta, & in eis perſeuerauerit: nam multi non modicæ authoritatis contrarium tenent, & adhuc monitionem neceſſariam dicunt, vt ex *ſuperiùs* allegatis apparet: & negari non poteſt, quin in dubiis amplectenda ſit opinio, quæ fauet Religioni, & eccleſiaſticæ libertati.] Ita Caballus. Puto igitur, in caſu occurrenti conſulendum eſſe Summum Pontificem: & obſecro Dominos Iudices, vt legant doctiſſimum Patrem Suarez *contra Regem Angliæ, lib.4. c.27. n.24. & 25.*

Sed aliquis forſitan inſtabit dicendo, quòd ſaltem à ſuperiori ſupradictus Religioſus ſit degradandus, & Curiæ ſæculari tradendus: nam propter homicidia, & alia crimina qualificata eſſe Clericos degradandos, & Curiæ ſæculari tradendos docent plures Doctores, quos citat, & ſequitur Farinacius *vbi ſupr.* quibus ego addo Aldrete *de diſciplina religioſa tuenda, lib.4. c.15. n.4.* Molinam *de iuſt. tom.4. tract.3. diſp.49. n.18.* Auilam *de cenſuris, p.4. diſput. vnica, dub.3. concl.5.* Gambacurtam *de immun. Eccleſ. lib.7. cap.14. n.12.* Delrium *in diſq. mag. lib.5. ſect.16.* Altherium

*de cenſuris,tom.*1.*diſp.*1.*lib.*2.*c.*6.*fol.*186. *col.*1. Villalobos *in ſumma,tom.*1.*tract.*18.*dub.*12. Ambroſinum *de immun. Eccleſ.c.*17.*n.*40. Bellettum *in diſquiſ. cler.p.*1.*tit.*3. §.10. *n.*6.Barboſam *de poteſt. Epiſc.p.*3.*allegat.*110.*n.*13.& alios.

Reſpondeo,quòd aliqui docent Clericum non eſſe degradandum, niſi in caſibus exceptis, videlicet, hæreſis, falſi commiſſi in Literis apoſtolicis, & conſpirationis in proprium Epiſcopum:& ita tenent Aretinus, Albertinus, & Decius,qui reſpondent ad omnia argumenta Abbatis; & alij penes Aldrete, Farinacium *locis citatis.* Idem ex neotericis docuit Couarruuias *lib.*2.*var.cap.*20.*n.*7.Fachineus *vbi ſup.in contr.lib.*8.*c.*30. Souſa *in Bull.Cœn.cap.*16. *diſp.*82.*n.*2.Iulius Clarus *in pract.crim.lib.*5.*q.*36.*num.*36. Modius *de ſacris Ordinibus,c.*32.*n.*7.Altherius *de cenſuris. tom.*2.*diſp.*2. *c.*2. §.7. & alij.Vnde ſtante contrarietate dictarum opinionum, exiſtimo,dictam degradationem minimè à Superiori regulari faciendam eſſe, nec dictum Religioſum Curiæ ſæculari tradendum, niſi priùs conſulto Romano Pontifice, vt volunt ipſimet aduerſarij,Farinacius *vbi ſuprà de inquiſ.q.*8. *n.*81. & Felicianus, Epiſcopus Scalenſis,*tract.de cenſ.c.*14. Albertinus *in c.quamquam de Hæreticis in* 6. *q.*11. *n.*45.ſic aſſerit: [ Epiſcopus debet conſulere Summum Pontificem, quando delictum eſt enorme: quod eſt notandum contra multos miſeros Epiſcopos,qui Clericum captum pro enormi delicto ſine conſultatione Papæ degradant, & tradunt Curiæ ſæculari.]Sic ille: & ita Florentiæ conſuluerunt Pontificem in caſu Clerici banniti,apud Caballum *vbi ſup.caſ.*60. *n.*23. Papiæ in caſu Clerici aſſaſſini, apud Maceratenſem *var. lib.*3.*reſol.*2.& Hiſpali in caſu quorundam Religioſorum, qui ſuum prouincialem occiderunt, apud Bernardum Diaz *in pract. crim.cap.*97. Vnde non aſſentior ſententiæ Delrij *in diſquiſ.mag.lib.*5. *ſect.*16. Et hæc ſatis dixiſſe ſit circa præſentem quæſtionem,quam ſubſcripſerunt, manu propria viri doctiſſimi ex Societate IESV,P.Ioan.Hieronymus Sopranis,Præfectus ſtudiorum in Romano Collegio: P.Gregorius Pogius, Pœnitentiarius Sanctiſſ. Dom. N.ad S.Petrum: ex noſtra Religione P.D. Alexander Peregrinus,P. D. Thomas Pellicionius,P.D.Marcellus Megala,& P.D.Thomas Afflicto.

*An Iudex eccleſiaſticus ſit competens in cauſſis ſponſaliorum?*

RESOLVT. CXXXI.

RESpondeo affirmatiuè. Ita docet Marius Antoninus Marceratenſis *lib.*1.*reſol.*79.*n.*8. Reginaldus *in praxi, tom.*2.*lib.*31.*cap.*36.*n.*268.Sanchez *de matrim.tom.*1.*lib.*1. *diſp.*69.*num.*19.Vnde ſecundùm Marium Antoninum,*vbi ſuprà.* non ſunt audiendi,Gloſſa *in c.non eſt.in ver.vxores,* & ibi Abbas *n.*3. *&* 6. *de ſponſal.* Couarruuias *de ſponſal. p.*2.*c.*7.*num.*3. & alij aſſerentes,Iudicem ſæcularem poſſe compellere partes, ad obſeruanda ſponſalia: ſed Sanchez *loco cit.diſp.*29.*n.*9. docet,Iudicem vtriuſque fori competentem eſſe ad ſponſaliorum coactionem, dummodo de ipſorum valore nihil agatur. Quo caſu,ſolus Iudex eccleſiaſticus eſt competens. Sed,dum ſponſalia certa ſunt,poteſt Iudex ſæcularis,vt dictum eſt, ad ea compellere, licèt iuramento firmata ſint.Vide Abbatem *in c.ex litteris el* 2. *de ſponſal.n.*4.Roſellam *ver.ſponſalia,num.*3.Brunellum *de ſponſal.concl.*16.*n.*6.& alios.

*Ad quem Iudicem ſpectat, ſpiritualem, vel ſecularem, pendente lite ſuper matrimonio, vel ſponſalitiis, ſequeſtrare puellam, cauſa explorandi voluntatem?*

RESOLVT. CXXXII.

AD Iudicem tantùm eccleſiaſticum, hoc ſpectare, tradunt communiter Doctores *ex cap. cùm locum.de ſponſ.* Et ita hanc ſententiam docet Genuenſis *in prax. c.*14.Ragucius *in lucerna Parochorum,de matr.q.*96.*&*128. Vide etiam Guttierrez *de matr.c.*37. & ideò cùm ad Epiſcopum ſpectet, iudicare de libertate conſenſus puellæ, poterit etiam iudicare de loco tuto, per quem peruenitur ad dictam libertatem conſenſus, ex regula *l. ad rem mobilem.l.ad legatum. ff.de procur.* vnde non valebit,laïco Iudici ſe offerre velle tradere puellam in loco, vbi vult ipſe Iudex eccleſiaſticus. Et ſi interuenerit caſus vt ad tollendam ſuſpicionem coactionis neceſſe ſit extra ciuitatem puellam extrahi;tunc equidem ipſa ſponſa ex authoritate Iudicis eccleſiaſtici adducetur. Caſus autem eſſe poteſt, ſi timeatur præſentia Principis,vel alicuius potentis: & ita in facti contingentia eueniſſe Mediolani teſtatur Riccius *in praxi,tom.*1.*reſol.*216.*n.*3. & notarunt etiam Genuenſis *vbi ſup.c.*14.*n.*4. & Ragucius *q.*128.*n.*2.

*An in caſu, in quo collectæ, ſeu gabellæ iuſtè Clericis imponuntur, poſſint imponi, inconſulto Romano Pontifice, & an dictæ gabellæ, ſi excedant octauam partem valoris rei,ſint iniuſtæ?*

RESOLVT. CXXXIII.

DE primo dubio huius quæſtionis egi *ſuprà in reſol.* 41. & cum aliquibus DD. ſententiam affirmatiuam tenui,quibus nunc addo Hippol. de Marſiliis *in pract.* §. *aggredior.n.*63. Guillel.Benedict.*in relect.c.Raynutius.ver. & vxorem,deciſ.*5.*n.*470.Gratianum *in diſcept.forenſ.tom.* 2.*c.*390.*n.*19.Carocium *de locat.p.*4.*de collectis,num.*37. & alios adductos per Decianum *vol.*2. *conſ.*51.*n.*61.Hi omnes aſſerunt,in tali caſu ſufficere conſenſum Epiſcopi cum interuentu Clerici: quia tunc neceſſitas æquè primariò reſpicit vtilitatem laïcorum, & Clericorum.

Non reticebo tamen, quòd aliqui hanc opinionem intelligendam eſſe exiſtimant, quando tanta adeſſet neceſſitas, quòd ſine periculo, aut ſcandalo ad Summum Pontificem recurri non poſſit:quia in tali caſu ſufficient Epiſcopi,& Clericorum conſenſus; aliter minimè. Et ita tenent decem Doctores quos citat, & ſequitur nouiſſimè doctus Narbona *in* 3.*p.Recopil.lib.*2.*tit.*4.*leg.*57.*gloſſa vnica,n.*24. quibus ego addo Peirinum *in priuileg. Minimor. tom.*1.*Conſtit.*2. *Iulij* 2. §.33.*n.*141.Vide etiam Medin. *de reſt.q.*15.Gig.*de penſ.q.*90.*in fine.*Guttierrez *qq.pract.lib.*1. *q.*3.*per tot.*Azeuedum *in l.*11.*tit.*3.*lib.*1.*n.*7. Lopez *par.*1. *tit.*6.*l.*54.*ver.ſon tenedos.*Auiles *in c.*23.*Prætorum.Gloſſa,de Ordin.n.*7.& alios.

Quoad ſecundum dubium, reſpondeo, aliquos dubitaſſe de iuſtitia gabellæ, quando excedit octauam partem valoris rei,ex authoritate *l. ex præſtatione.C. de vectigalibus.* Et ita videtur docere Regens Corſettus,vir doctiſſimus,*in propugnaculo vectigalis ſerici,fol.mihi* 21.

Sed Iacobus de Graſſis *in ſuis deciſ.part.*1.2.*cap.*126.*n.* 37. non obſtante dicta lege, docet hodie non poſſe dari certam regulam,nec aſſignari certum terminum, quando gabella ſit exceſſiua: & ideò totum remittit arbitrio boni viri, attenta neceſſitate, cauſa, tempore,& loco. Ita Graſſius.Ego verò puto abſolutè,ſi gabella ex aliis circunſtantiis ſit iuſta,non obſtare ſupradictam legem:quia leges illæ poſitæ *ſub tit. de vectigal.* obligant tantùm in Regnis nunc ſubditis Imperatori.Ita Suarez *de legib.lib.*5.*cap.*16. *n.*5.*&* 8.Vide etiam Megalam *in p.*2. *lib.*2.*c.*17. *q.*5.*n.*71. & alios.Sed quicquid ſit de hoc,

Exiſtimo, ſupradictam legem eſſe per contrariam conſuetudinem abrogatam:& ita in caſu *l. vniuerſi. ſub eodem tit.de vectigal.*docuit Azorius *p.*3.*lib.*5.*c.*21. non eſſe conſuetudinem damnandam, vbicunque ea extiterit,ſoluendi collectas,vel gabellas,etiam ex rebus, ad vſus proprios neceſſariis:quia non ſunt iſtæ gabellæ prohibitæ iure naturali, ſed ſolùm ciuili, quod poteſt conſuetudine abrogari. Sed totum hoc accidit in caſu noſtro. Ergo. Vide etiam Malderum *in* 2.2.*tract.*5.*c.*6.*dub.*5.*in fine.*Layman *Theol.mor.lib.*3.*tract.*3.*ſect.*5.*p.*1. *c.*3.*num.*3. Fauſtum *in ſpecul.*



*ſpecul. Confeſſ.diſp.*33.*q.*22.*n.*4. Tannerum *in* 2.2. *diſp.*4. *q.*6.*dub.*12. *num.*345. Ioan. de la Cruz *in direct. conſcien. p.*1.*præcept.*7.*art.*3.*dub.*1.*conc.*1. Duardum *in Bull.Cœn.l.*2. *can.*5.*q.*5.*n.*6.Graffium *deciſ.p.*1.*lib.*4.*cap.*18.*n.*82.& alios Et ita ex multis aliis iuribus,& rationibus, à P. Alexandro Neuola,& P.Cæſare Boſco,Societatis IESV viris doctiſſimis,& amiciſſimis, cum aliis præſtantiſſimis Iuriſconſultis, etiam me præſente, & conſulente, fuerunt ad inſtantiam Illuſtriſſ. Senatus huius Vrbis,approbatæ multæ gabellæ, quæ in hac noſtra Ciuitate excedunt in magna ſumma, octauam partem valoris rei.

*Quando laïcorum facultates non ſufficere cenſendum ſit, ad hoc, vt Clerici cum conſenſu Epiſcopi, & conſulto Romano Pontifice contribuere in aliquibus caſibus teneantur?*

RESOLVT. CXXXIV.

HAnc quæſtionem non inuenies apud multos Authores: ideò ſupponendum eſt, Clericos non teneri ad tributa, quæ imponuntur ad reficiendas vias, pontes, fontes, aut muros ciuitatis, & ſimilia ad communem vſum ciuium, & etiam Clericorum neceſſaria: niſi in ſubſidium;nempe,quando deficerent facultates laïcorum. Hoc ſuppoſito, Suarez *contra Regem Angliæ,lib.*4.*cap.*25. *n.*15.putat,verba illa, *Vbi laïcorum non ſuppetunt facultates,*quæ habentur *in c.non minùs, & in c.aduerſùs, de immunit.* intelligenda eſſe, non de facultatibus ſingulorum ciuium, ſed de facultatibus communibus Reipublicæ. Et ita etiam docet Narbona *in* 3.*p.Recopil.lib.*3. *tit.*4.*l.*57. *Gloſſa vnica, num.*21.

Sed Megala *in p.*2.*lib.*2.*c.*17.*q.*6.*n.*123. magis amplè in fauorem Clericorum de hac re loquitur: ſic enim aſſerit. [Tunc facultates laïcorum non ſufficere cenſendum eſt, quando conſiderata proportione inter neceſſitatem, vel vtilitatem, pro qua gabella imponitur, & ciuium facultates,hæ ad ſoluendam gabellam non ſufficiunt;niſi ciues cogantur ſe eis priuare, quæ quotannis illis neceſſaria ſunt ad viuendum ſecundùm conuenientiam ſui ſtatus, quem, vt Reipublicæ ſubueniant, minuere non tenentur: ac ideò eorum tunc facultates ad ſoluendas gabellas non ſufficere cenſendum erit. Et de facultatibus particularium ciuium loquor:nam, ſi ciuitas ita in communi diues eſt,vt ex communibus reditibus communi neceſſitati,vel vtilitati, commodè prouidere poſſit: tunc nec ab ipſis ſæcularibus gabellæ exigendæ ſunt, niſi ex conſuetudine legitimè præſcripta hoc introductum eſſet.] Ita Megala ex cuius ſententia ſequitur, quàm raro Clerici teneantur,pro ſupradictis gabellis contribuere: nam difficiliter poteſt accidere caſus, in quo bona propria omnium, & ſingulorum ciuium, ad huiuſmodi opera efficienda non ſufficiant.

*An Inquiſitores poſſint procedere contra Iudices laïcos, ſi remiſſiùs agant cum Hæreticis ſibi relictis, & pœnam mortis per ignem non imponant?*

RESOLVT. CXXXV.

CHriſtophorus Anguianus ex neteoricis Iuriſconſultis Hiſpanis,vir doctus, & Lector primarius Iuris Pontificij in Academia Complutenſi,*tract.de legib.lib.*3.*contr.* 31. *à n.* 37. *vſque ad* 44. negatiuam ſententiam ſuſtinet, & mordicùs docet,in tali caſu Dominos Inquiſitores non poſſe contra Iudices laïcos procedere.

Sed contrariam ſententiam omninò amplectendam eſſe exiſtimo:quia Iudices laïci in iſto caſu ſunt meri executores, & tenentur, iuxta leges, ſtatim Hæreticum ad mortem damnare,vt tradunt communiter DD. quos citat Cenedus *ad decret.collect.*55.*n.*2.quibus ego addo Suarez de Paz *in pract.tom.*2.*præl.*2.*n.*30. Ioan.de Heuia *in Curia Philipp.p.*3.§.3.*n.*19. Mendez *in praxi Luſitana, lib.*2.*c.*1. *n.*16. & Miranda *in ordine iudiciario,tom.*1.*q.*1.*art.*5. *concl.* 6. Et ideò aliter facientes, tanquam fautores Hæreticorum habentur.Vnde apparet,non benè Anguianum *n.*39. aſſerere, quòd nullo iure probatur, Inquiſitores ſe poſſe ingerere ad puniendos ſupradictos Iudices:nam iura præbent iuriſdictionē Inquiſitoribus, puniendi fautores Hæreticorum. Sed dicti Iudices,non punientes pœna mortis Hæreticos, tanquàm fautores illorum habentur. Ergo poſſunt per dicta iura, contra illos, Domini Inquiſitores procedere. Et ita mecum ſentit Pegna *in Direct. Inquiſ. p.*3. *commen.* 85. vbi ponit verba Innocentij VIII. quæ hanc ſententiam firmant. Vide etiam Farinacium *tract.de hæreſi,q.*185.*n.*162. & Sanctarellum etiam *tract. de hæreſi, cap.*60.*dub.*4.*n.*23.

Notandum eſt, etiam non benè aſſerere Anguianum *n.* 42. quòd ſi Inquiſitores procedere poſſunt aduersùs tales Iudices,ſequeretur abſurdum, nempe, quòd incurrerent in irregularitatem: nam reſpondeo cum Cenedo *in pract.qq.*15.*n.*5.Henriquez *lib.*14.*c.*12.*n.*5.*in Gloſſa,litt.D,* Auila *de cenſ.part.*7.*diſp.*5.*ſect.*2.*dub.*2.Medina *in ſumma, lib.*1.*c.*11.§.10.*reg.*4.Sanctarello *de Hæreſi,c.*26.*dub.*1.*n.*8. & aliis, in tali caſu Dominos Inquiſitores, inſtando, vt exequatur ſententia non incurrere irregularitatem,vt *infrà* etiam patebit.

Manet igitur exploſa ſententia Anguiani. Sed aduersùs Iuriſtam Complutēſem, Theologus Complutenſis videatur: is eſt Petrus Lorca *in* 2.2. *D. Thomæ, q.*11.*art.*4. *diſp.*49.*n.*9. vbi aſſerit, Iudicibus ſæcularibus omne arbitrium circa exequutionem ſententiæ Hæreticorum ſublatum eſſe non obſtante illa obſecratione, quam Inquiſitores præmittere ſolent,quando reum brachio ſæculari tradunt, petentes, vt cum eo miſericorditer ſe gerant: nam obſecratio illa inuenta eſt, vt iudices eccleſiaſtici euaderent irregularitatis periculum; per quam tamen nihil committitur arbitrio Iudicis ſæcularis,ſed ſolùm proteſtatur Eccleſia affectum ſuum, quo quantum eſt in ſe, auerſatur pœnam ſanguinis, & nollet, ſi fieri poſſet, eam inferre. Sed, quia talis proteſtatio non tam efficax poterat apparere ad irritandam irregularitatem: ideò Paulus IV. & Pius V. motu proprio decreuerunt, tam Inquiſitores, quàm quoſcunque miniſtros, & conſultores, ab omni irregularitate immunes eſſe, quomodocunque ad condemnationem Hæretici concurrant. Ita Lorca, *vbi ſuprà.* Dicendum eſt igitur contra Anguianum, in ſupradicto caſu Dominos Inquiſitores poſſe contra Iudices laïcos per cenſuras procedere. Sed ad aliam quæſtionem, circa iuriſdictionem Inquiſitorum, deueniamus.

*An Inquiſitorum iuriſdictio in Familiares ſuos, in criminibus aliis diuerſis ab hæreſi, ſit ſæcularis, vel eccleſiaſtica?*

RESOLVT. CXXXVI.

BAſilius Pontius *de matr.lib.*5.*c.*12.*n.*15.*& ſeq.* probat, ſupradictam iuriſdictionem eſſe in ſua origine ſæcularem & quod ſæcularis etiam conſeruatur,vt patet ex diuerſis concordatis pro Regno Valentiæ, Siciliæ, Aragonum & Caſtellæ,quorum nonnulla refert Simancas *tit.*41. *n.*16. in quibus Rex limitat, prout ſibi æquum videtur, eiuſmodi Inquiſitorum iuriſdictionem:quod quidem fieri à Rege non poſſet,niſi illa iuriſdictio,& ſæcularis eſſet in ſua origine, & ſæcularis etiam conſeruaretur: ſi enim eccleſiaſtica fieret,non eſſet illius dominus,vt eam limitare, aut ſuſpēdere poſſet.Vnde quoties inter Conſiliarios Regios, & Inquiſitores aliqua controuerſia oritur de iuriſdictione,ad Regem recurritur,&,quod illi placet,exequutioni mandatur.Quæ omnia euidenter demonſtrant,hanc iuriſdictionem eſſe ſæcularem,ita vt eam extendere, limitare,& ſuſpendere poſſit Rex,qui eam à principio conceſſit. Hæc, & alia plura Pontius, *vbi ſuprà.*

Sed contrariam ſententiam amplectendam eſſe exiſtimo, quam nouiſſimè ex multis & ſolidis rationibus docet Hiſpanus Iuriſconſultus Alphonſus à Narbona, vir eminentis literaturæ, *tom. 2. in 3. p. Recopil. lib. 4. tit. 1. l. 20. Gloſſa 22. per tot.* Et ratio eſt: quia ex priuilegio Summi Pontificis Ioannis XXII. vt notat Barboſa *de poteſt. Epiſcop. part. 3. alleg. 107. n. 6.* Maceratenſis *lib. 3. reſ. 14. n. 1.* Graſſus *de effect. cleric. eff. 1. n. 130.* Zanardus *in director. Confeſſor. part. 2. præcep. 1. c. 6. q. 31.* Farinacius *tract. de hæreſi, q. 128. n. 90.* & alij; Domini Inquiſitores poſſunt tenere familiam armatam, ſub cuius nomine comprehenduntur, vt docet Zanardus, Notarij, Aduocati, Conſultores, Fiſcales, Birruarij, & Familiares omnes: Ergo iuriſdictio in ſupradictos eſt eccleſiaſtica, & non ſæcularis: ſicut iuriſdictio Epiſcoporum in laïcos ſuos Familiares, qui gaudent priuilegio fori. Deinde temporalis iuriſdictio ſpirituali, & eccleſiaſticæ coniuncta, eccleſiaſtica eſt cenſenda: ergo. Vnitum enim annexam naturam ſequitur illius; cui annexio fit. Dicendum eſt igitur, quòd DD. Inquiſitores in examinandis Familiarium, & cæterorum Officialium cauſis, ex vi, & poteſtate eccleſiaſticæ iuriſdictionis cognitionem habent, vel ſaltem ex regia iuriſdictione per incorporationem, vel vnionem in Inquiſitores tranſlata; & ideò excommunicandi poteſtatem habent. Cæteras rationes, nam ego breuitati ſtudeo, videbis apud Narbonam, *vbi ſuprà*, qui ad ſatietatem ſolidè, & perdoctè hanc quæſtionem examinat aduersùs allegationes Ioſephi Mur, hodie latentes, iuſſu ſupremi Inquiſitionis ſenatus.

Reſtat modò reſpondere ad argumentum de concordatis, quod adducebat Pontius, *vbi ſupr.* Dico igitur cũ Narbona. *loco cit. n. 25.* quòd tantùm abeſt, quòd Inquiſitores regiam iuriſdictionem, ad tractandas Familiarium cauſas, ex concordatis iſtis tantummodo obtineant: vt imò concordata hæc facta fuerint, non contradicente ſupremo Inquiſitionis Senatu, ad reſtringendam potiùs, & limitandã generalem illam iuriſdictionem cognoſcendi de omnibus & quibuſcunque delictis à Familiaribus commiſſis, quam Inquiſitores ex poteſtate eccleſiaſtica noſcebantur habere; quàm ad aliquam iuriſdictionem illis nouiter elargiendã. Quare in concordatis huius regni Siciliæ adimitur Inquiſitoribus facultas cognoſcendi de quinque caſibus ibidem expreſſis: in cæteris verò, iure ſuo, ac poteſtate eiſdem Inquiſitoribus relicta, & reſeruata procedendi per excommunicationem, & cenſuras eccleſiaſticas: quod ſignum euidentiſſimum eſt, inquiſitores habere alioquin iuriſdictionem eccleſiaſticam in prædictos Familiares: nam, ſi ſolùm regiam, & ſæcularem haberent, Rex ipſe non poſſet permittere, aut tribuere poteſtatem cognoſcendi per cenſuras in cæteris caſibus, præter expreſſos, vt permittitur in ſupradicta concordia Siciliæ. Ita Narbona, *vbi ſupr.* lege illum, & non pigebit. Et hæc dicta ſufficiant circa præſentem Tractatum de immunitate eccleſiaſtica.

# TRACTATVS III.

## De Comitiis, ſeu Parlamento Regni Siciliæ, & Neapolis.

*De donatiuis, quæ in Parlamento Regni, Sereniſſimo Regi tribuuntur, & de eorum iuſtitia.*

RESOLVT. I.

SVPPONENDVM eſt, taquam certum, donatiua Parlamenti nomine eſſe voluntaria, ſed reuerà eſſe neceſſaria. Ita in terminis teſtantur Doctores. Et quia fundamentum huius Tractatus conſiſtit in hac veritate, ponam per extenſum verba Doctorum. Ioan. Franc. Aponte *in ſuis deciſionibus, p. 1. deciſ. 3. n. 14.* ſic ait: [Donatiua, quæ ſingulis duobus annis fiunt, non dicuntur voluntaria, ita quod eſt hoc nomen ſimulatum: & propterea videmus, ſingulis duobus annis irremiſſibiliter peti à Rege; cũ literis particularibus ad ſuum Proregem tranſmiſſis: & Populi, & Barones per Regias literas particulares ad Parlamentum vocantur. Vnde verè poteſt hæc appellari, *impoſitio* quæ ſingulis duobus annis fit per Regem, vt ſuis neceſſitatibus ſubueniat.] Hæc ille. Maſtrillus *de Magiſtratib. tom. 2. lib. 5. c. 15. n. 29. & ſeq.* [Donatiua Parlamenti, licèt voluntaria dicantur ad differentiam muneris, ad quod ex capite Regni tenetur regnum in quatuor caſibus, attamen neceſſaria potiùs dici merentur: quia ſunt loco ſeruitij, & pro Domino in bello adiuuando, ſuíſque neceſſitatibus ſubueniendo; ad quod omnes tenentur: ideò nomen hoc donatiui ſimulatum eſt, cùm ſingulis tribus annis irremiſſibiliter petantur à Rege, cum expreſſis literis ad Proregem tranſmiſſis, & pro effectu prædicto tria Regni brachia per literas conuocantur: vnde verè *impoſitio* dici poterit.] idem cum iiſdem verbis docet etiam ex noſtris Regnicolis vir doctus, Marius Giurba *in ſuis deciſionib. tom. 1. deciſ. 118. n. 2. & ſeq.* Idem etiam docet Valenzuola. Velaſquez *conſ. 99. pract. 4. n. 61.* & ex Theologis P. Suar. *de legib. lib. 5. c. 17. n. 7.* Et ex noſtra religione P. Molfeſius *in ſum. tom. 2. tract. 12. c. 22. n. 36.* vbi aſſerit, ſupradicta donatiua eſſe reuerà impoſitiones, ita vt debeãt habere conditiones requiſitas ad impoſitionem gabellarum: & citat Syluestrum *verb. dominium, q. 5. n. 6.* & Iacob. de Graffiis *p. 1. lib. 3. c. 1. n. 7.* Vide etiam in noſtris terminis, tractantes càſum, Marin. Frecc. *de ſubfeud. lib. 2. author. 3.* Baron. *n. 26. folio mihi 323. conſ. 1.* & Bolognet *conſ. 1. à n. 86. vſque ad n. 95.* cum eruditiſſimo Bobadilla *in polit. tom. 2. lib. 5. c. 5. n. 4.* & Baſilio Pontio *de imped. matr. cauſa 31. q. 2. §. 11.* & Petro Tholoſano *in ſua Republica lib. 24. c. 5. n. 3.*

Cùm igitur ex dictis clarè appareat, quòd ad iuſtitiam donatiui concurrere debent conditiones neceſſariæ ad iuſtam gabellam imponendam, pro elucidatione huius materiæ ponam breuiter aliquas gabellarum quæſtiones, in gratiam illorum, qui in dicto Parlamento interueniunt, vt poſſint à ſe ſe abdicare multos ſcrupulos, & de iuſtitia donatiui rectè decernere.

*Quænam conditiones requirantur, ad impoſitiones iuſtæ gabellæ & donatiui?*

RESOLVT. II.

DVæ præcipuè, relinquendo alias non neceſſariò examinandas pro re noſtra. Prima, ex parte, cauſæ finalis; nempe, quòd imponatur propter publicam vtilitatem, ſeu neceſſitatem Regis, Secunda, ex parte cauſæ formalis ſcilicet, vt talis gabella, & donatiuum ſubditis imponatur proportionabiliter. Ita communiter DD. Turrianus *in 2. 2. tom. 2. diſp. 44. dub. 1. & 2.* Bonacina *tract. de contr. diſp. 2. q. 9. punct. 1. n. 2.* Petr. de Aragon. *in 2. 2. q. 77. art. 3.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. q. 6. punct. 5.* Suarez *de legib. lib. 5. c. 14. n. 16.* Barthol. à S. Fauſto *in ſpecul. Confeſſ. diſp. 33. q. 2.* Salas *de legib. q. 96. tract. 14. diſp. 15. ſect. 10. n. 118.* Leſſius *lib. 2. c. 33. dub. 1. & 2.* Reginaldus *in praxi tom. 1. lib. 10. c. 25. num. 372.* Ledeſma *in ſumma, tom. 2. tract. 7. cap. 2.* Malderus *in 2. 2. tract. 5. c. 6. dub. 2.* Layman. *lib. 3. ſect. 5. tract. 3. part. 1. cap. 3. num. 2.* Tannerus *in 2. 2. diſput. 4. quæſt. 6. dub. 12. n. 343. & 344.* Molfeſius *in ſumma, tom. 2. tract. 12. cap. 22. n. 37. & 39.* Syluius *in 2. 2. D. Thom. q. 66. art. 8. concl. 1.* Villalobos *in ſumma, tom. 2. tractat. 8. dub. 13. num. 4. & 5.* Aragon. *in 2. 2. D. Thom. quæſt. 62. art. 3.* Vaſquez *Opuſcul. de reſtit. cap. 6. §. 2. dub. 1. & 2.* Molin. *de iuſt. tract. 2. diſput. 667. & ſeq.* & alij. His ita conſtitutis, maximè circa primam cauſam inſurgunt aliquæ difficultates, ordinarias de induſtria relinquendo.

***

An,



*An donatiuum, & tributum impoſitum alicui Regno propter bella, & ſumptus, quos ſuſtinet Rex in aliis Regnis, ſit iuſtum?*

RESOLVT. III.

REſpondeo affirmatiuè, cum Turriano *in 2. 2. tom. 2. diſp. 46. dub. 1. n. 5. & 6.* & eius Magiſtro doctiſſimo P. Gab. Vaſquez *Opuſ. de reſt. c. 6. §. 3. dub. 1. n. 7.* & quia eius verba ſunt pulcherrima, ponam hîc ea per extenſum: [Quamuis graue onus videatur nobis (loquitur de tributo Alcaualæ in Hiſpania) decimam ſoluere partem; tamen cùm à Regis noſtri Philippi potentia totum multarum prouinciarum pondus, imò & Chriſtianæ Religionis pendeat, quippe qui ſolus, & Hæreticis, & Turcis Eccleſiam infeſtantibus, non ſolùm reſiſtat; ſed etiam pauori ſit; totam Italiam, Flandriam, Siciliam, & alia multa gubernet, & defendat, in quarum defenſione alieno ære grauetur in dies: iuſtitiæ legibus congruum fuit, vt tributorum aucta quota, nos, qui in pace, & tranquillitate degimus Regi noſtro ſubueniamus. At dicet aliquis: Relinquat, Flandriam, deſerat Italiam, vno ſuo antiquo Regno contentus ſit, quod, & ſibi, & nobis maiori futurum erit vtilitati. Sed, nunquid iura Regni patiuntur, vt Rex magno cum dedecore, timore inimicorum, antiqua Regna, quæ vel iure hæreditario, vel bello iuſto capta, ad eum pertinent, relinquat, maioréſque in diem animos inimicorum commoueat, vt & Regnum etiam noſtrum bello, & armis oppugnare non dubitent? Nónne ſalubrius erit, etiamſi facultates in hoc omnes abſumamus, vt inimicorum tela longè à noſtris Regnis confringantur, ibíque belli impetum, non tamen tam propè, ſentiamus. Quòd ſi animo quiſque perpenderet, nobis vbique, & omni tempore impunè licere terram excolere, meſſes colligere, fructibus terræ in pace, & tranquillitate veſci; vnunquenque & vxore, & filiis ſecuro animo frui: è contra verò, vbi belli furor ſæuit, incolas terram excolere labore magno, & ſeminare, vt hoſtes colligant; nunc domum flagrare incendio; nunc vxores, & filias raptas, filios occiſos ſpectare, & propriam vitam quotidie diſcrimini expoſitam habere; quis non magni faciat eam, qua fruitur, pacem? quis non vltrò Regi tributa offerat, vt pacem conſeruet, & conſeruatam augeat? Sed contrà fieri videmus, vt homines hæc non perpendentes; ex alia verò parte, nouam exactionem conſiderantes, & ægrè ferant, & contra Regem obmurmurent, ſine cauſa tamen, & iniuſtè.] Hæc Vaſquez, multùm conducentia ad iuſtitiam primæ cauſæ imponendi tributa, & præbendi donatiuum; nempe, propter bonum commune, & neceſſitatem Sereniſſ. Regis. Intellige tamen hæc omnia, concurrente forma, de qua dicemus *in Reſol. 5.* Et quando non obſtant leges municipales alicuius Regni: & in terminis, de quibus Aponte *in tract. de poteſt. Proreg. tit. 4. §. 1. n. 4.* Sed aliam non minùs neceſſariam quæſtionem, circa præſentem materiam, attingamus.

*An Rex, ſi culpa ſua propter largitiones immoderatas, ludos, iniuſta bella, &c. in egeſtatem inciderit, poſſit iuſtè imponere tributum; & Regnum illi donatiuum præbere?*

RESOLVT. IV.

REſpondeo, quòd ſic: & in tali caſu tenentur ſubditi largiri omnia neceſſaria ad defenſionem, & conſeruationem Reipublicæ; & ad id, quod neceſſarium eſſet ad Principis ſuſtentationem, conſiderata dignitate eius. Nam totum hoc poſtulat bonum publicum, quidquid ſit de peccato Regis. Sic aduersùs Medinam *C. de reſtit. q. 13.* Gabrielem *in 4. diſtin. 15. q. 5. art. 1. concl. 3.* & D. Antoninum, communiter tenent neoterici, & inter illos præcipuè Malderus *in 2. 2. tract. 5. c. 6. dub. 4.* Leſſius *lib. 2. c. 33. dub. 6. n. 48.* Turrianus *in 2. 2. tom. 2. diſp. 44. dub. 2. n. 5.* Molin. *de iuſt. tract. 2. q. 767. n. 4.* Barthol. à S. Fauſto *in ſpecul. Confeſſ. diſp. 33. q. 11.* Molfeſius *in ſumma, tom. 2. tract. 12. c. 22. n. 72.* & Vaſquez *Opuſc. de reſtit. c. 6. §. 1. dub. 2. n. 24.* Et ratio eſt: quia inopia Regis vergit in perniciem totius Regni: vt ergo imminenti malo prouideatur, licitum erit tributa imponere, vel de nouo augere. Parum ergo refert, ſi in inopiam inciderit Rex culpa ſua, modò tributis impoſitis, vel denuò auctis publico bono prouideatur.

Notat verò Leſſius cum aliis, *vbi ſuprà*, quòd Princeps in tali caſu tenetur omnes ſumptus parum neceſſarios excidere, & in poſterum continere ſe à prodigalitatibus. Quod maximè notandum eſſe ait Molina, à Confeſſariis, & Conſiliariis Regum. Reſtat modò examinare iuſtitiam cauſæ formalis talis donatiui; nempe, an ſit impoſitum proportionabiliter, ita vt vires Regni poſſint ſufferre tale onus: & in hoc cõſiſtit difficultas, maximè quando agitur de donatiuo extrardinario. Videndum eſt igitur, quando gabella dicatur iuſta ex forma: quia, videlicet, eſt proportionabilis in ordine ad populum.

*Quænam forma ſeruanda ſit in iuſto tributo, & donatiuo?*

RESOLVT. V.

MVltiplex, ſed præcipuè (quæ facit ad caſum noſtrum) exigitur proportio in ordine ad vires Regni, & populorum: nam, licèt cauſa finalis tributi, nempe, neceſſitas Regis, ſit iuſta; ſi tamen vires Regni non ſuppetant ad tributum ferendum, ſi imponatur, erit iniuſtum. Et ſic, ait Salas *tract. de legib. diſp. 15. ſect. 10. n. 120.* contingere poteſt, ſingula tributa per ſe ſpectata eſſe iuſta, & multitudinem eſſe iniuſtam; quia excedit moralem facultatem ſubditorum.

Hinc aſſerebat doctiſſimus vir Bartholomæus Salonius *de iuſt. in 2. 2. tom. 2. q. 77. art. 3. contr. 6.* [Proportio, & commenſuratio formæ tributi debet eſſe cum populo, vt non imponatur, niſi iuxta populi facultates, & vires: aliter iniquum eſt, & tyrannicum, ſi populus immoderatis vectigalibus grauetur, & in pauperiem redigatur. Optimum ſiquidem eſt, aqua fontis vti; non tamen fontem ipſum exhaurire, & venas illius exſiccare. Optimum, vt paſtor de lacte gregis ſui comedat; iniquum tamen illum excoriare. Ita neque poteſt Princeps immoderata tributa ſubditis imponere: cùm non ſit dominus bonorum ipſorum: ſed illis tantùm vti poteſt, & debet ad ipſorummet ſubditorum vtilitatem.] Ita Salon. Et Villalobos *in ſumma, tom. 2. tract. 8. diff. 13. num. 5.* ſic loquens: [Los tributos es neceſſario que ſean de manera, que tengan proporcion con las haziendas de los particulares, que ſeria injuſto poner grandes tributos, quando los vaſſallos eſtuuieſſen pobres, que no los pudieſſen pagar; porque ſi no ſe tiene atencion à la pobreza de los vaſſalos, deſtruidos ellos, quedaſe deſtruido el Reyno, y el Rey.]

Idem aſſerit Rodriquez *in ſumma, p. 2. c. 74. n. 2.* Ortiz etiam *in ſumma, c. 22. n. 15.* aſſerit eſſe licita tributa: [No ſiendo grande carga por los vaſſallos.] Et ideò Turrianus *in 2. 2. tom. 2. diſp. 45. dub. 2. n. 7.* docuit, Principem in imponendis tributis debere conſiderare propriam neceſſitatem per ordinem ad commune bonum, & neceſſitatem, & indigentiam ſubditorum. Et Ioan. Maderiaga *lib. de Senatu, cap. 40. fol. mihi 474.* aſſerit: [Los Procuradores de las Cortes, concediendo mas que el Reyno puede, por hauer la gracia del Rey, no ſolo pecan, ſi no que eſtan obligados à reſtituirlos al Reyno.]

Dicendum eſt igitur ex veritate ſupradictorum cum noſtro P. Molfeſio *in ſumma, tom. 2. tract. 12. c. 22. n. 36.* donatiua, quæ fiunt in Parlamento, debere eſſe in illa quantitate, vt poſſint Vniuerſitates ea ſoluere, aliter donatiuum erit iniuſtum ex parte cauſæ formalis; ideò Ioan. Franciſcus Aponte *in tract. de poteſt. Proregis, tit. 4. de regalibus impoſitionibus, n. 45. fol. mihi 147.* aſſeruit, in præbendis

bendis ſupradictis donatiuis conſiderandum eſſe, quænam ſint vires Regni.

Vnde ex his omnibus apparet, quid dicendum ſit de iuſtitia donatiuorum cuiuſcunque Parlamenti; & præſertim, quando agitur de donatiuo extraordinario: nam, ſi domini, qui intrant in Parlamento, cognoſcunt, Vniuerſitates Regni, & populos poſſe ſuſtinere tale onus, iuſtum erit donatiuum; ſin aliter, iniuſtum. Vnde deciſio, & reſolutio talis caſus magis pendet ex illis, quàm ex nobis: nam nos poſſumus tantùm dicere, ſi adeſt neceſſitas Regis, & vires Regni ſuppetunt, iuſtum eſſe tributum, & donatiuum; ſed an adſit dicta neceſſitas, & vires Regni ſuppetant, ipſi videant, forſitan quamprimùm ante Iudicem Deum de hoc rationem reddituri. Ita Vega *in ſumma, tom.1.cap.15.caſ.3.* Petrus à Nauarra *de reſtit.lib.3.c.1. num.237.* & Petrus de Ledeſma *in ſumma, tom.2.tract.7.c.2.fol.mihi* 195. vbi ſic ait: [Si es anſi, que las tales neceſſidades las aya, de ſuerte que no ſe pueden ſuplir, ſi no eſpediendo tan rigoroſamente eſte tributo del alcauala, no pertenece al Theologo determinarlo. Lo que es cierto en Theologia, es, que ſi eſtas neceſſidades del Rey, y del Reyno, no ſe pueden ſuplir de otra manera, juſtiſſimo es el tributo; ſi ſe puede ſuplir de otra ſuerte, no es juſto. Però eſto el Rey, y los Conſejeros ſuyos lo han de juzgar, ſi es anſi, y han de dar cuenta à Dios ſupremo Iuez.] Sic ille, & ego. Verum eſt, quòd ſi inſufficientia Regni Theologis conſtaret, tunc dicant, quid de tali inſufficientia ſentiunt, & nihil timeant.

Vnde Ioan. Franciſcus Aponte *loco cit.* loquens in caſu noſtro de donatiuis, quæ in Parlamento Regi præbentur, ad Conſiliarios ſic ait: [Perpendant benè Miniſtri Regis omnia ex vtraque parte, quæ ſint cauſæ, quæ ſint neceſſitates, quæ ſint Regni vires, in quas neceſſitates inexcuſabiles pecunia ſit conuertenda: ſi aliud adeſt expediens, non timeant faciem potentis; dicant veritatem coram Deo, & hominibus; quia de anima certant, & de æternitate irreuocabiliter, in qua nihil poteſt Rex, nihil Prorex, nullus fauor, & nulla gratia.] Sic Aponte.

Conſiderare etiam debent ſummoperè Conſiliarij, & Parlamentarij ea, quæ circa impoſita ſemel donatiua, licèt ad tempus, aduertit Capiblancus *tract. de officio Baronum, prag.10.num.6.* & ideò videant, in illis imponendis quid faciant. Et conſiderent etiam attentè arbitria, quæ proponuntur: nam, vt benè obſeruat Cōſultor Matute *in reſponſ. contra Meſſanen.fol.4.* in practica ſunt difficilia; & non reddunt poſteà in fractione panis, quod in theorica promittunt, ſicut apparuit in Parlamento Ducis Oſſunæ, anno 1612. Et hæc dicta ſufficiant circa materiam cognoſcendi iuſtitiam, vel iniuſtitiam donatiui alicuius Parlamenti: ſed, quia olim à nobiliſſimo viro, & aliis, de multis quæſtionibus ad Parlamentum ſpectantibus interrogatus fui, illas breuiter exponam.

*An liceat in Parlamento exteros efficere Regnicolas?*

RESOLVT. VI.

IN magnam Regni vtilitatem redundare, vt non exteri, ſed ex natione ad beneficia aſſumantur, docent doctiſſimi Iuriſconſulti Hiſpani, & præcipuè inter illos Olibanus *de iure fiſci, c.12.num.14.* Alfonſ. de Azeued. *tom.1.lib.1.tit.3.l.14.n.1.& ſeq.* Gregorius de Cabedo *lib. de iuſt. patronatus Regiæ Coronæ, cap.20.per tot.* Salzedo *in addit. ad pract.crim.Diaz, tot.cap.55.* Humada *in l.13.tit.15.par.1. gloſſ.2.n.4.* Paz *in l.3.Taur.n.374.* Perez *lib.1.tit.3.l.18.in gloſſ.verb.que ninguno extrangero.* Ramirez *in tract. de lege regia, §.27.n.16.* Barboſa *in collect.tom.1.lib.1.tit.5.c.4.n.7.* cum aliis *in l.Eccleſia.C.de Epiſc.& Cler.& in cap.benè.el 2.§.fin.de poſtul.Prælat.* Quos textus commēdat in terminis pro caſu noſtro Luc. de Penn. *in l.quiſquis.C.de omni agro deſerto.lib.11.* vbi etiam aſſerit pro hac concluſione totam diſt.71. Decreti facere. Et hoc etiam docent ex Theologis præter Sotum, & Salonium, Acoſta *in Bulla Cruc.quæſt.69.* Rodriquez etiam *in Bull.Cruc.§.9.in addit. fol.mihi* 158. Rebellius *de obligat.iuſt.part.1.lib.3.q.4.n.2.* Valentia *tom.3.diſp.5.q.7.punct.21.* Turrian. *in 2.2. tom.2. diſp.22.dub.5.n.3.* Nauarra *de reſtit. lib.2.c.2.n.165.* & Ledeſma *in ſumma, tom.2.tract.7.c.2.diffic.6.* Et ratio eſt: quia homines naturales eius prouinciæ, communiter vtiliores ſunt Eccleſiis, & maiori affectu eas proſequuntur, maiorémque curam adhibent in earum gubernatione. Secundò, Regnicolæ magis reſident in Eccleſiis ſuis, quàm exteri, qui facilè habent occaſionem ſe eximendi à reſidentia; & ſolent commutare beneficia penſionibus impoſitis, quod redundat in damnum Eccleſiarum. Tertiò, & hoc eſt maximum argumentum, incolæ ea ſpe animantur, eorum filios litteris, ac bonis moribus imbuere, & informare, maximè cùm ipſi ſuo labore decimas, ex quibus fiunt beneficia, ſoluant. Vnde in Hiſpania, vt notat Henriquèz *in ſumma, lib.14.c.12.n.6.* extraneus eſt incapax per legem Regni ad obtinendum beneficia, ita vt ipſo facto amittat beneficia obtenta.

Ex his manifeſtè apparet, quàm cautè, & difficulter in Parlamento, ſint exteri inter Regnicolas admittendi; niſi qualitas perſonæ ſit ita conſiderabilis, vt hoc efficere redundaret in ipſius Regni, & Eccleſiarum vtilitatem. Sed experientia, vt plurimùm, contrarium demonſtrat. Caueant igitur, hoc facere propter humanos fauores, in damnum propriæ nationis, & incolarum Regni iniuriam: nam, cùm ſint filij, priuantur pane domeſtico, vt ille frangatur extraneis. Poſt hæc ſcripta, inueni Hieronym. Suritem, rerum Hiſpan. nobiliſſimum Scriptorem obſeruaſſe *tom.6.lib.10.c.99.* Ferdinandum Regem Catholicum in ſuo teſtamento filio Principi commendaſſe [muy encarecidamente; que no hizieſſe mudanza de los Officiales, que el tenia en los Reynos de Aragon, por que entendia, que era coſa muy neceſſaria, que los Oficiales ſe proueyeſſen en perſonas naturales de la miſma tierra: affirmando, que tenia experiencia, que era eſto lo que mas conuenia.] Hæc ille.

*An plures Vniuerſitates, & Barones Regni poſſint conſtituere vnum, aut alterum in Procuratorem, ad effectum intrandi in Parlamento?*

RESOLVT. VII.

REſpondeo, in rigore, & abſolutè loquendo, non eſſe illicitum, ſi ſciunt Procuratores eſſe timoratæ conſcientiæ, & amatores boni publici, non quærentes ſemetipſos, ſed communem Regni neceſſitatem. Verùm, vt plurimùm, hoc facere, non eſt expediens. Sed de hac re diſſerentem, non Religioſum audiant, ſed vnum ex primis Conſiliariis, quem tunc Rex noſter habuerit: is eſt Ioan. Franciſc. Aponte *in tract. de poteſt. Proregis, tit. de elect. Official. §.5.n.23.* vbi ait: [Permiſſus eſt abuſus, vt procurationes omnes ad preces miniſtrorum in ipſorum perſonas fiant, vel ab eis dependentibus: Populi enim inſcij, & ignari, & inſipientes ſic venditi, & conſumpti reperiuntur donando, quæ nunquam cogitauerunt in ipſorum perditionem, tenentes labia clauſa ob metum, contra ſanctam, & indubitatam Regis intentionem. Quæ, etſi apparenter videantur redundare in eius vtilitatem, omnia effectiuè ſunt in ipſius inæſtimabile damnum, ob exinanitionem populorum, diminutionem Regni redditūum, & in offenſionem diuinæ Iuſtitiæ, ob quam ſanguis pauperum perpetuò clamat. Et quænam gubernatio eſt iſta pro futuris contingentibus, vt Parlamentum, & congregatio tanti ponderis, pendeat ab vno, vel duobus, in quorum perſonas procurationes omnes factæ reperiuntur, & vltrà iſti gratificati remaneant, & nulla Regni gratia adhibeatur, quod quotidie ſe exuiſcerat, & toto corde fideliter procurat ſuo Regi inſeruire? Iudicent hæc prudentes. Benè tamen video, quòd multi me irridebunt,





& hæc parui faciens. Ego ſum Iudex Supremus, Regens collateralis, illiúſque Decanus: ſed non erubeſcam dicere, quòd omnium malorum cauſa ſint mali Iudices; & mali Conſiliarij decipiunt Reges.] Hæc omnia Aponte; quæ, vt cum magno zelo, ita cum maiore veritate fuerunt dicta. Nam, quæ recta ratio poſcit, vt duo, vel tres in Parlamento poſſint concludere, quicquid velint, in damnum, & perniciem totius Regni, & Vniuerſitatum? Exterminetur igitur hic abuſus.

*An, ſi aliquis, qui intrat in Parlamento, tanquam Procurator, poſſit rogatus ſubſtituere alterum in Procuratorem?*

RESOLVT. VIII.

ASſerunt mihi, caſum hunc frequenter accidere: nam videntes aliqui, Procuratorem alicuius Vniuerſitatis timoratæ conſcientiæ, non concurrere ad aliquam rem iniuſtam in Parlamento tractandam, rogant illum, vt alium in Procuratorem ſubſtituat, qui poſteà iniquis eorum placitis libenter adhærebit. Et ideò ad quæſtionem negatiuè reſpondeo: nam, licèt Procurator cum poteſtate ſubſtituendi, virtute poteſtatis ei traditæ, non teneatur de facto Procuratoris ſubſtituti, quia videtur hic Procurator conſtitutus à domino, mediante perſona Procuratoris, vt dicit Gloſſ. *in cap.1.de Procurat.in 6.* & in ſpecie tenet Salic. *in l.quod quis. C. de Procur. q.5.* tamen hæc omnia intelligenda ſunt, vt aduertit Vincent. de Franch. *tom.1.deciſ.212.* ſi aliqua culpa Procuratori ſubſtituenti imputari non poteſt: quod accidit in caſu noſtro. Nam Procurator, qui vult ſubſtituere, cognoſcit iniuſtitiam donatiui, vel rei in Parlamento tractandæ; & videt, quòd requiritur ſubſtitutio procurationis, in alterius perſonam, in damnum Regni, & illius Vniuerſitatis, de qua extat Procurator: ergo illam faciendo peccabit.

*Procuratores, & alij, intrantes in Parlamento, an debeant proponere aliquid, licèt ab illo, qui caput eſt Parlamenti, non proponatur?*

RESOLVT. IX.

REſpondeo affirmatiuè: debent enim exponere neceſſitates Vniuerſitatum, & totius Regni, an habeant vires ſoluendi donatiuum, de quo agitur; debent rationes pro eorum voto declarare, etiamſi alij contrarium ſentirent: nam, vt obſeruat Molfeſius *in ſumma, tom. 1. tract. 6. cap. 16. num.* 119. forſitan vota ſua mutabunt. [Et ita ſcio, ait ille, pluries eueniſſe, etiam in Viris ſupremis, & regentibus Regiam Cancellariam Conſiliariis, & aliis ſupremis Officialibus, qui (vt mihi retulit Franciſcus Aponte) acceſſerunt cum votis ſcriptis ad iudicandum pro certa parte, & poſteà audierunt quendam Officialem inferioris doctrinæ, & experientiæ: & nihilominus audita relatione illius, & conſideratis eius rationibus, mutauerunt vota ſua, & iudicauerunt pro alia parte. Et ita ſcio eueniſſe in pluribus electionibus.] Ita Molfeſius. Debent etiam declarare aliquam petitionem faciendam Sereniſſimo Regi pro publica aliqua neceſſitate, vel vtilitate Regni. Item, an exactio pecuniarum ab Vniuerſitatibus pro ſoluendo donatiuo efficiatur diligenter, & debito modo à Commiſſariis, & ab illis, qui tenentur hoc facere. An pecuniæ deſtinatæ in Parlamento pro facienda aliqua re in beneficium Regni, reuera ad hoc expendantur; & ſimilia, quæ prudentia, & zelus boni publici cum modeſtia, & charitate exponenda dictabit.

*An, ſi aliquis Baro, v.g. qui habet etiam aliquam procuram alicuius Vniuerſitatis, poſſit in Parlamento dare diuerſas voces, vt Baro, videlicet, reſpondendo affirmatiuè, & vt Procurator negatiuè?*

RESOLVT. X.

IN terminis loquens de Parlamento negatiuè reſpondet ad hanc quæſtionem Borrell. *in addit. ad ſpecul. Prin. Petri Bellug. rubr.45.* niſi qui dedit ei poteſtatem dādi vocem, expreſſiſſet, cui vellet dari: nā tunc poſſet diuerſo modo vota ſua pronunciare. Sed ego puto, in hoc caſu diſtinguendum eſſe: nam, ſi res illa determinanda in Parlamento, habet rationes probabiles pro eius iuſtitia, & iniuſtitia; & tunc ſi non adeſt ſcandalum, poteſt quis, vt Baro, v.g. dare votum ſuum affirmatiuum, & vt Procurator dare votum negatiuum: nam in vtroque voto ſequitur opinionem probabilem: & ſic Confeſſarius, & Reſponſor caſuum conſcientiæ poteſt vni iuxta vnam opinionem probabilem, & alteri iuxta contrariam etiam probabilem conſulere, vt notat Vaſquez *in p.2. tom.1.diſp.62.c.9.n.47.* & Sanchez *in Opere morali, tom.1.lib.1.c.9.n.20.* qui *n.25.* notat, poſſe etiam Iudicem nunc ſecundùm vnam, nunc ſecundùm aliam opinionem probabilem iudicare; & hoc ceſſante ſcandalo, quod ceſſaret in caſu noſtro, ſi ille, qui tali modo votaret, diceret rationes probabiles pro parte affirmatiua, & negatiua. Sed hic caſus in praxi raro in Parlamento poteſt accidere: & ego conſulerem ſemper, iuxta eandem opinionem, vota emittenda eſſe, vt emittere debet Baro, & habens plures terras. Et hoc rectè notauit Aponte *de poteſt. Proreg.tit.4.§.1.n.13.*

*An intrantes in Parlamento, poſſint credere Regi atteſtanti, ſe eſſe in neceſſitate.*

RESOLVT. XI.

AFfirmatiuè reſpondetur communiter: nam, vt docet Regens noſter D. Petrus Corſetus, vir doctiſſimus, & integerrimus, *in propug.vectig.f.46.* & amiciſſimus Regens de Neapoli, vir litteris, probitate, & rerum experientia inſignis, *in Alleg.pro eodem vect.fol.5.* Laderchius *conſ.145.n.2.* Thom.Gram. *deciſ.65.n.30.& deciſ.105.n.9.* credendum eſt Principi, quando atteſtatur de facto proprio, quia in ipſo ſemper præſumitur iuſtitia cauſæ. Hanc doctrinam ſequutus eſt Card.Pariſ. *tom.1.conſ.1.n.41.* Rolandus à Valle *lib.2.conſ.1. n.98.* Oldradus *conſ.258.* Alexander *lib.2. conſ.216. n.1.* Ceuallos *contra com. q.578. n.26.* Bobadilla *in polit.tom.2.lib.5.c.5.n.11.* & alij penes ipſum *in Gloſſa, littera C.*

Sed hæc intelligenda ſunt, quando moraliter aliud in contrarium non conſtaret: nam, vt docet Menoch. *de præſumpt.lib.2.præſ.10.n.31.* & Socin. *lib.2.conſ.164.vol.5.* recedendum eſt ab expreſſa aſſertione Principis, cùm de veritate in contrarium conſtat. Vide etiam omninò Gloritium in Reſponſ. pro nobiliſſima, & nunquam ſatis laudata Ciuitate Meſſanæ *in reſponſ.1.p.3.n.13.& ſeq.*

*An aſſignare ſummam neceſſariam pro ſuſtentatione Regis, vel regimine, & defenſione Regni, ſpectet ad Parlamentum, vel hoc remittatur arbitrio Regis?*

RESOLVT. XII.

REſpondet huic dubitationi P. Vaſq. *Opuſc. de reſtit. c.6.§.1.dub.1.n.7.* vbi ait: [Notandum eſt, Regibus, & habentibus ſupremum imperium in aliqua prouincia, congruam deberi ſuſtentationem iure naturali, quæ ſufficiat ad dignitatem regiam decenter ſuſtentandam, & Regnum, vel Prouinciam ab hoſtibus tuendam, ex pacto tacito inter Regem, & Regnum: & niſi debitum redactum ſit ad certam ſummam pecuniæ, ex pacto inter

Regem,& Regnum initio,manet arbitrio Regis,& ſupremi Principis, qui illius Prouinciæ curam gerit, iuſtam pecuniæ ſummam aſſignare, quæ neceſſaria ſit regimini, & defenſioni ipſius Regni. ] Sic Vaſquez.

*An, ſi eſſet ſtipendium ſumptibus Regis aſſignatum, ex pacto inito cum ipſo Rege, poſſit poſteà Parlamentum, ex aliqua cauſa, præbere donatiuum maius, & Rex imponere nouum, vel antiquum augere tributum.*

RESOLVT. XIII.

REſpondeo affirmatiuè ex Molfeſ. *in ſum.tom.2.tr.12.c.22.n.*70. Turrian. *in 2.2.tom.2.diſp.45.dub.2.num.*8. Vaſquez *vbi ſup.dub.2.n.*27.qui ex Gabriel *in 4 diſt.15.q.5.art.2.concl.*3.notant,Regem vltra poſſeſſiones,& redditus ſibi aſſignatos, etiam ex pacto cum ſuis ſubditis, à ſe, vel ſuis progenitoribus inito, poſſe exigere tributa noua, vel antiqua augere,quando patrimonium ſibi aſſignatum non ſufficeret ſuæ congruæ ſuſtentationi, ſecundùm regiam dignitatem, vel ſecundùm neceſſitatem publicam Regni,propter multa, quæ ſolent de nouo accidere:& in his tenentur ſubditi prouidere. Quæ doctrina admittenda eſt, quando vires Regni, vt diximus *ſuprà in Reſol.*5. poſſunt hoc ſufferre : nam, *Hoc opus,hic labor eſt.*

*An,quando vaſſalli,& vniuerſitates ſunt multùm oneratæ, poſſit, & debeat Rex non imponere nouum tributum, nec requirere donatiuum; ſed minuere; vel ſuſpendere gratias, & penſiones aliquibus aſſignatas.*

RESOLVT. XIV.]

AFfirmatiuè reſpondeo cũ Valenzuola *conſ.99. punct.2.n.29.& ſeq.*& Apõte *in tract.de poteſt. Pror.tit.5.n.21.& ſeq.*vbi ita aſſerit : Quando cauſa publicæ vtilitatis imminet; & in ſpecie, quando redditus Regni(attendat Lector) nequeunt incumbenti Reipublicæ ſubuenire, & ſuſtinere;tunc poteſt Princeps ſuſpendere penſiones,conceſſiones,ipsáſque etiam tollere,etiam quòd ſint conceſſæ ex cauſa remunerationis : quia publica vtilitas præfertur priuatæ. ] Et ex multis aliis rationibus, & iuribus firmat, quòd tales conceſſiones debent intelligi ſubmiſſæ huic periculo, & talibus oneribus,vt illæ ſoluantur, quatenus Regni neceſſitates aliud non requirant:nec aliam intẽtionem habuiſſe Regem in illis concedendis probat. Vnde tandem in hæc verba prorupit:[Hæc ante oculos, optimi Gubernatores Regnorum habere debent, & ſic interpretando Regis intentionem, ſuſpendere exequutiones,certiorare Regem, illúmque conſulere de omnibus,& non inordinatè, abſque alia cauſæ cognitione, exequutiones talibus conceſſionibus præſtare, contra Deum, & Rempublicam. Ex quibus tam ingentia mala oriuntur in depopulationem, & exterminationem Regni,ex nouis impoſitionibus, nouis donatiuis,& innumerabilibus, & intolerabilibus angariis,& vexationibus. ] Ita Aponte; qui vt *ſuperius* dixi, latè, & doctiſſimè, vt ſemper ſolet,hanc ſententiam firmat.Adi illum,& non pigebit.

*An pro imponendis tributis in hoc Regno Siciliæ, ſufficiat tantùm cauſa neceſſaria de iure communi?*

RESOLVT. XV.

PRo intelligentia huius reſolutionis notandum eſt *ex c.3.& ſeq.* Regis Iacobi, tantùm in aliquibus caſibus poſſe Regem imponere Siculis tributa. Vnde poteſt dari caſus, quo poſſit Rex imponere iuſtè tributa in aliis Regnis,non autem in Regno noſtro ex iure municipali:nam, vt benè aduertit Gloritius *reſponſ.1.p.3.num.*34. ſi poſſent Siculis vectigalia imponi, iuxta terminos iuris communis,vtique conceſſio illa Regis Iacobi,& aliorum Regum, nullam tribueret Siculis immunitatem,contra mentem,& rationem finalem dictorum Regni capitulorum, quæ fuit alleuiare Siculos, propter benemerita, ab onere noui vectigalis, exceptis illis quatuor caſibus in dictis capitulis expreſſatis. Vnde obſeruat Gloritius, inter alios caſus *ſuprà* à Rege Iacobo expreſſatos, poſſe Regem imponere Siculis tributũ tantùm pro defenſione Regni,ſi cõtingat, ipſum inuadi inuaſione notabili, ſiue graui,quod ipſe explicat non ſolùm in caſu inuaſionis actualis,ſed proximæ; non autem remotæ,&,vt ait Molfeſius *in ſum.tom.2.tract.12.c.22.n.*64. ſimulatæ,procuratæ, tranſitoriæ,&c.In aliis verò caſibus eſt interdicta in hoc Regno indictio noui vectigalis pro quacunque cauſa etiam vrgentiſſima.

Non reticebo tamen, Regentem de Neapoli *in alleg. pro vectig.ſerico,fol.mihi* 55.& Conſultoré de Matuta,virũ doctum,*in reſp.pro ſupradicta gabella, fol.*17.& 18. verba Regis Iacobi cõtra Gloritium magis amplè explicare.Sed quicquid ſit de hoc, certum eſt, non eſſe audiendum Marium Mutam, qui *in expoſ.ſupradicti c.* Regis Iacobi *n.*6. extendit illa verba nedum ad inuaſionem,& ſic paſſiuam; ſed etiam actiuam, vtputà quando Rex vellet mouere iuſtum bellum contra aliquos. Sed hæc extenſio minimè eſt admittenda : eſt enim contra mentem, & verba Sereniſſ.Regis Iacobi. Vnde,licèt in aliis Regnis poſſet in tali caſu Rex imponere tributa; non autem in Regno noſtro, propter priuilegia ei conceſſa in ſupra citatis capitulis,niſi admittenda eſſet opinio Santorij Baua *in reſol. pro tracta ſalis, fol.*12. & 14. vbi aſſerit, Regem noſtrum ſtare, & permanere in quaſi poſſeſſione recedendi quandocunque à promiſſis, & practicatis in Regni capitulis. Sed, bone Deus! ſi hoc verum eſſet, quis ampliùs cum Rege pactitaret? maximè,vt ſæpiùs ſolet accidere,in Comitiis generalibus. Non eſt igitur dicta opinio admittenda. Vide Conſilia Ramonij *part.1.conſ.12.n.*8.

*Vtrùm in Parlamento, poſtquàm numerus ſufficiens ſuffragatus fuit pro iniuſto donatiuo, ſeu alia re; ſi aliquis poſteà concurrat, peccet mortaliter, & teneatur ad reſtitutionem?*

RESOLVT. XVI.

IN Parlamento, quaſi ſemper,in ſuffragiis maioris partis concluditur,vt in Collectis,pro conſuetudine locorum, obſeruauit Leſſius *lib.2.cap.33.dub.2.num.*15.& in ſpecie loquens de Parlamento docuit Graſſius, *vbi infrà*,& Carol.de Graſſis *in tract.de effect.cler.*Hoc ſuppoſito,reſpondeo ad quæſitum,ita ſuffragantem peccare mortaliter:ſed non teneri ad reſtitutionem.Sic in terminis de Parlamento docet Iacob. de Graff. *in deciſ.p.1.lib.2. cap.127.n.*14. vbi ita ait: [ Si agatur in ciuitate de faciendo donatiuo iniuſto Domino Regi, vbi plurima vota vincunt,& dum dantur vota aperta, ſi aliqui ex nouiſſimis videntes vota præcedentia viciſſe, conſentiunt iniuſto facinori ad humanum reſpectum; peccant mortaliter, ſed non tenentur ad reſtitutionem. ] Sic ille.Et Tannerus *in 2.2.diſp.4. q.6. dub.14.n.*395. Layman *lib.3.ſect.5.tract.2.c.5.n.*5.Villalobos *in ſum.tom.2.tract.11.dub.7.n.*8. Syluius *in 2.2.D.Th. q.62.art.*7.Megala *in 2.2.lib.2.q.4.n.*32. Rodriq. *in ſum.p.2.c.74.n.*4. Ledeſma *in ſum.tom.2.tract.7.c.3.concl.*23.Rebellus *de obligat.iuſt.lib.2.part.2.q.14.ſect.5.n.*30. Filliuc. *tom.2.tract.32.c.3.n.*63. Turrian. *in 2.2.tom.2.diſp.12.dub.2.num.*2. Leſſius *lib.2.c.13.dub.3.num.*23. Valentia *tom.3. diſp.5.q.6.punct.*3.Nauarr.*lib.3.c.3.n.*33.Vaſquez *de reſtit.c.9.§.1.dub.1.n.16.&* 17. aduerſùs Medinam *C. de reſtit. q.7.ad* 5. & Cordub. *in ſum.q.*191. Et ratio eſt : quia,cùm iam damnum totum eſſet integrè datum per antecedentia ſuffragia, ille,qui poſteà iniuſtè ſuffragium dedit,non eſt cooperatus ad illud damnum, plenè iam anteà per alios datum. Si tamen, vt obſeruant citati DD. ſuffragia eſſent reuocabilia, etiamſi eſſet ſufficiens numerus, ille, qui



qui vltimo loco ſuffragium tulit,tenetur reſtituere,quando alij reuocarent ſua ſuffragia, ſi ipſe in oppoſitam ſententiam declinaret : nam ſua authoritate reuocaret priora ſuffragia;& ideò damnum non erat ſequendum. At difficultas eſt, an doctrina huius quæſtionis,ab omnibus communiter cum ſupradictis limitationibus recepta, ſit etiam applicanda in primis ſuffragantibus? Quæro igitur,

*An, qui prior tulit ſuffragium, antequàm ſufficiens numerus eſſet donatiuo iniquo ſuffragatus, teneatur ad reſtitutionem, etiamſi certò ſciret, ſequentes in eandem partem ituros.*

RESOLVT. XVII.

NEgatiuè reſpondet Salonius *tom.1.q.62.art.1.concl.*3. Sed meritò ab omnibus reiicitur.Et ratio eſt:quia alij damnificarent : tamen,qui primus ſuffragium tulit, dedit efficacem cauſam damni, & poſitiuè contulit ad eam læſionem.Sic Villalobos *in ſumma,tom.2.tract.11.dub.7.n.*8. Syluius *in 2.2. D.Thomæ, q.62.art.*7. Petr.à Nauarr.*lib.3. c.3.n.*36. Molin.*tract.2.diſp.*732.*n.*3. Turrianus *vbi ſuprà. n.*3.Leſſius,Filliucius, Rodriquez,& Vaſquez *locis citatis.*

Nec valet dicere,quòd iſte non fuit cauſa,ſine qua non fieret : quia ab aliis damnum illud iam erat faciendum;tamen fuit cauſa,ſine qua non fuit factum:& omnes illi,qui ſuffragia tulerunt, vſquequò maior pars eſſet completa, ita rei peragendæ contulerunt, vt ſine illis non fieret,nullo alio denuò adueniente.Dicendum eſt igitur,taliter ſuffragantes cauſæ damnoſæ aliquid conferre, & cooperari eorum ſuffragio ad id damnum; & quòd alij id damnum eſſent poſt ipſos daturi, niſi ipſi illos anteuerterent, non tollit, quòd ipſi id damnum iniuſtè reuerà dederint. Ex hoc non excuſantur Proceres, ( quod eſt maximè notandum, ) qui in Parlamento habent priora loca,dum ſuffragantur pro iniuſto donatiuo, etiãſi ſcirent certò,alios ſuffragaturos, & concluſuros poſteà. Sed,quid in his anguſtiis faciendum; poſsétne aliquis in illo die ſe abſentare à Parlamento? hoc videbimus in ſequenti dubitatione.

*An,quando in Parlamento à maiori parte certò ſcitur concludendum pro re aliqua iniuſta, & iniquo donatiuo; poſſit aliquis, pro illa die,domi manere, ſine periculo peccati mortalis, & onere reſtitutionis?*

RESOLVT. XVIII.

QVidquid in contrarium dicendum videtur ex his, quæ adducit Cardinal.Paleot.*de ſacr.conc.conſul.p.5. q.*8. & Molfeſius *in ſumma, tom.1.tract.6.c.16.n.* 118. & Ioan.de Maderiaga *in lib. de Senatu,cap.2.§.1.* affirmatiuè reſpondeo,ex deciſione doctiſſimi Patris Petr.de Ledeſma *in ſumma, tom 2.tract.7.c.2.concluſ.24.fol.mihi* 198.*col.*2. vbi loquens in caſu ſimili,ſic aſſerit : [ Si la juſticia,ò tributo injuſto auia de ſalir de regimiento, aſſi como aſſi, porque era la mayor parte, los que eſtauan determinados de votar, à quellos que ſe quedaron en caſa entendiendo, y ſabiendo ciertamente eſto,no eſtan obligados à reſtitucion. La razon es, porque no fueron cauſa de tal daño efficazmente,luego non tienen obligacion de reſtitucion : en lo que toca à pecar mortalmente por no yr à regimiento,en tal caſo me parece muy aparente coſa,que no es pecado mortal,ſupueſto que entiende,que el tal negotio eſta hecho efficazmente, y que ellos no han de hazer parte para impedilio : que ſi el negotio no eſta hecho, ſi no que pueden impedir con ſuos votos la injuſticia,tienen obligacion de yr à regimiẽto,y votar lo,que eſt juſto.] Ita ille. Et pro hac ſententia ſtat etiam Ioan. Valerus *in different. vtriuſque fori, verb.ſuffragium, differ.2. in fin.* & Nicolaus Garſias *de benefic.tom.1.p.2.c.2.n.*542. vbi ſic aſſerit:[Prædicta ſententia limitatur,vt non procedat ſtante iuſta cauſa, ad non aſſiſtendum capitulis : tanta enim poteſt cauſa concurrere, vt ab illis iuſtiſſimè quis excuſetur etiam ordinariè.Vt ſi in capitulis eſſet tanta peruerſio, & procederet cum violentia Potentiorum, & Præſidentium, vt qui vellet ſatisfacere ſuæ conſcientiæ, & illam exonerare, non poſſet id facere ſine magnis moleſtiis, inquietudinibus, & occaſionibus, & periculo aliquando cadendi, aut ſine magna nota ſingularitatis, & proteruiæ, maximè vbi vota feruntur publica, quod eſt perniciosum, & regulariter votum illius prodeſſe non ſperatur, quia omnia fiunt, vt volunt Præſidentes. Et ratio huius limitationis eſt:nam durum eſſet obligare aliquem ad aſſiſtendum capitulis cum tanto incommodo, & periculo, & ad opponendum ſe, & faciendum reſiſtentiam torrenti capituli.]Hæc Garſias,*vbi ſuprà*, multum conducentia ad caſum noſtrum.Nec aduersùs nos facit Azeued. *in addit.ad Cur Piſ.lib.2.cap.*8. nam ille loquitur in caſu, quo ille, qui ſe abſentat à conſilio, cum ſuo voto, & authoritate poterat aliorum ſuffragia immutare : quòd quidem in caſu noſtro non ſperamus. Dicendum eſt igitur, poſſe cum ſupradictis circunſtantiis dominos,& Procuratores ſe abſentare à Parlamento.

*An doctrina ſuperioris quæſtionis ſit etiam applicanda in caſu, quo non ſufficeret maior pars ad concludendum; ſed omnes ſigillatim concurrere deberent?*

RESOLVT. XIX.

REſpondeo negatiuè:tunc enim non poteſt aliquis abſentare ſe à Parlamento.Et ratio eſt clara:quia,quando omnes tenentur concurrere,vnus cum ſuo voto poteſt impedire iniuſtam concluſionem faciendam:ergo tenetur. Ita DD. *ſuprà* citati,& quos adduximus *in q.*14.Vnde infertur,quòd malè faciant illi,qui,vt rem iniuſtam concludant, rogant aliquem,vt pro tali die ſe abſentet à Parlamento,& malè faciet iſte ſe abſentando, vt docet Alphon. Azeued. *in addit.ad Cur.Piſ.lib.2.cap.*8.& Ioan. de Maderiaga *in libro de Senatu, cap.28.§.2.* Idem eſt, ſi dum pro iniuſta aliqua re, & concluſione agitur, & ſunt in loco Comitiorum, quis data opera accipit occaſionem loquendi cum aliquo, & illum exire facit extra Comitia, vt interim ſine ipſius voto,& præſẽtia,ſtatim res cõcludatur; in his enim caſibus,ſi,vt dixi, ex induſtria id facerent,ambo peccarent. Notentur hæc pro praxi, & maximè in efficiendis Regnicolis,in quo caſu omnes concurrere debent.

*An intrantes in Parlamento quoad iuſtitiam donatiui, & miniſtri Regis quoad iuſtitiam tributorum, teneantur ſequi opinionem probabiliorem, probabili relicta?*

RESOLVT. XX.

AFfirmatiuè videtur reſpondendum ex ſententia Vaſ. *de reſtit.c.6.§.3.dub.5.n.*75.cum Molf.*in ſum.tom.2. tract.12.c.22.n.*75.Et ratio eſt : quia tales conſtituũtur, vt Iudices inter Regem, & populum, vtrùm donatiuum ſit præbendum, & tributum ſit imponendum necne : ſed Iudex tenetur relinquere opinionem probabilem, & ſequi probabiliorem, vt docent Tanner *in 2.2.diſp.4.q 4.dub.6. n.*118. Filliu.*tom.2.tract.21.c.4.n.*144. Reginald.*tom.1.lib.3.c.19.n.*99.Valent.*tom.3.diſp.5.punct.4.dub.*3. Becanus *in p.2. tract.1.c.4.q.9.n.*14 præter illos,quos citant,& ſequũtur Sanchez, & Bonac. *vbi infrà*. Ergo. Sed opinio contraria videtur etiam mihi probabilis, ſicut viſa eſt Sanchez,& Bonacinæ:illi *in Opere moral.tom.1.lib.1.c.6.n.*47. huic *tract.de legib.diſp.2.q.4.punct 9.n.*13. & præter ſex claſſicos DD. quos ipſi citant, tenet etiam hanc ſententiam doctus iuriſconſultus Morla *in emporio iuris.p.1.tit.2.q.2.*& ex Theologis Lorca *in p.2.tom.1.diſp. 39. membr.*2. Martinez *in p.2.tom.1.q.29.art.6.dub.6.concl.*2. Aluarez *ibidem*,

ibidem diſp.80.n.12. Delr. in diſquiſ. mag. lib.5.q.1.§.quia quotieſcumque. Hieron. de Rua in ſuis cōtrou. tom.2. contr.6. ſcholaſtica. Sancius in ſelectis, diſp.44.n.50.& 51. Fagundez Præcep.2. lib.3.c.4.n.5. Et ratio eſt: quia Iudex videtur prudenter agere, ſequendo opinionē probabilem relicta probabiliori; & ob id non videtur acceptor perſonarum: nam opinio illa probabilis contulit illi facultatem iudicandi, iuxta quam maluerit opinionem: fateor tamen, primā ſententiam eſſe probabiliorem. Sed non damnarem Dominos, qui in Parlamento præberent donatiuum Sereniſſ. Regi, ſequendo opinionem probabilem, circa iuſtitiam ipſius donatiui; maximum enim onus haberent, & multis ſcrupulis implicarentur, ad cognoſcendum probabiliorem, & probabilem opinionem. Et hanc ſententiam in terminis tenet Petr. à Nauar. de reſtit. lib.3. cap.1.n.268.& 296. Vide etiam circa præſentem materiam Suarez de legib. lib.5.c.18.n.19. & Leſſium lib.2.c.33.dub.11.n.42.

*An regni incolæ habentes rationes probabiles de iniuſtitia donatiui facti in Parlamento, poſſint non ſoluere collectas, & vectigalia impoſita ab Vniuerſitatibus pro ſoluendo dicto donatiuo, etiamſi pro Rege, & iuſtitia donatiui adſint aliæ rationes probabiles?*

RESOLVT. XXI.

DIfficilis, ſed pulchra quæſtio. Prima opinio aſſerit, poſſe in hoc caſu, ſubditos, ſine vllo cōſcientiæ ſcrupulo, vectigalia fraudare. Ita Leſſius lib.2.c.33.dub.9.n.67. Sanch. in Opere morali, tom.2. lib.6.c.3.n.7. Reginald. tom.1. lib.10.c.25.ſect.1.n.374. Sancius diſp.23.num.35. Vega in ſum. p.1.c.15.caſ.11.§.6.n.9. Megala in p.2. lib.2.c.17.q.8. n.131.& 132. Nau. de reſtit. lib.3.c.1.p.3.num.261. dub.12. Salon. tom.1.q.5.art.4.contr.2. Barthol. à S. Fauſto in ſpecul. Confeſſ. diſp.33.q.27.n.3. & Epiſcopus Malder. in 2.2.tr.5. c.6.dub.4.§.dico ſextò. cum aliis. Et ratio eſt: quia, quando vtrunque probabile eſt, tributi cauſam eſſe iuſtam, & iniuſtam, exigit Princeps iuſtè, & negat etiam populus iuſtè quaſi bello vtrinque iuſto, ex ignorantia. Secundò, in dubio melior eſt conditio poſſidentis: at populus in hoc caſu poſſidet: ergo, &c. Sed alia ſententia viſa eſt mihi ſemper probabilior: & illam docet Suarez de legib. lib.5.c.18. n.20. Vaſquez de reſtit. c.6.§.3.dub.5.n.78. Turrianus in 2. 2. tom.2. diſp.46.dub.6.num.5.& alij. Et inter alias rationes probatur hæc opinio: quia in dubio ſemper præſumendū eſt pro Principe: verùm, ſtāte probabilitate primæ ſententiæ in tali caſu ego non obligarem defraudantes ad reſtitutionem. Reſtat modò reſpondere ad argumenta vtriuſque ſententiæ. Ad primum argumentum primæ ſententiæ reſpondeo, quòd non obſtat, quòd interueniēte ignorātia datur in hoc caſu bellū ex vtraque parte iuſtū: nā hoc habet locum, quando omnia ſunt paria; in noſtro autem caſu non eſt ita: nam cæteris paribus præferendum eſt ius Principis, & Superioris, maximè quando practicè conſtat, illū iuſtè percipere, vt accidit in caſu noſtro: quia habet rationes probabiles pro impoſitione donatiui, & gabellarum. Ad ſecundum argumentū reſpondeo, tunc meliorem eſſe conditionē poſſidentis ante ſententiā, vel legem latā, non poſteà. Ad argumentū verò ſecundæ ſententiæ reſpondetur, illud dictū, quòd in dubio præſumendū eſt pro Principe, intelligendum eſſe in dubio negatiuo; non autem in dubio poſitiuo, vt eſt in caſu noſtro: vel tunc eſſe verum, quando non agitur de intereſſe, & damno inferioris.

*An, quando in Parlamento præbetur aliquod donatiuum pro cuſtodia Regni, pro reparatione pontium, turrium, &c. teneantur Eccleſiaſtici contribuere?*

RESOLVT. XXII.

PArtem affirmatiuam tenent non pauci Iuriſconſulti. Ita Humada l.54. tit.6. p.1. gl.2. n.1. Mexia in pragm. taxæ panis, concl.5.n.63. præter illos, quos citāt, & ſequuntur Cenedo in ſuis collect. ad ius canon. par.2. collect.153.n. 3.& Lader. lib.1. conſ.145.n.3. Probatur hæc opinio ex authoritate l. ad inſtructiones. C. de ſacroſ. Eccl. vbi habetur: [Ad inſtructiones itinerum, pontiúmque, etiam diuinas Domus, & venerabiles Eccleſias adſcribimus.] Secundò; probatur hæc opinio: nam, licèt perſonæ eccleſiaſticæ ſint exemptæ; tamen aliqua eorum bona temporalia ſunt, & merè ciuilia, vt ſunt bona patrimonialia: ergo ſunt temporalibus Principibus ſubiecta. Nec valet dicere, quòd talia bona ordinem habeant ad tales perſonas exemptas, vt ad proprios dominos: nam reſpondetur, quòd tale dominium eſt merè temporale, & ad finem temporalem de ſe ordinatum: ergo reſpectus ille non dirigitur ad tales perſonas, vt exemptas; ſed præcisè, vt ciues: & ita tredecim DD. Ciuiliſtæ, quos refert Carolus de Graſſ. in tract. de effect. cler. effect.3.n.21. tenent Clericos non eſſe exemptos à tributis in bonis patrimonialibus.

Sed hæc opinio communiter refellitur à Theologis. Dico igitur, quòd ad ea, quæ primariò ſpectant ad communitatem, minimè tenentur Eccleſiaſtici: iſta enim illos, non principaliter, ſed ſecundariò tangunt; quatenus, videlicet, ſunt membra Reipublicæ. Igitur Clerici ad tales impoſitiones tenentur, quando non ſufficiunt bona laïcorum, & interueniente licentia Summi Pontificis, vel ad minus Epiſcopi, ſi de facili non daretur acceſſus ad Summum Pontificem. Et hæc omnia determinata ſunt in c. non minùs. & c. aduersùs. de imm. Eccleſ. Ita Sylueſter verb. immun. n.20. Piaſecius in prax. Epiſc. p.2.c.4.art.8.n.5. Molin. tract.2. diſp.672.n.4. Suarez contra Regem Angliæ, lib.4.c.6. n.3. Azorius p.3. lib.5. cap.19.q.10. Leſſius lib.2.c.17.dub.3. n.25. Megala in p.2. lib.2.c.17.q.6.n.121. Molfeſ. in ſumm. tom.2. tract.12.c.23.n.174. Duard. in Bull. Cœn. can.8.q.12. n.1. Souſa in eandem Bullam, c.19.diſp.92.n.6. Barthol. à S. Fauſt. in ſpec. Confeſſ. diſp.33.q.19.n.2. Altherius de cenſur. tom.1. lib.5.c.6.diſp.16.dub.13. Bellett. in diſq. cleric. tit.5. p.1.§.2.n... Graſ. de benef. tom.1.p.2.c.4. n.13. qui citat pro hac ſententia quatuordecim DD. & tandem Martha de iuriſdict. p.4. cent.1. caſ.1.n.52. vbi aſſerit, ita fuiſſe decretū à Clemente VIII. Summo Pontifice, anno 1600. in cauſa inter Clerum, & Populum Piſanum, in qua tractabatur coram R. Nuncio Florentino, de reparando Arno flumine, ad communem laïcorum, & Clericorum vtilitatem, cùm penè omnia Clericorum bona eſſent prope flumen prædictum: & laïcis inſtantibus Clerum cogi ad contribuendum iuxta taxam, tandem Beatiſſimus Pontifex decreuit, Eccleſias, & Eccleſiaſticos teneri in ſubſidium: & propterea mandauit Reuerendiſſ. Nuncio, vt diſcuſſis priùs bonis laïcorum, ſi non ſufficerent, condemnaret prædictos Eccleſiaſticos ad contribuendum.

Reſtat modò reſpondere ad argumenta contraria. Ad primum dico, legem, ad inſtructiones, fuiſſe correctam per Auth. Item nulla communitas. C. de Epiſc. & Cler. vbi Eccleſiaſtici facti ſunt immunes ab onere impoſito, & imponendo. Ita Hoſt. in ſum. de imm. Eccleſ. §. à quibus. ver. extraordinaria, & alij. Ad ſecundum argumentum reſpondetur, bona ſemper adhærere perſonæ ipſius Clerici, & ideò tunc dicitur perſona perfectè, integrè, exempta, quando etiam eius bona exēpta ſunt. Neque facit ad rem, quòd bona Clericorum ſint temporalia, & quòd reſpiciūt Clericū, non vt Clericum, ſed vt dominum temporalem, vel ciuem: quia ille non tantùm exemptus eſt vt Clericus; ſed etiam vt ciuis, & ſimpliciter eius perſona, & conſequenter etiam ea, quæ illi acceſſoria ſunt. Ita Suarez contra Regem Angliæ, lib.3.c.24.n.11. ex quo Gregor. de Valentia tom.4. diſp.9.q.5. punct.4. ante illum dixerat, bona Clericorum eſſe Deo conſecrata, ac eatenus vocari bona Dominica in can.40. Apoſt. quare conſentaneum eſt, vt ſint libera. Et procedit etiā hæc ratio de bonis illis, quæ poſſident titulo tēporali, quando quidē ea etiā Clerici debent referre ad cultum diuinum, atque adeò conſecrare. Hæc Valentia. Vnde Bellettus in diſq. cleric. tit. de except. bonor. Cleric.



Cleric. p.1.§.5.n.2. Martha de iuriſdict. p.4. centur.1. caſ.11. n.24. & caſ.49. per tot. & cent.2. caſ.101. cum aliis, communiter probant, bona patrimonialia Clericorum eodem priuilegio gaudere, quo res Eccleſiarum. Vnde aduersùs Doctores, quos citat Graſſ. vbi ſuprà, ſupradicta bona ſunt exempta ab onere vectigalium, vt patet in c. quanquam. de cenſ. in 6. & docent Theologi, vt Molin. tr.2. diſp.670. num.2. Molfeſ. in ſumma, tom.2. tract.12. cap.22. num.160. Azorius p.3. lib.5. cap.19.q.1. Leſſius lib.2. cap.33. dub.3. num.19. Megala in p.2. lib.2. cap.17.q.6.num.114. Salonius tom.2.q.78.art.5.contr.2.num.2. Malder. in 2.2. tract.5.c.6. dub.9. & alij communiter. Ex his omnibus colligitur, Eccleſiaſticos, qui intrant in Parlamento, non teneri ad donatiuum, niſi ſponte offerant: & in breui apoſtolico ita in ſpecie determinatum eſt.

*Vtrùm Epiſcopi, & Eccleſiaſtici teneantur vocati accedere ad Parlamentum, ita vt contrauenientes poſſint expelli à Regno, tanquàm inobedientes mandatis Regiis?*

RESOLVT. XXIII.

QVòd teneantur vocati accedere, loquens in ſpecie de Parlamento tradidit Maſtrillus de Magiſt. tom.2. lib.5.c.13.n.36. & præter DD. quos ipſe citat, tenet etiam hanc ſententiam Oliban. de iur. fiſci c.10.n.9. Sed difficultas eſt, an contrauenientes poſſint puniri, vt ſuprà. Affirmatiuè reſpondet Bobadilla lib.2. polit. c.10. n.66. vbi ait [Es de aduertir, que eſta obediencia à los reales mandados, liga, y comprende tambien à los Obiſpos, y Prelados, y otras perſonas eccleſiaſticas, quando ſe les manda comparecer, ò otras coſas permetidas, por cuya contumacia, y tranſgreſſion pueden los dichos Eccleſiaſticos ſer hechados de los Reynos.] idem docuit Pereira de manu regia, c.12.n.12. Heuia in Curia Philippica, p.1.§.5.num.35. Humada in l.65. tit.5. p.1. in gloſ.9. fol. mihi 17. col.4. Ceuallos tract. de cognit. per viam violentiæ, gl.6.num.65. Azeued. tom.2. lib.4. tit.1. l.4 n.12. Cenedo in quæſt. canon. q.45. num.24. & alij penes ipſos; & Bobadill. vbi ſup. c.18.n.62. Sed hanc ſententiam nos in tract. de immun. eccleſiaſtica, Reſol.17. ſatis refutauimus, probantes, non poſſe Principes ſæculares expellere Epiſcopos extra Regnum: ideò ad alia procedamus.

*An, ſi donatiuum adhuc duraret per multos annos poſſit ex nunc, pro tunc, fieri alia noua prorogatio ad alios annos?*

RESOLVT. XXIV.

REſpondeo negatiuè, propter accidentia, quæ poſſunt euenire tempore medio, quæ efficerent poſteà prorogationem donatiui iniuſtam: eorum enim eſt etiam habenda ratio, vt patet ex l. ſi quis domum §. idem quærit. ff. locati. §. illud quæſitum. vbi Gloſſa fin. inſtit. de rer. diuiſ. Bartol. in l. ſi idem. §. ſi vnam. num.5. ff. de iuriſd. omn. Iud. & in l. inter ſtipulantem. §. ſacram num.7. ff. de verb. oblig. Et ita in caſu ſimili, de prorogatione cuiuſdam donatiui, facienda in Regno Neapolitano: notauit Valenzuola conſ.99. punct.3. num.52.

*Vtrùm, ſi adſit iuſta cauſa præbendi donatiuum, poſſint Proreges illud extorquere à Parlamentariis per vim, & metum?*

RESOLVT. XXV.

REſpondeo affirmatiuè cum Baſilio Pontio Legionenſi in tract. de impedim. matrimonij, cauſa 31. q.1. §.11. vbi ſic ait: [Hinc etiam conſequenter infertur, conceſſionem vectigalium, aut noui tributi, quæ Comitiis coactis fieri ſolet, etiamſi extorqueantur metu reuerentiæ, aut quouis alio graui, valere quidem in conſcientia,



nec Principem obnoxium eſſe reſtitutioni: illa enim conceſſio non pertinet ad liberalem donationem, atque ideò nec exigit plenum voluntarium. Ea enim tributa Regi conceduntur, quò, & Regnum tueatur, & Regni hoſtes debellet, aliiſque publicis neceſſitatibus ſubueniat. Vnde, neque etiam iure poſitiuo, eſt ea conceſſio irrita. Imò, ſi cauſæ, quæ ad exigendum tributum requiruntur, ſint verè iuſtæ, & aliter illis neceſſitatibus commodè ſubueniri non poſſit, nec peccat Princeps vim inferendo Regnorum Procuratoribus: nec enim ea vis, aut metus iniuſtus eſſe poteſt, ſi cauſæ iuſtæ ſunt exigendi tributa.] Hæc Pontius: quæ quidem vera ſunt, ſed attendant Proreges in tali caſu, non ſolùm, ſi adſit iuſta cauſa exigendi donatiuum in ordine ad neceſſitatem Regis; ſed etiam in ordine ad vires Regni: nam, Hoc opus, hic labor eſt.

*An, ſi populares onus donatiui ſufferre non poſſunt, teneantur Barones Regni ad contribuendum?*

RESOLVT. XXVI.

REſpondeo negatiuè, loquendo in rigore Iuris, cùm ipſi alia onera ſuſtineant, & teneantur ad ſeruitium militare: ideò, vt optimè obſeruat Valenzuola conſ.99.n.63. ſuaſionibus, & aliis ſuauibus mediis inducendi ſunt ad cōtributionē in dicto caſu, in quo quidem deberent contribuere, vt rectè notauit Sotus de iuſt. lib.3. quæſt.6.art.7.

*An ſufficiat, vt ad donatiuum contribuendum concurrat maior pars congregatorum?*

RESOLVT. XXVII.

REſpondeo affirmatiuè: & ita docet noſter Aponte in tract. de poteſt. Proregis. quem citat, & ſequitur Valenzuola conſil.99. num.62. Verum eſt, quòd in Parlamento huius Regni Siciliæ, ſi non concurrit brachium eccleſiaſticum, etiamſi ex brachio Domaniali, & Militari maior pars concurrat, non ſufficit, vt donatiuum Regi tribuatur; ſed opus eſt brachium eccleſiaſticum ſemper concurrere:

*An Procuratores in Parlamento ſedere debeant in loco, vbi eorum Barones ſedere deberent, ſi in Parlamento adeſſent?*

RESOLVT. XXVIII.

REſpondeo negatiuè, cum Aponte deciſ.12. n.15. vbi ex Marino Freccia determinat, quòd Procurator in Parlamento generali non debet in eodem loco ſedere vbi Baro ſuus principalis ſedere deberet, nec præcedentiam aliquam prætendere poteſt in voce danda. Verum eſt, quòd inter Procuratores ſit differentia, vt præcedant ſecundùm qualitatem ſuorum principalium: & ſic ait in caſu ſimili fuiſſe determinatum à Conſilio Collaterali in Parlamento facto Neapoli, ann.1502. die 16. Nouemb. in quo Princeps Cariati comparuit, qui præcedit Principem Caſertæ, tanquam antiquior: ſed Princeps Caſertæ erat Balius Principis Sulmonis, qui præcedit Principem Cariati: & tamen, licèt Balius dicti Principis non præceſſit; at ſedem habuit poſt Principem Cariati.

*An in Parlamento poſſint congregati tribuere aliqua donatiua Domino Proregi?*

RESOLVT. XXIX.

REſpondeo negatiuè, cum Maſtrill. de Magiſtrat. to.2. lib.5. cap.15.n.27. quia ſunt expreſsè prohibita ex cap. Caroli 165. & litteris Regalibus ſub die 20. Octobr. 1612. tempore regiminis Marchionis Villenæ, in hoc Siciliæ Regno, & ego puto, quòd etiamſi adeſſet licentia Regis; vt Parlamentarij poſſint offerre donatiuū aliquod Proregi; quòd non ſufficeret maior pars ad concludendum dictum donatiuū; ſed omnes concurrere deberēt: quia maior pars

non poteſt præiudicare etiam vni ex his, quæ ſunt communia ſingulorum: & quando efficitur alicui præiudicium in ſingulari, tunc omnium conſenſus requiritur, vt ex multis iuribus probat Maſtrill. *vbi ſup.* cui ego addo Azeued. *in addit. ad Cur. Piſan. lib.2.c.14.* Barboſ. *in collect. tom.1. lib.1.tit.2.c.6.n.6.* Gom. *tom.2.var.c.3.n.14.* Villagut *tract. de reb. Eccleſ. non ritè alien. lib.1.p.1.c.101.n.7. & 8. &c. 102.n.7.* Et eſt diſpar ratio de donatiuo, quod præbetur Sereniſſ. Regi, vbi ſufficit maior pars: quia, vt *in prima Reſol.* firmauimus, dicta donatiua nomine ſunt voluntaria; ſed reuerà neceſſariò debentur Regi, quod non procedit in donatiuis faciendis Domino Proregi; quia omninò ſunt voluntaria; & ideò omnes concurrere debent, quia de omnium agitur præiudicio.

*Vtrùm aliquis poſſit ſe ſubſcribere determinationi factæ à maiori parte Comitiorum, licèt ipſe contrarium votum emiſerit?*

RESOLVT. XXX.

RESpondeo diſtinguendo: nam, vel opinio maioris partis habet rationes probabiles, licèt pro minoris partis ſententia adſint probabiliores; & in hoc caſu puto minorem partem poſſe ſubſcribere: nam in moralibus licitum eſt ſequi opinionem probabilem, probabiliori relicta, etiam tutiori, vt docent ſeptendecim Doctores, quos citat, & ſequitur Sanchez *in Opere mor. tom.1.lib.1. c.9.num.14.* quibus ego addo Martinez *in p.2.tom.1.q.19. art.6.dub.6.concl.1.* Sanctarellum *var. reſol. p.1.q.59.n 4.* Granado *in p.2.contr.2.tract.12.diſp.4.ſect.3.num.23.* Becanum *in ſumma Theolog.p.2.tract.1.c.4.q.9,n.15.* Salam. *de legib.q.96.tract.14.diſp.13.ſect.1.n.5.* Lorcam *in p.2.tom.1. diſp.39.membr.1.* Villalobos *in ſumma,tract.1.diffic.10.n.2.* Bonacinam *de legib.diſp.2.q.4.punct.9.n.4.* Reginald. *in praxi, tom.1.lib.13. c.10.ſect.1.* Filliucium *in quæſt. mor. tom.2.tract.21.cap.2.n.128.* & alios. Quidquid in contrarium aſſerat ex neotericis Comitolus *in reſponſ. mor.lib.5. q.15.* Et ratio eſt: quia ille, qui ſe ſubſcribit ſententiæ illorum, qui amplexati ſunt opinionem probabilem, ſequitur conſilium prudentum hominum ſatis rationabiliter agentium: ſed, qui prudenter agit, non peccat: ergo, &c. Deinde ſi teneremur probabiliorem, & tutiorem eligere, intolerabile onus eſſet, & maximis angeremur ſcrupulis in inueſtiganda opinionum veritate, & probabilitate. Igitur, quando aliquis, ſeu minor pars Comitiorum ſe ſubſcribit ſententiæ à maiori parte determinatæ, non peccabit; etiamſi opinio maioris partis eſſet minùs tuta, & minùs probabilis.

Difficultas verò eſt, quando maior pars concluſit apertè rem iniuſtam in præiudicium Regni: & videtur prima facie etiam affirmatiuè reſpondendum, ex authoritate *leg. quòd maior pars ad municipal. & l.aliud.§.refertur.ff. de regul. iur.* vbi præcipitur, quòd totum id, quod fuit à maiori parte concluſum, firmum, & validum teneatur. At his non obſtantibus, negatiuam ſententiam omninò veram eſſe iudico. Dico igitur, ſe ſubſcribentem ſententiæ concluſæ à maiori parte Comitiorum, quæ euidenter apparet iniuſta, peccare mortaliter. Ita communiter DD. quos citat, & ſequitur Pat. Ioan. Maderiaga *in lib. de Senatu, c.35. §.4.* & ita dicitur *in Exod.23* [Ne ſequaris turbam ad faciendum malum; nec in iudicio, plurimorum acquieſcas ſententiæ, vt à vero deuies.] Et ratio eſt: quia ita ſe ſubſcribentes, eſſent participes executionis iniuſtæ ſententiæ, & concluſionis, & approbarent rem malam, & iniuſtam, contrarium conſcientia dictante.

Sed aſſerunt aliqui, hoc eſſe licitum duobus modis. [Firmarſe (ponam ipſa verba Maderiaga, *vbi ſuprà*) con proteſto en el negocio, que no puede vno con ſeguridad de conciencia firmarlo abſolutamente. El ſegundo es, quando deſpues de hauer firmado con los otros vna ſentencia iniqua, eſcriua à parte en otro libro, que no conſentio en la tal ſententia, ò al reues, que hauiendo primero firmado, ſegundo el dictamen verdadero de ſu conciencia, ſe firma deſpues con los de mas otro libro, que ſe haga, porque ſalga la ſentencia en nombre de todos, para moſtrar al mundo la falſidad deſtas traças, quiero que me reſpondan los miſmos, que la inuentaron. Pregunto quando al Principe, que tiene pueſtas eſſas leyes en ſus Senados, y Conſejos, ſi vno de ſus Oydores ſe firmaſe deſta manera con proteſto, ò contra firma, en vna conjuracion, que contra ſu Alteza ſe trataſſe en el Senado, ternia por ventura por eſcuſado al que tal firmaſe, ſe libraria eſte de culpa, y de nota de traydor con el proteſto, ò con eſſa otra, contrafirma cierto no, ſi no que diria ſu Alteza muy bien, que antes hauia de dar la vida el Senador, que conſentir, ò firmar ſemejante traycion. Pues porque ſara eſto verdad en los peccados, que ſe hazen contra el Principe, y no en los que ſe hazen contra dios. Por eſto non permitan los Principes, que ſe haga fuerza à ſus Oydores, para que ſe firmen contra ſus conciencias, en ſentencia, que ſea claramente iniuſta; baſta que ſe haga eſto en los negocios dudoſos, y opinables.] Hæc Maderiaga. Igitur non licebit alicui ſe ſubſcribere iniuſtæ ſententiæ aliorum, etiamſi proteſtetur, & faciat aliquem actum, & ſcripturam aſſerentem, ſe contrarium votum emiſiſſe. Reſtat modò reſpondere ad argumentum *ſuprà* poſitum. Ideò aſſero, illas leges approbare, quod factum eſt à maiori parte; non quia à maiori parte factum eſt; ſed, quia præſumitur iuſtum, & melius, vt tradit Morla *in empor. iuris. tit.12.q.9. n.8.* Vnde, quando rem à maiori parte concluſam apertè apparet eſſe iniuſtam, leges non illam approbant, ſed reprobant. Vide circa præſentem quæſtionem Bimium *tom 1. toto conſ.105.* Riccium *p.3.deciſ.277.* Valerum *in differentiis vtriuſque fori, ver. ſuffragium, differ.2.* & Zanard. *in direct. Theol.p.2.præcep.4.c.33.q.10.*

*Quàm benignè regnum Siciliæ ſit onerandum gabellis, & donatiuis, præ cæteris Regnis.*

RESOLVT. XXXI.

BEnigniſſimè quidem: nam hoc regnum fideliſſimum non fuit bello, impenſis, & induſtria ab inimicis, ſicut cætera vindicatum; ſed ſpontè, & voluntariè ſe Ser. Regi D. Petro in poteſtatem dedit, vt patet, & docet Valdeſius *de dignit. Reg. Hiſp. c.17.n.7.in fin.* Ergo non eſt, ſicut cætera Regna, vectigalibus, & oneribus onerandum. Vide Caputum *in tract. de regimine Reipublic. c.7.§.27.n.2.* Vnde ex his Vaſquez *de reſtit.c.6.§.3. dub.1.n.9.* loquens de aliquibus Regnis Hiſpaniarum vectigalibus oneratis, ſic aſſerit: [Animaduertendum eſt, regna hæc labore, & induſtria Regum ab inimicis fidei in libertatem fuiſſe olim vindicata: propter quod maiorem eis tenemus gratiam rependere, quorum progenitores inimicos noſtros profligarunt.] Ita ille. Quod de Regno Siciliæ, vt dictum eſt, non poteſt dici.

*Quinam Theologi, & quomodo conſulendi ſunt à Proregibus, & ab intrantibus in Parlamento pro reſolutione iuſtitiæ donatiui?*

RESOLVT. XXXII.

HAnc quæſtionē tetigit pulchrè Ioan. Merquez *in ſuo Guber. Chriſtian. lib.1.cap.16.* vbi ſic aſſerit: [Deuenſe procurar para materias ſemejantes, los mayores letrados de los Reynos, tambien ſeria razon buſcar los mas libres de eſperanças temporales, y los que de ninguna manera auian de ſer oydos ſon vno hombres, que viuen de deſcubrit arbitrios, con que enriquez can los Principes, y pedir mercedes por ellos: por que de ordinario ſuelen dar en medios, ò poco iuſtificados, ò impoſſibiles de reduzir à practica, ò demaſiado menudos, y algunas vezes indecentes. propueſto el caſo ſe dexaran los Theologos en toda libertad, y ſe les dara à entender, que el Principe deſſea ſaber la verdad: aunque ſea contra ſu prouecho ſin allegarles que otros Theologos han firmado en fauor del Rey, y ſeria diligentia noble, que los Reyes hizieſſen mercedes à los, que no ſe conforman en todo con ſu prouecho, aun con mayor declaracion, que ſe le iuſtifican.] Hæc ille. Quæ vtinam omnes Principes obſeruarent. Et hæc dicta ſufficiant circa materiam Parlamentorum. Faxit Deus, vt bono communi aliquando deſeruiatur.



# TRACTATVS IV.

## De Denunciationibus faciendis ex edicto DD. Inquiſitorum, & in particulari ex ſollicitatione facta in Confeſſione.

*An, ſi quis ſciat, aliquem commiſiſſe delictum in Edicto contentum, ſed hoc non poſſit probare; teneatur in tali caſu denunciare?*

RESOLVT. I.

NEGATIVE reſpondet nouiſſimè ex Societate IESV Fagundez *de Præcept. Eccleſ. tract.2.lib.4. cap.3. num.31.* excepto caſu hæreſis formalis. Et hanc ſententiam abſolutè docuerat antè ex eadem Societate Reginaldus *in praxi, tom.2.lib.24.c.3.ſect.6.num.50. & 57. verſ. Aduerte tertiò. & verſ. Aduerte quintò.* ex noſtra Religione Megala *in 1.part. lib.1.cap.5. num.21.* Idem docet Ioann. Andreas *in cap. nouiter. extrà, de iudiciis.* Gundiſaluus *in tom.11.tract.p.2.tract. de hæreticis, q.10.n.7.* Repertorium Inquiſitorum *verb. Denunciatio, § generale tamen.* Decianus *tract. crim. tom.1.lib.5.c.30.n.4.* qui citat Speculatorem, & Gloſſam. Palatius *in repet. cap. notab.3. §. 26. num.9.* Angelus verò, Felinus, & Nauarrus citantur à Triuiſano, & Farinacio, *vbi infrà.*

Et poteſt hæc opinio probari: quia, vt obſeruat Leſſius *lib.2.c.29. dub.13. n.111.* & alij, quando crimen non poteſt probari, apertè contra iuſtitiam peccatur, ſi reuele:ur: exponitur enim reus manifeſto periculo infamiæ. Deinde, ſi authoritas vnius Doctoris claſſici reddit opinionem probabilem, vt ex multis probat Valentia *tom.2.diſput.2. q.12.punct.4.* & Sanchez *in ſumma, tom.1.lib.1.c.9.n.7.* hæc opinio, non alterum, ſed multos, tam recentiores, quàm veteres habet patronos. Ergo, vt probabilis amplectenda videtur. Et ita hanc ſententiam probabilitate non carere docet etiam Thomas à Ieſu *lib. de viſitat. Regul. tract. 1. c.16.n.3.in fin.* Neque obſtat praxis Sanctiſſ. Inquiſitionis, quam aliqui adducunt: nam, vt in ſimili caſu docuit Fagundez *tract.2.lib.8.c.8.n.18.* & Granado *in pract.2. contr. 7.tract.3.par.1.diſp.11.ſect.2.n.15.* ſupradicta praxis fundatur in probabilitate contrariæ opinionis; non tamen tollit probabilitttem alterius. Ergo, &c.

At his minimè obſtantibus, contrarium teneo: quia in caſibus pertinentibus ad Tribunal S. Officij, denunciatio eſt facienda, etiamſi delator delictum probare non poſſit. Et ita tenet Barboſa *de poteſt. Epiſc. part.3. alleg.96.n.51.* Peirinus *in priuileg. Minim. tom.2. Conſtitut.9. Pauli V. §.2. n.25.* Homobonus *de exam. eccleſ. p.1.tract.7. c.2. q.14. & par.2.tract.11.c.4.q.4.reſolut 4.* Zanardus *in director. Confeſſ. p.3.c.31.* Naldus *in ſumma, verb. Hæreſis, n.6.* Zecchius *de caſ. reſeru. caſ.2.verſ. Ampliatur.* Sanctarellus *de hæreſi, c.9.dub.vnic.n.3. & 4.* Genuenſis *in praxi, c.23. n.5.* Lazarius *de monit. ſect.2.q.11.n.22.* Bonacina *de cenſ. diſp.2. q.6. punct.1.n.9.* Suarez *tract. de fide, diſp.20.ſect.4.n.7.* Galletti *in margar. caſ. conſcient. verb. Hæreticus, §.5.* Thomas à Ieſu *vbi ſuprà lib. de viſit. Regul. tract.11.c.16.n.4. & 10.* Portel. *in addit. ad dubia regul. verb. ſollicitare fœminas, num.19.* Cenedo *part.2.collect.101, n.4.* Scaccia *de iudic. cauſſarum. ciuil. & crim. lib.1.cap, 56.num.4.* Farinacius *tract. de hæreſi, q.97.§.2.n.36.* Bartazolus *in addit. ad Bartazolum patrem, conſ.107.n.12.vol.1.* Triuiſanus *lib.2.deciſ.51.n.5.* & nouiſſimè Ioſeph de ſancta Maria *in tribunali Religioſ. tract.12. cap.3. §.5.* & alij penes ipſos.

Et ratio eſt: quia, licèt denunciator de iure probare ſuam denunciationem teneatur *ex l. Diuus. & ex l. ab accuſatore. ff. de Senatuſconſult. Turpill.* hodie tamen de conſuetudine contrarium ſeruatur, vt ex Salyceto, & Mariano Socino probat Emiricius *in Director. Inquiſitor, part.3. rubr. de ſecundo modo procedendi in cauſa fidei per denunciationem, num.68.* quem ſequitur nouiſſimè Farinacius *vbi ſuprà, tract. de hæreſi, q.185.§.5.num.71.* & Scaccia *loc. citat. cap.72.num.4.* & ita deciſum pluries fuiſſe, teſtatur Triuiſan. *vbi ſupr.* & ita ſeruari in Supremo totius Chriſtianæ Inquiſitionis Tribunali aſſerit Farinacius. Et cùm ſimplex denunciatio ſufficiat ad inquirendū, vt notat Vmbertus *in indic. Inquiſ. verb. denunciatio, n.3.* & Farinacius *q.185. §.5. n.64.* licèt denunciator probare non poſſit delictum; per illam tamen denunciationem, diligentia, & inquiſitione Dominorum Inquiſitorum, & forſan ex aliis reuelis, & denunciationibus probabitur. Vnde patet reſponſio ad argumentum contrariæ ſententiæ.

*An dicta denunciatio facienda ſit ſine præuia correctione fraterna?*

RESOLVT. II.

PRima opinio, quam ego ſequor, affirmat. Ita Sanctarellus *in tract. de hæreſi, cap.9.num.5.* Sancius *in ſelectis diſp 11.num.56.* Bonacina *in tract. var. diſp.6. punct.3.n.9.* Syluius *in 2.2.q.33.art.7.concl.2.* Villalobos *in ſumm.p.2. tract.4.diffic.11.num.3.* Suarez *tract. de fide, diſp.20. ſect.4. n.11. & 12.* Azorius *part.1.lib.8.c 19.q.9.* Turrianus *in 2.2. tom.1.diſp.58. dub.3.* Henriquez *lib.2. c.24. n.10. in gloſſa, litt.C,* Simanchas *in cathol. inſtit. tit.19. num.11.* cum aliis. Quia duplex eſt denunciatio alia iudicialis; alia euangelica. Ante euangelicam, quæ intendit emendationem fratris conceditur, præmittendam eſſe correctionem: non autem ante iudicialem, quæ punitionem intendit. Sed talis eſt denunciatio, quæ in Tribunali Inquiſitionis efficitur. Ergo ante ipſam non eſt neceſſe, vt correctio præmittatur. Vide etiam Lorcam *in 2. 2. ſect.3. diſp. 47. num. 23.* Coninch. *de fide, ſpe, & charitate, diſp.28.dub.8.num.151.* Bañez *in 2.2.q.23. art.8. ad 7.arg.* & alios.

Secunda opinio negat: & ita docet D. Thom. *2.2. q.35. art. 7.* quem poſteà ſequuti ſunt omnes diſcipuli huius Scholæ. Sotus *de iuſt. lib.5.q.5. art.1.* Canus *de locis Theol. lib.12.cap.9.* Syluеſter *verb. correctio, q.5.* Lopez *in Inſtruct. part.4.c.54* Ledeſma *in ſumma, tom.2.tract.4.c.4. concl.24. diff.2.fol. mihi 138.* Ioan. de la Cruz *vbi infrà.* Zanard. *in director. Confeſſor. p.2. præcept.1.c.23.q.13.* & alij. Idem docuerunt Caſtrus *de Hæret. punit. lib.2.cap.25.* Toletus *lib.5. cap.57.num.2.* Lazarius *tract. de blaſphemia, quæſt.12. n.31.* Homobonus *tract. de caſ. reſeruat. part.2.cap.1. & de exam. Eccleſ. part.2.tract.9.c.13. q.39.* Angelus *verb. denunciatio, quæſt.2.* Roſella *verb. Inquiſitio, num.1.*

Sed audiamus aliquos in generali loquentes. Portel. *in dubiis regul. verb. correctio fraterna, n.1.* ſic aſſerit: [Conſtat ex Euangelio, ante denunciationem in Inquiſitione, præmittendam eſſe correctionem fraternam, quæ adeò neceſſaria eſt, vt ſi ſit ſpes, quòd illa proficiet, & ſufficiet, non eſt crimen denunciandum Prælato, etiamſi crimen ipſum ſit contra communitatem, etiamſi ſit hæreſis.] Ita Portel. Reginaldus *in praxi, tom.2.lib.24.c.3 ſect.6.num.52.* Superior non poteſt præcipere, vt prætermiſſa correctione fraterna, reus occultus denuncietur, neque ei tale quid præcipienti obediendum eſt. Non ideò tamen damnandum eſt, quòd ab Inquiſitoribus fidei datur præceptum, ſtatim nulla præmiſſa correctione denunciandi eū, quem conſtat Hæreticum eſſe: nam in crimine hæreſis ordinariè

nulla eſt ſpes emendationis. Non eſt verò negandum, quòd ſi firmiter exiſtimetur quis Hæreticus per ſecretam admonitionem conuertendus, ac impediturus omnia mala, quæ ab eo timeri poſſunt, ipſe debeat vti præmonitione.] Ita Reginaldus, cui addatur Repertorium Inquiſ. *verb.denunciator.* Gundiſaluus *de Hæret.q.*10. *num.*6. Decianus *tom.*1.*lib.*5.*c.*30.*n.*1.*& ſeq.* Ioan.de la Cruz Dominicanus *in Director.conſcient.p.*1.*præcep.*5.*q.*2. *dub.*5. *concluſ.*2.ita aſſerens: [Mulier ſollicitata in Confeſſione non abſoluatur, dum non denunciat Inquiſitoribus ſollicitantem: niſi eſſet ſpes, quòd iſte ſecretè correctus emendabitur: quæ ſpes poteſt colligi ex qualitate corrigentis, & ex conditione corrigendi. Vnde, ſi mulier ſollicitata ſcit alicuius idoneitatem ad illam correctionem, poſſet cum eo hoc intendere.] Ita Ioan. de la Cruz.

Idem docuit Fagundez *de præcept.Eccl.tract.*2.*lib.*4.*c.*3.*n.*31.vbi ſic ait: [Antequàm fiat denunciatio à muliere ſollicitata in Confeſſione, præmittenda eſt fraterna correctio, ſi detur ſpes emendæ: quia præceptum correctionis eſt de iure naturali, & diuino: præceptum verò huius denunciationis eſt humanum; vnde non poteſt præualere aduersùs præceptum iuris naturalis. Vt autem correctio fraterna iudicetur non profutura, non ſatis eſt ſemel fieri, & non prodeſſe; ſed oportet iterum atque iterum adhiberi, quandiu iudicio prudentis ſperetur emenda.] Ita Fagũd. & nouiſſimè Peirinus *in priuileg. Minimor.tom.*2. *Conſt.*4. *Greg.XV.* §.9.*n.*26. *& Conſt.*9. *Paul.V.* §.2.*n.*26. *&* 27.

Tertia opinio diſtinguit, & ponit differentiam inter hæreſim formalem, & alia crimina ſapientia tantùm hæreſim. In primo caſu negat eſſe præmittendam correctionem fraternam: in ſecundo illam admittit. Ita Fagundez docet, loquens de Hæretico formali *tract.*2.*lib.*6.*c.*4.*n.*11. qui tamen, vt paulò *ſuprà* vidimus, putauit, Confeſſarium ſollicitantem in Confeſſione eſſe corrigendum. Idem docet Molfeſius *in ſumma.tom.*1.*tract.*7. *c.*24.*n.*25. Ortiz *in ſumma, c.*21.*n.*17. Homobonus *de exam.Eccleſ.p.*1.*tract.*7.*cap.*6.*q.*29. & multi ex DD. citatis in ſecunda opinione. Sed circa præſentem quæſtionem, præter citatos Doctores, vide etiam Aldrete *de Relig.diſcip.tuenda, lib.*1.*cap.*5. §.4.*n.*28. Nauarra *lib.*2.*c.*4.*n.*193. Valentiam *tom.*4.*diſp.*3. *q.*20.*punct.*5.§.1. Filliucium *tom.*2.*tract.*28. *c.*8. *num.*151. & Onuphrium *Opuſc. de ſigillo, ſect.*2.*q.*2.*dub.*4.

Notandum eſt etiam, quòd in opinione ſupradictorum DD. aſſerentium eſſe præmittendam correctionem, poſſet quis petere, an ſi dubium ſit vtrùm correctio profutura ſit, nécne, in tali caſu ſit etiam præmittenda, vel potiùs facienda ſit denunciatio. Aliqui apud Delrium *in diſquiſ.mag.tom.*3. *lib.*5.*ſect.*4.*n.*6. putant eſſe præmittendam correctionem: & hanc ſententiam valdè æquam exiſtimat Delrius, licèt ipſe, & meritò, contrarium ſentiat.

*An criminoſi iam emendati ſint vigore Edicti denunciandi?*

RESOLVT. III.

AFfirmatiuè reſpondeo cum Sanctarello *in tractat. de hæreſi, c.*9.*n.*11. Sancio *in ſelectis, diſp.*11.*n.*52. Bonacina *in tract. var.diſp.*6. *punct.*3.*n.*9. *& punct.*2.*n.*3. Azorio *part.*1.*lib.*8.*cap.*19.*q.*9. Suarez *tract.de fide, diſp.*40. *ſect.*4. *n.*13. Salonio 2.2. *q.*68. *art.*1. *de Edictis Superiorum reg.*3. Rojas *ſingul.*3.*n.*33. Paramo *de orig.Inquiſ.lib.*3.*q.*8. *n.*90. & aliis, ex ratione *ſuprà* allata: quia, videlicet, denunciatio iſtorum tendit ad punitionem, & non ad correctionem.

Sed contrariam ſententiam docet Sotus *lib.* 3. *quæſt.*5. *art.*5. Molfeſius *in ſumma.tom.*1. *tract.*7.*c.*24.*num.*21. Genuenſis *in praxi c.* 18. *n.*6. Naldus *in ſumma, verb. Accuſare, n.*1. Victorellus *in Notis ad Manuale Nauarri, c.*25. *n.*33. Finellius *tract.de caſ.reſeru.caſu* 2.*num.*8. *in fine.* Zanardus *in director.Confeſſor.part.*3.*c.*31. Rodericus Acugna *in tract.de Confeſſ.ſollic.q.*3. *num.*15. & ibi Freitas *num.*34. Megala *in* 1.*part.lib.*1.*c.*5.*n.*26. Portel. *in addition. ad dubia regular.verb.ſollicitare fœminas, num.*18. vbi ſic ait: [Si fæmina ſollicitata certò ſciat, Confeſſorem eſſe pœnitentem, & moraliter intelligat, pœnitentiam illius de præterito eſſe veram; non tenebitur denunciare; quia finis denunciationis eſt emendatio proximi; cùm verò fœmina intelligat, moraliter Confeſſorem eſſe emendatum, ceſſabit obligatio denunciationis; quia ceſſauit finis illius, qui erat emendatio proximi] Ita Portel. Idem docet Peirinus *in priuil.Ordin.Minimor.tom.*2.*Conſtit.*4.*Greg.XV.* §.6. *n.* 31. ita aſſerens: [Si mulieri ſollicitatæ conſtet de emendatione ſollicitantis, non tenetur denunciare: quia cum probauerimus, hoc peccatum fraternam correctionem admittere, ſi hæc profuit, vel ſine hac peccatum eſt emendatum, non eſt, cur ad denunciandum procedatur.] Ita ille.

Sed in hac ſententia difficultas eſt cognoſcere, quando quis cenſeatur emendatus, vt quis non teneatur ſecundùm opinionem ſupradictorum DD. ex præcepto Edicti denunciare. Felinus *in c. teſtimonium de teſtib.* Confeſſionem ſacramentalem aſſerit, probare aliquem eſſe emendatum. Genuenſis *in praxi, cap.*18.*num.*6. putat, quòd poſſit præſumi emendatio, ſi talis conſequutus fuiſſet Iubilæum. Homobonus *de exam.Eccleſ.part.*1.*tract.*7. *cap.*7. *quæſt.*33. Freitas *in addit. ad tract.de Confeſſ.ſollic. quæſt.*8. *num.*32. Ricc.*p.*2.*deciſ.*259.*num.*14. & alij aſſerunt, quòd qui per triennium benè vixerit, emendatus præſumitur. Aliqui verò putant, id arbitrio boni viri remittendum eſſe, qui, conſiderata qualitate perſonarum, totum iudicabit cum prudentia, & maturitate: quia difficile eſt cognoſcere correctionem huiuſmodi perſonarum. Et ita loquens etiam de Hæreticis notauit Freitas *vbi ſupr. q.*18. *num.*39. *in fine.*

Limitat tamen hanc ſententiam Fagundez *tract.*2.*lib.*6. *c.*4. *n.*17. & alij, quoad Hæreticum formalem: quia ſemper dubitare poſſumus, an reuerà ſit emendatus: ſunt enim Hæretici valdè ſubdoli, & conceptam hæreſim retinere non valent, quin alios doceant. Et hoc notauit ſpecialiter locum habere in caſu hæreſis formalis: nam in aliis caſibus criminoſi emendati non ſunt denunciandi, ſicut *ſuprà* corrigendos eſſe affirmauit.

Sed Genuenſis *in praxi.c.*18.*n.*6. qui citat Locatum, & Megalam *in* 1.*p.lib.*1.*c.*5.*n.*26. admittit ſupradictam limitationem, quoad Hæreticum, qui dogmatizando nocuiſſet Reipublicæ: nam in tali caſu putant eſſe denunciandum, vt illi ſatisfaciat: & ſic etiam ſentit Molfeſius *in ſumma, tom.*1.*tract.*7.*cap.*24.*num.*21.

*An filius teneatur denunciare patrem hæreticum.*

RESOLVT. IV.

PRima opinio negat. Ita Alexander de Ales *p.*3. *q.*23. *memb.*4.*art.*2.*dub.vlt.* Rojas *ſing.*12. *n.*2. & ita intellige eundem *ſing.*5.*n.*29. Idem docuit nouiſſimè Ricc.*par.*3 *deciſ.*278.*n.*8. & vir doctus Ioan. Valerus *in diff.vtriuſque fori. verb. hæreſis, differ.*1. *num.*4. vbi ſic aſſerit: [Septimò, fallit in filio contra patrem, maximè ſi pater non inducebat filium ad hæreſim. Idem videtur dicendum de vxore, marito, & fratre: ſed contrarium in his tenet Rojas, quod verius credo, quoad fratrem.] Ita ille.

Secunda opinio, quam ego ſequor, affirmat, & docet, filium teneri ad denunciandum patrem hæreticum: & ita præter Doctores, quos citat, & ſequitur Farinacius *de hæreſi, qu.*197. §.2.*n.*40. tenet hanc ſententiam Suarez *tract. de fide, diſp.*20.*ſect.*4.*n.*21. Azorius *p.*2.*lib.*2. *c.*1. *quæſt.*13. Comitolus *in reſp.moral.lib.*4.*quæſt.*8.*n.*3. Sanctarellus *in tr.de hæreſi, c.*9.*n.*15. Bonacina *in tract.var. diſp.*6. *punct.*2. *num.*3. Portel. *in dubiis regular. tom.*1. *verb. correctio fratrum, n.*11. Bonacina *de cenſ.diſp.*2.*q.*6.*punct.*5. *n.*1. Lopez *in inſtruct.p.*1.*cap.*54.

Tertia opinio eſt media inter ſupradictas, vt docet Simanchas



Simanchas *lib.de cathol. inſtit.tit.*29. *n.*4. & Genuenſis *in praxi, c.*18.*n.*9. & ideò putat, tunc filium debere denunciare patrem Hæreticum, quando hæreſis patris tendit in perniciem publicam, vt ſi pater dogmatizaret, & filium, alióſque doceret, vel, quando filius interrogaretur à Iudice, tanquàm teſtis. At in hoc ſecundo caſu putat Genuenſis, non eſſe filios cogendos, ſi alij teſtes haberi poſſunt: cùm enim ſint perſonæ priuilegiatæ, in ſubſidium tantùm cogendós eſſe conſtat. Et ita in Curia Archiepiſc. Neapolitana practicatum eſſe teſtatur: non enim coëgerunt quendam filium aduersùs patrem Hæreticum: & ita etiam docet Filliuc. *tom.*2.*tract.*40.*c.*8.*n.*233.

*An vxor, & frater teneantur denunciare maritum, & fratrem Hæreticum?*

RESOLVT. V.

DE vxore affirmatiuè reſpondeo cum Pegna *in direct.Inquiſ.p.*3.*n.*111. *comment.*160. & Freitas *in addit.ad tract.de Confeſſ.ſollic.quæſt.*19.*n.*16.

Sed contrariũ videtur docere Didacus Cantera *in quæſt. crim.rubr.de Hæreticis, verſ.ex qua quidem gloſſa,* & poſt illum Riccius *part.*3. *deciſ.*279. *n.*8. & Ioan. Valer. *in differ. vtriuſque fori, verb.hæreſis, n.*4. hi enim, cùm adducerent Rojas aſſerentem, vxorem, maritum, & fatrem teneri ad denunciandum ſequuntur illum quoad fratrem tantùm.

Verum eſt etiam, quòd hanc opinionem de obligatione fratris, ad denunciandum fratrem, vocant ipſi tantùm veriorem: ergo, ſecundùm illos, contraria ſententia videtur probabilis. Sed hoc ego non audeo dicere: & contrarium doceo cum Sanctarello *in tract.de hæreſi, c.*9.*n.*15. & aliis. Et hæc dicta ſint in ordine ad denunciationem in caſu hæreſis formalis: videamus modò in caſu criminum, quæ ſapiunt tantùm hæreſim.

*An filius, vxor & frater teneantur denunciare patrem, maritum, vel fratrem perpetrantem crimina, extra hæreſim formalem?*

RESOLVT. VI.

DIcam, quid ſentiunt alij. Lazarius *tract.de blaſphemia, q.*12. *n.*67. ſic aſſerit: [Vxor non tenetur denunciare maritum in blaſphemias hæreticales prorumpere ſolitum, vel etiam hæreticalia committentem, vbi is ſit homo furibundus, & facilè poſſet eam malè tractare. Quinimò, etiam ſublato dicto timore, ſi non reuelat, videtur excuſanda ob arctiſſimam coniunctionem, quæ eſt inter eam, & virum.] Sic ille.

Sed magis amplè loquitur Homobonus *tract.de caſ.reſeru.p.*2.*c.*1.*fol.mihi* 241. [Aliqui aſſerunt, (ait ille,) filium teneri deferre patrem hæreticales blaſphemias proferentem; fratrem pariter teneri denunciare alterum fratrem, & vxorem virum, cùm hoc crimen meliùs per domeſticos, quàm per alios probari poſſit. Hanc tamen ſententiam in praxi non facilè ſequendam arbitror; tum, quia cognati, excepto hæreſis crimine, ad hoc à iure non coguntur; tum etiam, quia pater, & filius, maritus, & vxor, & fratres inter ſe cenſentur vna, & eadem perſona; & iuri naturali repugnat ſe ipſum prodere, [Sic Homobonus: quod etiam docuit *in exam. Eccleſ. p.*1. *tract.*7. *c.*7. *q.*32. At his non obſtantibus, attenta praxi, contrarium dicendum videtur.

*An quis teneatur denunciare, ſi ex denunciatione timeat damnum notabile in vita, fama, & bonis externis?*

RESOLVT. VII.

NEgatiuè reſpondet Sanctarellus *in tract. de hæreſi, c.* 9.*n.*16. qui citat Pegnam, & Scac. quibus ego addo Homobonum *tr. de caſ.reſeru.p.*2.*c.*1. Peirinum *ſuper priuilegia Minimorum, tom.*2.*Conſtit.*4.*Greg.XV.*§.9.*n.*28. & Fagundez *de Præcep.Eccl.tr.*2.*lib.*4.*c.*3.*n.*31. vbi aſſerit, denunciatorem non teneri huiuſmodi denunciationes facere Inquiſitoribus, cum probabili periculo mortis, infamiæ, aut grauis alicuius damni proprij, vel patris, aut matris, mariti, vxoris, fratrum, aut aliorum coniunctiſſimorum. Sed limitat hanc ſententiam Genuenſis *in praxi, c.*18.*n.*8. niſi Hæreticus dogmatizaret in magnum Reipublicæ dãnum, animas ſeducendo, & corpora offendendo; vt, ſi occidat pueros; & ſimilia faceret: tunc enim, aſſerit ille, ſuccedit id quòd quilibet pro patria tenetur ponere vitam.

Ideò ex hac opinione infert Portel. *in addit. ad dubia regul. verb. ſollicitare fœminas, n.*21. quòd ſi aliqua mulier fuit ſollicitata à Confeſſario, vel Monialis, vel alia non potens adire Inquiſitores, abſque infamia ſatisfaciet denunciando per epiſtolam miſſam ad Inquiſitorem, tradendo epiſtolam familiari alicui S.Officij; vel ſtet conſilio Confeſſarij: nam ita faciens facit, quantum in ſe eſt. Lazarius verò, cùm *in tract.de blaſph.q.*12.*n.*64. hanc ſententiam rationibus, & authoritatibus comprobaret, poſt multa ſic aſſerit: [Dicebam olim, virginem quandam ex honeſtis parentibus, cuiuſdam domicellæ ancillam, quæ ſeruum eiuſdem domus frequenter blaſphemias, etiam hæreticales, proferentem audierat, non debere accedere ad Sanctæ Inquiſitionis Officium, ad illum denunciandum; graue enim damnum poſſet ſibi probabiliter timere in fama, & honore euenturum; quando quidem eam videntes, ad dictum Tribunal accedere, facilè ſuſpicari poſſent, eam de aliquo delicto inquiſitam fore. Igitur in tali caſu poteſt, imò, tenetur, (quod facere poſſunt Moniales) aut ſuo chirographo, ſi ſcribendi eſſet perita, denunciare, & atteſtari de tali blaſphematore per certum hominem ad Inquiſitorem miſſum, vel Confeſſario blaſphematorem indicare.] Ita Lazarius. Et hanc ſententiam probat Epiſcopus Acugna, qui fuit priùs Inquiſitor *tract.de Confeſſ.ſollicit.qu.*19. *per tot.* & Molfeſius *in ſumma, tom.*1.*tract.*7. *cap.*24. *n.*24. cum Homobono *de exam. Eccleſ.p.*1.*tract.*7.*c.*7.*q.*32.

Hinc Pegna *in direct.Inquiſ.p.*2. *q.*53. *comment.*78. cum Sigiſmundo Scaccia *de iudic. cauſ.ciu.crim.& hær. cap.*56. *n.*24.*in fine*, & Farinacio *de hæreſi*, *q.*197. *n.*53. excuſant vxorem non denunciantem maritum Hæreticum, timentem ab eo malè tractari, aut interire. Et ſic Hæreticus abiurans apud Inquiſitores, ſi iterum delatus, quòd nonnullos complices in ſuo examine ſubticuerit, reſpondeat, ſe hoc feciſſe, quia ab ipſis complicibus, qui ditiores, & potentiores erant, ſibi valdè timuit; non eſt indiſtinctè puniendus, & Curiæ ſæculari tradendus, tanquàm diminutus; ſed mitiùs damnandus, vt obſeruauit Freit. *in addit. ad tract.de Confeſſ.ſollicit.q.*19.*n.*15.

Sed his non obſtantibus, docet Bonacina *diſp.*6.*punct.* 2. *n.* 6. quòd hæc doctrina non probatur ab omnibus: & ait Freitas *in addit.ad tract.de Confeſſ.ſollicit.q.*10.*n.*15. *in fin.* quòd, attenta practica, contraria ſententia amplectenda eſſe videtur, maximè in caſu hæreſis formalis. Vide etiam Rojas *ſing.*3.*n.*22.*ſeu* 30.*verſ.*7.*ampliatur.*

*Vtrùm quis teneatur denunciare ſeipſum?*

RESOLVT. VIII.

NEgatiuè reſpondent Doctores *infrà* citandi: quia nemo tenetur prodere ſe, vt habetur *in cap. aliquando, de pœn.diſt.*1. & ita docet Sanctarellus *in tr. de hæreſi, c.*11. *dub.vnico, n.*19. qui citat Pegnam, Simancham, & Suarez, quibus ego addo Fernandez *in exam. Theol. mor. p.*1.*c.*19. §.5.*n.*5.*& p.*4.*c.*6.*n.*5. §.1. Riccium *part.*5. *deciſ.*278. *n.*1. Homobonum *in exam. Eccleſ.p.*2. *tract.*11. *c.*4.*q.*4. Ioan. Valerum *in different. vtriuſque fori, verb. hæreſi, diff.*1. *n.*4. Rodericum Acugna *in tract. de Confeſſ. ſollicit. q.* 10. *n.*4. *& quæſt.*21.*n.*2. & ibi Freitas *in addit. n.*13.*&* 21. Lorich.

*in*

*in theſ. Theol.tom.1.verb.denunciatio*, n.3.Portell.*in addit. ad dubia regul.verb.ſollicitare fœminas*,n.15.Zanardum *in direct.Confeſſ.p.3.in fin.*Molfeſium *in ſum.tom.1.tract.7.c.24.n.24.*Megalam *in 1.part.lib.1.c.5.n.30.* & Zerolam *in praxi Epiſc.p.1.verb.hæreſis,q.35.*

Aliqui tamen ex ſupradictis DD.limitant hanc ſententiam in caſu,quo pro bono communi quis teneretur vitam propriam ponere: & ideò annis elapſis in quadam noſtræ Italiæ nobiliſſima ciuitate,doctiſſimi Theologi obligauerunt denunciare quendam Hæreticum dogmatizantem,& docentem alios hæreſim, quanuis ipſi denũciantes fuerint diſcipuli eiuſdem Hæretici, & ſic complices delicti. In cæteris caſibus criminoſi ex Edicto Inquiſitorum ſecundùm mentem horum Doctorum, non tenentur prodere ſeipſos: ſed aſſerunt aliqui, quòd debent abſolui à Confeſſario per Cruciatam, vel per Regularium priuilegia.Sed nos de hoc alibi.Ex iſta quæſtione ſequitur alia, ſcilicet,

*An ſaltem dicti criminoſi teneantur denunciare complices?*

RESOLVT. IX.

REſpondent aliqui negatiuè:quia, ſicut aliquis non tenetur denunciare ſeipſum;ita neque complices:nam, moraliter loquendo, non poteſt quis manifeſtare ſocios, quin manifeſtet ſeipſum: nam,ſi v.g.Petrus denunciet Paulum complicem; poſteà Paulus interrogatus, vt reus, tenebitur denunciare Petrum. Ergo Petrus denuncians Paulum virtualiter denunciat ſeipſum. Et ita docet Suarez *tract.de fide,diſp.10.ſect.4.n.18.* qui citat Pegnam, & Simancham. Idem docet Megala *in 1.p. lib.1.c.5.n.30.* & nouiſſimè doctus Portell. *in addit. ad dub. regul. verb.denunciatio,num.10.* [Complicem delicti nunquam tenetur quis denunciare, ex vi Edicti,in quacunque materia fuerit complex.Vnde poteſt colligi,quòd ſi fœmina fuit ſollicitata ab aliquo Confeſſore in Sacramento Confeſſionis, & ipſa ibi conſentit cum illo in actibus turpibus, talis fœmina non tenetur denunciare de illo Confeſſore.] Ita ille. Et *verb.ſollicitare fœminas*, n.15. ſic etiam aſſerit: [Si fœmina intra Confeſſionem ſollicitata conſenſit, non tenetur denunciare de Confeſſore. Probatur ex dicto communi Doctorum, quòd ſocius criminis,vel complex, non tenetur denunciare de ſocio delinquente cum periculo ſuæ infamiæ: non enim tenetur prodere ſe. At iſta fœmina;denuncians de tali Confeſſore, exponit periculo ſuam famam: poterit enim Confeſſarius in Tribunali fateri,ſe actus inhoneſtos cum illa habuiſſe, illa non repugnante: quod foret fœminam prodere ſe. Ergo, &c. Limitant verò hanc ſententiam in caſu hæreſis; eo modo tamen, vt *ſuperiore quæſtione* dictum eſt.

Notandum eſt tamen,his non obſtantibus, aliquos Doctores aſſerere,fœminam conſentientem ſollicitationi factæ in Confeſſione, teneri Confeſſarium ſollicitantem denunciare,etiamſi illa ſit delicti complex. Ita Acugna *in tract.de Confeſ.ſollic.q.10.n.10.*Bonacina *in tract.var.diſp.6.punct.3.n.10.* Peirinus *in priuil. Minimor. tom.2.Conſtit.4.Greg.XV.*§ 3.n.11. Sanctarellus *tract.de hæreſi,c.44.dub.vnic. n.12.* & alij. Non tamen tenetur proprium conſenſum manifeſtare: nec poteſt ſuper hoc ab Epiſcopo vel Inquiſitore interrogari.Et in caſu,quo pœnitens,qui conſentit, vellet conſenſum manifeſtare, non debet ſcribi in Actis, tanquàm res non ſpectans ad Tribunal Inquiſitionis. Ita Peirinus,& alij, *vbi ſuprà.*

*An, quando Edictum fundatur in præſumptione;& ego ſcio præſumptionem in tali caſu deficere; tenear ad denunciandum?*

RESOLVT. X.

NEgatiuè reſpondet Riccius *p.3.deciſ.178.n.6.* & ante illum Ioan. Valerus *in different. vtriuſque,fori, verb. hæreſis,differ.1.n.4.*vbi agens de denunciationibus faciendis,vel non faciendis ex Edicto Dominorum Inquiſitorũ, ſic aſſerit:[Quintò fallit in his,in quibus Edictum ſe fundat in præſumptione, vt in Chiromanticis, Necromanticis, & aliis, qui ex inſpectione rimularum, vel linearum manuum, aliqua prædicunt: ſi enim aliàs ego certè ſcio, non habere tales pactum vllum cum Dæmone, non teneor denunciare: nam motus Sixti V. circa hoc editus, fundatur in præſumptione: in dubio autem tenetur quis denunciare.] Ita Valerus. Quòd autem lex fundata in præſumptione non obliget ſi præſumptio ceſſat, probat ex multis Homobonus *in exam. Eccleſ. p.1.tr.5.c.8.q.53.* & probabilem hanc ſententiam vocat Becanus *in ſumma Theol.p.2.tract.3.c.6.concl.4.n.5.*& alij.

At his minimè ſuffragantibus, contrariam ſententiam docet Freitas *in addit. ad tract. Epiſcopi Acugna de Confeſſ.ſollic.q.21.n.26.* vbi aſſerit,iudicium illud diſcernendi circa ſuſpicionem de fide, quæ reſultat ſuppoſita Pontificis, vel alicuius Edicti præſumptione, non competere Confeſſariis,vel aliis; ſed Inquiſitoribus.Vnde,licèt Bulla Gregor. XV. fundetur in præſumptione,vt patet in illis verbis:*Nos in animum inducere nequeuntes.* ſequitur,iudicium diſcernendi circa ſuſpicionem de fide Confeſſarij ſollicitantis,non competere,niſi inquiſitoribus.Et hæc (Deus ſcit, cum quanto labore collecta) ſatis ſufficiant, circa obligationem denunciandi ex vi Edicti Dominorum Inquiſitorum, ex quibus Confeſſarij infinitos caſus in praxi quotidie extricare poterunt. Nunc verò deueniendum eſt ad aliquas dubitationes elucidandas, circa denunciationes faciendas, ex ſollicitatione facta in confeſſione, ex vigore Bullarum Clementis VIII. Pauli V. & nouiſſimè Greg. XV. ideò quæritur.

*An, ſi Confeſſarius à fœmina ſollicitatus conſentiat ad actus turpes, & ſermones inhoneſtos, ſit ab aliis qui hoc ſciunt, denunciandus?*

RESOLVT. XI.

AFfirmatiuam ſententiam docere Graffium *tom.1. lib.5.conſ.7.n.8.de pœn.*notauit Freitas *in addit.ad tract. de Confeſſ.ſollic.q.9.n.8.* Sed Graffius in illo loco nihil de hoc. Ideò negatiuè reſpondet Epiſcopus Roder. Acugna *in dict. tract.de Confeſſ.ſollic.q.11 per totam*, & ibi Freitas *n.24.*Hanc etiã ſententiã docuit Portell. *in addit.ad dubia regul.verb.ſollicitare fœminas, n.10.* Et ita reſpondiſſe Suarez,teſtatur Acugna,*vbi ſupr.* Et ratio eſt:quia ſollicitatio ſupponit preces, & poſtulationes prærequiſitas: & ideò Pontifices vtuntur his verbis, *allicere*, vel *prouocare*. Sed Confeſſor priùs ſollicitatus non rogat, non allicit, non prouocat. Ergo non eſt denunciandus.

Sed hæc opinio erat probabilis, imò vera, ante Conſtitutionem Gregor. XV. nunc autem difficultatem habet: nam in dicta Bulla Summus Pontifex aſſerit, [eſſe denunciandos illos Confeſſarios, qui (hæc ſunt verba Bullæ) pœnitentes ſollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſiue tractatus habuerint.] Vbi vides,quòd Summus Pontifex, non ſolùm ſimpliciter, vt fecerant anteà Clemens VIII. & Paulus V. vtitur verbo ſollicitandi, & prouocandi; ſed addit illa verba: *Aut cum eis*, &c. Sed Confeſſarius in noſtro caſu, licèt priùs à fœmina fuerit ſollicitatus; tamen illicitos, & inhoneſtos ſermones cum illa in Confeſſione habet. Ergo, vigore dictæ Conſtitutionis,eſt denunciandus.

Non reticebo tamen, Sanctarellum, virum doctum,*in tract.de hæreſi,c.46.n.2.*docere,etiam poſt Bullam Gregor. XV.non eſſe denunciandum Confeſſarium, qui à muliere ſollicitatus, eius libidini conſenſit. Idem etiam docet Sancius *in ſelectis, diſp.11. n.15.& 26.* Peirinus *vbi infrà, §.3. n.10.* Homobonus *de exam.Eccleſ. tom.2. tract.11.c.12.q.26.* & Bonacina *in tract.variar. diſp.6. punct.3. n.17.* Vnde



Vnde hæc opinio probabilis, & tuta etiam mihi videtur. Et verba Bullæ Greg. XV. *ſuperiùs* adducta, poſſet aliquis intelligere, non de Confeſſario conſentiente ſollicitationi pœnitentis; ſed de Confeſſario de rebus turpibus in confeſſionario cum aliqua muliere confabulante, abſque ſollicitatione ad aliquid inhoneſtum perpetrandum. Et ita docet Peirinus *in priuileg. Minim.tom.2.conſtit.4. Gregor. XV. §.2. num.2.*

*An Confeſſarius, qui ſollicitauit adoleſcentem in Confeſſione, ſit denunciandus?*

RESOLVT. XII.

OLim negatiuam ſententiam ſuſtinebam cũ Aloyſio Bariola *in Floribus Inquiſ.fol.227.* Portell. *in addit. ad dub.reg. verb.ſollicitare fœminas.* quã etiã nouiſſimè docuit Fagundez, Societatis IESV, *tr.2.lib.4.c.3.n.31.* licèt contrarium aſſerat Giptius *tract.de caſ.reſer.c.14.n.4.* Coriolanus *tract.de caſ.reſeru.p.1.ſect.2.art.22.n.3.*Riccius *in praxi p.3.reſol.66.n.3.* Rodericus Acugna *in tract. de Confeſſ.ſollicit.q.5.per tot.* Rodriquez *qq.reg.tom.2. q.27. art.3.* Cherubinus *in Compen.Bullarum part.2.Conſtit.31.Pij IV. ſchol.2.*Molfeſ. *in ſumma,tom.1.tract.7.c.24.n.34.* Megala *in 1.p.lib.1.c.5.n.32.* Quaranta *in ſumma Bullarum, verb. Confeſſio.*Scortia *in Bulla Pontif.epit.77. theor.297.* & alij.

Et ratio erat: quia lex pœnalis non eſt extendenda, etiamſi militet in alio caſu eadem ratio: ſed Pontifices loquebantur aduersùs Confeſſarios ſollicitantes fœminas: ergo Bulla non erit extendenda ad ſollicitantes pueros. Et adducebam ad confirmationem huius ſententiæ *Clementinam vnicam, de conſang. & affin.* vbi excommunicantur Moniales profeſſæ, cuicunque nubentes, & accipientes illas in vxores; & excommunicantur etiam profeſſi ineuntes matrimonium: & tamen, ſi aliqua fœmina ſæcularis iniret matrimonium cum profeſſo, non incurreret in excommunicationem, ſicut incideret vir ineundo matrimonium cum Moniali, vt notauit Card. Ancharanus, & Bonifacius hîc.D. Antoninus *p.3. tit.24. cap.34.* Caietanus *in ſumma verb. excommunicatio, cap.4.* cum Sanch. *de matrim.tom.2.lib.7. diſp.48.n.2.* Sed, quia textus loquitur de maſculis, non extenditur ad fœminas: ita & in caſu noſtro, cùm textus loquatur de fœminis,non eſt extendendus ad maſculos. Sic etiam in Concilio Tridentino *ſeſſ.25.de Regul.cap.8.* excommunicantur omnes, qui cogunt mulieres ad ingrediendum Monaſterium: & tamen Sanchez *in ſumma,tom.1.lib.4.c.4.num.3.*cum Suarez, & Bannez, ſub nomine mulierum non includit viros. Ergo & in noſtra Conſtitutione, ſub nomine fœminarum non includuntur maſculi.

Ideò, vt dixi, probabiliter hanc ſententiam olim ſuſtinebam,ad quam etiam inclinabat Paramus *de orig.Inquiſ. lib.3. q.10. n.96.* ſed hodie ex Conſtitutione Greg. XV. ceſſat omnis dubitatio: quia ibi Pontifex decernit, etiam ſollicitantes viros eſſe denunciandos. in illis verbis: *Qui perſonas quæcunque illæ ſint.* & ita in terminis dictæ Conſtitutionis docet nouiſſimè noſter Naldus *in addit. ad ſummam,verb. Confeſſio, n.31.* Peirinus *in priuil. Minim. tom.2.Conſt.4.Greg.XV. §.5.n.14.* Venerus *in exam.Epiſc. lib.5.cap.17.n.19.* & Bellocchius *de caſ.reſeru. part.2.q.7. num.18. & quæſt.10. num.51.*

*An Confeſſarius, qui in confeſſionario, vel in alio loco, ſub prætextu Confeſſionis, non tamen Confeſſionis ſequutæ, ſollicitauit fœminam, ſit denunciandus?*

RESOLVT. XIII.

NEgatiuè reſpondet Portell. *in addit. ad dubia regul. verb.ſollicitare fœminas,n.12.* quia non ſollicitauit in Sacramento, ſiue intra Sacramentum; & lex pœnalis, vt *ſuprà* diximus, non eſt extendenda ad caſum non expreſſum, vt multi aſſerunt apud Sanchez *de matrim. tom.3. lib.10.diſp.4.n.23.*& Rodriquez *qq.regul.tom.1.q.47.art.1.* & ideò in caſibus reſeruatis, vt pote pœnalibus, ſtrictam eſſe faciendam interpretationem, in praxi ſemper docui, cum Homobono de Bonis *de caſ.reſeru.part.1.cap.2.*Chapeauilla *de caſ.reſeru.c.6.q.1.* Coriolano *de caſ.reſeru.p.1. ſect.1.art.5.num.4.* Naldo *in ſumma,verb.caſus,num.3.*Bonacina *de matrim.diſp.4.punct.11.num.5.& de Sacrament. diſp.5.quæſt.7.punct.5.§.3.num.1.* Reginaldo *in praxi, to.1. cap.11.lib.1.ſect.1.num.127.* vnde aſſerit Floronus *de caſ. reſeru.part.2.caſ.7. num.6.* Summa Corona *part.2. cap.2. num.16.* Bonacina *vbi ſupr. de matr.* & alij probabiliter, concubitum cum fœmina in vaſe præpoſtero non eſſe caſum reſeruatum nefandi: quia non eſt propriè ſodomia; & cùm ſimus in pœnalibus, lex non eſt extendenda: & ideò notauit Azorius *p.3.lib.3.c.19.q.3.* non incurrere in pœnas Extrauag. Pij V. Clericum cognoſcentem fœminam in vaſe non debito.

Sed his minimè ſuffragantibus, hodie hæc opinio non eſt tenenda: quia, vt notat Scortia *in Bull. Pont. epit.77. theor.197.* Venerus *in exam. Epiſc. lib.5.c.17. n.9.* & Bellocchius *de caſ.reſeru. p.2. q.9. n.51.* Gregor. XV. in ſua Bulla declarauit, dictum Sacerdotem eſſe denunciandum in illis verbis: *Qui prætextu Confeſſionis fœminam ſollicitauerint.* & ita habent Edicta Dominorum Inquiſitorum. Et hoc etiam ante dictam Bullam docuerat Rodericus Acugna *in tract.de Confeſſ.ſollicit. q.15.per tot.*

*An Confeſſarius, qui ante, vel paulò poſt Confeſſionem fœminam ſollicitauit, ſit denunciandus?*

RESOLVT. XIV.

NEgatiuam ſententiam docet,ex Societate IESV, Fagundez *de precept.Eccleſ.tract.2.lib.4.cap.3. n.31.* & ante illum Portell. *in addit.ad dubia regul. verb. ſollicitare fœminas, num.6.*quia in Bullis pontificiis Clem. VIII. & Pauli V. erant illa verba: *In actu audiendi Confeſſiones, & dum eorum audiunt Confeſſiones.* Ergo pœna impoſita crimini facto in Sacramento, non eſt extendenda ad crimen factum propè,vel paulò poſt Sacramentum: quia lex pœnalis, vt *ſuprà* diximus,non eſt extendenda.

Hæc opinio erat probabilis, licèt contrarium doceat Bariola *in Flor.Inquiſ.fol.226.*Scortia *in Bull.Pont.epit.77. theor.197.*Ortiz *in ſumma,cap.24.n.11.* Llamas *in ſumma, part.3.c.8.§.15.*Giptius *tract.de caſ. reſeru. c.14 n.3.* Coriolanus *de caſ. reſeru. part.2. caſ.9.in fin.* Megala *in 1.p. lib.1.c.5.n.32.* Villalobos *in ſumma,tom.1.tract.9. dub.36. n 20.*Bonacina *de matrim.quæſt.4.punct.16.propoſ.5.num.7.* Riccius *in praxi part.1.reſol.240.n.2.* Paramus *de orig.Inquiſ.lib.3.quæſt.10.n.44.*Rodriquez *in qq.regul.tom.2.q.27. art.2. & 3.* Cherubinus *in Compend.Bullarum, tom.2.Conſtit.31. Pij IV. ſchol.1.* Genuenſis *in praxi,cap.76.num.2.* Henriq.*in ſumma.lib.6.cap.17.n.4.in Gloſſa,litera L.* Molfeſius *in ſumma,tom.1.tract.7.cap.24.num.31.*Homobonus *de exam.Eccleſ.part.1.tract.7.c.6.q.29.* & alij: quia paria ſunt, aliquid fieri in actu Confeſſionis, vt paulò antè,ſeu pòſt, vt habetur in Gloſſ. *l.Pomponius, §.raro ff. de officio Proconſ.* & per ea, quæ adducit Tiraquellus *de retract. conuen. p.2. §.1.gloſſ.4. & 5. num.25.*

Sed hodie per Bullam Gregorij XV. ceſſauit hæc quæſtio: nam ibi clarè ſtatuit, eſſe tales Confeſſarios denunciandos,in illis verbis Bullæ: *In actu ſacramentalis Confeſſionis, ſiue ante, vel poſt immediatè.* His tamen non obſtantibus, eſt reiicienda, tanquam falſa, opinio illa Nauarri, quam adducit Paramus, *vbi ſuprà*, dicentis, poſſe Inquiſitores animaduertere aduersùs Confeſſarium, poſt longum tempus, extra Confeſſionem fœminam ſollicitantem. Vnde rectè notauit Rodericus Acugna *tract. de Confeſſ.ſollic.q.5.n.15.* Confeſſarium non eſſe denunciandum,

dum, qui pœnitentem litteris amatoriis, lenonibus, & internunciis ſollicitat; neque, vt notat Molfeſius *in ſumma, tom. 1. tract. 7. cap. 24. n. 32.* ſi accederet poſt auditam Confeſſionem, ad domum mulieris, & ibi illam ſollicitaret: quod etiam docet Scortia *in Bull. Pont. epit. 77. theor. 197.*

*An, ſi laïcus, vel Clericus occultè ponat ſe in loco Confeſſionibus deputato, & inter Confeſſionem fœminæ illam ibi ſollicitet, ſit denunciandus?*

RESOLVT. XV.

NEgatiuè reſpondet Portel. *vbi ſup. in addit. ad dubia. regul. verb. ſollicitare fœminas, n. 14.* quia Clem. VIII & Paulus V. loquentes de audienda Confeſſione ſacramentali, loqui videntur iuxta communem acceptionem de Confeſſione vera, valida, & ordinaria.

Sed per Conſtitutionem Gregor. XV. Confeſſarij incidunt in pœnas Bullæ, non ſolùm ſollicitantes in Confeſſione, ſed prætextu Confeſſionis. Ergo non eſt opus, vt adſit vera, & ordinaria Confeſſio ſacramentalis; ſed ſufficit ſolus prætextus. Sed his non obſtantibus, ſub cenſura tamen, puto, ſupradictos non eſſe denunciandos, ex vigore Bullæ: quia omnes Pontifices, Clem. VIII. Paulus V. & etiam Gregor. XV. imponunt pœnas contra Sacerdotes ſollicitantes: ergo non videntur comprehendere laïcum, & Clericum: quia, vt diximus *ſuprà*, verba pœnalia non ſunt extendenda ad ſimiles caſus. Et ita Doctores, quos *ſuprà* vidimus, probabiliter excuſabant à denunciatione, ſi Confeſſarius ſollicitaret puerum: quia Pontifices loquebantur de Sacerdotibus ſollicitantibus fœminas. Et ita etiam docuit ante me Sanctarellus *de hæreſi, c. 46. dub. vnico, n. 9.* Acugna *tract. de Confeſſ. ſollicit. qu. 13. n. 9.* quicquid in contrarium aſſerat Giptius *de caſ. reſeru. c. 14. n. 6.* Sed, an ſupradicti ſint ex alio capite Inquiſitoribus denunciandi, dicam *in ſequenti Reſolutione.*

*An dictus laïcus, vel Clericus, ſaltem quia ſimulauit ſe Sacerdotem eſſe, ſi ſollicitauerit fœminam in Confeſſione, non tamen illam abſoluendo, ſit Inquiſitoribus denunciandus?*

RESOLVT. XVI.

NEgatiuam ſententiam docet Rodriquez *in qq. regul. tom. 2. quæſt. 28. artic. 2.* & nouiſſimè *in ſumma, tom. 2. ca. 83. n. 3.* vbi ſic aſſerit: [El que no ſiendo Preſbytero confieſſa, los Inquiſidores le pueden caſtigar, ſi abſoluiere al penitente, porque ſi ſolamente le oye de Confeſſion, y no le abſolue, no puede ſer caſtigado dellos, ſi no del Ordinario, attento que quando Gregor. XIII. comete eſta authoridad à los Inquiſidores, dize las ſiguientes palabras: *Quæ procedant contra eos, qui non ſunt Preſbyteri, ſi Confeſſiones audiant, & abſolutionem impertiantur.* Y la razon lo dicta porque ſolamente oyen de Confeſſion, y no quieren abſoluer, y a tienen reſpetto al Sacramento, pues no lo quieren adminiſtrar, y aſſi no ſe preſume contra ellos, que ſentien mal de la fe, por la qual preſumpcion la Sede apoſtolica comete eſte caſo à los Inquiſidores.] Ita Rodriquez, & poſt hæc ſcripta inueni etiam hanc ſententiam docere Ioannem Sancium *in Selectis, diſp. 11. n. 36.*

*An ſit denunciandus Sacerdos, qui non habens facultatem audiendi Confeſſiones ab Ordinario, ſollicitat fœminam in Confeſſione, fingens ſe habere talem poteſtatem?*

RESOLVT. XVII.

NEgatiuam ſententiam docuit Portell. *in addit. ad dubia regularia, verb ſollicitare fœminas, n. 13.* quia in tali caſu non adeſt Confeſſio vera, & ſacramentalis: & pœna impoſita alicui actui non incurritur ab illo, qui fecit illum actum, ſi actus fuit nullus.

Sed contrariam ſententiam docet Acugna *tract. de Confeſſ. ſollic. q. 14. n. 4.* quam hodie ſtante Bulla Gregorij XV. amplectendam eſſe puto: nam, vt ſæpiùs *ſuprà* diximus, in dicta Conſtitutione non ſolùm Pontifex vult eſſe denunciandos Confeſſarios ſollicitantes in Confeſſione; ſed prætextu Confeſſionis, ſiue extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſario. Et ita docet poſt Bullam Gregor. XV. Ioannes Sancius *in Selectis, diſp. 11. n. 39.* etiamſi mala fides Confeſſarij, & pœnitentis interueniat: quia vterque cognoſcit, Confeſſionem inualidam eſſe, & ob id intendere nequeunt Sacramentum conficere: nam in tali caſu Sacerdos ille denunciandus eſſet.

*An, ſi fœmina, ſine vllo ordine ad Confeſſionem, loquatur cum Confeſſario de negociis in Confeſſionario, & interim ab ipſo ſollicitetur; an ſit dictus Confeſſor denunciandus?*

RESOLVT. XVIII.

NEgatiuè reſpondet Giptius *de caſ. reſeruat. c. 14. n. 7.* & Epiſcopus Acugna *in tract. de Confeſſ. ſollicit. q. 14. n. 11.* vbi ſic ait: [Quando, non Confeſſionis, ſed cuiuſuis rei prætextu venit mulier ad Confeſſarium, publicè in Eccleſia aliarum fœminarum peccata audientem, licèt tunc venientem ſollicitet, non idcircò pœnas incurrit, quia, etſi prouocet in confeſſionarij loco non tamen pœnitentem prouocat, ſed aliam longè diuerſam.] Hæc ille, qui loquitur in terminis Bullæ Pauli V.

Nunc verò per Conſtitutionem Gregorij aliter dicendum eſt, & dictum Confeſſarium denunciandum, vt apparet in illis verbis Bullæ: *Siue extra occaſionem Confeſſionis*, in quibus clarè Summus Pontifex determinat, Confeſſarium eſſe denunciandum, etiamſi extra Confeſſionem in confeſſionario fœminam ſollicitet.

*An Confeſſarius, qui in confeſſione vrget pœnitentem de proſtituenda ſibi, vel aliis filia, conſanguinea, amica, &c. ſit denunciandus?*

RESOLVT. XIX.

ALiqui negatiuè olim reſpondebant: quia illa ſola ſollicitatio ex decreto Pauli V. videtur prohibita, quæ efficitur pœnitenti à Confeſſario ad turpitudinem inter vtrumque exercendam. Sed Confeſſarius in noſtro caſu non ſollicitat pœnitentem; ſed lenonem, & turpem interceſſorem. Ergo talis ſollicitatio non prohibetur in Bulla. Et hanc opinionem probabilem putauit Acugna *tract. de Confeſſ. ſollic. q. 17. n. 9.* vbi contrariam ſententiam, quam ipſe meritò amplectitur, vocat tantùm probabiliorem.

Sed hodie, vigore Bullæ Gregorij XV. omninò talis Confeſſarius eſt denunciandus, quod patet ex illis verbis: *Ad inhoneſta, ſiue inter ſe, ſiue cum aliis perpetranda.* Et ita in terminis Bullæ Gregor. XV. determinauit nouiſſimè Nald. *in addit. ad ſumm. verb. Confeſſio, n. 31.* Bonac. *in tract. diſp. 6. punct. 3. n. 19.* Sanch. *in Select. diſp. 11. n. 43. & 44.* & Sanctarellus *de hæreſi, c. 44. dub. vnico, n. 19.* Et hanc ſententiam, etiam ante dictam Conſtitutionem Gregorianam, tenendam eſſe reſpondit, de hoc interrogatus, P. Suarez, vt teſtatur Acugna *vbi ſupr. n. 12.*

*An Confeſſarius ſollicitans fœminam, non ad turpia, & inhoneſta, ſed ad alia peccata; ſit denunciandus?*

RESOLVT. XX.

VIdetur prima facie reſpondendum affirmatiuè: nam Gregor. XV. prohibet Confeſſariis, vt non habeant



cum pœnitentibus in Confeſſione, non ſolùm ſermones inhoneſtos, ſed etiam illicitos: ſed Confeſſarius ſollicitans pœnitentem ad aliquod peccatum, licet non carnale, habet cum illa ſermones illicitos: ergo erit denunciandus. Et ante hanc Conſtitutionem hoc etiam docuerat eruditiſſimus Pegna *in direct. Inquiſ. p. 2. comment. 81. verſ. ille quoque.* vbi ſic ait: [Ille quoque grauiter peccat, nec leuem contrahit malæ credentiæ ſuſpicionem, qui in Sacramento Confeſſionis, vel ad quæque flagitia, ſeu peccata, prouocat confitentem: & propterea iure optimo, iudicio Inquiſitorum ſubiectus eſt.] Ita ille. Freitas verò *in addit. ad tract. de Confeſſor. ſollicit. quæſt. 8. num. 17.* putat, hanc ſententiam ſequendam eſſe, quando Confeſſor ſollicitat pœnitentem ad eadem peccata, quæ confitetur: veluti, ſi ſortilegium fateatur, & Confeſſarius petat ab illo, vt ſe doceat illud facere: quia in tali caſu acciperet Confeſſarius occaſionem à peccato confeſſo: & ita procedit ſuſpicio de fide.

At, his non obſtantibus, ſub cenſura tamen, cenſeo, dictum Confeſſarium non eſſe vigore Bullæ Greg. XV. denunciandum: quia verba Pontificis diriguntur ad ſollicitationem carnalem, quæ communiter accidere ſolet; & in delictis non fit extenſio, *ex cap. in pœnis, de reg. iur. in 6. & ex l. interpretat. ff. de pœn.* Et ita in terminis Bullæ Clementis VIII. & Pauli V. docuerat anteà Paramus *de orig. Inquiſ. lib. 3. q. 10. n. 121.* Aloyſius Bariola *in flor. Inquiſ. fol. 225.* Scortia *in Bull. Pont. epit. 77. theor. 197.* Molfeſ. *in ſumma, tom. 1. tract. 7. c. 24. n. 31.* Roder. Acugna *tract. de Confeſſ. ſollicit. quæſt. 8.* & alij.

Reſtat modò reſpondere ad argumentum *ſuprà, in principio* poſitum. Dico igitur, Gregorium voluiſſe cum illa voce, *illicitos*, amplexari omnes actus illicitos, in eadem tamen materia carnali, quos fortaſſe per alterum verbum, *inhoneſtos*, non ita clarè comprehenderet, vt quando, v. g. Confeſſarius, tanquam leno, vrgeret fœminam in Confeſſione, vt cum aliquo peccaret, vel proſtitueret ſibi filiam, &c. Et ita in ſimili caſu interpretatus eſt Epiſcopus Acugna *ſupr.* dicta verba *in tract. citato de Confeſſ. ſollicit. quæſt. 17. num. 10.* Et ita hanc ſententiam poſt Bullam Gregor. XV. docet Sanctarellus *in tract. de hæreſi, cap. 44. n. 19.* Venerus *de exam. Epiſcop. lib. 5. c. 17. num. 18.* Sancius *in Select. diſp. 11. n. 23.* Peirinus *ſuper priuileg. Minimorum*, & alij.

*Vtrùm Confeſſarius contraueniens huic Conſtitutioni Gregor. XV. & aliorum Pontificum, ex paruitate materiæ ſit excuſandus, & non denunciandus.*

RESOLVT. XXI.

NOn eſſe denunciandum putauit Portell. *in addit. ad dubia regul. verb. ſollicitare fœminas, n. 4.* vbi ſic aſſerit: [Habebit hîc locum ad excuſandum paruitas materiæ. Vnde, ſi Confeſſor dicat fœminæ verba leuia, vel aliud ſignum, vel opus leue faciat, indicatiuum amoris laſciui; quæ verba ad iudicium prudentis viri, nec ſint peccatum mortale, nec ſufficientia ad perſuadendum; credo, quòd talis Confeſſor non ſit accuſandus. Eſt enim communis opinio, materiam leuem, & paruam excuſare in omnibus delictis, ſaltem à pœna eccleſiaſtica, vt *ſuprà* diximus in ſimili, circa percuſſionem Clerici interiùs malam mortaliter, & exteriùs tantùm venialem, ob paruitatem operis.] Ita ille.

Sed contrarium docet Acugna *tract. de Confeſſor. ſollic. q. 7. per tot.* vbi aſſerit, Confeſſarium faciem pœnitentis laudando à pulchritudine, ad illiciendum eam, omiſſis verbis expreſſioribus; incidere in pœnas Bullæ, & denunciandum eſſe. Et hæc opinio videtur mihi probabilior, & ſequenda.



*An mandans Confeſſario, vt ſollicitet pro ſe pœnitentem, denunciandus ſit?*

RESOLVT. XXII.

AFfirmatiuè reſpondet Riccius *in praxi, p. 4. reſol. 65. num. 2.* & in terminis Bullæ Gregorij XV. Homobonus *de exam. Eccleſ. p. 2. tract. 11. c. 12. quæſt. 26. reſol. 4.* nam, vt habetur *in cap. qui per alium. de regul. iur. in 6.* qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur, & *in leg. manumiſſiones. ff. de iuſt. & iure. & leg. ſi amicus, ff. de adult.* dicitur facere, qui iubet aliquid facere. Sed contrariam ſententiam prorſus amplectendam eſſe cenſeo: quia, vt *ſuprà* ſatis probatum eſt, verba legis pœnalis ſunt formaliter, & propriè accipienda, & non ſunt extendenda. Et ideò non incurrit in excommunicationem latam contra aliquid facientem, ſi quis mandauit facere, vt tradunt communiter DD. in materia cenſurarum: Tabiena *verb. excommunicatio, 5. caſu 49. §. 5.* Nauarrus *in Man. cap. 27. num. 1.* Suarez *de cenſ. diſp. 4. ſect. 3. num. 5.* Angelus *verb. excommunicatio, 8. num. 1.* & alij. Vnde, ſi excommunicatio feratur in eum, qui occidit, vel furatur, non ligat mandantem furari, & occidere, vt notauit Reginaldus *in praxi, tom. 1. lib. 9. cap. 12. num. 214.* Adde, quòd, quando lex vult punire non ſolùm facientem, ſed mandantem id explicat. Et ita *in cap. mulieres. de ſentent. excomm.* extenditur ad mandantem excommunicatio, quæ *in cap. ſi quis ſuadente Diabolo*, erat tantùm lata contra percutientem Clericum.

Reſtat modo reſpondere ad argumenta Riccij. Dico igitur cum Auila *de cenſ. part. 2. cap. 5. diſp. 3. dub. 1. in fine*; quod per alios facimus, per nos facimus, quantùm ad culpam, non quantùm ad pœnam; & non realiter, ſed fictione iuris, vt loquitur Bonacina *de legib. diſput. 3. quæſt. 7. punct. 4. num. 12*, & Megala *in 3. part. lib. 4. cap. 2. quæſt. 1. num. 12.* Et alia iura, quæ aſſerunt, quòd videtur facere, qui aliquid iubet facere, loquuntur metaphoricè: nam, vt optimè obſeruat Bartolus *in leg. ſed ſi vnius. §. 1. ff. de iniuriis.* is, qui per alium facit, non verè, ſed fictè facit, Cùm igitur verba Bullæ ſint directa contra Confeſſarios ſollicitantes, non ſunt extendenda ad mandantes Confeſſariis ſollicitare: ſicut in caſu ſimili dicemus *in ſequenti Reſolut.*

*An mulier ſollicitans Confeſſarium, ſit ab ipſo, vel ab aliis, qui hoc ſciunt, denuncianda?*

RESOLVT. XXIII.

VIdetur prima facie affirmatiuè reſpondendum: & ita in terminis Bullæ Gregor. XV. docet Bellocchius *de caſ. reſeru. part. 2. q. 9. n. 31.* quia talis mulier non minùs Sacramentum lædit, cùm ſollicitat, quàm Confeſſarius, ſi ſollicitaret: ſed Confeſſarius ſollicitans eſt denunciandus: ergo & ſollicitatrix debet denunciari. Et ita docet Paramus *de origin. Inquiſ. lib. 3. q. 10. in fine.*

At contrarium omninò eſt affirmandum cum Riccio *in praxi, p. 3. reſol. 67. n. 1.* Sancio *in Select. diſp. 11. n. 24.* Bonacina *in tract. variar. diſp. 6. punct. 3. n. 20.* & aliis: quia Conſtitutiones Pontificum in Confeſſarios, diriguntur ad illorum audaciam, & iniquitatem comprimendam; cúmque hoc ſcelus in fœminis raro contingere conſtet, lex de illis diſponit: quia leges humanæ ea, quæ frequentiùs accidere ſolent, conſiderant.

Adde illud, quod ſæpiùs repetitum eſt; cùm hæ Conſtitutiones ſint pœnales, non ſunt extendendæ ad alium caſum, *ex cap. ſtatutum. de elect. & ex leg. cùm quidam, ff. de liberis, & poſthum.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. par. 3. alleg. 102. n. 82.* Caſtrus *de leg. pœn. lib. 1. cap. 7. docum. 3.* Sanchez *de matr. tom. 4. lib. 10. diſp. 4. num. 3.* & alij communiter. Vnde edicta pœnalia reiiciunt argumentum à pari, à ſimili, & à contrario ſenſu. Et ideò pœna *l. vnica. C. de rapt. virg.* non habet locũ, quando virgo rapit virum, vel vir virum,

vt rectè obſeruat Caſtrenſis *in l. raptores. C. de raptu virg.* Triuiſanus *part.2.deciſ.*21. Decian. *lib.*8.*tit.*7.*n.*28. *&* 29. cum Emmanuële Barboſa *ad ordin. Portug.lib.*5.*tit.*18.§.3. *num.*2. & Sanchez *de matrim tom.*2.*lib.*7.*diſp.*12.*n.*25. Et ego cenſeo, quòd excommunicatio lata contra ingredientes Monaſteria Monialium ſub prætextu licentiarum, non extenditur contra ingredientes ſine tali prætextu, vt rectè docet Sanchez *in ſumma, tom.* 1.*lib.*6. *cap.* 16. *num.* 78. qui citat Suarez, Philiarchum, Zerolam, Sayrum, & Rodriquez; quibus ego addo Mirandam *in Man. Præl. tract. de Monialibus, quæſt.* 2. *art.* 10. *concl.* 1. Megalam *in* 3. *part. lib.* 4. *cap.* 3. *quæſt.*2. *num.*11. Campanili *in diuerſ. iur. can. rubr.* 12. *cap.* 16. *num.* 24. Barboſam *de poteſt. Epiſcop. p.*3. *allegat.* 102. *num.* 37. cum aliis. Vnde patet reſponſio ad argumentum contrarium.

*An, ſi aliquis ſub ſigillo naturali ſciat ab aliquo, mulierem fuiſſe ſollicitatam à tali Confeſſario, teneatur illum denunciare?*

RESOLVT. XXIV.

NEgatiuè reſpondet ex Societate IESV, Fagundez *de præcep. Eccleſ. tract.* 2. *lib.* 4. *c.* 3. *num.* 31. vbi ſic ait: [Si huiuſmodi ſollicitatio ſub ſecreto naturali ſciatur, denunciatio fieri non debet: nam, cùm huiuſmodi ſecretum non vergat in detrimentum proximi, & obſeruatio illius aliunde ſit de iure naturali; denunciatio autem tantùm de iure poſitiuo; fortius vinculum iuris naturalis præualere debet minùs forti,] Hæc ille.

An iſta ſententia ſit probabilis, videant viri docti: nam ſi talis Confeſſarius non ſit emendatus, vel non adſit ſpes emendationis per ſecretam correctionem; facilè poterit alias fœminas ſollicitare: & ita tale ſecretum vergeret in damnum tertij, & Reipublicæ. Et ſic notauit Freitas *in addit. ad tract. de Confeſſ. ſollic. quæſt.*21.*n.*26. quod quidam Confeſſarius per decem annos perditè, & effrænatè ſollicitationibus, & turpibus actibus in ipſo Confeſſionis loco operam dederat, per quod tempus à nulla ſollicitata delatus eſt. Ideò puto in tali caſu, ſi ipſa mulier hoc non fecerit, talem Sacerdotem eſſe ab altero, qui hoc ſcit, etiam ſub ſecreto naturali, denunciandum. Et de hoc, in caſu hæreſis formalis non eſt dubitandum, & contrarium aſſerere eſſet falſum: idcircò, ſi aliquis ſciat, aliquem eſſe Hæreticum, vel ab ipſo, vel ab alio, etiamſi dederit fidem, & iuramentum adhibuerit, de non manifeſtando ſecreto; tamen tenebitur reuelare.

*An Confeſſarius, qui ſollicitauit puerum ante Conſtitutionem Greg. XV. vel fœminam extra Confeſſionem in confeſſionario, aut in loco quocunque, vbi Confeſſiones ſacramentales audiuntur, &c. ſit denunciandus?*

RESOLVT. XXV.

HÆc quæſtio difficilis eſt: quia quærit, an dicta Conſtitutio ad facta præterita extendi poſſit. Affirmatiuam ſententiam, loquens de Bulla Pij V. docuit Rodericus Acugna *tract. de Confeſ. ſollic. quæſt.* 3. *n.* 10. & ita reſpondiſſe Suarez, & Delmada, viros doctiſſimos teſtatur: & in terminis Bullæ Gregor. XV. idem docet Sanctarellus *tract. de hæreſi, c.* 44. *n.* 11. & Bonacina *in var. tract. de hæreſi, diſp.*6.*punct.*3.*n.*7.

Sed negatiuam ſententiam docuit doctus Portel. *addit. ad dubia regular. verb. ſollicitare fœminas, n.*7. loquens etiam in terminis dictæ Bullæ Pauli V. & Fagundez *vbi infrà* cum Chriſtophoro Anguiano, viro doctiſſimo, *tract. de legib. lib.* 5. *contr.* 1. *n.* 13. *& ſeq.* Vide etiam Mirandam *in Man. Præl. tom.*2. *quæſt.* 25. *art.*20. Et ratio eſt: quia nulla lex ciuilis, & eccleſiaſtica extenditur ad punienda delicta facta de præterito; ſed ad facienda de futuro; niſi fortè lex ipſa claris verbis exprimat, ſe etiam punire præterita, vt fecit Sixtus V. cum illegitimis, & receptione Religioſorum; & Concilium Tridentinum cum ordinatis in minoribus. Et hoc habetur expreſsè *in cap. cognoſcentes de conſt.* ibi, in illis verbis: [Quoties quid nouum ſtatuitur, ita ſolet futuris formam imponere, vt diſpendiis præterita non commendet.] Idem expreſſiùs habetur *eod. tit. c. vlt.* vbi Gregorius IX. explicans quandam Conſtitutionem à ſe paulò antè editam, ſic aſſerit: [Declaramus, non ad præterita, ſed ad futura tantùm extendi, cùm leges, & Conſtitutiones futuris certum ſit dare formam negotiis, non ad præterita facta trahi, niſi nominatim in eis de præteritis caueatur.] Ita ibi, quo nihil clarius dici poteſt.

His ita ſuppoſitis, reſpondeo ad quæſitum, quòd ſtando in illa opinione, nempe, Bullas Clementis VIII. & Pauli V. contra Confeſſarios ſollicitantes fœminas, non includere Confeſſarios ſollicitantes viros, & quòd in pœnas dictarum incidebant tantùm Confeſſarij, qui in Sacramento Confeſſionis, vel ad plurimum, qui paulò antè, vel pòſt ſollicitabant pœnitentes; non autem illi, qui extra occaſionem Confeſsionis in loco confeſsionarij, aut loco quocunque, vbi Confeſsiones ſacramentales audiuntur, ſeu ad Confeſsionem audiendam electo, ſimulabant ibi Confeſſiones audire: his, inquam, ita ſtantibus, aſſero probabiliter, non eſſe modò ſupradictos Confeſſarios denunciandos, ſi talia crimina effecerint ante promulgationem Edicti, & Bullæ Gregorij XV. vbi determinat eſſe ſupradictos denunciandos: quia, vt *ſuprà* diximus, dicta Conſtitutio non extenditur ad priora, quod ſatis probatum eſt, & docet Sylueſter *verb. lex, quæſt.* 23. Malderus *in par.*1.*quæſt.*96.*ar.*3.*dub.*4. & alij. Vnde puto, denunciationes faciendas ex vigore Conſtitutionis Gregorij XV. aduersùs Confeſſarios ſollicitantes, faciendas eſſe à die 10. Martij, 1624. tunc enim Panormi dicta Bulla ab Illuſtriſſimis Inquiſitoribus fuit promulgata. Vnde à tempore antecedente non tenetur quis denunciare. Et ita de Bulla Clementis VIII. in hac materia docuit, ex Societate IESV, Fagundez *tract.*2. *lib.* 4. *cap.*3.*num.*31. & de Bulla Pauli V. etiam, vt *ſuprà* diximus, docet Portell. *in addit ad dubia reg. verb. ſollicitare fœminas, n.*7.

*An quis teneatur denunciare Confeſſarium, qui propter ſollicitationem alterius confeſſus abiurauit?*

RESOLVT. XXVI.

AFfirmatiuam ſententiam tenet Martinus Bonacina *in tract. var. diſp.*6.*punct.*...*propoſ.*2.*n.*15.

Sed contrarium docet Sancius *in Selectis, diſp.* 11. *n.*52. Peirinus *de priuileg. Minimorum, tom.* 2. *Conſtit.* 4. *Gregor. XV.* §.9.*num.*32. & ante illos Freitas Additionator Roderici Acugna *in tract. de Confeſſ. ſollicit. quæſt.*3.*n.*34. Et ratio huius ſententiæ erit, ſecundùm mentem aliquorum Doctorum: quia, vt *ſuprà* viſum eſt, multi aſserunt quòd quis non tenetur denunciare Hæreticum emendatum: ſed talis Confeſſarius, propter abiurationem, cenſetur ſufficienter emendatus: ergo minimè denunciandus erit.

*An ſupradictæ denunciationes ſint faciendæ ante Confeſſionem, ita vt non poſſit Confeſſarius aliquem abſoluere, niſi prius denunciet?*

RESOLVT. XXVII.

AFfirmatiuam ſententiam docuit Auila *de cenſ par.* 2. *cap.* 7. *dub.* 7. *in fin.* vbi ſic aſſerit: [In rebus grauibus, præcipuè ſi pœnitens ſit homo ordinarius, curandum eſt, vt priùs denunciet. Et hoc, licèt nondum incurriſſet exommmunicationem: quia, ſi priùs obtinuerit



abſolutionem, facilè ſolet id omittere: in caſibus autem Inquiſitionis remittendus eſt pœnitens, vt priùs denunciet, vt præcipitur Edicto Inquiſitorum.] Ita Auila.

Sed hoc limitat Zanardus *in director. Theol. p.*2.*præcept.*2. *cap.*11.*in fin. fol. mihi* 148. niſi neceſſitas communionis vrgeret, & perſona ſit timoratæ conſcientiæ, & promittat, quàm citiùs denunciare. Idem etiam docet Emmanuel Rodriquez *in ſumma, tom.*2.*cap.*34.*n.*6. vbi ſic ait: [Deuen notar los Confeſſores, que quando algun penitente les dixere, que ſabe fulano, hauer dicho vna heregia, le han de obligar à yr luego à los Señores Inquiſidores y denunciar del, y no le pueden abſoluer, ſin que primero ſe haga la dicha denunciation, pudiendoſe luego comodamente hazer, porque no ſe pudiendo poner in eſecucion, baſta que lo prometta.] Et Peirinus, qui nouiſſimè ſcripſit *in priuil. Minim. tom.*1.*Conſtit.*5.*Greg. XV.* §. 9.*n.*24. aſſerit, eſſe abſoluendam illam pœnitentem, quæ firmiter promittit denuntiaturum Confeſſarium; ſi adſit cauſa, propter quam prudenti Confeſſario videatur, denunciationem eſſe differendam. Et Sanctarellus *tract. de hæreſi, cap.*9.*dub. vnic. n.*16. *in fin.* ex Nauarro, teſtante de praxi Sacræ Pœnitentiariæ, aſſerit, ſufficere ſaltem propoſitum firmum denunciandi: & loquitur de denunciando Hæretico. Vide etiam Sancium *in Selectis. diſp.* 11. *n.* 62. & Portell. *in addit. ad dub. reg. verb. ſollicitare fœminas, n.*24. vbi aliqua verba, ex incuria Typographi, deſiderantur: & Ortiz *in ſumma, cap.* 24. 11. cum aliis.

*An hoc crimen ſufficienter probetur per teſtimonia duarum fœminarum?*

RESOLVT. XXVIII.

AFfirmatiuè reſpondet Paramus *de origine Inquiſit. lib.*3.*quæſt.*10.*n.*158. *&* 165.

Sed contrariam ſententiam, & meritò, docet Sanctarellus *tract. de hæreſi, c.*44.*dub. vnico, n.*6. Peirinus *de priuileg. Minimorum, tom.*2.*Conſtit.*4. *Greg. XV.* §.8.*n.*23. Bonac. *tract. variar. diſp.*6.*punct.*3.*n.*26. Ioan. Sancius *in Selectis. diſp.*11. *n.* 46. & alij. Ortiz verò *in ſumma, c.*24.*n.* 11. tres fœminas ait ſufficere: quatuor tamen expoſcit Acugna *de Confeſſ. ſollicit. quæſt.*23.*n.*11. qui etiam *n.*27. docet, ex vnius fœminæ, quantumuis honeſtæ, delatione, non eſſe Confeſſarium in carcerem detrudendum. Vide etiam Barboſam *in Conf. ſollicit. poſt. Flor. Inquiſ. fol.*231.

At ego puto, hæc omnia remittenda eſſe iudicio, & prudentiæ Dominorum Inquiſitorum, qui conſiderare debent circunſtantias, & qualitates, tam fœminarum denunciantium quàm Sacerdotum, qui accuſantur. Sed circa præſentem quæſtionem vide Conſtitut. Greg. XV. *in* §. 7. & plura apud noſtrum Molfeſium *in ſumma, tom.* 1. *tract.*7. *c.*24.*num.*36. *& ſeq.*

*An Epiſcopi poſſint cognoſcere de hoc crimine, ita vt aliquis penes ipſos poſſit Confeſſarium ſollicitantem denunciare?*

RESOLVT. XXIX.

AFfirmatiuam ſententiam omnino amplectendam eſſe iudico. Dico igitur, quòd, licèt Ordinarij ante Bullam Gregor. XV. non poterant cognoſcere de crimine Confeſſariorum ſollicitantium mulieres in Confeſſione, ex rationibus allatis per DD. *vbi infrà*; ſed pertinebat ad Inquiſitores: hodie tamen, poſt dictam Bullam, Epiſcopi etiam poſſunt cognoſcere de hoc crimine. Et hoc clarè apparet ex verbis Pontificis in ipſa Bulla manifeſtè hoc declarantis. Et hanc ſententiam docet nouiſſimè Sanctarellus *tract. de hæreſi, c.* 44. *n.*11. *&* 13. Acugna *de Confeſſ. ſollicit. quæſt.* 2. *per tot.* Peirinus *ſuper priuileg. Minimorum, tom.*2.*Conſtit.*4.*Greg. XV.* §.6.*n.*20. & Bonacina *in var. tract. diſp.*6.*punct.*3.*n.*23. & alij.

# TRACTATVS V.

## De Abſolutione ab hæreſi, & aliis delictis pertinentibus ad Tribunal Sancti Officij.

*An Confeſſarius, virtute alicuius Iubilæi, poſſit abſoluere ab hæreſi occulta?*

RESOLVT. I.

SVPPONO, quòd in ordine ad incurrendam excommunicationem in foro conſcientiæ, opus eſt, vt Hæreticus habeat errorem in intellectu cum pertinacia, & eius incredulitas humano ſenſui ſubiaceat. Diximus, *vt habeat errorem in intellectu*: nam ſi aliquis ſolùm exteriùs neget fidem, non erit Hæreticus in foro interiori: & ideò qui tranſiret ad aliam ſectam, vel idolis externum cultum exhiberet; qui Dæmonem inuocaret verbo, cultu vel aliquo alio opere; qui magnetem, vel caput aſini baptizaret, incantationes, & maleficia efficeret, vel ſimilia horrenda perpetraret, ſi errorem in intellectu non haberet, minimè Hæreticus in foro conſcientiæ cenſendus erit. Hæc omnia tamen non impediunt, quominus illuſtriſſimi Inquiſitores poſſint talem punire tanquàm Hæreticum: quia ex ſignis externis prudenter poſſunt, & debent præſumere internum peccatum hæreſis.

Secundò diximus, *cum pertinacia*: quia, vt ſit aliquis Hæreticus, opus eſt, vt ſciens, & prudens teneat aliquid contra Eccleſiam; vel, vt alij loquuntur, vt quis cognoſcat, & animaduertat ſuam opinionem eſſe contrariam ſenſui Eccleſiæ; & tamen neglecta auctoritate ipſius Eccleſiæ, in ſua opinione perſiſtat: & in hac pertinacia, temporis mora, & in errore perſeuerantia non requiritur; quia in quouis temporis momento, & vno ſolo actu, & aſſenſu inſtantaneo poteſt hæreſis culpa perpetrari.

Et tandem diximus: *Et eius incredulitas humano ſenſui ſubiaceat.* quia Hæreticus purè mentalis non incurrit in excommunicationem, niſi verbo, aliquo ſigno, vel facto hæreſim interiùs latitantem explicet.

Et ita hæc omnia ſupradicta docent. DD. quos citat, & ſequitur Sanch. *in ſumma, tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 7. *n.*8. quibus ſubſequentes ego addo: Pinellum *de caſ. reſeru. caſ.*2.*num.* 10. Lorcam *in* 2. 2. *quæſt.*11.*art.* 2. *diſp.* 47.*num.* 7. Becanum *in ſumma Theol. part.* 3. *cap.*... *quæſt.*2. Megala *in* 3. *part. lib.* 3. *cap.* 1. *quæſt.* 1.*num.*4. Molfeſium *in ſumma, tom.* 1. *tract.* 11. *cap.* 7. *n.* 39. Floronum *de caſ. reſeru. part.*2.*caſ.*1.§. 4. *verſ. dummodo, num.* 2. Turrianum *in* 2. 2. *tom.* 1. *diſp.* 55. *dub.* 1. Coninch. *de actibus ſupernatur. diſp.* 18. *dub.*7.*n.*75. Malderum *in* 2. 2. *quæſt.* 11. *art.* 1. *membr.* 2. 3. *&* 4. Duardum *in Bulla Cœn. lib.* 2. *can.* 1. *quæſt.* 20. *& ſeq.* Piaſetium *in praxi Epiſc. part.* 2.*cap.*4.*art.*6. *num.*3. Giptium *de caſ. reſeru. c.*6. *num.* 84. *cap.*9.*num.*45. *& cap.* 14. *num.* 7. Souſam *in Bulla Cœn. cap.* 2. *& diſp.*5. *& ſeq.* Lazarium *tract. de blaſphem. quæſt.* 5. *n.*74. Fernandez *in examine Theol. mor. part.* 3. *c.* 9. §. 16. *n.* 2. Gambaruptam *de caſ. reſeru. c.*4.*num.*13. *& ſeq.* Barboſam *de poteſtate Epiſcop. par.* 2. *alleg.* 40. *n.* 5. Campanili *in diuerſ. iur. can. rubr.* 11. *c.*26. *n.* 28. Homobonum *de caſ. reſeruat. par.*1.*c.*8. Zanardum *in director. Confeſſ. part.*2. *præcept.* 1. *c.* 8. Peregrinum *de immunit. Eccleſ. cap.* 8. *n.* 2. Torreblancam *de magia, lib.*3.*c.*10.*n.*20. Cherub. *in compend. Bull. tom.* 3. *Conſtit.* 24. *Pauli V. ſchol.* 2. Valerum *in differ. vtriuſque fori, verb. hæreſis, diff.* 2. *n.* 1. *&* 2. Filliucium *tom.* 2. *tract* 22.*c.*6.*n.*152. & Reginaldum *tom.*1.*lib.*9.*cap.*14.*n.*224. cum aliis. His itaque ſuppoſitis,

Reſpondent aliqui, Confeſſarium electum virtute alicuius Iubilæi, in quo conceditur facultas abſoluendi ab omnibus caſibus, etiam in Bulla Cœnæ, poſſe abſoluere pœnitentem

pœnitentem à crimine hæreſis : & ita fuiſſe declaratum Romæ anno 1607. in Sacra Pœnitentiaria, & ſeruari in praxi teſtatur Filliucius tom. 1. tract. 8. cap. 10. num. 265. & Antonucius in Catecheſ. Neapol. lib. 4. cap. 19. aſſerit, ita fuiſſe deciſum Placentiæ ab Epiſcopo, & Inquiſitore illius Ciuitatis, qui quidem Epiſcopus erat tunc noſter Cardin. Arrezzus, Vir ſanctiſſimus, & doctiſſimus. Et hanc ſententiam practicari à Patribus Societatis IESV, teſtatur Epiſcopus Zerola tract. de Iubilæo, lib. 2. c. 18. quæſt. 3. & ex eademmet Societate illam docet Reginald. tract. 1. lib. 8. cap. 5. ſect. 1. num. 53. in fin. & nouiſſimè Fagundez de Præcept. Eccl. tract. 2. lib. 8. c. 8. num. 38. ex noſtra Religione docet etiam hanc ſententiam Molfeſius in ſumma, tom. 1. tract. 7. cap. 21. num. 62. Alfonſus de Leone tract. de Iubilæo, part. 2. quæſt. 11. n. 43. Idem etiam docet Peirinus de priuileg. Minimorum, tom. 1. Conſtitut. 4. Sixti IV. §. 5. num. 20. & ante illos Lorca in 2. 2. quæſt. 11. art 4. diſp. 45. num. 3. Farinacius de hæreſi, quæſt. 192. num. 63. qui citat Pegnam : & tandem Polanchus tract. de Iubilæo, nuper impreſſo, ſect. 42. num. 65. & multi Viri docti à me de hac re conſulti.

Et ratio eſt: quia, vt doctè obſeruat Lorca, ex quo Pontificibus conſtitit controuerſia hæc inter Doctores, vt ſedarent quæſtionem, expreſsè aliquando exceperunt crimen hæreſis: quòd ſi poſtmodum generaliter in aliquo Iubilæo dent abſoluendi poteſtatem, nulla exceptione facta; videntur planè ex induſtria eam abſtuliſſe, & voluiſſe indiſcriminatim omnia largiri. Secundò, quia ita videtur expedire ad finem recipiendi theſaurum Indulgentiarum: nam aliàs multi illas conſequi minimè poſſent.

Sed, his non obſtantibus, non deſunt DD. contrarium ſentientes, quos citat, & ſequitur Suarez tract. de fide, diſp. 21. ſect. 4. n. 21. quibus ego addo Floronum de caſ. reſer. p. 1. c. 4. §. 22. n. 4. Raguciũ in lucerna Parochorum, q. 125. n. 5. Syluium in 2. 2. q. 11. art. 3. Nouarium in ſing. concl. 3. n. 8. Auilam de cenſ. p. 2. c. 7. diſp. 1. dub. 7. concl. 1. Victorellum in notis ad Man. Nauarri, c. 7. n. 74. Portell. in addit. ad dub. regul, verb. hæreſis, n. 26. Homobon. de examine Eccleſ. part. 1. tract. 5. c. 6. q. 35. Torreblancam de magia, lib. 4. c. 6. n. 3. Ricciullum tract. de iure perſon. lib. 5. c. 14. n. 7. & alij aſſerentes, quòd ita habet ſtylus Curiæ Romanæ, & ita fuiſſe declaratum à Gregorio XIII.

Sed hæc parum vrgent apud DD. primæ ſententiæ: nam reſpondet Fagundez vbi ſuprà, quòd ſtylus Curiæ Romanæ fundatur in probabilitate iſtius opinionis; non tamen tollit probabilitatem alterius. Adde quòd ſtylus Curiæ varius eſt, pro varietate Pontificum. Ad declarationem autem Gregor. XIII. reſpondetur, quòd de illa non conſtat authenticè. Tuentur igitur vtramque ſententiam Viri doctiſſimi : ſed mihi probabilior ſecunda videtur, quam ego ſequor.

### *An Epiſcopi poßint abſoluere ab hæreſi occulta, vigore Concilij Tridentini?*

RESOLVT. II.

Reſpondeo aliquos aſſerere, Epiſcopos vigore Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 6. poſſe abſoluere Hæreticos occultos, nec per ſubſequentes Bullas Cœnæ fuiſſe illis hanc poteſtatem ſublatam. Ita docet nouiſſimè Puteanus in 2. 2. q. 11. art. 4. dub. 2. Fagundez de Præcept. Eccl. tract. 2 lib. 8. cap. 8. num. 32. & 33. Portell. in addit. ad dubia regul. verb. Epiſcopus, num. 1. Souſa in Bulla Cœnæ, c. 23. diſp. 100. concluſ. 3. num. 7. & anteà docuerat Lorca in 2. 2. quæſt. 11. art. 4. diſp. 45. num. 10. Nugnus tom. 2. in addit. ad 3. part. quæſt. 8. art. 5. dub. 10. in fine. Ledeſma in ſumma, tom 2. tract. 1. c. 6. concl. 20. diff. 7. Emmanuel Sà verb. Epiſc. n. 37. Henriquez lib. 6. cap. 14. num. 7. & in Gloſſa litt. M, & lib. 13. c. 27. n. 5. litt. Q. cum aliis multis citatis à Sanchez in ſumm. tom. 1. lib. 2. cap. 11. n. 27. Ricciullo tract. de iure perſon. lib. 5. c. 14. num. 9. & Barboſa de poteſt. Epiſc. p. 2. alleg. 40. num. 21. & hanc ſententiam probabilem vocat nouiſſimè Sancius in Selectis, diſp. 50. num. 32.

Sed, his non obſtantibus, Sanchez, Ricciullus, & Barboſa, cum multis aliis penes ipſos, contrariam ſententiam docent, quibus ego addo Riccium part. 3. deciſ. 280. n. 1. Villalobos in ſumma, p. 1. tract. 9. dub. 61. n. 2. & 5. Gratianum in diſcept. tom. 3. c. 414. num. 20. Bellocchium de caſib. reſeru. p. 2. q. 1. n. 275. Sanctarellum, qui poſt hæc ſcripta prodiit in lucem, tr. de hæreſi, c. 5. dub. 5. n. 21. Ragucium in lucerna Parochorum, quæſt. 125 num. 5. Scortiam in Conſtitut. Pont. epit. 166. theor. 431. Nouarium in ſingul. concl. 3. n. 5. Syluium in 2. 2. q. 11. ar. 3. quæritur. 2. in fin. Fabrum de Sacram. Ordin. diſt. 25. quæſt. 1. diſp. 3. c. 4. num. 126. Homobonum de exam. Eccleſ. part. 2. tract. 12. cap. 4. q. 16. & de ſtat. part. 1. c. 8. Antonucium in Catech. Diœceſ. Neap. lib. 1. cap. 25. n. 9. Megalam in part. 1. lib. 1. cap. 13. num. 10. & 15. Floronum de caſ. reſer. part. 1. c. 4. §. 22. num. 2. & 4. Torreblancam de magia, lib. 3. c. 10. num. 17. Valerum in differ. vtriuſque fori, verb. hæreſis, diff. 5. num. 1. Hi omnes putant, Bullas Cœnæ derogare, & adimere ſupradictam poteſtatem Epiſcopis; & adducunt multos alios DD.

Verùm, qui ſuſtinent primam ſententiam, in fauorem Epiſcoporum, ſic illam firmant : Quia in Bulla Cœnæ non fit expreſſa mentio Concil. Trident. quod quidem eſt neceſſarium, vt cenſeatur illi derogatum: quia Conſtitutioni, ſeu decreto Concilij propter eius grauitatem non intelligitur derogatum, niſi de eo fiat mentio ſpecialis. cap. ex parte. de Capell. Monach. ibique Gloſſa in verb. nulla mentio, cap. nonnulli. de reſcript. vbi etiam Gloſſa in verb. fecerunt mentionem. & ibi Felinus n. 7. cum multis aliis.

Nec valet dicere, Pium V. & Gregor. XIII. cum Clemente VIII. contrarium declaraſſe: nam, vt benè reſpondent Fagundez, vbi ſuprà, & Souſa, de illis pontificiis declarationibus non conſtat authenticè: & cum res ſit adeò grauis, & iam ſcientibus Pontificibus controuerſa, id profectò deberent expreſſiùs, aliquo ſpeciali decreto declarare: Vnde ſubdit Fagundez, ſtando in hac opinione, quòd ſi hæreſis ſit nota quinque, vel ſex, etſi Hæreticus quinque vel ſex complices habeat, adhuc diceretur occulta, & ab illa Epiſcopi poterunt abſoluere. Putat etiam, in magna ciuitate non eſſe publicam, ſi nota fuerit ſeptem, vel octo perſonis Vide Portell. in addit. ad dubia regul. verb. diſpenſare, num. 5.

Notandum eſt etiam, ſecundùm ſupradictos DD. in tali caſu Epiſcopum poſſe committere abſolutionem alicui Confeſſario ſpecialiter ad eum hæreſis caſum deputato, vt aduersùs Suarez tom. 4. diſp. 30. ſect. 2. num. 9. & 15. & alios, probat Henriquez lib. 6. cap. 14. n. 7. & in Gloſſa, littera O. cum multis aliis apud Sanchez tom. 1. lib. 2. c. 11. num. 23. & probabile vocat Lorca in 2. 2. quæſt. 11. artic. 4. diſp. 35. num. 11.

Notandum eſt etiam, dictam abſolutionem poſſe Epiſcopum impertiri, extra Sacramentum Confeſſionis: nam per illam particulam, in foro conſcientiæ, non intelligitur forum ſacramentale, audita ſacramentali Confeſsione; ſed tantùm denotatur, vt abſolutio in foro externo non proſit, ſi contingat hæreſim in iudicium deduci. Ita Homobonus de exam. Eccl. part. 1. tract. 5. cap. 5. quæſt. 31. Claudius Soleri de poteſt. Confeſſor. cap. 30. §. 1. ex verbis, n. 6. præter illos, quos citat, & ſequitur Sanchez cap. 11. n. 13. qui etiam n. 17. & rectè, ait, poſſe Epiſcopum in tali caſu abſoluere ſubditum ab hæreſi in abſentia: & hoc, etiamſi talis ſubditus ſit extra Diœceſim, quidquid in contrarium aſſerat Suarez in 3. part. tom. 5. diſp 41. ſect. 2. num. 10. & 11. & etiamſi ipſe Epiſcopus cum ſubdito extra Diœceſim inueniretur; poſſet tunc vtique illum ab hæreſis excommunicatione abſoluere. Et hæc omnia aſſerunt Doctores pro firmanda opinione in fauorem Epiſcoporum, ſed ego contrariam exiſtimo probabiliorem, & ideò illam ſequor.

An



### *An Inquiſitores habeant facultatem abſoluendi ab hæreſi?*

RESOLVT. III.

Reſpondeo, Dominos Inquiſitores habere facultatem abſoluendi ab hæreſi, non ſolùm in foro externo; ſed in foro conſcientiæ; & præcipuè Inquiſitores Hiſpaniæ. Ita docent Campegius, Rodriquez Toletus, Guttierrez, Paramus, Bannez, Henriquez, & Graffius apud Riccium, & Sanchez, vbi infrà, quibus ego addo Homobonum de exam. Eccl. part. 2. tract. 11. c. 6. quæſt. 11. Puteanum in. 2. 2. D. Thomæ, quæſt. 11. art. 4. dub. 2. Lorichium in theſ. verb. Hæreticus, §. 12. Villalobos in ſumma, tom. 2 tract. 1. difficult. 12. num. 6. Freitam in additione ad tract. de Confeſſ. ſollicit. Epiſcopi Roderici Acugna, quæſt. 21. num. 18. & Garſiam de beneſ. tom. 2. part. 11. c. 10. n. 122. qui tres vltimi loquuntur de Inquiſitoribus Hiſpaniæ, & per conſequens noſtræ Siciliæ, quidquid in contrarium ſentiat Sanctarellus tract. de hæreſi, c. 5. dub. 7. num. 31. Farinacius de hæreſi, quæſt. 192. n. 52. & 54. Zecchius in ſumma, part. 1. tit. de fide, rubr. de hæreſi, c. 11. n. 18. Nouarius in ſingul. concluſ. 4. num. 2. Ricciullus tract. de iure perſon. lib. 5. c. 15. num. 3. Ioann. Valerus in different. vtriuſque fori, verb. Hæreſis, different. 3. num. 3. Riccius part. 2. deciſ. 579. n. 5. Sanchez in ſumma, tom. 1. lib. 2. c. 12. n. 3. & ſeq. & Suarez tract. de fide diſp. 21. ſect. 4. n. 15. & inclinat Barboſa de poteſtate Epiſcopi, part. 2. alleg. 40. n. 28. in fin.

Notandum eſt verò, quòd, ſtando in noſtra opinione, hæc facultas abſoluendi ab hæreſi competit cuilibet Inquiſitori, & non toti Conſiſtorio, vt aduersùs Henriquez, & alios notant, Villalobos in ſumma, tom. 2. tract. 1. difficult. 12. num. 7. Freitas, vbi ſuprà, num. 15. & alij: & ideò quilibet Inquiſitor poteſt eandem facultatem cuilibet Confeſſario delegare, vt aduersùs Campegium in addit. ad Zanchin. cap. 34. & alios, rectè notauit Sanchez vbi ſupr. n. 5. & Freitas num. 16. & Villalobos, & Homobonus, vbi ſuprà, tract. 12. cap. 2. quæſt. 4. qui etiam docuit, in Inquiſitore, ad hanc in foro conſcientiæ abſolutionem, & delegationem impertiendam, non requiri ordinem ſacerdotalem: quia talis facultas non conceditur Inquiſitori, in ordine ad Confeſſionem ſacramentalem, nec tanquam quid annexum Ordini; ſed officio, vt ſuprà diximus de Epiſcopo. Sed, cùm Confeſſarius non poſſit cogere, vt Hæreticus occultus prodat ſe Inquiſitoribus, vt alibi fusè probabitur, ſi Inquiſitores in tali caſu facultatem, vt ab ipſo Confeſſario abſoluatur, nollent impertiri, neque Epiſcopus, putantes ſe non habere talem facultatem, vel propter aliam rationem, quæritur, quid faciendum? Hanc quæſtionem nemo tractat, niſi Freitas, in addit. ad tract. de Confeſſ. ſollic. Epiſcopi Acugna; ideò veſtigia eius terens quæro.

### *Quid facere debeat Hæreticus occultus, qui abſolutionem ab Epiſcopo, vel Inquiſitore obtinere non potuit?*

RESOLVT. IV.

Reſpondeo : Hæreticus occultus, qui non potuit per Confeſſarium obtinere facultatem ab Epiſcopo, ſeu Inquiſitore, vt ab hæreſi abſoluatur, mittat Romam, ad maiorem Pœnitentiarium : & interim, dum talis expectatur facultas, obſeruet ea, quæ de occulto excommunicato, non data de præſenti Confeſſoris copia, tradunt, Nauarrus in Manuali, c. 27. num. 239. & Henriquez lib. 6. c. 15. n. 7. Et ita docet Freitas in addit. ad tract. de Confeſſor. ſollicit. Epiſcop. Acugna, quæſt. 21. n. 18. vbi aſſerit, nullum Authorem hunc caſum tetigiſſe.

Poteſt igitur, in tali caſu, Hæreticus occultus, ratione infamiæ, vel ſcandali, ſi timeantur, dum Sacerdos eſt, celebrare; ſi autem laïcus, Euchariſtiam ſumere, eliciendo priùs actum contritionis : & ſi non exiſtimat ſe contritionem perfectam habere, confiteatur, & à Confeſſario abſoluatur, ex doctrina probabili, quam docet Reginald. in praxi tom. 1. lib. 8. c. 7. n. 87. & alij, quos citat Sancius in Selectis, diſp. 32. num. 11. quidquid alij contradicant, cum Sancio loco cit.

Sed aliqui plus addunt, (attendat Lector,) etiam ſecluſo ſcandalo, & periculo grauis infamiæ, ſupradictum Hæreticum occultum, procurantem pro viribus abſolutionem; ſed propter paupertatem, aliúdve legitimum impedimentum non valẽtem Romam adire, vel mittere, neque ab Epiſcopo, vel Inquiſitore abſolutionem obtinere, ſi verè pœniteat, & contritus ſit, poſſe interim Miſſam celebrare, & Euchariſtiam ſumere, ſi laïcus eſt; ſi, vt diximus, ſcandali, & infamiæ timor adeſſet : & ita docet nouiſſimè Fagundez de Præcept. Eccleſ. tract. 1. lib. 3. cap. 12. n. 12. cum ſapientiſſimo ſene Martino Nauarro, aduersùs Franciſcum Suarez in 3. p. tom. 5. diſput. 9. ſect. 3. n. 7. quod eſt valdè notandum : & rationes adducit Fagundez. An verò hæc opinio ſit probabilis, iudicent viri docti: mihi enim non placet. Videamus modò, quis poſſit abſoluere Hæreticum in articulo mortis.

### *An quilibet Sacerdos, etiam Parocho præſente, poſſit in articulo mortis Hæreticum abſoluere?*

RESOLVT. V.

Reſpondeo, poſſe quemlibet Confeſſarium, in articulo mortis abſoluere Hæreticum : & hoc omnes concedunt. Difficultas eſt, quando Inquiſitor, vel Epiſcopus adeſſet : & in tali caſu putat Zambranus in deciſ. caſ. conſc. tempore mortis, c. 4. dub. 4. n. 15. & dub. 6. n. 4. & Bonac. de cenſ. diſp. 1. q. 3. punct. 3. n. 5. ægrum debere illos adire per Confeſſarium, vel per alium; ſeu per litteras facultatem, vt abſoluatur, petere.

Hanc ſententiam, & meritò, damnat Sanchez in ſumma, tom. 1. lib. 2. cap. 13. num. 14. Et ratio eſt: quia non adeſt obligatio pœnitenti, vt ſe per tertiam perſonam Superiori abſoluturo præſentet; & Confeſſarius non tenetur hoc grauamen ſuſcipere.

Adde, quòd ego puto probabiliter, in tali caſu ceſſare omnem reſeruationem caſuum, & cenſurarum : & ideò poſſe ſimplicem Sacerdotem, etiam præſente Confeſſario approbato, & Confeſſarium approbatum, etiam præſente alio Superiore, cui caſus illi, & cenſuræ reſeruantur, vel per priuilegium conceduntur; poſſe, inquam, in tali caſu abſoluere ægrum ab omnibus caſibus, & cenſuris, & per conſequens ab hæreſi : & ita docent Nauarrus, Rodriquez, Henriquez, Vegha, citati à Sanchez, vbi ſuprà. num. 6. quibus ego addo Villalobos in ſumma, tom. 1. tract. 27. clauſ. 1. §. 2. num. 7 Barboſam de poteſt. Epiſcopi, part. 2. alleg. 25. num. 51. Coriolanum tract. de caſ. reſeruat. part. 1. ſect. 2. art. 16. n. 7. & S. Conradum in Reſponſ. caſ. conſcient. part. 1. quæſt. 12. Ludouicum de S. Iuan in ſumm. part. 1. tract. de pœnit. quæſt. 6. art. 6. dub. 4. Ioan. Valerum in differentiis vtriuſque fori, verb. Excommunicatio. differ. 23. num. 1. Angles in 4. tom. 2. qu. de Confeſſione, art. de miniſt. diffic. in articulo mortis. Epiſcopum Zerolam in praxi de Pœnitentia, cap. 15. num. 4. Finellium de caſ. reſeruat. cap. 7. in fin. & ex Societate IESV Paulum Comitolum in Reſp. moral. lib. 1. quæſt. 22. num. 2. vbi ſic aſſerit : [ Mihi tamen in verba Concilij Tridentini intuenti, ſeſſ. 14. cap. 7. perquàm videtur probabile, vnicuique in mortis articulo conſtituto ius eſſe, cui collibitum fuerit, confitendi, quanuis proprius adſit Sacerdos : facit enim ille articulus, vt omnis ceſſet reſeruatio; cur non item ceſſet reſeruator? ] Etenim his verbis decernit Concilium: [ Veruntamen piè admodum, ne ipſa occaſione aliquis pereat in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis; atque ideò omnes Sacerdotes quoſlibet





pœnitentes

pœnitentes à peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt. ] In quibus verbis Concilium abſolutè, & indiſtinctè dicit, omnes Sacerdotes ea poteſtate gaudere in eo articulo. Ergo videtur omnibus illis parem iuriſdictionem, pro eo articulo, concedere: & cùm lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Vnde Petrus de Ledeſma Dominicanus, tenens hanc ſententiam *in ſumm.tom.1.tract.de Sacram. Pœnit.c.14. diff. 2.fol.mihi* 301. ſic ait: [ El derecho eccleſiaſtico (nempe, Concilium Tridentinum, *vbi ſuprà*) no pone exception ninguna, ſino tan ſolamente dice, que qualquiere Sacerdote puede abſoluer à qualquier penitente, de qualeſquier pecados, y cenſuras, luego en el articulo de la muerte qualquier Sacerdote puede confeſſar, aunque eſte preſente el proprio Parocho, ò otro que tenga iuriſdicion ſubdelegada. ] Hæc ille, ſatis, vt *ſuprà* dixi probabiliter: quidquid in contrarium, probabiliter etiam aſſerant Doctores, quos citat, & ſequitur Sanchez *vbi ſupr.n.* 7. quibus ego addo Sanctorium *de caſ. Pap. & Epiſcop.n.*146.Bonac.*de Sacr.diſp.5.q.7.punct.1.n.10. & de cenſ. diſp.9. q. 3. punct.3.n.3.*Benzonium *tract. de fuga,lib.1. diſp.1.q.6.*Sanctarellum *tract. de hæreſi,c.6.dub.1.n.2.*Puteanum *in 3. p. D. Thomæ,p. 2. q. 3. dub. 3. concl.* 1. Coninch *de Sacram. diſp.8.dub.2.n* 16. Reginaldum *in praxi,tom.* 1. *lib.1.c.7.n.61.*Auilam *de cenſuris,part. 2. c. 6. diſp. 3. dub.* 1. *concl.* 4. Vaſquez *in 3. p. tom. 4. quæſt. 93.art.1.dub. 4.n.18.* & Nugnum etiam *in addit.ad 3.p.tom.2.q.8.art.6.dub.3.fol. mihi* 300.

Notandum eſt verò, ſupradictum Hæreticum occultum abſolutum, vt *ſuprà*, in articulo mortis, debere ſe præſentare Summo Pontifici: nam cum hoc onere abſolutus cenſetur, ſi ſuperuiuat, ſub pœna reincidentiæ in eandem cenſuram; non vt iterum abſoluatur, quia iam abſolutus eſt: ſed, vt obediat eius mandatis. Ita Suarez *tom. 4.diſp.30.ſect.3.n. 6.* Henriquez *lib.13.cap. 29. num.* 4. Barboſa *in collectan.tom.2.lib. 5.tit.39.cap.11.num.* 5. & alij communiter: licèt contrarium aſſerat Nauarrus *cap. 26. num.*27.Auila *de cenſuris,part. 2. c.7.diſp. 3. dub.4. concl.* 1. §. 2. & Gambarupta *tract. de caſ. reſeru. cap.2.n.65*. quando cenſura non habet onus ſatisfaciendi cauſæ, propter quam incurritur, vt eſt in caſu noſtro: & probabilem putat hanc opinionem Filliucius *tom. 1. tract. 13. cap. 7. num.*141.

Sed, ſi aliam ſententiam vis amplecti, etiam dico, non eſſe neceſſarium, vt talis Hæreticus ad Summum Pontificem recurrat; ſed ſufficere, vt ab Epiſcopo, vel Inquiſitore denuò abſoluatur: nam prior abſolutio non obſtat, quin pœnitens poſſit nouam abſolutionem abſolutam obtinere: & ita docet Henriquez *lib.6.cap.10.n.3. in Gloſſa littera G.* Bonacina *de cenſ.diſp. 1. quæſt.3.punct.3.num.* 15. & alij. Sed videamus modò, an Prælati Regulares poſſint abſoluere ſuos ſubditos, in hæreſim occultam lapſos.

### *An Prælati regulares poſſint abſoluere ſuos ſubditos ab hæreſi occulta?*

RESOLVT. VI.

RESpondent aliqui, poſſe Prælatos regulares abſoluere ſubditos ſuos ab hæreſi occulta. Probatur ex priuilegio Pij V. apud Bullarium Rodriquez, *fol.*920. de quo facit mentionem Portel. *in dub.regul.verb. Abbas,n.6*. Sanchez *de matrim. tom.2.lib.8.diſp.2.n.3*. Suarez *in 3.p.tom.4. diſp. 30.ſect.2.n.7.* vbi tribuitur Prioribus Dominicanis, ac proinde aliis regularium Communitatum Superioribus erga ſubditos, in foro conſcientiæ tantùm, & per ſe ipſos tamen, omnis facultas abſoluendi, & diſpenſandi, quam habent Epiſcopi vigore Concilij Trident. *ſeſſ. 23. cap. 6.* erga ſuos ſubditos: ſed Epiſcopi, vt *ſuprà* viſum eſt, ſecundùm mentem aliquorum Doctorum, poſſunt etiam modò abſoluere ab hæreſi occulta: ergo poterunt etiam Superiores regulares.

Et ideò Suarez *de Relig. tom.4.tract. 9. lib. 2.c. 20.n.* 11. & Coriolanus *de caſ. reſer. p. 1.ſect. 1. art. 23.n. 6.* aſſeruit, quòd ſi authoritas Epiſcoporum reuocata non eſt per Bullam Cœnæ, poſſunt ſine dubio Superiores Regulares ex dicto priuilegio Pij V. hæreſim occultam abſoluere: quia extenſio Pij V. generalis eſt quoad omnes facultates: ſed *ſuprà* probabiliter ab aliquibus Doctoribus ſatis ex multis rationibus fundatum eſt, authoritatem Epiſcoporum per Bullam Cœnæ non fuiſſe ſublatam: ergo in vigore remanet priuilegium Pij V. & per conſequens virtute illius poteſt quilibet Superior regularis, ſicut Epiſcopi, abſolutionem ab excommunicatione hæreſis occultæ ſubditis ſuis impertiri. Non tamen approbo opinionem Megalæ *in 1.p lib. 1.cap. 13.n.* 10. vbi videtur docere, poſſe Regulares vti dicto priuilegio Pij V. non obſtante, quòd facultas tributa Epiſcopis fuerit ex vi dictæ Bullæ Cœnæ ſublata: non, inquam, approbo hanc ſententiam: quia Pius V. in illo priuilegio non vult, vt Regulares in hac parte habeant maiorem iuriſdictionem, quàm Epiſcopi; ſed tantùm, vt non ſint peioris conditionis: ergo, ſi eſſet ſublata authoritas Epiſcoporum, eſſet per conſequens, Regularium facultas ſuſpenſa. Et ita docet Suarez *vbi ſupr.de Relig. tom.4.lib.2.c.21.n.*10.

Sed dices primò, dato, & non conceſſo, quòd Epiſcopi nunc poſſint abſoluere ab hæreſi occulta, negatur, poſſe Regulares ex dicto motu Pij V. nam per Bullam Cœnæ omnia priuilegia derogantur: & ita, hoc priuilegium fuiſſe in Bulla Cœnæ derogatum, cenſet Suarez *vbi ſuprà*, cum Portel. *in dubiis regul.verb. Abbas,n.*11.

Sed ego contrariam ſententiam probabilem eſſe exiſtimo, quæ aſſerit, Bullam Cœnæ non derogare Regularium priuilegiis. Primò, quia fruſtrà innouarentur, vt ab vnoquoque Pontifice fieri ſolet, ſi in die Cœnæ ab ipſiſmet Pontificibus forent reuocanda. Secũdò, quia in clauſula Bullæ Cœnæ non prohibetur abſoluere ratione priuilegiorum, ſed eorum prætextu: prætextus autem non excludit illud, quod fit legitima facultate interueniente; ſed illud, quod ſub aliquo velamine exercetur. Et ſecundùm hanc expoſitionem intelligenda ſunt illa verba eiuſdem Bullæ Pij V. *concedendorum, & innouandorum.* Et ita docet in terminis Souſa *in Bulla Cœnæ, c.23. diſp.100. concl.7.n.3.* & Peirinus *de priuil. Minimorum,to.1.Conſtit.4.Sixti IV. §.5.n.6.& ſeq.* & Villalobos *in ſumma,part.1.tract. 9. diſp. 41. n. 5.* cum aliis, quidquid in contrarium aſſerant aliqui

Adde etiam, quòd Gregor XIII. anno 1564. die 18. Martij, indulſit Patribus Societatis IESV, vt conceſſiones illis factæ non cenſeantur per Bullam Cœnæ reuocatæ, vt habetur *in Compend.eiuſdem Societatis,verb. Bulla Cœnæ.§.2.*& notauit Suarez *de Relig. tom.4. tract. 10 lib.9.c. 20. n.* 18. & Portell. *in dub.regul.verb. Bulla Cœnæ.n.2.* Sed, cùm noſtra Religio, & communiter omnes aliæ, per communicationem gaudeant ſupradicto priuilegio: ergo, non obſtante derogatione Bullæ Cœnæ, poſſunt vti eorum priuilegiis, quaſi ſemper à Summis Pontificibus innouatis, & denuò conceſſis: quia ex priuilegio Gregor. XIII. per Bullam Cœnæ non reuocantur.

Inſtabis rurſus, non poſſe Regulares per dictum priuilegium Pij V. abſoluere ab hæreſi; quia in dicta conceſſione non fit ſpecialis mentio de hæreſi; & in nulla generali conceſſione cenſetur hæreſis abſolutio comprehendi, niſi ſpecialiter exprimatur, ſicut virtute Iubilei non abſoluitur hæreſis: & ita Sanchez *in ſumma,tom. 1. lib.2. c.11. num.* 7.Sanctarellus *tract.de hæreſi,cap.5.dub.1.n.9.* docent, in dicto priuilegio Pij V. hæreſim non eſſe comprehenſam, & Regulares, virtute talis priuilegij, illam abſoluere minimè poſſe.

Sed reſpondeo cum Suarez, *vbi ſupr. tom. 4. de Relig. lib.2.c. 20.num. 10.& 11.* Portell. *in dubiis regul. verb. Abbas, n. 6.* & aliis, hæreſim in illo priuilegio comprehendi. Et ratio eſt: quia, quando Pontifices volunt à generali aliqua conceſſione hæreſim excipere, illam nominatim excipiunt, vt patet in conceſſione facta à Gregor. XIII.

Fratribus



Fratribus ſancti Bernardi, in Hiſpania, apud Portell. *vbi ſuprà*, & in aliis Bullis. Ergo, dum non excipiunt, videntur illam concedere. Deinde in Bulla Pij V. expreſsè conceduntur caſus conceſſi Epiſcopis *in cap.6. Trid.* vbi ſpecialis mentio fit de hæreſi: adde, quòd, vt etiam probabiliter diximus, in iubilæo non exprimitur hæreſis; & tamen per generalem conceſſionem caſus Bullæ Cœnæ Doctores probatiſſimi aſſerunt, poſſe Confeſſarium, virtute illius, Hæreticos occultos abſoluere.

Plus addam. Etiam ſecluſo priuilegio Pij V. Patres Societatis IESV aſſerunt, ex priuilegio Gregor. XIII. poſſe eorum Generales, & Prouinciales abſoluere ſuos ab hæreſi occulta. Ita habetur *in Compend. Societat.§. 7. & 8.* & hoc etiam docent Ortiz *in ſumm.c.5. n. 29.* & Peirinus *de priuileg. Minimorum, tom. 1. Conſt. 4. Sixti IV. §.5. n.* 20. Suarez *de Relig.tom.4.tract. 10. lib.9.c.2.n.*17. docet poſſe Prouinciales ſubdelegare hanc facultatem in caſibus particularibus; non autem generaliter concedere alicui, niſi habuerint à Generali ampliorem facultatem, quam ipſe poterit concedere extra Hiſpaniam, vbi iudicauerit expedire. Et hanc etiam poteſtatem habere Generalem noſtræ Religionis, notauit Vir doctiſſimus & amiciſſimus, P. Peregrinus *in Compend.priuileg.p.2.tit.abſolutio.§.2.*

Notandum eſt etiam, quòd *in Societatis Compendio, ver.Bulla Cœnæ,§.8.* & apud Portel. *in dub.regul. verb. hæreſis, n. 2.* conceſſit Minoritis Alexander VI. facultatem abſoluendi ſuos ſubditos ab hæreſi occulta: & verba dicti priuilegij inuenies penes Villalobos *in ſum.tom. 1. tract.9. dub. 61. num. 9.in fin.* quibus quidem omnibus priuilegiis noſtra Religio, & ferè omnes, per communicationem gaudebunt.

Sed, his minimè ſuffragantibus, contrariam ſententiam ſequendam eſſe exiſtimo. Dico igitur cum Megala *conſ.21.n.6.* & Nouario *in ſingul.conc.3. n.*10. Prælatos regulares non poſſe abſoluere ſubditos ſuos ab hæreſi occulta. Et de hac opinione ampliùs non eſt dubitandum. cum nouiſſimè ita declaratum ſit per Sacram Cardinalium Congregationem, ſub die 17. Nouembris, 1628. Sed, quid faciendum, ſi caſus accideret? Reſpondeo, poſſe talem Regularem Hæreticum occultum, non ſolùm ab Inquiſitore abſolutionem obtinere; ſed ex licentia Superioris ſe ſubiicere Epiſcopo, & ab illo, ſecundùm opinionem DD. *vbi ſuprà in Reſol.2.* abſolutionem ab excommunicatione occultæ hæreſis impetrare, vt docet Sanchez *in ſumma,tom,1.lib.2.c.11.n.10. & lib.4.c.39.n 32. & 33.* cum Finellio *tract. de caſ. reſeru. cap. 7. n 6.* Et hoc procederet etiam, quando talis Prælatus iniuſtè denegaret licentiam petitam: nam per epiicheiam debemus credere voluntatem Papæ, & Religionis eſſe, vt Epiſcopus in eo euentu talem Religioſum exemptum abſoluat. Ita Pontius *de matrim.lib.8.c.5.n.14.* Molina *de iuſt.tom.4. tract.3. diſp 61. n.5.*& alij. Vide etiam Sanchez *in ſumma,tom. 1.lib.4.c.39. n.36.* & Suarez *in 3. part.tom. 4. diſp. 30. ſect.2. n.3.* quidquid in contrarium aduersùs illum aſſerat noſter Megala *in 1.p.lib.1.c.13.n.10.*

### *An Confeſſarius, virtute Bullæ Cruciatæ, poſſit abſoluere à caſibus contentis in Edicto DD. Inquiſitorum, hæreſi tantùm excepta.*

RESOLVT. VII.

RESpondent aliqui, omnia ſupradicta intelligenda eſſe de crimine hæreſis formaliter, non autem de aliis criminibus ſpectantibus ad Tribunal Sanctæ Inquiſitionis vt ſunt, ſortilegium, maleficium, ſuperſtitio, magia, adoratio Dæmonum, ſollicitatio in Confeſſione, blaſphemia hæreticalis, lectio librorum hæreticorum, defenſio eorum, & ſimilia: nam in huiuſmodi delictis, & ſimilibus, ſi aliquis non habeat errorem in intellectu, & credat omnia ab Eccleſia determinata; ſed crimina illa committat tantùm exteriùs ob iracundiam, vel ob ſenſualitatem, vel ex aliquo alio motiuo; is vtique (aſſerunt) poterit à quocunque Confeſſario, virtute Bullæ Cruciatæ, abſolui. Et probatur: nam ſupradicta Bulla concedit omnes caſus excepta hæreſi: ſed dicta crimina non ſunt formaliter hæreſis: ergo poterunt à tali Confeſſario abſolui.

Et ita ſecundùm Henriquez *lib. 6. c. 16. n.* 2. Portel. *in addit. ad. dubia regul. verb. libri prohibiti,n.* 14. Sanchez *in ſumma, tom. 1. lib. 2. cap. 12. n.* 12. Duardum *in Bulla Cœnæ, lib.3.§.2.q.8.& q.11.n.47.* Farinacium *de hæreſi,q.* 180. *n.*8. Acoſta *in Bulla Cruciatæ, q.62. concl.*4. Suarez *tract.de fide, diſp.24. ſect.1. n.*11. & alios, Confeſſarius virtute Cruciatæ poteſt abſoluere ab omnibus caſibus contentis in primo Can. Bullæ Cœnæ, excepta hæreſi.

Notaui etiam, quòd è ſupradictis caſibus, contentis in primo Can. Bullæ Cœnæ, Confeſſor poteſt tantùm per Cruciatam abſoluere ſemel in vita, & ſemel in morte, vt notauit Sanchez *vbi ſup.& c.30.n.17.* cum aliis. At malefici, ſortilegi, ſollicitantes in Confeſſione, blaſphemantes hæreticaliter, & ſimiles alij poſſunt abſolui virtute Cruciatæ toties, quoties: quia talia, & ſimilia delicta non includuntur in primo Can. Bullæ Cœnæ, dummodo, vt diximus, non habeant ſupradicti errorem in intellectu, quia ſic eſſent Hæretici formaliter: & ita notauit Filliucius *tom.1.tract.16.c.3. n* 49. Alterius *de cenſ. vbi ſupra*, & Suarez *in 3. part.tom.5. diſp.21. ſect. 2. n.* 14. vbi ſic aſſerit: [ Nec propter pactum cum Dæmone, nec propter alia peccata ad Tribunal Inquiſitionis ſpectantia, propter ſuſpicionem hæreſis, vel ſuperſtitionem Religionis, hæc cenſura Bullæ Cœnæ incurritur: quia hæreſis non ſunt. ] Regulariter enim in his, vt notauit etiam Filliucius, *vbi ſuprà*; non interuenit error in fide, ſed potiùs ex aliqua paſſione efficiuntur. Vide etiam Freitas *in addit. ad tract. de Confeſſ. ſoll. q. 21. n.*31. Ortiz *in ſumma,c.25. n.*11. quia aſſerunt, poſſe Confeſſarium abſoluere fœminam ſollicitatam, quæ non denunciauit, ſi poſteà denunciet; & hoc virtute Bullæ Cruciatæ. Delrius etiam *in diſq. mag.par. 3. lib.5. ſect.* 17. aſſerit, virtute eiuſdem Bullæ, quæ concedit caſus Bullæ Cœnæ, poſſe Confeſſarium abſoluere legentes libros magicos: quod etiam docet Raphael de la Torre *in 2.2. tom.2. q.96.art.4.diſp.5. in fin.* Giptius de veneficiis, ſortilegiis, & ſimilibus, abſolutè loquẽdo *in tract. de caſ.reſeru.c.6.n.*84. ita ait: Prudens Confeſſor, habens facultatem abſoluendi ab his caſibus, conſiderabit, ſit, necne, pœnitens verè hæreticus: nam, ſi quodcunque prædictorum, quantuncunque manifeſtam hæreſim ſapientium, fecerit, ſi reuerà non ſit Hæreticus, abſoluat illum, quidquid ſit futurum coram Inquiſitore, ſi res aliquo futuro tempore detegeretur: nam talis abſolutio non patrocinatur in foro exteriori. ] Ita ille.

Vnde ex opinione dictorum DD. apparet, quòd, ſtando etiam in opinione illorum, aſſerentium, fuiſſe Epiſcopis ablatam poteſtatem abſoluendi ab hæreſi; dicendum eſt tamen, poſſe Epiſcopos, hoc non obſtante, abſoluere à ſortilegiis, maleficiis, blaſphemiis hæreticalibus, & aliis delictis ſapientibus hæreſim; dummodo non adſit error in intellectu talia perpetrantium: nam, licèt hæc omnia ſapiant hæreſim, non ſunt tamen hæreſis formaliter. Et ita in terminis obſeruat Homobonus *de exam. Eccleſ.p* 1. *tract. 5. c.6. q. 31. in fine*, & ante illum Franciſcus Leo *in theſ.fori eccleſ.p.3.c.37.n.47.*

His tamen non obſtantibus, non deſunt DD. contrarium aſſerentes; nempe, ſub nomine hæreſis includi alia delicta contenta in Edictis Inquiſitorum. Et ita docet Fernandez *in exam. Theol mor. part. 3. cap. 9. §. 16. ſect. 1. num.* 1. Turrian. *tom. 1. in 2. 2. diſp* 56. *dub.* 2. Altherius *de cenſ. tom. 1. lib. 5. diſp. 2. cap. 9. in fine.* Azorius *tom. 1. lib.8 cap.* 19. *q.* 9. Ledeſma *in ſumma,tom. 2. tract. 1. c. 6. in fin.* & alij. Sed reſtat videre, an in ſupradictis delictis Regulares vigore ſuorum priuilegiorum, habeant poteſtatem abſoluendi.

*An regulares, virtute ſuorum Priuilegiorum, poßint etiam abſoluere à caſibus contentis in Edicto dictorum Dominorum Inquiſitorum?*

RESOLVT. VIII.

REſpondent aliqui, quòd Regulares, virtute ſuorum priuilegiorum, poſſunt abſoluere ſæculares ab omnibus excommunicationibus contentis in Edictis Dominorum Inquiſitorum dummodo tales excommunicationes non proueniant ex hæreſi formali, vel ex aliis criminibus contentis in Bulla Cœnæ.

Probatur hæc ſententia, primò ex priuilegiis: & ideò *in noſtro Comp. tit. Abſolutio, quoad ſæculares*, §. 1. ſic habetur: [ Omnes Confeſſarij noſtræ Congregationis, approbati iuxta formam Concilij Tridentini, habent facultatem abſoluendi quoſcunque Chriſti fideles, vndecunque venientes, à quibuſlibet peccatis, etiam apoſtolicæ Sedi reſeruatis, & à quibuſcunque cenſuris, ſententiis, & pœnis eccleſiaſticis ex illis reſultantibus; præterquàm ab his, quæ continentur in Bulla Cœnæ Domini. ] Hæc ſunt verba priuilegij: vbi pondera illam coniunctiuam dictionem, *etiam*, quæ demonſtrat, non ſolùm Regulares poſſe abſoluere à reſeruatis Sedi apoſtolicæ; ſed etiam à reſeruatis cuicunque inferiori Papæ.

Secundò, probatur ex illo communi axiomate, quod habetur *in regula iuris, in 6.* Cui licet, quod eſt plus; licet vtique, quod eſt minus: ſed plus eſt abſoluere à reſeruatis Papæ, quàm à reſeruatis Inquiſitoribus: ergo, &c.

Tertiò, probatur ex illa communi doctrina, in materia de cenſuris, nempe, excommunicationem ab homine abſoluendam eſſe ab illo, qui eam tulit, vel ab illius Superiore, vel ab illo, qui fuit ad id legitimè delegatus: ſed Regulares, vt *ſuprà* probatum eſt, habent poteſtatem abſoluendi ab omnibus cenſuris, à quibus Pontifex poteſt abſoluere; & Pontifex poteſt abſoluere à cenſuris latis per Dominos Inquiſitores: ergo ab illis poterunt etiam abſoluere Regulares qui habent iuriſdictionem delegatam à Summo Pontifice illis generaliter conceſſam, exceptis cenſuris in Bulla Cœnæ contentis. Et ita in terminis hanc ſententiam docet doctiſſimus Portel. *in addit. ad dub. regul. ver. ſollicitare fœminas*, *n.* 24. & Freitas *in addit. ad tract. de Confeſſ. ſollic. Epiſc. Roderic. Acugna, q.* 21. *n.* 31. Sed ego in hac quæſtione de meo nihil dico, & nihil pono: ſolùm refero, quod alij dixerunt.

Pro coronide verò huius diſputationis ponam hîc pulchrum dubium, & eſt: An ſit abſoluendus Hæreticus, qui ducitur ad comburendum, & moritur negatiuus, ſi anteà non fateatur veritatem publicè? Sanchez *in ſumma, tom.* 1. *lib.* 3. *c.* 7. *n.* 10. putat, non eſſe abſoluendum; & hoc ratione ſcandali: quia præſumitur decedere in hæreſi ideò ſi verè reus eſt, crimen ſuum fateri tenetur, vt ex hoc ſcandalum ceſſet. Non reticebo tamen Portel. *vbi ſuprà, in addit. ad dub. reg. ver. Reus, n.* 3. aduersùs Sanchez, contrarium docere: & quia codex rarus eſt, ponam eius verba, quibus aſserit: [Iſta doctrina dura mihi videtur; neque illam reperi apud aliquem Doctorem; neque Sanchez vllum citat; neque video, quare non militent pro iſto reo hæretico, ad illum ſic non obligandum, rationes prò excuſandis aliis reis non hæreticis, maximè cùm in reo hæretico violentius ſit, & magis infame veritatem publicè fateri. Quod verò attinet ad ſcandalum, quod putat Sanchez dari ab Hæretico negatiuo, dici poteſt non inde ſuſcipi ſcandalum, cùm omnes ſciant, ſolere reos negare, & ſimul ſciant illum poſſe verè confiteri ſacramentaliter in articulo mortis. Et idem ſcandalum ſuo modo ſuſcipi poteſt de aliis reis negatiuis ductis ad patibulum. Adde, quòd hoc non videmus fieri à Confeſſoribus doctis comitantibus reos hæreticos ad combuſtionem. ]Ita Portel. & hæc dicta ſufficiant pro præſenti quæſtione, quæ omnia ex probatiſſimis Authoribus deſumpta ſunt maximè ex Theologis Hiſpanis, quorum libri approbati fuerunt communi calculo Sancti Officij, & ab Illuſtriſſimis Inquiſitoribus, quibus hæc ſcripta, & alia in poſterum à me ſcribenda, humiliter, & ex corde ſubmitto.

# TRACTATVS VI.

## De paupertate religioſa, ſuper Bullam Clement. VIII. de largitione munerum.

*An iſta Bulla ſit vſu recepta, & adhuc obliget ad ſui obſeruationem?*

RESOLVT. I.

DVBIVS, & anceps circa propoſitam quæſtionem, videtur remanere Vincentius Filliucius *in quæſt. mor. tom.* 2. *tract.* 34. *c.* 3. *q.* 12. *num.* 81. ſed abſolutè docuit Stephanus Gratianus *in ſuis diſcept. forenſ. tom.* 2. *c.* 302. *n.* 17. dictam Conſtitutionem non fuiſſe vſu receptam à Superioribus Regularibus. Et hanc ſententiam nouiſſimè etiam docuit noſter P. Megala *in par.* 2. *lib.* 2. *c.* 27. *q.* 3. *n.* 6. ſed ex communi doctrina, vt notat Becanus *in ſumma Theol. part.* 2. *tom.* 1. *tract.* 3. *c.* 6. *q.* 8. *n.* 3. Azorius *part.* 1. *lib.* 5. *c.* 4. *q.* 1. Leſsius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 13. *n.* 98. & alij, leges Pontificiæ non obligant, niſi acceptentur à ſubditis. Ergo dicta Bulla Clement. VIII. non obligabit: quia non fuit à ſubditis recepta, Et hoc ait Megala, non ſolùm per decennium, ſed ſpatio ferè viginti annorum, vt omnes ſciunt.

Idem videtur docere Ioan. Valerus *verb. munera, n.* 106. vbi ſic aſſerit: Nota, hanc Conſtitutionem non ſolùm debere legi quotannis, in Capitulis Monaſteriorum; ſed etiam eſſe exarandam, atque ſcribendam in libris quoruncunque ſtatutorum ipſarum Religionum: quod non video obſeruari, ſicut nec omnes formas præſcriptas, nec pœnarum inflictiones. ] Sic ille. Hoc docet etiam Homobonus *de caſ. reſer. p.* 3. *c.* 3. & Victorell. *in notis ad Man. Nauar. c.* 18. *n.* 105. & poſt hæc ſcripta inueni, eundem Homobonum de Bonis *in ſuo examine Eccleſ. part.* 1. *tr.* 7. *c.* 30. *q.* 123. iterum adnotare, multos viros doctos in illa ſententia eſſe, quòd ſupradicta Bulla non fuerit vſu recepta quoad pœnas, quæ in illa continentur: & ego hanc ſententiam probabiliorem eſſe exiſtimo, quod nouiſſimè iterum docuit Megala *conſ.* 33. *n.* 17. Vide etiam Tannerum *in* 2. 2. *diſp* 6. *q.* 3. *dub.* 4. *n.* 107. & Scortiam *in Conſtit. pontific. epit.* 159. *theor.* 399. *in fin.* & Peirin. *de relig. tom.* 1. *cap.* 2. *q.* 2 §. 6.

Vnde ex his ego non condemnarem illum Religioſum, qui legitimè præſcriptum ſequeretur vſum ſuæ Prouinciæ, & Religionis, circa munera largienda, non obſtante dicta Bulla, ſaluo ſemper, &c. Verùm hîc Panormi quoad Moniales eſse dictam Bullam vſu receptam, teſtatus eſt mihi Reuerendiſs. Vicarius de la Ribba, Vir omnis litteraturæ conſultiſſimus.

Sed quidquid ſit de vſu, & obſeruantia eius, multæ difficultates circa intelligentiam ſupradictæ Bullæ elucidandæ ſunt, ad pacandas conſcientias, & ſcrupulos à Confeſſariis abigendos. Quæro igitur ſecundò,

*An in iſta Bulla Summus Pontifex condat nouum ius circa largitiones munerum Religioſorum?*

RESOLVT. II.

EX reſolutione huius quæſtionis pendet deciſio multorum caſuum: ideò aſsero, præter nouam formam circa cauſæ approbationem, Summum Pontificem non concedere



concedere nouum ius in hac Bulla. Ita Souſa *in explicat. huius Bullæ fundam.* 1. *n.* 8. & §. 3. *n.* 72. Ortiz *in ſumm. c.* 5. *num.* 10. Ioan. Valerus *in ſuis differ. vtriuſque fori, verb. munera, n.* 1. vbi ſic ait: [ Hæc Conſtitutio non eſt edita ad nouam diſciplinam, nouámque Religioni obligationem imponendam, vel ad nouum ius introducendum. ] Et *num.* 21. [ Apparet, hanc Conſtitutionem non eſſe iuris noui introductiuam, ſed reformatiuam; & iuris communis reſtitutiuam, & eidem conformem. Quare, quidquid ante hanc Conſtitutionem licebat, & dari iuſtè poterat, & nunc licet, & dari poteſt: quidquid nunc non licet, nec ante licebat. ]Idem etiam aſſerit *n.* 37. & *n.* 98. Idem docet Ioan. de la Cruz *de ſtatu Relig. lib.* 1. *c.* 3. *dub.* 1. *concl.* 3. vbi ſic aſſerit: [ Clemens VIII. in ſua Bulla multa vetat Religioſis circa largitionem munerum, quæ tamen omnia, exceptis pœnis ibi impoſitis, continentur in iure communi antiquo. ]Sic ille. Ita etiam docet Paulinus Berti *in explicat. huius Bullæ part.* 2. *caſ.* 3. *in fine fol.* 418. *col.* 1.

Solùm igitur, vt dixi, Pontifex in hac Conſtitutione inducit nouã formam circa cauſæ approbationem. Itaque cognitio, & determinatio, quæ ſit iuſta cauſa ad munus aliquod largiendum per Religioſum Superiorẽ, vel inferiorem, ſiue per aliquem conuentum, ſolùm ſpectat, & reſeruatur hodie per hanc Bullam generali Capitulo. Vnde colligitur, Generalem, licèt habuerit à Capitulo generali omnem poteſtatem Capituli generalis intra annum, ſeu annos; non poſſe ſe intromittere in cognitionem, & determinationem, quæ ſit iuſta cauſa ad munus aliquod largiendum, in caſu aliquo occurrenti.

Ex his patet, quanti ſcrupuli orirentur, & quantæ conſcientiæ inuenirentur illaqueatæ, ſi hæc Conſtitutio eſſet vſu recepta in Religionibus: nam vigore iſtius Bullæ nullus Superior, nec vllus Conuentus poteſt ex cauſa, quantuncunque iuſta, dare licentiam alicui Religioſo ad dandum munus aliquod, niſi cauſa ipſa cognoſcatur in Capitulo generali, & vnanimi omnium conſenſu ibidem approbetur: quæ quidem omnia credo ferè in omnibus Religionibus, non obſeruari, etiam in Obſeruantibus. Dicendum eſt igitur, vt *ſuprà* notauimus, hanc Conſtitutionem non eſſe vt plurimùm apud Religioſos vſu receptam, & approbatam, ſaluo ſemper, &c. Sed ex iſta quæſtione oritur alia. Quæro igitur.

*An cognitio quantitatis muneris largiendi, ſpectet etiam ad Capitulum generale?*

RESOLVT. III.

REſpondeo negatiuè: nam ad ipſum ( vt *ſuprà* diximus) ſpectat tantùm cognitio, & determinatio iuſtæ cauſæ dandi munus. Quare, cùm à iure communi non ſit recedendum, niſi quatenus nouum cogit; dicendum eſt, ſub cenſura Sedis apoſtolicæ cognitionem, & determinationem ad eoſdem Conuentus, & Superiores ſpectare, & eorum arbitrio relinqui quantitatem doni largiendi, cùm in contextu Bullæ non determinetur, quòd ſit munus notabile, & quod leue, ſiue munuſculum: & ſic Capitulum generale Dominicanorum, anno 1596. declarauit iuſtas cauſas largiendi munera; non autem quantitatem eorum. Hæc omnia inuenies apud Valerum *vbi ſuprà, n.* 49. & 50. Et quia codex rarus eſt, & Author doctiſſimus, aliqua ex ipſo libenter adducam. Si ſcire cupis cauſas approbatas à dicto Capitulo Dominicanorum, hæ ſunt. Prima eſt gratitudo. Secunda, conciliatio beneuolentiæ, aut eiuſdem conſeruatio; in ordine tamen ad Religionem, vel Conuentum, vel in ordine ad bonum finem reſpectu ſui ipſius. Tertia, pietas in parentes, & conſanguineos vſque ad quartum gradum incluſiuè. Quarta, redemptio vexationis. Sed declaranda ſunt aliqua circa quantitatem ipſam munerum. Quæritur igitur.

*Quanti valoris debeant eſſe munera, vt licitè fiant, & non ſint contra hanc Conſtitutionem?*

RESOLVT. IV.

PRælatos regulares poſſe ſibi, & ſuis concedere licentiam donandi vſque ad decem aureos pro cauſa pia, & rationabili, v.g. pro pauperibus, pro nuptiis cognatorum, pro gratificatione beneficiorum, &c. teſtantur Fagundez *de Præcep. tract.* 2. *lib.* 8. *c.* 6. *n.* 12. Corduba *in ſumm. q.* 54. Lopez *p.* 1. *inſtructor. c.* 152. Ioan. de la Cruz *de ſtatu Relig. lib.* 3. *c.* 1. *p.* 3. *dub.* 1. *n.* 162. cum aliis.

Sed, cùm hoc à iure non ſit determinatum, neque in hac Conſtitutione Summus Pontifex aliquid decernat; arbitrio Superiorum hoc eſſe relinquendum puto, qui penſatis conditionibus Religioſi volentis donare, & eius, cui fit munuſculum, & penſata cauſa, ob quam fit, & etiam vtilitate, quæ ex dicto munuſculo obuenire poteſt Religioſo, vel Monaſterio, & conſiderata etiam facultate ipſius Monaſterij, poterit minorem, aut maiorem facultatem dare in quantitate, & qualitate munuſculi. Ita Hieronymus Cenedo *de paupertate religioſa, dub.* 26. *n.* 6. *concl.* 2. Sanchez *in ſumm. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 19. *n.* 42. Azorius *part.* 1. *lib.* 12. *c.* 12. *q.* 4. & Suarez *de Relig. tom.* 3. *lib.* 8. *c.* 15. *num.* 13. cum Valero *vbi ſup. n.* 65.

*An, ſi Religioſus ſine licentia ſui Prælati præbeat munuſculum duorum aureorum, incidat in pœnas huius Conſtitutionis?*

RESOLVT. V.

REſpondeo, peccatum quidem furti admittere; non autem incurrere in pœnas huius Conſtitutionis. Et ita viuæ vocis oraculo declarauit Clemens ipſe VIII. Claudio Aquauiuæ, Generali Relig. Societ. IESV: & ego habui à Patribus dictæ Societatis tranſſumptum epiſtolæ ſupradicti Generalis, tranſmiſſæ ad P. Petrum Gambacurtam Panormitanum, ſub die 2. Martij, 1595. in qua declaratio ſupradicta Pontificis ponebatur. Et hoc etiam teſtantur multi DD. qui ſcripta ſua typis mandarunt poſteà: hi ſunt, Molfeſius *in ſum. tom.* 1. *tract.* 7. *c.* 20. *n.* 86. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 34. *c.* 3. *q.* 9. *n.* 65. & nouiſſimè Homobonus de Bonis *in exam. Eccl. par.* 1. *tract.* 7. *c.* 30. *q.* 123. cum aliquibus, quos tacito nomine citat Scortia *in Bull. Pont. epitome* 158. *theor.* 396. Et ratio declarationis Pontificis forſitan fuit: quia communiter ſumma duorum aureorum in iure dicitur ſumma modica, vt patet *ex l. ſi oleum.* 15. *fin. iuncta l. ſeq.* vbi Gloſſ. *ff. de dolo.* cum Felino *in cap. interfeciſti. de homicid.*

*An Monialis, ſeu Religioſus, cum licentia ſui Prælati, poteſt facere amico, ſeu cognato, corporalia magni valoris, ſeu picturam; & non incidere in pœnas huius Conſtitutionis?*

RESOLVT. VI.

NEgatiuè forſitan aliquis reſpondebit: quia, quidquid acquirit Monachus ex ſua arte, vel induſtria, acquirit Monaſterio: ergo, &c. Secundò, qui nequit dare, nec gratis poteſt remittere: ſed Religioſus, & Monialis non poſſunt dare: ergo neque remittere.

Sed ego cum Bonacina *in tract. var. diſp.* 3. *punct.* 1. *n.* 5. Scortia *in Bull. Pont. epit.* 158. *theor.* 396. Ioanne Valero *vbi ſup. n.* 66 & *ſeq.* affirmatiuam ſententiam ſuſtinendam eſſe puto. Dico igitur, quando ad faciendas illas res amicus, ſeu conſanguineus ſubminiſtrat omnia neceſſaria, & eius ſumptibus de licentia Prælati efficiuntur; vel cùm, antequàm fiant, Prælatus dat licentiam, vt fiant pro tali amico; tunc licèt neceſſaria accipiantur à Monaſterio, poſito quòd ſint parui valoris; puto, in vtroque caſu Religioſum,

gioſum, ſeu Monialem, poſſe gratis efficere illam picturam, ſeu corporale, vel aliam rem. Et ratio eſt; quia tunc non agitur de alienanda, ſeu donanda re, quæ ſit Monaſterij; ſed tantùm agitur de non acquirendo, quo in caſu Prælatus poteſt præiudicare Monaſterio, vt communis fert Doctorum ſententia, & probat Sanchez *de matrim. tom.* 1 *.lib.*6*.diſp.*4*.num.*13.

Secundò probatur: quia Clemens VIII. in iſta Bulla prohibet tantùm largitionem munerum de pecuniis, vel aliis rebus iam Monaſterio acquiſitis, & decernit eſſe faciendam reſtitutionem de muneribus contra hanc Conſtitutionem factis: ſed, cùm reſtitutio ſupponat ablationem, & in caſu, de quo agimus, nulla fiat ablatio pretij illius rei, quæ gratis efficitur, cùm nunquam datum fuerit, nec debeatur: ergo de hoc genere liberalitatis, & muneris non intellexit Pontifex in iſta Bulla aliquid prohibere.

Ad primum argumentum reſpondetur, verum eſſe, quidquid acquirit Monachus, Monaſterio acquirere: ſed nego, opera facienda ab ipſis Religioſis non poſſe confici gratis; de licentia tamen ſui Superioris, impenſis alienis. Et ratio eſt: quia erga talia opera nullum ius acquiſitum Monaſterium habet, antequàm efficiantur; nec habet ius ad rem, quia non adhuc ſunt in rerum natura; & ideò in talibus poteſt (vt diximus) Superior ipſi Monaſterio præiudicare.

Sic etiam reſponderi poteſt ad ſecundum argumentum dicendo, tunc qui nequit donare, non poſſe gratis remittere, quod debetur, quando aliquid eſt debitum: ſed in noſtro caſu eſt diuerſa ratio; nam nos loquimur de remiſſione illius, quod adhuc non debetur: & ſic eſt caſus diuerſus. Notandum eſt tamen, doctrinam huius reſolutionis non eſſe applicandam, quando Religioſus facit primò picturam, v.g. ſumptibus Monaſterij: nam in hoc caſu verum eſt, non poſſe Monachum rem illam multi valoris, etiam de licentia Superioris, donare: quia tunc res illa eſt ipſius Monaſterij, quod iam habet ius acquiſitum erga ipſam; & ideò ſic faciendo & donando, contraueniret huic Bullæ.

*An Religioſus poßit dare leuiora alterius generis, licet non ſint de leuibus comeſtibilibus & ad deuotionem pertinentibus conceßis in hac Bulla; & an caſus excepti in hac Bulla extendantur ad alios ſimiles?*

RESOLVT. VII.

NEgatiua ſententia ſuaderi poteſt ex illa vulgata regula iuris, quòd caſus exceptus firmat regulam in non exceptis: ſed in hac Bulla excipiuntur tantùm leuiora comeſtibilia, & ad deuotionem pertinentia: ergo excluduntur omnia alia.

Sed ego puto cum Ioan. de la Cruz. *de ſtat. Relig. lib.* 1*. c.*3*.dub.*5*. concl.*3*. n.*3. & Filliucio *tom.*1*. tract.*34*. c.*3*. n.*71. poſſe Religioſos dare etiam leuiora alterius generis. Et ratio eſt: quia, quoties in aliqua regula excipiuntur aliqui caſus, etiam caſus ſimiles conſequenter manent excepti. Vnde ex multis Euerardus *in ſuis topicis legalibus, loco à natura dictionum taxatiuarum*, *n.* 4. Antonius Gomez *tom.*1*. variar.c.*11*. n.*12. & alij probant, dictionem taxatiuam non excludere caſus ſimiles, in quibus eadem ratio militat. Item *l.fin.C.de reuocandis donat.* decernitur, quòd per ſolas quinque cauſas poteſt reuocari donatio; & tamen communis Doctorum ſententia docet, poſſe quoque ex aliis grauioribus, aut æquè grauibus. Ita Gloſſa *ex l. fin. ver.voluerit.* Abbas *c.fin. num.* 3*. de donat.* Nauarrus *tom.*4*. n.*48*. de Regul. ſeruant.l.*6. Iaceni *n.*59.Syluest.*verb. donatio,*1*. q.*13*. n.*17. Gomez *tom.*2*. variar.c.*4*. n.*14. Molina *de primog.Hiſp.lib.*1*.c.*9*.n.*32. Leſſius *de iuſt.lib.*2*.c.*8*. dub.*14*. n.* 104. cum multis aliis: quidquid in contrarium aſſerat Molina Theologus *de iuſt.tom.* 2*. diſp.*281*. verb.nobis verò* & Rebellius *part.*2*. lib,*18*. q.*9*. n.*8. Et ratio eſt: quia, cùm lex non poſſit excipere omnes caſus exceptione dignos, ponit aliquos loco exemplorum.

Dicendum eſt igitur, quòd licèt Summus Pontifex in hac Bulla interdixerit munera à Religioſis dari, præterquàm in caſibus hic exceptis; tamen ex doctrina *ſuperiùs* adducta caſus excepti debent extendi ad ſimiles, in quibus eadẽ ratio, vel vrgentior militat. Et hanc opinionem præter Ioan. de la Cruz citatum tenet etiam Souſa *in expoſit. huius Bullæ fundam.*5*. n.*38.39.40. & nouiſſimè Scortia *in Pontif.Conſt.epit.*158*. theor.* 396. Quod eſt maximè notandum ad multos ſcrupulos depellendos. Ad argumentum verò in contrarium *ſuprà* adductum poteſt quis reſpondere, regulam illam iuris, quòd caſus excepti firmant regulam in non exceptis, intelligendam eſſe de caſibus non exceptis, qui aliàs ſunt diſſimiles exceptis.

*An Religioſus, qui non acceptat aliquod donum; ſed rogat, vt detur amico, ſeu conſanguineo ſuo; peccet contra paupertatem, & contra hanc Bullam?*

RESOLVT. VIII.

AFfirmatiuè reſpondet Hieronymus à Sorbo *in compend. priuil. in expoſit. huius Bullæ, fol. mihi* 194. vbi ſic aſſerit: [ Prohibetur Religioſis donare quouis modo, ſiue directè, ſiue indirectè. Vnde, ſi quis, vel ſi qua diceret ſuis conſanguineis, vt quod vellent ſibi donare, donarent tali ſuo nomine, non poſſet fieri, cùm ſic eſſet donare indirectè.] Ita ille. Probatur hæc opinio: nam, ſi hoc non eſt dare indirectè, quid, quæſo, per indirectam donationem debet intelligi? Deinde *in l.* 2*. ff. de calum.* ita habetur: [Non refert, an ipſe pecuniam acceperit, an iuſſerit dari.]

Sed mihi, ſaluo ſemper meliori iudicio, cõtraria opinio probabilior videtur. Dico igitur, ſi Religioſus ſolùm ſe habeat, vt interceſſor apud Ioannem, v. g. vt ipſe Ioannes nomine ſuo det Petro aliquam rem; non peccabit contra votum paupertatis, & contra noſtram Conſtitutionem, Ita Peirin.*de Relig.tom.*1*.c.*2*. q.*2. §.4. Fagundez *de Præcep. tract.*2*. lib.*8*. cap.*6*. n.*18. Villalobos *in ſum.tom.*2*. tract.*35*. dub.*32*.n.*6. Scortia *in Bull.Pont.epit.*158*. theor.*397. Laym. *in Theol. mor.lib.*4*. tract.*5*. c.*7*. n.* 16. Filliucius *in quæſt. mor. tom.*2*.tract.*34*.c.*3*.q.*8*.n.*62. Bonacina *de contr.diſp.*3*. q.*12*. punct.*1*. n.*6. Barthol. à S. Fauſto *in theſ.Relig. lib.*8*. q.* 213. Sanchez *in ſumm.tom.*2*. lib.*7*.c.*19*. n.*74. Galerti *in margar. caſ.conſ.ver.Relig.n.*9. Naldus *in ſum.ver.Relig. n.* 11. Suar. *tom.*3*. de Relig.lib.*8*. c.*15*. n.*45. Rodriquez *in exer. ſpir.p.*3*. tract.*3*.c.*15. Turrian.*in* 2.2*. tom.*1*. diſp.*85*. dub.*3. Sanchez *de matrim.tom.*1*. lib.*6*. n.*7. Cenedo *de pauper.relig.dub.* 29*. n.*4. Gratian. *in ſuis diſcep.forenſ. tom.*2*. c.*202*. n.*17. & ante omnes Souſa *in expl.huius Bullæ,*§.3*.n.*73.

Et ratio eſt clara, & manifeſta: quia Religioſus tunc peccat contra paupertatem, quando diſponit de aliqua re ſua, vel Religionis, ſine conſenſu, & facultate Superioris: ſed in prædictis caſibus hoc non accidit, vt conſtat ex propoſita ſpecie facti: nam ſolùm petit Religioſus à ſæculari, vt rem aliquam donet alteri, de qua re ipſe Religioſus non acceptat, neque tacitè, neque expreſsè, vllum dominium, & poteſt ipſe ſæcularis ſemper, ſi velit, non dare: ergo, &c.

Deinde, Religioſus, ſeu Monialis, non poteſt donare: tamen ex hoc non ſequitur, quòd non poſſit petere ab alio potente donare, vt donet; poteſt enim prohiberi primum, & non ſecundum. Ergo, licèt Religioſus non poſſit donare; tamen poterit ab aliquo ſæculari potente donare petere, vt aliquid alicui donet, Sic Turrianus. Nec valet dicere, quòd in noſtro caſu Religioſus dicitur donare indirectè: nam, vt benè obſeruant Sanchez, & Cenedo *vbi ſuprà*, tunc dicitur donatio indirecta, quando adeſt tacita acceptatio, quia & in donatione indirecta præſupponitur dominium; & quando etiam adeſt iuſſus, vt donans tradat alteri: quod neutrum eſt in noſtro caſu; quia Religioſus,



Religioſus, neque expreſsè, neque tacitè acceptat dominium alicuius rei, & non iubet ſed rogat, & ſe habet, vt diximus, tanquam interceſſor: ergo, &c. Vel ſecundò dicẽdum cum Ioan. de la Cruz *de ſtatu Relig.lib.*1*.c.*3 *dub.*5. quòd donatio indirecta in hoc decreto Clementis VIII. vetita dicetur, v. g. ſi Religioſus mutuet animo non repetendi mutuum. Vel dicendum tertiò cum Sanchez, & Cenedo, *loc.cit.* illa verba, *directè, vel indirectè*, apponi, vt Religioſi intelligant: vt, cùm Hiſpanè dicitur: [ Ni os paſſe por el penſamiento el hazer eſto. ] Ex his patet reſponſio ad primum argumentum.

Ad ſecundum reſpondetur cum Cenedo: [ Que en aquella ley ſe induce vna tacita acceptacion, porque el mandar, que lo de à l'otro, importa, y ſuppone que ya fue adquirida la coſa para aquel, que mandò darla. ] Iuſſio enim, vt alteri detur, importat rem priùs iubenti eſſe acquiſitam; & verbum, *iubere*, importat neceſſitatem, vt notat Albericus *in ſuo Diction. verb. iubere*, & conſtat *ex l.* 1*. ff. quod iuſſu.* Sed in noſtro caſu non iubetur, ſed rogatur, ita vt, quemadmodum *ſuprà* diximus, poſſit ſæcularis rogatus rem illam non dare: ergo, &c.

Ex his apparet, me olim rectè reſpondiſſe, Monialem, quæ rogauerat matrem, vt daret alteri certam pecuniarum ſummam, non nomine ipſius Monialis, ſed nomine ſuo, non fregiſſe votum paupertatis, neque prohibitionem Clementis VIII. de largitione indirecta munerum. Et ita tunc ſenſerunt multi Viri docti ex noſtra Religione, & Societate IESV, à me de hac re conſulti.

*An Religioſus, qui celebrat aliquas Miſſas ad intentionem alicuius amici, ſciens, dictum amicum ſtipendium pro illis accipere; peccet contra paupertatem, & includatur in Bulla Clementis VIII.*

RESOLVT. IX.

REſpondi negatiuè; ex authoritate P. Franciſci de Souſa *in explic. huius Bullæ,*§ 3*. n.*74*. in fin.* vbi ſic aſſerit: [ No ſeria contra eſta ley, dezir tantas Miſſas, por la intencion de vno, aunque entienda, ſe ha el de aprouechar de la pitança, porque en eſte caſo, nada ſe da, que no ſea meramente eſpiritual, lo qual entiendo, ſi no eſtà obligado à celebrar por ſu Conuento. [ Sic ille.

Notandum eſt tamen, ſtante Bulla, non poſſe Religioſum, de ſola licentia ſui Superioris, donare ea, quæ acquiſiuit ex eleemoſynis Miſſarum, quas ſibi intra annum Conuentus, ſiue Religio concedit: nam eſt diſpar ratio inter hos duos caſus: & ita docet Ioan. Valerus *in differ. vtriuſque fori.verb.munera.n.*75. licèt ipſe ſententiam negatiuam huius ſecundi caſus vocet tantùm probabiliorem. Ergo poſſet aliquis dicere, affirmatiuam ex mente eiuſdem Valeri eſſe probabilem. Sed de hoc ego dubito: cogita.

*Parentes Monialium, vel Religioſorum præbent illis magnam pecuniarum ſummam, ad eorum, cui libuerit, beneplacitum diſpenſandum; reſeruando tamen pro ſe dominium, quæritur, an dictæ Moniales illas diſpenſando, peccent contra paupertatem, & incidant in Bullam Clementis VIII.*

RESOLVT. X.

NEgatiuam ſententiam amplectendam eſſe putat Souſa *vbi ſup.in explic.huius Bullæ*, §. 2*. n.* 73. vbi ita ait: La miſma razon corre de lo; que ſe dieſſe a los Religioſos, para que lo puedan gaſtar en ſu vtilidad, ò en la de quien ellos quiſieren, reſeruado ſiempre en ſi el verdadero domino, expreſſa, ò e mente tacitamente: porque entonçes, el Religioſo no es mas, que mero miniſtro del verdadore Señor, y no da coſa que pertenezca à la Religion. ] Ita ille. Et idem etiam docuit *infrà in* §.4*.n.*78.

Ex his haberent Confeſſarij principium ſatis amplum ad tollendos ſcrupulos, & adhibenda multa remedia in caſibus occurrentibus: nam, ſi Monialis, vel Religioſus de illis pecuniis, ſeu donis, nõ recipiat dominium; ſed illud apud dantem conſanguineum, ſeu amicum relinquat; tunc poteſt ſine vllo ſcrupulo, de illis rebus diſponere in perſonam Confeſſarij, vel alterius perſonæ: ſe haberet enim in hoc caſu tanquam miniſter conſanguinei, vel amici, cuius eſt illa pecunia. Sed hæc opinio, cùm loquatur de vſu abſoluto pecuniæ, videtur aliquibus, & mihi, nimis laxa, & contra perfectionem religioſæ paupertatis: ſi verò loquatur de vſu determinato ad eleemoſynam, vide *Reſol.*33.

*An Bulla Clementis VIII. prohibens largitionem munerum, locum ſibi vendicet ſi Moniales, vel Regulares, dent eleemoſynam?*

RESOLVT. XI.

REſpondeo negatiuè cum Riccio *in praxi. tom.* 2*. reſol.*25. & Souſa *in explicat.huius Bullæ* §.7*.n.*91. & quia Codex rarus eſt ponam eius verba: [ Eſta ley trata ſolamente de donaciones graçioſas; y el dar limoſna, no es propriamente donacion graçioſa, y aſſi el hazerla los Religioſos ſe ha de condenar, ò aprobar conforme al derecho comun. ] *Et in* §. 1*. n.* 64. ponit Doctor iſte aliqua verba conducentia ad hunç caſum, & multos alios decidendos: & ſunt iſta: [ Nota, que el titulo deſta Conſtitucion, es de ſolas donaciones graçioſas, y ſolo el abſolue infinitas dudas, que algunos han preguntado, y en eſpecial Religioſas, aſſi como, ſi les veda eſta ley el hazer algunas fieſtas, que tienẽ deuocion, y gaſtar en traer muſica, ò con el Predicador, ò en ſuſtentar à los que las viſitan, y gouiernan, ò en hazer otros miniſterios, en vtilidad del Conuento en comun, ò de alguna Religioſa en particular, de lo qual no trata eſta ley, porque todas eſtas coſas, y otras, como ellas, no ſe comprehenden de baxo del nombre de donacion, ſino de ſatisfacion. ] Hæc ille, quæ ſunt admodum notanda: quia multùm practicabilia: & nos de hac quæſtione *ſuprà* etiam diximus.

*Quotnam ſint fines, ſeu cauſæ finales, huius Conſtitutionis Clementis VIII.*

RESOLVT. XII.

QVatuor eſſe reſpondet Bartholomæus à S. Fauſto *in theſauro Relig. lib.*8*. q.*208. Homobonus *de exam. Eccleſ.part.*1*.tr.*9*.c.*5*.q.*10. Filliucius *tom.* 2*.tract.* 34*. c.*3*. q.* 6. Paulinus Berti.*in explic. huius Bullæ, part.* 1*. principali, fol. mihi* 414*. col.* 1. & ante illos Hieronymus à Sorbo *in Compen. priuil.* Prima, vt religioſa diſciplina labefactata in priſtinum ſtatum reſtituatur & quæ incolumis permanet, conſeruetur. Secunda, vt votum paupertatis integrum ſeruetur. Tertia, ne bona Monaſteriorum, vel quoruncunque Regularium dilapidentur. Quarta, ne praua ambitione compulſi Religioſi pro conſequendis Officiis alter alterius gratiam, vel protectoris, ſeu aliorum beneuolentiam aucupentur.

Sed hanc ſententiam, quoad partem, & meritò, impugnat Ioan. Valerus *in diff. vtriuſque fori verb. munera, n.* 20.23. & 81. Granado *in par.*2*.diſp.*15*.ſect.*3*.n.*18. cum Patre Souſa *in expoſ.huius Bullæ, fundam,*5*. n.*34. vbi ſic aſſerit: [ El obuia los grandes daños, que ſe ſiguen de la diſſipacion del patrimonio de Chriſto, y el ſoborno para alcançar Officios, y Dignidades, ſon las razones fundamentales deſta ley. De lo qual ſe ſigue, que no hablò propriamente Fray Hieronymo à Sorbo en ſeñalar por primera razon fundamental, la obſeruançia regular, porque eſta no es cauſa proxima, ſino comun, de todo quanto ſe manda à los Religioſos: y mucho menos exponer por ſecunda razon, la guarda del voto de la pobreza indeterminadamente

mente,ſino entienda del abuſo notable cerca deſte voto,ò del quebrantamiento del en coſa graue; porque la Conſtitucion no vſa deſte termino, *voto de pobreza,* ni ſe hallara en toda ella, y no quebrantandole de vna de las maneras dichas,no ſe ſiguen grandes daños,y incommodos, como la ley declara; y de ſeñalar por cauſa fundamental,la guarda del voto de la pobreza indeterminadamente, como eſte Author haze,podrian nacer muchos eſcrupulos, y inconuenientes.] Ita ille.

Non rectè igitur DD.citati adduxerunt quatuor cauſas finales huius Conſtitutionis; duas enim eſſe dicendum eſt; nempe,ne bona Monaſterij dilapidentur, & ne detur ambitionis occaſio; quod ſummoperè notandum eſt:nam ex iſto principio multæ dubitationes benignè reſoluendæ ſunt.Vnde non benè aliqui hanc poſteriorem ſententiam olim nolebant admittere:eſt enim probabiliſſima,& illam præter DD. citatos tenent etiam multi viri doctiſſimi de hac re à me conſulti,tam ex Societate IESV,& ex Dominicanorum Familia,quàm ex noſtra Religione.

*Quænam eſculenta, & poculenta poſſit Religioſus largiri,in terminis huius Bullæ Clementis VIII. & ad quem valorem aſcendere poſſint?*

RESOLVT. XIII.

VAlorem eſculentorum,& poculentorum, quæ in hac Bulla conceduntur, non debere ſuperare quantitatem, quæ in furto inducit peccatum mortale, docet Bartholomæus à S.Fauſto *in theſ.Relig.lib.*8.*q.*218.& Paulinus Berti *in explic.huius Bullæ,in* 10.*caſibus poſitis poſt p.*2.*principalem*: & putant, hanc quantitatem non debere excedere valorem trium Iuliorum. Vide etiam Fabro *de reſtit. in* 4. *ſen.diſt.*15.*q.*2.*diſp.*45.*c.*5.*n.*122. Igitur,ſecundùm hos Authores,eſculenta,& poculenta non ſumuntur in hac Bulla in ſignificatu in quo ſumuntur, & explicantur in multis locis canonum,& iuris communis.

Sed meritò contrariam ſententiam docet Souſa *in expoſit.huius Bullæ,*§.4.*n.*80.& 30. Bonacina *in tr.var.diſp.* 3. *punct.*1.*n.*9. & Valerus *in differ. vtriuſque fori,verb. munera, diff.*1.*n.*59.vbi ſic ait: [Quæ autem dicantur leuiora eſculenta,& poculenta in hac Bulla,deduci poteſt *ex cap.ſtatutum.* §. *inſuper. de reſcrip.in* 6. nimirum, quæ paucis diebus conſumi poſſunt.]Vbi Gloſſa *verb.paucis.* addit,& hoc arbitrio boni viri relinquendum, cùm aliter non determinetur, habita conſideratione perſonæ dantis, & perſonæ recipientis,vt *in c.etſi quæſtiones.de ſimon.*

Et ita ego hanc ſecundam ſententiam puto probabiliorem:quia, vt *ſupà* notatum eſt, hæc Bulla non eſt iuris noui inductiua, ſed reformatiua, & iuris communis reſtitutiua, & eidem conformis, Quare, quidquid ante hanc Conſtitutionem licebat & nunc licet, & dari poteſt: & è contra, quidquid nunc non licet,nec ante licebat.Ex quibus apparet, eſculenta, & poculenta huius Conſtitutionis, intelligenda eſſe, ſecundùm terminos iuris communis.

*An Religioſi,recipientes in Monaſteriis aliquem,non occaſione tranſitus,vel deuotionis;ſed recreationis cauſa, incidant in pœnas huius Conſtitutionis Clementis VIII.*

RESOLVT. XIV.

AFfirmatiuam ſententiam docet Bartholomæus à S. Fauſto *in theſ.Relig.lib.*8.*q.*224.*n.*5.Sorbo *in compen. priuileg. ver. dare. in explicat. huius Bullæ,* & Paulinus Berti etiam *in explic.huius Bullæ,in* 10.*caſibus poſt p.*2.*principalem, caſ.vlt*& nouiſſimè Bonacina *in tract.variar.diſp.*3.*punct.*2. *num.*12.

Sed tu contrarium tene cum Franciſco Souſa *in expoſ. ſupradictæ Bull.*§.7.*n.*91.vbi ita ait: [Nota,que de ſeñalar la ley tres cauſas de venir los ſeglares à los Conuentos, no ſe ſigue, que ſi vinieren por otras, no ſe podrà hoſpedarles:lo vno, porque aquellos caſos ſon exemplos, y en los ſemejantes corre la miſma razon, y lo otro, porque no eſta en aquello la fuerza, ni intento de la ley, ſino en euitar gaſtos ſumptuoſos, y exceſſiuos, y ordenar ſe exercite la hoſpitalidad con moderacion religioſa, y come eſto ſe guarde, poco importa, que el hueſped venga al Monaſterio por vna de aquellas cauſas,ò por otra,aunque ſea por ſolo yrſe à recrear con los Religioſos.] Ita ille. Vnde apparet, quam benignè, & ſatis probabiliter, hic Author explanet in hac Bulla mentem Pontificis contra aliorum rigidas expoſitiones.

*An donatio remuneratoria ſit prohibita in hac Bulla, ita vt Religioſus,ſeu Monialis largiendo aliquod donum in remunerationem, contraueniat huic Conſtitutioni?*

RESOLVT. XV.

PRO parte affirmatiua non deſunt rationes: quia Summus Pontifex in hac Bulla prohibet Religioſis largiri dona, ex quacunque cauſa. Deinde, Pontifex prohibet donationes indirectas: ergo prohibet donationes remuneratorias, quæ ſunt donationes indirectæ. Nam, ſi non prohiberet has donationes, minimè prouideret de ſufficienti remedio in ordine ad bonum commune Monaſteriorum: quod quidem prouidere intendebat; quia, ſub titulo remunerationis, Prælati, & Religioſi facilè bona Monaſterij,largiendo,notabiliter diſtraherent: ergo, &c. Secundò probatur hæc ſententia: nam donatio inter virum,& vxorem eſt prohibita, vt patet *ex cap. finali, de donat. inter virum, & vxorem.* Barthol. *in l. quod meo*, & ibi Alexander *ff. de acquiren. poſſeſſ.* Anton. Gamma *tom.*2. *variarum reſolut. cap.* 4. *n.* 23. & ſtante hac prohibitione non valet inter ipſos coniuges donatio remuneratoria. Ita Pinellus *de bonis matern.lib.*1.*part.*3.*num.* 61. & 62. Matienzo *lib.*5. *Recopil.tit.* 9. *l.*3.*gloſſ.*6.*num.*3. cum aliis.

Sed contrariam ſententiam prorſus amplectendam eſſe iudico. Dico igitur, quòd quando prohibetur donare ſimpliciter, vel ſub conditione,vel ſub modo,eo ipſo non prohibetur donare ob merita,quæ præceſſerunt: nam donatio antidoralis,quæ dicitur remuneratoria,non eſt propriè, & ſtrictè donatio, vt apertè colligitur *ex l. Attilius Regulus. ff. de donationibus.* Et ratio eſt:quoniam,qui donat gratis, omninò, & liberaliter donat: ſed remuneratoria donatio fit propter beneficium,quo aliquis benè de nobis meritus eſt: efficitur ergo hæc donatio de re ex gratitudinis virtute,morálique honeſtate debita, & hac de cauſa non debet computari inter ſimplices donationes. Ita Homobonus *in exam. Eccleſ. part.*1. *tract.* 1.*c.*6.*q.*28. Valerus *vbi ſup.verb.donatio,diff.*2.*n.*2. Ioan. de la Cruz *in director. conſcient.par.*1.*præcep.*7. *art.*2. *dub.*2. Azorius *par.*3. *lib.*11. *cap.*1.*q.*4. & *c.*2. *q.*3. Molina *de iuſt.tom.*1.*tract.*2. *diſp.*244. *n.*3. & communiter Iuriſconſulti, & Theologi: & in terminis noſtræ Bullæ ita etiam docuit Hieronymus de Ceuedo *de paupertate relig. dub.* 27. *per tot.* Bartholomæus à S. Fauſto *in theſ. Relig. lib.* 8. *q.* 227. *n.* 4. Riccius *in praxi, tom.*1. & *in* 3. *part deciſ.* 227. *num.*4. Bonacina *de contract. diſp.*3. *q.*11. *punct.* 1. *num.* 6. Paulinus Berti *in expoſit. huius Bullæ,quæſt. vlt. caſ.* 7. Ioan. Valerus *in differ. vtriuſque fori, verb. munera*, *n.* 97. Rodriquez *in quæſt. Regul. par.* 1.*q.* 27. *art.*6. Scortia *in Conſtit. Pont. epit.* 158. *theor.*396. Peirinus *de Relig tom.*1.*c.*2. *q.* 2. §.6. & ante omnia Souſa *in expoſ. huius Bullæ,*§.1.*n.*65.& 66.

Reſtat modò reſpondere ad argumenta contraria. Ideò ad primum reſpondeo. Pontificem in hac Bulla prohibere illas donationes indirectas, quæ ſunt in præiudicium Monaſterij: & tales non ſunt donationes remuneratoriæ; ſed potiùs in vtilitatem, & beneficium ipſius Monaſterij:



quia hæ donationes conferuntur propter beneficia, & vtilitatem receptam, & incitant benefactores ad magis in poſterum benefaciendum. Ex quibus patet, licitas eſſe munerum largitiones, quæ fiunt benefactoribus Monaſteriorum,& etiam iis,qui ſperantur aliquando poſſe benefacere: quia ſimiles largitiones dantur ad lucrum, ſiue (ſi ita loqui licet) ad vſuram, potiùs in commodum, quàm in damnum Monaſteriorum redundant:quod nota; quia quotidianum.

Ad ſecundum,exploditur ſententia illorum DD. vt rectè probat Sanchez *de matrim.tom.*1.*lib.*6.*diſp.*6.*n.*11.& *ſequent.* Turrianus *in* 2.2.*tom.*2.*diſp.*76.*dub.*6.Cenedo *vbi ſuprà,n.*18.& alij,qui communi calculo aſſerunt, valere donationem inter virum,& vxorem,ſi donatio remuneratoria ſit. Sed, quia tales donationes remuneratoriæ à Religioſis factæ poſſunt eſſe vltra merita,& excedere beneficia recepta,quæritur modò.

*An Religioſi, & Moniales poſſint largiri, non ſolùm dona æquipollentia meritis, ſed etiam vltra?*

RESOLVT. XVI.

NEgatiuè videtur reſpondendum:nam donatio remuneratoria debet meritis æquipollere, & in eo exceſſu eſt donatio ſimplex.Ita doctiſſimus Ioan.Petrus Surdus *in ſuis conſiliis lib.* 2. *conſil.* 164. *num.* 33. & Doctores penes ipſum, & probatur *in l.ſi ſponſus.* §. *circa. ff. de donat. inter vir.& vxor.* Vide etiam Pariſium *lib.* 3.*conſ.*90.*n.*14. Chaſſaneum *conſ.*7.*n.*11.Menochium *de arbitr.iudic.caſ.*132.*n.*5. & alios.

Sed,quia,vt ait D.Thomas 2.2.*q.*106.*art.*6.gratitudinis lex poſtulat, ſemper plus reddi,quàm ſit acceptum,ideò in terminis noſtræ Conſtitutionis puto cum Ioan Valero, *vbi ſupr num.*97.Religioſos,ſeu moniales non ſolùm poſſe, quantùm ſatis eſt,ad ſatisfaciendum obſequiis,& muneribus acceptis;ſed etiam aliquid vltrà,arbitrio boni, & cordati viri,donare. Et pro hac ſententia Valerus citat Cordubam.& Nauarrum, & illam nouiſſimè tenent Cenedo, & Sanchez,*vbi ſuprà.*

Et, vt aliquid in particulari ad tollendos ſcrupulos dicamus,puto,donationem remuneratoriam non eſſe contra Conſtitutionem Clementis,quando excedit valorem meritorum,& beneficiorum,in quarta parte.Vt ſi,v.g.valeant duodecim,& à Religioſo,ſeu Moniali donentur ſexdecim. Sic tenet Barboſa *in l.quæ datis.* 34.*n.*60.*ff.ſoluto matrim.* & Nauarrus *de reddit. quæſt.* 1.*n.*91. & probabilem hanc opinionem vocat Sanchez *de matrim.tom.*1.*lib.*6.*diſp.*6.*num.*9. & poſt illum Hieronymus Cenedo *de paupertate religioſa, dub.*17.*num.*13.

*An Moniales, cum licentia Abbatiſſæ,ſeu Prælati, poſſint præbere Confeſſario, vltra iuſtum ſtipendium aſſignatum, aliquid amplius?*

RESOLVT. XVII.

REſpondeo affirmatiuè, ſi ſeruiat cum magna charitate,patientia,aſſiduitate,&c.Ita in terminis Scortia *in Bull.Pont.epit.*158.*theor.*395. Bartholomæus à S. Fauſto *in theſ. Relig. lib* 8. *quæſt.* 227. *num.* 7. vbi ſic ait: [Quando famuli pro certo ſalario inſeruiunt Monaſterio cum magna fidelitate: his enim, vltra ſalarium iuſtum, poteſt dari aliquid ampliùs; quia non eſt propriè donatio, ſed beneficij remuneratio.] Sic ille. Et antè hoc etiam docuerat Paulinus Berti *in explicat. huius Bullæ, q vlt. caſ.*6.*fol.*423. Sed hæc omnia,& ſimilia limita, & intellige, niſi præcepto Superioris arctata ſit in hoc eorum facultas. Vide *infrà Reſol.*23.



*An, ſi Religioſus largiatur munera alteri Religioſo,incidat in pœnas huius Bullæ?*

RESOLVT. XVIII.

VIdetur reſpondendum affirmatiuè:quia in hac Conſtitutione prohibentur largitiones munerum inter ipſos Religioſos: & ita tenet Barthol. à S. Fauſto *in theſ. Relig.lib.*8. *quæſt.*209. *n.*2. & Paulinus Berti *in explic. huius Bullæ p.*1.*fol.*141.*col.*2.

Sed ego puto, quòd ſi aliqua ambitio in Religioſis non præſumitur, largitio munerum inter ipſos non eſt prohibita. Et colligitur apertè ex verbis Bullæ, ibi: *Ne praua ambitione impulſi.* Vnde Religioſus, qui alteri Religioſo præberet munera, ſine vllo ambitionis intentu, non includeretur ſub hac prohibitione: nam, vt diximus, hæc prohibitio fundatur in præſumptione ambitionis: vnde, ſi ea ceſſet, ceſſabit etiam prohibitio, ſaltem in foro conſcientiæ: lex enim fundata in præſumptione, non obligat in conſcientia, ſi præſumptio deficiat. Et ita in terminis noſtræ Bullæ reſoluit hoc quæſitum Ioan. Valerus *in diff. vtriuſque fori. verb.munera, n.* 82. Vide *ſuprà Reſol.*13.

*An Religioſus de annuis redditibus, ex Superioris licentia, ad ſuum vſum conceſſis, ſine aliqua reſtrictione poſſit liberè, parciùs viuendo, aliis donare?*

RESOLVT. XIX.

MInimè videtur ex textu huius Bullæ, vbi ſummus Pontifex ſolùm concedit Religioſis largiri munuſcula.Et ita tenet Azorius in terminis noſtræ Bullæ,*part.*1. *lib.* 12. *cap.* 9. *quæſt.* 6. Fauſtus *in theſ. Religion. libr.* 8. *quæſt.* 154. *n.* 3. & Sanchez *in ſumma.tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 105.

Sed affirmatiuam ſententiam probabilem eſſe iudico, cum licentia, ſaltem tacita, ſui Superioris. Et ratio eſt: quia hæc Bulla prohibet tantùm largitiones munerum, ex quibus grauia incommoda, & mala Monaſteriis inferuntur: ſed donatio eorum, quæ Religioſi, parciùs viuendo, reſeruant, non affert multùm damni Monaſterio, vt patet:ergo, &c. Probatur minor: nam in tali donatione Religioſus nullum damnum infert Monaſterio, ſed genio ſuo, & ventri, & condecentiæ ſuæ perſonæ, cui hæc detrahit, & parcè viuendo aufert. Ideò ex hac opinione datur occaſio Religioſis, vt libentiùs frugalitati, & moderato ſumptui aſſueſcant, dum ſciunt, ea, quæ de ſibi neceſſariis detrahunt, poſſe licitè parentibus, & aliis de ſe benemeritis donare, & in aliis licitis operibus expendere. Et ita hanc ſententiam in terminis noſtræ Bullæ ſuſtinet,& docet Ludouicus Beia *in reſponſ. caſ. conſc. p.* 4. *caſ.*32. Hieronymus Cenedo *de pauper. relig. dub.* 32. *n.*9. & 15. & *dub.* 17. *n.* 9. Ioan. Valerus *in diff. vtriuſque fori, verb.munera,n.*73.qui addit aliam rationem: nam, vt diximus *ſuprà*, in iſta Conſtitutione non redditur illicita illa largitio munerum, quæ ante ipſam erat licita, ſed largitiones munerum à Religioſis, qui parciùs viuebant, ante hanc Conſtitutionem erant licitæ:ergo erunt & modò. Ex quibus apparet, me rectè olim conſuluiſſe cuidam Religioſo, extra Clauſtrum moranti, cui certi annui redditus, ſine vlla reſtrictione, à ſuo Superiore aſſignati fuerant, potuiſſe ſine vllo ſcrupulo donationes decentes facere,& aliquas eleemoſynas præbere.

Ex his apparet, quòd non rectè aliqui hanc ſententiam his diebus noluerunt admittere: eſt enim probabilis: & illam, præter DD.citatos docent etiam multi Viri docti de hac re à me conſulti ex Societate IESV, & ex noſtra Religione, & nouiſſimè illam etiam docet Peirinus *de Religioſo ſubdito,tom.*1.*q.*2.*cap.*2.§.6.

*An, quando Religioſi inter ſe largiuntur munera de rebus minimis, neceſſarium ſit, habere licentiam expreſſam, & in ſcriptis, ſuorum Superiorum?*

RESOLVT. XX.

AFfirmatiuè reſpondet Berti *in expoſ. huius Bullæ, p. 2. caſ. 3. fol.* 417. *col.* 2. *in fin.* & ex parte Barthol. à S. Fauſto *in theſ. Relig. lib.* 8. *q.* 219. *n.* 5. Et ratio eſt; quia ita aſſerunt verba Bullæ.

Sed mihi probabilis videtur contraria ſententia, quæ aſſerit, dictam prohibitionem intelligendam eſſe in ordine ad Religioſos, de quibus aliqua ambitio timeri poteſt: ſecus autem de Religioſis, in quibus prædicta ambitio non timetur. Et in his non eſt neceſſaria licentia Superioris expreſſa, & in ſcriptis: ſed ſufficit licentia tacita, & multò magis verbalis, ſaltem in foro conſcientiæ. Et ideo Bartholomæus à S. Fauſto, *vbi ſuprà*, idem ſentit de licentia in ſcriptis: putat enim, hanc eſſe neceſſariam tantùm in ordine ad forum externum. Et abſolutè hanc opinionem docuit Ioan. Valerus *in diff. vtriuſque fori, verb. munera, num.* 83.

*An dictam licentiam debeat Religioſus ſemper habere, quoties vult donare?*

RESOLVT. XXI.

IAcobus de Graffis *de caſ. reſeru. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 58. affirmatiuam tenet ſententiam.

Sed Bartholomæus à S. Fauſto, *vbi ſuprà, quæſt.* 212. & Ioan. Valerus *num.* 86. negatiuam ſententiam amplexi ſunt: aſſerunt enim, ſufficere licentiam obtentam ſemel pro ſemper: & quidem durum eſſet requiri ſpecialem licentiam in quacunque largitione: ſufficit igitur generalis. Et ratio eſt: quia à iure communi non eſt recedendum, niſi quatenus ius nouum cogit: ſed de iure antiquo ſufficiebat licentia generalis, & tacita, & cùm per hanc Bullam modò requiratur expreſſa in ſcriptis, nihil addendo, vt ſit ſpecialis in quacunque largitione: ergo ſufficit, vt ſit generalis in ſcriptis. Et ita etiam, præter Doctores citatos, aduersùs Graffium tenet hanc ſententiam Paulinus Berti *in expoſ. huius Bullæ, p.* 2. *dub.* 1. *fol.* 417. *col.* 2. *circa finem.*

*Vtrùm Abbatiſſa poſſit concedere licentiam donandi Monialibus, quam poteſt Prælatus Religionis ſuis Religioſis?*

RESOLVT. XXII.

AFfirmatiuè reſpondendum eſt. Et ita docet Sanchez *in ſum. tom.* 2. *lib.* 7. *c.* 19. *n.* 44. Fauſtus *in theſ. Relig. lib.* 8. *quæſt.* 221. & alij. Et ratio eſt: quia Abbatiſſa habet liberam adminiſtrationem bonorum Monaſterij, ſicut Abbas, vt docet Panormitanus *cap.* 2. *num.* 4. *de his, quæ fiunt à Prælato.* Vnde, ſecundùm aliquos, poteſt dare licentiam expendendi decem ducatos, nam talem licentiam poteſt dare Prælatus, vt docet Corduba *in ſum. q.* 54. *dub. vlt.* Lopez *de contract. lib.* 2. *cap.* 40. Nauarra *de reſtit. lib.* 3. *cap.* 1. *p.* 3. *dub.* 1. *n.* 169. Ioan de la Cruz *de ſtatu Religionis, lib.* 1. *c.* 3. *dub.* 5. *concl.* 1.

Imò poteſt Abbatiſſa concedere Monialibus licentiam habendi peculium, quando poteſt Superior Religionis illam concedere, & facultatem conuertendi in proprios vſus: quæ propriis operibus acquirunt. Doctores, hæc omnia docentes, inuenies apud Sanchez, *vbi ſuprà*, qui benè limitat hanc doctrinam, niſi ex conſuetudine, aut Conſtitutionibus illius Religionis, aut præcepto Superioris Prælati, arctata ſit eius facultas. Vide Rodriquez *in quæſt. regul. tom.* 1. *q.* 17. *art. vlt.*

*Vtrùm Milites D. Iacobi Alcantaræ, &c. includantur in hac Bulla, ita vt ſit illis interdictum donare?*

RESOLVT. XXIII.

NEgatiuè reſpondendum eſt: nam expreſsè in Bulla Summus Pontifex illos excludit. Ex quo colligitur, hos Milites eſſe verè, & propriè Religioſos: quia exceptio firmat regulam in contrarium. Et ita docent plures, & inſignes DD. apud Sanchez *in ſum. tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 16. *n.* 11. & apud Garſiam *de beneficiis, tom.* 1. *p.* 1. *c.* 4. *num.* 11. & præter illos nouiſſimè defendit mordicùs hanc ſententiam Paulinus Berti *in explic. huius Bullæ, p.* 2. *principali*, Cenedo *de pauper. relig. dub.* 50. *n.* 5. Fauſtus *vbi ſup. q.* 203. & alij, quidquid in contrarium aſſerant DD. apud Sanchez, *vbi ſuprà*, & præter illos Ioan. de la Cruz *de ſtatu Relig. lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 3. *concluſ.* 2. Petrus de Ledeſma *in ſumma tom.* 2. *tract.* 10. *cap.* 8. *dub.* 2. *concl.* 2. Emmanuel Sà *verb. Relig. num.* 41. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 10. *quæſt.* 4. *punct.* 2. Molfeſius *in ſum. tom.* 2. *tract.* 6. *cap.* 2. *n.* 30. Moneta *de conſeruat. Iudic. c.* 10. *num.* 389. Graffius *tom.* 1. *conſ. lib.* 3. *conſ.* 11. *de Regularibus.*

Sed tu tene primam ſententiam: & ſic, me conſulente, Illuſtriſſimus Senatus huius Vrbis conceſſit dictis Militibus exemptionem gabellarum, quæ vulgo dicitur, *lo ſcaſciato*: & hoc non ſolùm Profeſſis, ſed etiam Nouitiis, vt poſteà etiam, me conſulente determinauit in caſu Dominorum de Gioeni, & Maſtrantoni, qui adhuc non emiſerant profeſſionem, ſed tantùm acceperant habitum, & erant Nouitij D. Iacobi. Quòd autem ex verbis huius Bullæ colligatur, hos Milites eſſe verè Religioſos, tenet Ioan. Valerus *in differentiis vtriuſque fori, verb. munera, n.* 23. Fauſtus, & Berti, *vbi ſuprà.* Vnde valdè miror, aliquos his diebus contrarium docuiſſe.

*An liceat aliquid dare proprio loci Ordinario, ex cauſa benedictionis, vel ſuſceptionis habitus regularis, aut profeſſionis Monialium?*

RESOLVT. XXIV.

NEgatiuè videtur reſpondendum ex verbis Bullæ. Et ita docet, illam explanando, Paulinus Berti *p.* 2. *f.* 416. *col.* 2. & Hieronymus à Sorbo *in compendio priuileg. verb. dare, fol.* 194. & alij.

Non tamen reticebo, Ioan. Valerum *in ſuis differ. vtriuſque fori, verb. munera, numero* 81. ſupradicta verba Bullæ intellexiſſe de muneribus pecuniariis, ac de aliis donis, tanquàm pro pretio prædictorum ſpiritualium: ſecùs ſi gratis aliqua dentur in remunerationem, vt probat textus *in cap.* 2. *placuit.* 1. *quæſt.* 2. Ingratitudo enim ad minimum eſt peccatum veniale, vt probat D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 107. *art.* 3. Abſit tamen credere, Papæ mentem fuiſſe tollere gratitudinis virtutem, maximè à perſonis religioſis, eximeréque Moniales ab obligatione, per quam cuncti tenemur exhibere nos gratos benefacientibus nobis, *c. Eccl. iuncta ibi Gloſ.* 12. *quæſt.* 2. Faciunt latè tradita per Nauarram, circa hanc obligationem gratitudinis, & remunerationis, *in lib. de reddit. eccl. quæſt.* 1. *n.* 36. Hæc omnia Valerus.

*An in hac Bulla prohibeantur donationes, quæ ſunt partus intellectus, vt conciones, lectiones, & huiuſmodi ſcripta?*

RESOLVT. XXV.

REſpondeo, poſſe Religioſos inter ſe hæc omnia donare ſine contrauentione noſtræ Conſtitutionis: & ita declaraſſe ipſum Clem. VIII. notauit Coriolan. *tr. de caſ. reſer. p.* 2. *caſ.* 16. *n.* 19. Homobonus *in exam. Eccl. p.* 1. *tract.* 7. *c.* 22. *q.* 100. Vnde Ioan. Valerus *in ſuis diff. verb. munera, n.* 106. aſſeruit quòd libri manuſcripti ſemper ſunt Religioſi, & eos ſecum poteſt ſemper deferre, quocunque vadat, etiamſi ſe transferat in aliam Religionem. Et *verb. Regul. diff.* 8. *n.* 2. docet, hoc eſſe verum, etiam nulla petita licentia, & nullis relictis eorum copiis: & ſic ſe vidiſſe teſtatur, quendam Religioſum doctiſſimum ſecum detuliſſe duos libros à ſe compoſitos, nulla ad id licentia à ſuo Prælato petita, qui tranſitum fecerat ad Religionem Carthuſianorum.



*An Religioſus, qui ab externis ſuis deuotis nummos accipit, & inſcio Prælato neceſſarios libros emit, peccet peccato proprietatis, & contrauenïat noſtræ Conſtitutioni?*

RESOLVT. XXVI.

PEccare peccato proprietatis, putauit Sanchez *in ſum. tom.* 2. *lib.* 7. *c.* 19. *n.* 56. cum Barthol. à S. Fauſto *in theſ. Relig. lib.* 8. *q.* 111. *n.* 2.

Sed ego puto, non eſſe condemnandum, tanquàm violatorem paupertatis illum Religioſum, qui inſcio Superiore, acceptis à pœnitentibus nummis, libros emerit, dummodo tamen in cubiculo teneat illos palàm expoſitos, & omnibus obiectos. Et ratio eſt: quia, quidquid hoc pacto Religioſus poſſidet, Prælatorum ſuorum voluntati, ac poteſtati ſubiicitur. Ita docuit ante alios Azor. *part.* 1. *lib.* 12. *c.* 12. *q.* 3. quem poſteà ſequutus eſt Fabrus *de reſtit. in* 4. *ſent. diſt.* 15. *q.* 2. *diſp.* 45. *c.* 5. *num.* 113. Coriolanus *tract. de caſ. reſeru. part.* 2. *caſ.* 4. *n.* 19. & nouiſſimè tenet etiam hanc ſententiam in terminis noſtræ Bullæ, Homobonus *in exam. Eccl. p.* 1. *tract.* 7. *c.* 32. *q.* 130. *in fin.* & etiam in ordine ad peccatum proprietatis.

*An Nouitij includantur in hac Bulla, ſub nomine Religioſorum?*

RESOLVT. XXVII.

REſpondent, & optimè, non comprehendi, Fauſtus *vbi ſup. q.* 206. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 34. *c.* 30. *n.* 60. Sorbo *in comp. priuil. verb. dare, in expoſ. huius Bullæ*, & alij. Et ratio eſt: quia Nouitij non dicuntur Religioſi, vt benè notat Gloſ. *in Clemen. Relig. verb. Relig.* & ibi Abbas *n.* 1. & Imol. *n.* 10. Vide etiam Sanchez *in ſum. tom.* 2. *lib.* 5. *c.* 5. *n.* 12.

Hinc, licèt Religioſi non poſſint confiteri, niſi Confeſſariis ab eorum Prælatis deſignatis, & ſi aliàs facerent, Confeſſio eſſet nulla: attamen Nouitij poſſunt confiteri omnibus Confeſſariis ab Epiſcopo approbatis, & Confeſſio erit valida. Ita aduersùs Vechium *in praxi* ] *Nouit. diſp.* 10. *dub.* 3. *n.* 3. & Megalam *in p.* 1. *lib.* 1. *c.* 8. *n.* 20. dicendum eſt: & ita tenent Molfeſius *in ſumm. p.* 1. *tract.* 7. *c.* 14. *n.* 81. Rodriq. *qq. regular. tom.* 1. *q.* 27. *art.* 11. Homobonus *in exam. Eccl. p.* 1. *tract.* 5. *c.* 2. *q.* 13. Henriquez *lib.* 6. *c.* 16. *n.* 3. *in Gloſ. lit. X. & lib.* 7. *de Indulg. c.* 22. *n.* 7. *in Gloſ. lit. Z, & V*, & alij. Item, Nouitij non incidunt in caſus reſeruatos à Superioribus Religionum, quidquid in contrarium aliqui aſſerant; & ita poſſunt abſolui abſque eorum licentia. Ita Homobonus de Bonis *de caſ. reſer. p.* 1. *c.* 32. Floronus *p.* 1. *c.* 3. *n.* 7. *de caſ. reſeruat.* Emmanuel Sà *verb. caſus, n.* 8. Naldus *in ſum. verb. Nouitius, n.* 7. Graffius *in append. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 69. & alij.

*An Religioſus poſſit, ſine licentia Prælati, & ſine contrauentione voti paupertatis, & huius Bullæ, largiri ſuam rationem ſeu pitantiam?*

RESOLVT. XXVIII.

NEgantem ſententiam docet Bartholomæus Salonius *in* 2. 2. *tom.* 1. *q.* 61. *tract. de dominio, q.* 1. *art.* 3. *concl.* 1. *corollar.* 3. vbi aſſerit, nullum Religioſum poſſe ex his, quæ ipſi conceduntur ad ſuos proprios vſus, vt victum, &c. aliquid erogare, ſine particulari licentia ſui Superioris, etiamſi parciſſimè illis vtatur: vt, cùm mittitur Religioſus ad peragendum aliquod negotium in locum diſtantem, & datur illi à Superiore pecunia, qua victum ſibi pararet, etiamſi parciſſimè, viuat, tenetur ea, quæ reſeruat, rediens in Conuentum Superiori reſtituere. Et ratio eſt: quia Religioſus non poteſt eſſe dominus alicuius rei, nec vſufructuarius; ſed tantùm vſuarius: ſed vſuarius ſolùm tenet, & habet vſum rei pro ſe, & non poteſt illam dare alteri; nam hoc eſt proprium domini, & vſufructuarij: ergò Religioſus poteſt tantùm comedere pitantiam; non autem diſponere, & dare illam.

At mihi contraria ſententia probabilis etiam videtur. Et ratio eſt: quia in illis rebus, quæ vnico actu conſumuntur, non poteſt ſecerni vſus à dominio. Ita Ioannes XXII. *in Extrau. ad conditorem.* 9. *quòd autem. de verb. ſignific.* vbi ait, quòd in rebus vſu conſumptibilibus, vſus, & dominium non diſtinguuntur; ſed, cui confertur vnum, conceditur vtrunque. Et hanc ſententiam tenet Sylueſter *verb. dominium.* §. 3. Petrus de Aragon. *in* 2. 2. *q.* 62. *art.* 1. D. Antoninus *p.* 4. *tit.* 12. *c.* 4. §. 10. Sarmiento *de reddit. par.* 1. *c.* 1. Turrecremata *in ſumm. lib.* 2. *cap.* 112. *ad* 10. *argum.* & alij. Et probatur ex authoritate *l.* 2. *ff. de vſu fructu earum rerum, quæ vſu conſumuntur.* Et ita in terminis noſtræ Bullæ docuit hanc ſententiam Hieronymus Cenedo *de paupertate relig. dub.* 17. *n.* 9. *& dub.* 32. *n.* 8. *&* 15. vbi ſic aſſerit: [ El Religioſo por tener el vſo, y el dominio de la pitança, ſegun la ſententia probable, y por ſer limitada, y tambien de poco valor, y de que no ſe ha de ſeguir notable daño al Conuento, y por tener licentia interpretatiua del Prelado, ò ſer conforme à buena razon el tenerla, puede ſin eſcrupulo diſponer della, ſin contrauenir al voto de pobreza, ni à la Conſtitucion del Papa Clemente VIII. *de largitione munerum.* ] Sic ille.

Scio contrariam ſententiam eſſe probabiliorem: negat enim, vſum non poſſe ſeparari à dominio. Sed noſtra ſententia, vt diximus, eſt probabilis, vt etiam ex aduerſariis concedit Turrianus *in* 2. 1. *tom.* 2. *diſp.* 32. *num.* 21. & Tannerus *in* 2. 2. *diſp.* 4. *quæſt.* 1. *dub.* 2. *num.* 22. qui vocant contrariam ſententiam, quam ipſi tenent probabiliorem, & veriorem. Si quis verò has ſententias largiùs diſcuſſas legere deſiderabit, præter Turrianum *loco citato*, videat Leſſium *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 8. *num.* 31. Mirandam *in Manual. Prælat. tom.* 1. *q.* 38. *art.* 10. Valentiam *tom.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 10. *punct.* 1. Bannez *in* 2. 2. *quæſt.* 62. *tract. de domin. quæſt.* 1. Bellarminum *tom.* 1. *lib.* 4. *de Pontifice, cap.* 14. Rebellium *de obligat. iuſt. part.* 1. *lib.* 1. *quæſt.* 7. *ſect.* 4. *num.* 32. Molfeſium *in ſumma, tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 1. *num.* 62. & alios penes ipſos.

Reſtat modò reſpondere ad argumentum contrariæ ſententiæ in principio poſitum. Dico igitur, quòd Religioſus, cùm ſit vſuarius rerum vnico actu conſumptibilium, tenet etiam dominium illarum rerum: nam, vt diximus ſecundùm ſententiam probabilem vſus non poteſt ſeparari à dominio. Et licèt Superior poſſit tollere rationem limitatam, quæ iam Religioſo erat applicata, non ſequitur ex hoc, quòd poſſit ſeparari vſus à dominio, ſed ſolùm colligitur, quòd Religioſus teneat vſum illius rei, cum dependentia ab ipſo Prælato. Sed ſuppoſito, quòd Religioſus teneat vſum, tenet etiam dominium illarum rerum, quæ, vt diximus, ſunt vnico actu conſumptibiles.

Limitatur tamen, & intelligenda eſt hæc ſententia, non in ordine ad rationem, & pitantiam, quæ non conceditur Religioſo cum taxa, & limite, vt eſt panis, & vinum, &c. ſed in ordine ad pitantiam, quæ limitatè præbetur, vt eſt caro, oua, &c. Limitatur, niſi Prælatus, ex cauſa rationabili, ad vitandum exceſſum, & abuſum Religioſorum, vel propter paupertatem Monaſterij, circa tales largitiones præceptum, vel cenſuras in contrarium non impoſuiſſet: in his enim caſibus Religioſi non deberent diſponere,

nec poſſent, de cibis, etiam limitatis; & hoc ratione præcepti, & boni publici totius Communitatis. Et hanc opinionem ita explicatam præter Cenedum, & alios, *vbi ſuprà*, tanquam probabilem etiam admittunt multi Viri docti de hac re à me conſulti, non ſolùm ex noſtra Religione; ſed etiam ex Societate IESV, & Dominicanorum Familia: vnde valde miror, falſam ab aliquibus, his diebus, fuiſſe nominatam.

*An Religioſus peccet contra votum paupertatis, & contra Bullam Clementis VIII. ſi abſque Superioris licentia accipiat pecuniam, vt ipſe liberè diſponat in eleemoſynam, nomine eius, qui dedit?*

RESOLVT. XXIX.

CAſus hic frequenter contingit inter Religioſos: & partem affirmatiuam tuentur Turrianus *in 2.2.tom.1. diſp.84.dub.3.* Rodriquez *in exercitiis ſpirit.p.3.tract.3.c.15.* Vaſquez apud Turrianum, & nouiſſimè Hieronymus Cenedo *de paupertate relig.dub.24.n.11.* Layman *in Theol. mor. lib. 4.tract.5.c. 7.n.16.* Probat hanc ſententiam Turrianus: quia donans per talem conceſſionem, poſt acceptationem factam à Religioſo aliquo iure priuatur, nec poteſt illam reuocare, nec licitè de bonis Religioſo conceſſis diſponere; & hoc ius reuerà tranſtulit in Religioſum, nempe, facultatem liberè diſponendi de illis bonis: ergo ſine conſenſu Superioris non poterit illa facultate vti Religioſus, ſine peccato contra votum paupertatis. Secundò probatur à Cenedo: nam in tali caſu Religioſus efficitur dominus iuris adminiſtrandi ídque independenter à Superioris voluntate: ergo, &c.

Sed contrariam ſententiam, tanquam probabiliorem, tenendam eſſe iudicaui, & nunc maximè: nam illam inuenio apud Fauſtum *in theſ. Relig. lib. 8. q. 109. n. 2.* & apud Sanchez *in ſum. tom. 2.lib. 7.c.30.n.4.* & ita etiam ſentiunt multi Viri docti Religionis noſtræ, & Societ. IESV. Et ratio eſt: quia votum paupertatis obligat Religioſum, ne acceptet dominium, & proprietatem alicuius rei, inſcio Superiore: ſed in noſtro caſu iſte Religioſus non accipit dominium illarum pecuniarum, ſed tantùm accipit illas nomine alieno, nempe, tradentis, vt det pauperibus: ergo, &c.

Ad argumentum Turriani reſpondetur, non eſſe verum donantem non poſſe reuocare illam conceſſionē, poſt acceptationem factam à Religioſo: nam dominium illarum pecuniarum ſemper remanſit apud ipſum nec vnquam habuit animum donandi Religioſo; ſed meram diſtributionem illi commiſit. Ad argumentum Cenedo reſpondetur, quòd ius adminiſtrandi non eſt dominium, nec vſus fructus, nec vſus; ſed ius diſponendi de re aliena nomine alieno & iuxta ipſius præſcriptum: ergo propriè non poteſt dici dominium illius iuris. Et confirmatur, vt ait Sanchez: nam, ſi quis relinqueret aliquam pecuniarum ſummam diſtribuendam in pauperes eligendos, per aliquem Religioſum, certum eſt, Religioſum non eſſe proprietarium, & dominum iuris illius eligendi: ergo, &c. Adde, quòd non quæcunque poſſeſſio & adminiſtratio pecuniarum inſcio Superiore, eſt contra votum paupertatis; ſed quando ſunt quid iuris; hoc eſt, quando Religioſus illas adminiſtrat nomine proprio independenter à voluntate Superioris; ſecùs autem: quando ſunt quid ſolius facti, hoc eſt, quia non nomine proprio, ſed alieno adminiſtrat. Et ita ſæpiùs in praxi conſului.

*An Religioſus, qui ſine licentia Prælati ſolet ſumere aliqua bona Monaſterij pertinentia ad cibum, & potum, infringat votum paupertatis?*

RESOLVT. XXX.

HIc caſus tractatur à Sanchez *in ſum. tom. 2. lib.7.c.19. n. 53.* ſed magis benignè reſoluitur à Suarez *de Relig.tom.3.lib.8.c. 11.n.41.* vbi ſic aſſerit: [ De bonis Monaſterij vſu conſumptibilibus pertinentibus, ſcilicet ad cibum, & potum, ſi tantùm ad proprium vſum actualem, vt ſic dicam, & tranſitorium à Religioſis aliquid ſumatur, regulariter non videtur peccatum mortale; niſi damnificatio Religionis eſſet nimia, & in re extraordinaria, & pretioſiore: extra huiuſmodi enim caſum res huiuſmodi reputantur leuioris conditionis. Et quanuis Prælatis hoc diſpliceat; non tamen ita ſunt inuoluntarij, vt illam reputent materiam grauem in ordine ad paupertatem: ſed ſolùm in ordine ad decentiam, & perfectionem Religionis. Accedit, quòd Religioſi, quoad vſum huiuſmodi rerum, tractantur vt filij: inter parentem autem, & filium non cenſetur ſimilis actio grauis: ſecùs verò eſſet, ſi huiuſmodi res in magna quantitate acciperentur, & occultè retentæ, paulatim conſumerentur: nam illud eſſe poſſet graue peccatum; quanuis ad id diſcernendum in particulari magna prudentia neceſſaria ſit. ] Ita Suarez. Vide etiam Tannerum *in 2. 2.diſp.7.q.3.dub.4.n.106.* vbi ſic ait: [ Nulla etiam Prælati ſeueritas, eiuſmodi acceptiones, quoad ſubſtantiam rei acceptæ, iniquas reddere poteſt. ] Sic ille.

*An Religioſus, ſeu Monialis, cum licentia tacita peccet mortaliter alienando, vel recipiendo aliquid clandeſtinè, ſciens, illum modum clandeſtinum Superiori diſpliciturum?*

RESOLVT. XXXI.

SVppono, ex communi ſententia, vt Religioſus det, vel accipiat aliquid ſine voti paupertatis fractione, ſufficere tacitam, vel probabiliter præſumptam Superioris voluntatem, etiam in eo caſu, in quo poſſet expreſſa licentia poſtulari, & ob aliquem humanum reſpectum, vel pudorem, aut nonnullam difficultatem adeundi Superiorem, omittitur. Hanc ſuntentiam docet D. Thomas *2. 2. quæſt. 32.art.8.ad 1.* Valentia *tom.3.diſp.10.quæſt.4.punct. 3.* Leſſius *de iuſt.lib.2.cap.41.dub. 9.n.8.* Azorius *p. 1. lib. 12. c.12.q.2.3.& 4.* Molina *de iuſt tom 2.diſp.276.* Sà *verb. Eleemoſyna, n. 12.* Ledeſma *in ſum.tom. 2. tract. 4. c. 3. conc. 31.* Bannez, & Arragon. *in 2.2.quæſt.32. art. 8.* cum aliis communiter.

Hac veritate ſuppoſita, reſpondeo, in caſu propoſito Religioſum non peccare mortaliter: quia licentia tacita excuſat Religioſum à tranſgreſſione voti paupertatis, quando rem aliquam accipit, vel alienat, inſcio Superiore; credens tamen, quòd Superior licentiam ſic alienandi, vel recipiendi daret, quanuis diſpliceret illi talis alienandi, & accipiendi modus. Poteſt igitur eſſe Superior inuitus, vt ita dicam, quoad ſubſtantiam dandi, vel alienandi; & poteſt eſſe inuitus quoad modum: ſi eſt inuitus quoad ſubſtantiam rei, Religioſus peccat alienando, vel recipiendo; non autem ſi eſt inuitus quoad modum. Et ita docet Tannerus *in 2.2. diſp. 6.q.3. dub.4. n. 165.* Fagundez *de Præcept.tract.2.lib.8.c.6.n.3.* Mendoza *q.8.concl.8.* Graffius *deciſ. part 1.lib.3.c.5.n.34.* Nauarrus *comm.2.n.20. de regul.* Cenedo *de paupert.relig.dub.18.n.14.* Miranda *in Man.Prælat. tom 1 q. 8.art.16. concl.2.* Suarez *de Relig.tom.3. lib. 8. c.11.n.11.* & alij.

Hinc poſſunt Moniales, & Religioſi retinere munera, quæ cum licentia tacita Abbatiſſæ, vel Prælati receperunt etiamſi modus accipiendi clandeſtinus illis diſpliceret: vnde apparet, quandam Monialem non fregiſſe votum paupertatis, quæ abſcondit aliquas res Abbatiſſæ viſitanti cubicula; non, quia putabat illis ſpoliari; ſed propter verecundiam, & confuſionem, & quia Abbatiſſæ diſplicebat modus accipiendi. Ita Peirinus *de Relig. tom. 1 c. 2. q. 2. §. 4.* Mendoza *q. 8. poſt concl 4.* Rodriquez *qq. regul. tom. 3.quæſt.19.art.5.concl.5* Barthol à S.Fauſto *in theſ. Relig. lib. 8. q. 126.n.3.* Sanchez *in ſum.tom.2.lib.7.c. 19. num. 61.* & alij. Ex hac doctrina tollent Confeſſarij multos ſcrupulos



pulos à conſcientiis Religioſorum, & Monialium.

Sed circa præſentem quæſtionem nota primo, vt poſſit Religioſus licitè operari cum dicta licentia tacita Superioris, non opus eſſe, vt de tali licentia habeat certitudinem moralem, vt volunt Molina, & Ledeſma *vbi ſup.* ſed ſufficit habere probabilem cognitionem, quæ ex iuſta credendi cauſa procedit: ſecùs autem, ſi ſit improbabilis, & temeraria. Et ita docet, cum aliis, Sanchez *in ſum. tom. 2. lib.7.cap.19.num.13.*

Nota ſecundò, tunc Religioſum, ſeu Monialem, poſſe coniicere probabiliter, talem licentiam tacitam; primò, quando Superior eſt vir dulcis, & non rigidus, & nimis difficilis; ſed procliuis ad condeſcendendum ſubditis. Secundò, quando ſubditus eſt Superiori valdè dilectus, & non exoſus, & nullius authoritatis; ſed eſt vir grauis, & optimis moribus exornatus, ac de Religione benemeritus. Tertiò, ſi res, quæ accipiuntur, vel donantur, ſint leuiores. Quartò, ex facto ipſo, vt ſi, v.g. talis diſpenſatio, ſeu licentia, in commodum Monaſterij cedat. Et ſic notauit Homobonus de Bonis *in exam. Eccleſ.p.1.tr. 7.c.32.quæſt. 130.* Bartholom. à S.Fauſto *in theſ.Relig.lib.8 q.162.*

*An Religioſi, poſt Concilium Tridentinum, poßint habere peculium, id eſt, redditus annuos ad nutum Superiorum reuocabiles, & ad ſolos vſus honeſtos, & pios, ídque ex cauſa legitima?*

RESOLVT. XXXII.

HÆc quæſtio eſt inter DD. noſtri temporis quàm maximè agitata: & negatiuam ſententiam amplexi ſunt Palatius *in 4. diſt.38.diſp.1.ad fin. in ſolut. ad 9.* Corduba *in ſum.q.54.* Valentia *in 2.2.diſp.1.q.4.punct.3.* Leſſius *lib.2.c.4. dub. 5.n.30.* Nauarra *de reſtit.lib. 3.c.1.part.3.dub.1.n. 163.* Molina *de iuſt.tom.2.diſp.276.* Azorius *tom.1.l.12.c.9.q.2.* & ita aſſerit Zerola *in praxi Epiſc.part. 1. verb. Moniales. ver. ad 2.* declaraſſe Sacram Cardinalium Congregationem: & nouiſſimè illam docent Vaſquez *in Opuſc.de reddit. eccleſ. c.3. dub.11.n.14.* & Suarez *de Relig.tom.3.lib.8. c. 14. n. 18.* Hi omnes putant, Concil.Trident. *ſeſſ.25.c.2.de Regul.* condere nouum ius; ita vt non poſſit Religioſus, poſt dictum Concilium, habere peculium. Vnde aſſerit Palatius, *vbi ſup.* non licere Monialibus habere annuos redditus, etiam cum licentia Superiorum. Et ratio eſt: quia verba Concilij clarè apparent eſſe verba præceptiua, & non declaratiua iuris antiqui. Secundò, quia, vt *ſuprà* cum Zerola probauimus, ita Cardinalium Congregatio interpretata eſt dicta verba Concilij. Ergo.

Sed ego contrariam ſententiam probabilem, & tutam in praxi exiſtimandam eſſe iudico. Dico igitur, Concilium Tridentinum in illis Decretis non concedere, & inducere nouum ius; ſed tantùm confirmare ſtatuta, & ius antiquum. *c. Monachi, & cap. cùm ad Monaſterium. de ſtatu Monach.* quæ quidem ſtatuta Regularibus interdicebant peculia conceſſa ad vſus omnes, etiam profanos, & ſuperfluos Monachorum ſtatui; vel ſi ad vſus licitos, tamen ſine iuſta cauſa concedendi, vel irreuocabiliter à Superiore: ergo licita erunt, ſecundùm ius antiquum, & ſecundùm Tridentinum, illa peculia Religioſorum, vel Monialium, conceſſa ad vſus licitos, & honeſtos, dependenter, & reuocabiliter ad voluntatem ſimplicem Superioris. Et ita apud multos Religioſos, & Moniales obſeruari, experientia ipſa docet. Et ideò hanc ſententiam docet Peirinus *de Relig.tom. 1.c.2.q.2.§.1.& 2.* Fagundez *de Præcept. tract.2.lib.8.cap.6.n.13.* Villalobos *in ſum. part. 2. tract. 35. dub. 30.n.2.* Tannerus *in 2.2. diſp. 6.q.3.dub.4.n.108.* Fabro *de reſtit. in 4.ſent. lib.4.diſt. 15. q. 2. diſp.45.c.5.n. 125.* Riccius *part. 4. deciſ. 340. n. 12.* Hieronymus Cenedo *de paupert.relig.dub.9.n.4.& ſeq.* Nauarrus *comment.2.n 15.& 18. de Regularib.* Graffius *in ſuis deciſ.part. 1. lib. 2.cap. 5. n. 55.* Emmanuel Sà *verb. Religio, n. 48.* Sanchez *in ſum. tom. 2. lib. 7. c. 22. n. 11.* Miranda *in Manuali. Præl. tom. 1. q. 28. art.8.* Bartholom. à S.Fauſto *in theſ. Relig. lib.8. q.30.* Probatur primò hæc ſententia ex verbis huius Bullæ Clem. VIII. vbi Pontifex facit differentiam, & diſtinguit inter bona Communitatis, & bona particularium Religioſorum: ergo, &c. Secundò, Religioſos habere peculium, vt *ſuprà* diximus, dependenter, videlicet, à Prælato, non eſt habere dominium illarum rerum: ergo tale peculium non repugnat voto paupertatis. Tertiò, verba Concilij non damnant tale peculium, vt conſtat apud Sanchez, & Cenedo *vbi ſuprà*: ergo, &c.



Ex his patet, non eſſe damnandam illarum Religionum conſuetudinem, in quibus Religioſi habent aſſignatos certos annuos redditus ad victum, & veſtitum, ita vt ſi deeſt aliquid, ipſi quærant; ſi autem ſupereſt, licentiam habent applicandi honeſtis vſibus: & hoc cum dependentia ad nutum, & voluntatem Superiorum; & dummodo tale peculium, & annui redditus ſint moderati, & non ſuperflui; ſed ad ſtatum Religioſi habentis peculium neceſſarij. Dixi, *ad ſtatum Religioſi*, &c. quia peculium aliquod poteſt eſſe ſuperfluum vni, & non alteri: quare qualitas perſonarum, conditionis, loci, & aliarum circunſtantiarum ad hanc ſtatus decentiam attendenda erit. Vnde aliquando non erunt condemnandi multi Religioſi, ampliſſimos redditus poſſidentes, primò, quia ratione perſonæ pluribus egent; vtpote, quia Prælatus, quia Magiſter Ordinis. Secundò, quando Regula eſſet relaxata, & paupertas eo modo intellecta, & præualuiſſet conſuetudo. Tertiò, quando pars illorum reddituum applicatur in bonum ipſius Monaſterij, & Religioſorum, ſeu Monialium pauperum ipſius Conuentus, aut aliorum pauperum; cætera verò in licitos ipſius Religioſi vſus. Quartò, quando Religioſus ille ſua induſtria multa comparauit Monaſterio; & ideò æquum eſt, vt plura ſibi concedantur in eleemoſynas, & alios honeſtos vſus, &c.

Reſtat modò reſpondere ad argumenta in contrarium adducta. Ad primum, de verbis Concilij, videndus eſt Sanchez, & Cenedo, *vbi ſup.* declarantes, illa verba Concilij prohibere tantùm peculia ſuperflua, & non licita, & independentia à voluntate Superiorum. Nec valet dicere, (quod erat ſecundum argumentum,) quòd illa verba Concilij in contrarium fuerunt interpretata ab Illuſtriſſ. Cardinalium Congregatione: nam reſpondeo, de illa declaratione authenticè non conſtare. Deinde aliqui DD. aſſerunt, declarationes Cardinalium eſſe tantùm doctrinales, & non eſſe neceſſariò ſtandum illis. Ita docent Sanchez *de matrim.tom.3. lib.8. diſp.2.n.10.* Petrus Ledeſma *in ſum.tom.1. de Sacram. Pœnit. cap.13. diffic.1. fol. mihi 285.* Bonacina *tract.de legib.diſp.1.quæſt.1. punct.8.num.4.* Villalobos *in ſum. tract. 2. diffic. 7. num. 5.* Ioan. Valerus *in ſuis differ. vtriuſque fori, ver. abſolutio, differ. 1. num. 20. ver. nullitas, differ. 5. num. 2. & ver. iuriſdictio, diff. 4. num, 2.* cum aliis aduersùs Salas *de leg. q. 97. tract. 14. diſp. 21. ſect. 12.* Rodriquez *in qq. regul. tom. 1. q.11. art.1. & 2.* Garſiam *de beneficiis, tom. 1. in Præfatione.* Gambaruptam *in tract. de caſ. reſeru.c.3. n.6.* Lazarium *tract. de blaſphemia, quæſt. 20. n.39.* Mirandam *in Man. Præl. tom.2. q.26. art.11.* Narbona *de appellatione à Vicario ad Epiſc. p. 1. num. 189.* Homobonum *in exam. Eccl. p.1. tract.1. cap. 6. quæſt. 29.* & alios docentes, ſupradictas declarationes non eſſe tantùm doctrinales, ſed etiam deciſiuas. Sed nos de hoc alibi. Vide *ſuprà Reſol. 13.*

*An, ſi aliquo ſpeciali caſu Religioſus, largiendo munera, nec diſſiparet bona Religionis, nec tale donum vlla foret ambitionis occaſio, incurreret in pœnas huius Bullæ?*

RESOLVT. XXXIII.

REſpondeo negatiuè, quidquid in contrarium afferat Fauſtus *in theſ. Relig. lib.8. quæſt.109.* & Paulinus

Berti in explicat. huius Bull. part. 1. principali. Et ita docet Granado in part.2. contr.7. tract.3. part.2. diſput.15. ſect. 3. num. 18. quia finis Conſtitutionis pontificiæ fuit, tollere occaſionem ambitionis, & dilapidationis bonorum: ſed in noſtro caſu ceſſat ratio, & finis legis: ergo lex non obligat.

Sed, quia codex rarus eſt, ponam per extenſum verba Granadi, qui ita aſſerit: [ Licèt leges condantur propter bonum commune, adhuc eæ obligant etiam ſingulos ſubditos in particulari, & in ſingulis habent vim eæ rationes, propter quas conduntur. Vnde, quando in aliquo particulari ceſſant, ceſſat quoque legum obligatio: v. g. lex non largiendi munera, quam Clemens VIII. edidit, condita fuit propter commune bonum Religionis; ſed tamen ſingulos obligabat, & in ſingulis habebant vim rationes illius Conſtitutionis, nempe, ne diſſiparetur patrimonium Chriſti Domini, nec eſſet occaſio ambitionis: quare, ſi in aliquo ſpeciali caſu, nec Religioſus diſſiparet patrimonium Chriſti, nec vlla foret ambitionis occaſio, conſequenter cenſeri deberet lex non obligare. ]Ita ille, & ex noſtris P. Megala conſil.33.num.6. Et ſatis quidem probabiliter: nam, vt alibi fusè probatum eſt, quando ceſſat finis adæquatus legis in particulari, ceſſat obligatio legis, vt præter Granado docet noſter P. Megala vbi ſup. & in 2. 2. lib. 2. cap. 7. q. 2. num. 55. Souſa in hac Bulla fund.3. Henriquez lib.11.c.17.n.2. in Gloſſa, litt. O, Nauarrus tom.4. comment. in rub. de iudiciis, n.74. & ſeq. Abbas in c. quia in inſulis. de regul. Angelus verb. lex. n.4. caſ.2. Sà verb. lex. n.2. & verb. ludus, n.1. quidquid in contrarium aſſerant Vaſquez, Suarez, Sanchez, Molina, Salas, & alij, alibi à me refutati in tract. de legib.

*An Religioſus paulatim modica accipiens, vel expendens, ſine Superioris licentia, peccet mortaliter, & teneatur ad reſtitutionem?*

RESOLVT. XXXIV.

AFfirmatiuam ſententiam docent communiter Doctores, ſi in eo furto, complente materiam grauem, recordetur præcedentium furtorum: licèt in aliis paruis furtis non habuerit animum ampliùs furandi. Ita Valentia tom. 3. diſputat. 5. quæſt. 1. punct. 5. Sanchez in ſumma tom. 1. lib.1. c.4. n.9. & 10. Salas in p. 2. tom.2. q. 88. tract.13. diſp.16. ſect.27. Azorius tom. 1. lib.4. c.9. q.12. Reginaldus in praxi, tom.2. lib.23. c.1. q.4. Rebellius p.1. lib.3. q.15. ſect.15. Filliucius tom. 2. tract. 31. c.10. n.245. Vaſquez in p.2. tom.2. diſp.146. c.2. n.5. Sayrus in claui regia, lib.9. c.15. n.22. Nauarra de reſtit. lib.3. cap.1. num.40. Ledeſma in ſum. tom.2. tract.8. cap.20. Sotus de iuſt. lib.5. q.3. art.3. Medina in p.2. q.88. art.4. part.2. tom.1. tract. 2. c.2. q.1. n. 4. Megala in 2.2. lib.2. cap. 1. quæſt. 3. num. 28. & ita in terminis loquens de Religioſis docet Bartol. à. S. Fauſto in theſ. Relig. lib. 8. q. 189. num. 3. Sanchez in ſum. tom. 2. lib. 7. c. 21. cum aliis. Et ratio eſt: quia in vltimo illo furto, ſuppoſitis præcedentibus, incipit eſſe fur; & per conſequens talis Religioſus voluntariè detineret rem alienam, in notabili quantitate, inuito domino: ergo in eo actu peccat mortaliter, ſi animum retinendi præterita furta habet; & licèt illa furta eſſent paruæ materiæ, poſteà coaleſcunt in vnum, & efficiunt materiam grauem.

Hæc opinio eſt tenenda, ſed contrariam puto etiam eſſe probabilem cum Filliucio tom.21. tract.31. c.10. num. 243. Rodriquez in ſumm. tom. 4. cap. 118. num.29. Salas in p. 2. quæſt. 88. tract.13. diſp.16. ſect. 27. num. 88. & illam docet Nauarrus cap. 17. num.140. Toletus lib.4. cap.16. num. 4. & alij. Verum eſt, quòd Nauarrus, & alij, qui docent hanc ſententiam, putant retentionem illius quantitatis notabilis, eſſe peccatum mortale; & ideò ita furantes, & non reſtituentes peccare; non ratione acceptionis, ſed ratione iniuſtæ prætentionis. Sed ego puto, tunc illam quantitatem furatam, eſſe ſub peccato mortali reſtituendam in ſententia Nauarri, & aliorum, quando extaret, & non fuiſſet conſumpta, & ex illa fur ditior factus fuiſſet: & ita docet Granado in p.2. contr.6. tract.2. diſp.2. ſect.5. n.49. & Lorca in p. 2. tom.2.

Sed, his non obſtantibus, dictos non peccare mortaliter, neque ad reſtitutionem teneri, notauit abſolutè Emmanuel Sà verb. furtum, n. 8. & licèt aduersùs illum inſurgat Sanchez in ſum. tom.2. lib.7. cap.21. n. 3. qui putat hanc ſententiam nullum tenere, præter Nauarrum lib. 3. conſ. in 1. edit. conſ.3. de ſtatu Monach. num.27. qui poſteà mutauit ſententiam in Man. vt ſuprà dictum eſt, cap. 17. num. 140. Attamen ego inuenio præter Sà, & Nauarrum, docere etiam hanc opinionem Berarducium in ſum. Coron. par. 1. c.1. n.28. in fin. vbi ſic aſſerit: [ Si actus furandi procedunt à voluntate interciſa, hoc eſt, dum homo furatur illud parum, non intendit furari maius, nec alio tempore; & poſteà de nouo ſubuenit alia occaſio furandi ſimiliter; tunc, quantuncunque reiteret huiuſmodi furta, ſic conditionata, ſemper eſt veniale, nec tenetur de neceſſitate ſalutis reſtituere illa: quia, ſicut multa peccata venialia nunquam poſſunt facere vnum mortale, quantuncunque ſimul ſumpta; ita huiuſmodi parua furta, voluntate interciſa, cùm vnum ſint, quantuncunque ſimul ſumantur, & in aliqua quantitate notabili conſiderentur, nunquam facient vnum furtum notabile mortale; & conſequenter non parient obligationem: quia ſemper remanent in ſua natura, hoc eſt, ſunt venialia ratione paruæ quantitatis, ſiue furtum fiat ſemper eidem, ſiue diuerſis. ]Ita ille, & nouiſſimè hanc ſententiam, loquens in terminis de Religioſis furantibus res Monaſterij, docet Fernandez in exam. Theol. mor. part. 1. c.6. §.2. n.12.

Sed ſtando in prima ſententia, limitanda tamen videtur pluribus modis: nam alioquin multos ſcrupulos, & moleſtias Confeſſariis, & pœnitentibus iniiceret. Ideò dicò primò, tunc ſupradicta furta minima coaleſcere in vnum, & continuari, ſi fiant in eodem genere negotij, vel animo diteſcendi, vt qui furantur modica, vendentes vinum, oleum, aut alia; ſecùs, ſi in diuerſo rerum genere, ſiue diuerſis negotiis, diuerſíſque dolis, nec diteſcendi animo. Ita Rebellus p.1. lib.3. q.15. ſect 5. n.44. Sed hanc limitationem impugnat Sanchez in ſum tom.2. lib.7. c.21. n.16. Illam tamen amplectitur Tannerus in 2. 2. diſp. 4. q. 6. dub 9. n.287. Bonacina de contr. diſp. 2. q.8. punct.2. n.3. & ego probabiliſſimam puto.

Dicò ſecundò, dicta furta continuari, & in vnum coaleſcere, quando inter illos non ſit magna interpolatio, & interuallum: quod quidem interuallum, ſecundùm Sanchez, vbi ſupr. n. 10. & alios Viros doctos ab ipſo conſultos, erit ſpatium vnius anni. Et ratio eſt: quia tanta interpolatio non videtur, moraliter loquendo, coniungere quantitates illas paruas. Sed ego ſentio cum Filliucio tom. 2. tract. 31. c. 10. n. 244. magnum interuallum, vt non continuetur moraliter materia vnius furti cum alio, eſſe menſem vnum, vel dimidium.

Dico tertiò, quòd exigitur maior quantitas ad mortale in his furtis minimis: & eò maior, quò plures ſunt domini: nam, quò in plures damnum diuiditur, eò minùs cæteris paribus ſunt inuiti. Ita Sanchez n. 17. Rebellus n. 43. Megala in 2.2. lib. 2. c.1. q. 3. n.36. & Leſſius lib.2. c.12. dub.8. n. 46. Et ſi Confeſſarius ſcire cupit, quæ quantitas in his furtis minimis communiter ſit notabilis; reſpondeo, duplo maiorem, quam in aliis furtis, eſſe neceſſariam.

Dico quartò, & hæc ſit vltima limitatio ſupradictam ſententiam non habere locum quoad exigua furta eſculentorum, quæ committuntur à ſeruis, & ancillis, ex rebus dominorum ſuorum; non vt illas vendant, ſed vt comedant, ſíntque ordinaria, quæ non ſolent accuratè concludi. Ita Megala n. 43. Leſſius n. 48. Nauarr. c. 17. num. 138. Reginaldus tom. 2. lib. 23. c. 1. n. 22. Petrus Nauarr de reſt. lib. 3. c. 1. p. 5. dub. 6. n. 202. Sayrus in claui reg. lib. 9. c. 15. n. 17. Bannez in 2. 2. q. 66. art. 6. Caietanus in ſumm. verb. furtum, not. 1. & alij.





Notandum eſt tamen contra Cordubam in ſum. q. 70. & Medinam C. de reſt. q. 10. ita furantes non teneri ſub peccato mortali ad reſtitutionem totius quantitatis furatæ, ſed tantùm ad illam partem, qua reſtituta, ceſſat notabilis quantitas ad furtum mortale petita. Sic Aragon. in 2. 2. q.66. art.6. Rebellius p. 1. lib. 3. q. 15. ſect 4. n.29. Megala in 2. 2. lib. 2. c. 1. q. 3. n. 25. Nauarra de reſt. lib. 3. c. 1. part. 10. dub. 8. n. 62. Filliuc. tom. 2. tract. 31. c. 10. n. 247. & alij.

*An, ſi Religioſus, ad proprium vſum accipiens paulatim comeſtibilia, perueniat ad quantitatem notabilem, peccet mortaliter, & teneatur ad reſtitutionem?*

RESOLVT. XXXV.

DE hac re egi ſuprà, & nunc iterum reſpondeo negatiuè: nam exiſtimo, furta iſta minima in tali materia non continuari, vt dictum eſt in ſuperiori Reſol. de famulis, & ancillis. Et ita in terminis docet Bonacina tract. de largit. muner. diſp. 1. punct. 5. n.7. Sanchez in ſum. tom. 2. lib. 7. c. 21. n. 31. Fernandez in exam. Theol. mor. p. 1. c. 6. §. 2. num. 12. in fin. & Graffius in deciſ. p. 1. lib. 3. c. 5. n. 51. Tannerus in 2. 2. diſp. 6. qu. 3. dub. 4. num. 106. licet Religioſus animum accipiendi paulatim hæc minima ad proprium vſum haberet: quanuis in hoc Graffius contrarium ſentiat. Sed tu tene cum Sanchez. Et ratio eſt: quia in eo modo ſic paulatim hæc accipiendi non eſt inuitus Superior.

*Quænam quantitas requiratur, vt ea ſine licentia Superioris vſurpata à Religioſo, ad peccatum mortale deueniatur?*

RESOLVT. XXXVI.

COmmuniter reſpondent DD. eam quantitatem neceſsariam eſse, & ſufficere, quæ neceſsaria eſt, & ſufficit in ſæcularibus ad conſtituendam materiam peccati mortalis furti. Ita Rebellius p. 1. lib. 3. q. 15. ſect. 3. n. 22. Azorius p. 1. lib. 12. cap. 12. q. 6. Graffius part. 1. lib. 3. cap. 5. n. 49. Bonacina de contract. diſp. 1. q. 10. punct. 3. n. 5. Molina de iuſt. tom. 3. tract. 2. diſp. 687. n. 2. vbi teſtatur, anno 1594. ſic determinatum fuiſſe in Congregatione generali Patrum Societatis IESV. Quænam verò quantitas ſufficiat in ſæcularibus ad conſtituendum furtum: quot ſunt capita, tot ſunt ſententiæ, vt videre quis poteſt apud Nauarrum in Manuali, c. 17. n. 3. Cordubam in ſumm. q. 109. Salonium, Aragon. & Bannez in 2. 2. q. 66. art. 6. Toletum lib. 5. c. 6. n. 3. Medinam in p. 2. q. 88. art. 8. Valentiam tom. 3. diſp. 5. q. 10. punct. 5. Turrianum in 2. 2. tom 2. diſp. 33. dub. 2. Couarruuiam lib. 1. var. c. 3. n. . Vegham in ſumm. tom. 1. cap. 129. caſ. 2. Syluestrum verb furtum. q. 2. n. 4. Nauarram de reſtit. lib. 3. c. 1. dub. 3. n. 32. Bonacinam de contr. diſp. 2. q. 8. punct. 1. n. 7. Reginaldum in praxi tom. 2. lib. 22. cap. 1. q. 4. n. 19. Megalam in 2. . lib. 2. c. 1. q. 3. Graffium p. 1. lib. 2. cap. 97. n. 27. Malderum in 2. 2. tract. 4. c. 1. dub. 3. Leſſium lib. 2. cap. 12. dub 6. n. 29. Azorium p. 3. lib. 5. c. 14. quæſt. 2. Medinam C. de reſtit. q. 10. Conradum in reſponſ. mor. p. 1. quæſt. 166. Sayrum in claui regia, lib. 9. c. 12. a n. 9. vſque ad 15. & alios.

Sed deueniendo in particulari ad Auctores loquentes de Religioſis; Mirand. in Man. Præl. tom. 1. q. 28. art. 18. concl. 2. putat, quantitatem notabilem in furtis Religioſorum determinandam eſſe in particulari pro temporum, locorum, Religioſorum, perſonarum, & aliarum circunſtantiarum differentia, iudicio, & arbitrio boni viri: Mendoza verò in q. 8. poſit. de paupert. relig. concl. 9. n. 12. in particulari deſcendens docet, quãtitatem duorum argenteorum non eſſe ſufficientem ad peccatum mortale. Ioan. de la Cruz de ſtatu relig. lib. 1. c. 3. dub. 5. & Sanch. in ſumm. tom. 2. lib. 7. c. 20. n. 3. & 6. putant, materiam notabilem in furtis Religioſorum eſſe ſummam quatuor argenteorum. Bartholomæus à S. Fauſto in theſ. Relig. lib. 8. qu. 193. n. 21. aſſerit, in Monaſteriis ditiſſimis, trium argenteorum ſummam, quam Religioſus, inuito Superiore, accepit, aut expendit, eſſe materiam ſufficientẽ ex obiecto, ad efficiendum peccatum mortale contra votum paupertatis: in Monaſteriis mediocri cenſu dotatis, duorum argenteorum ſummam: in Monaſteriis pauperculis, vnius argentei. Opinio Sanchez videtur mihi probabilior, vt notauit Fauſtus.

Sed non grauabor ponere hîc opinionem doctiſſ. Virorum P. de Ledeſma in addit. ad ſumm. tom. 2. c. 4. & Cenedo in tract. de pauper. relig. dub. 20. n. 10. vbi ſic aſſerit: [Aſſi como el hijo de familias tomando à ſu padre de ſus bienes alguna maior cantidad, que la que es graue en otro ſeglar, no ſeria hurto; aſſi tambien el Religioſo no ſeria proprietario, ni ladron, tomando alguna major cantidad, que la, que haze pecado mortal en otro ſeglar, y lo miſmo ſe ha de dezir, ſi el Religioſo lo tomaſſe de otro Religioſo del Conuento: y aſſi es de parecer Ledeſma, que ſi tomaſſe vn Religioſo de los bienes de vn Conuẽto, ò de otro Religioſo particular, ocho, ò nueue reales, ò valor dellos en coſas, que no ſe conſumen con el vſo; no ſeria pecado mortal, ſi ſe haze ſin licentia del Prelado, como eſto no ſe multiplicaſſe, de dos vezes adelante en el año. ]Ita ille, qui etiam addit, cum Ledeſma; in rebus comeſtibilibus; quæ ſumuntur à communitate, vel à particulari Religioſo; maiorem quantitatem requiri ad conſtituendum peccatum mortale. Et tandem non reticebo Rodriquez nouiſſimè in ſumm. tom. 4. cap. 118. n. 27. & 29. putare, Religioſum tunc committere furtum, quando aſcendit ad ſummam duorum aureorum. Sed hæc opinio videtur mihi nimis laxa: & an ſit probabilis, iudicent Viri docti. Scio illam anteà docuiſſe Sotum de iuſtit. lib. 5. q. 3. art. 3. ad 3. quidquid in contrarium aſſerat Vaſq. Opuſc. de reſtit. cap. 5. §. 1. dub. 5. num. 30. & tanquam probabilem illam admittat Aragon. in 2. 2. quæſt. 66. art. 6. concl. 3. fol. mihi 286. Sed, an ita ſit, vt dixi, iudicent Viri docti: nam mihi non placet.

*An Religioſus ſine peccato poſſit commodare, & mutuò dare aliqua, quæ ipſi ad vſum permiſſa ſunt,*

RESOLVT. XXXVII.

NEgatiuè reſpondet Leſſius lib. 2. cap. 41. dub. 9. n. 79. niſi eſſent res parui momenti, & crebrò occurrentes. Et ratio eſt: quia vſuarius nequit vſum rei alteri concedere; quia ſic non eſſet vſuarius, ſed vſufructuarius. Sed meliùs Sanchez in ſum. tom. 2. lib. 7. cap. 19. n. 65. putat, poſſe Religioſum ſine peccato mortali commodare res ad proprium vſum deſtinatas, quando eſt ſecurus de reſtitutione illarum, ac conſeruatione: quia hæc videtur parua materia.

Sed magis amplè loquitur in hac re Petrus de Ledeſma in addit. ad ſumm. tom. 2. c. 4. dub 2. fol. mihi 97. quod etiam extendit, ſi commodaret, & mutuò daret pecunias: ita enim ait: [ El preſtar dineros à Religioſos del miſmo Conuento, y à vn eſtraño, no es pecado mortal contra la pobreza, ſiendo perſona ſegura, la perſona, à quien ſe empreſta el dinero. La razon muy eficaz, que me mueue à tener eſte parecer, es la ſiguiente. Porque aunque es verdad, que por el empreſtito de dineros, ſe paſſa al dominio à quel, à quien ſe preſta, con todo eſto el preſtar no es coſa de importancia, porque el otro queda con obligacion de boluerle el miſmo dinero, ò otro ſemejante en cantidad, de ſuerte que ſe paſſa el dominio con derecho à boluer à tener otro equiualente. Por lo qual empreſtar haze muy poco, luego aunque el Religioſo, no tenga formal, y eſpreſſa licencia del Prelado, puede muy bien preſtar, porque el preſtar no es coſa de importancia. ] Ita ille. Et ita etiam hanc ſententiam docent multi Viri docti, ex noſtra Religione, & Societate IESV, de hac

re à me conſulti. Vnde immeritò aliqui hanc opinionem falſam his diebus putarunt, quam nouiſſimè, tanquam probabilem, tenet, & docet Peirinus *de Relig.ſubdit.tom.1. cap.2.quæſt.2.§.5.*

Non grauabor etiam hîc apponere verba Llamas *in Meth part.3.c.9* §.12.vbi ait: [ Monachi, in eodem Monaſterio profeſſi,poſſunt ſibi mutuò ad vſum dare libros, & res cuiuſcunque pretij, quæ vnicuique illorum in vſum conceſſæ fuerunt, abſque ſcrupulo vllo furti, vel iniuſtitiæ: quia nulla iniuria fit aliis. Nam dans,vſum voluntariè præbet, quem habebat conceſſum: dominium verò Monaſterium non amittit, cùm ad idem reuertatur res quoad dominium;ex hoc,vel ex illo,quoniam ambo ſunt in illo profeſſi:ergo nulli iniuria fit, niſi ſaltem Prælato, ſi ſine eius licentia fiat:hæc autem non eſt iniuſtitia, ſed inobedientia, & ſemper venialis, niſi adſit contemptus.] Sic ille.Et paulò pòſt,deſcendens in particulari, ait,poſſe ſupradictos Religioſos dare inuicem tunicam,caligas,calceos,& etiam cucullam ad vſum, dummodo dans prouiſus de ſufficienti remaneat,omninò voto paupertatis ſeruato. Et ita etiam docet nouiſſimè Fagundez *de Præcept. Eccleſ.tract.2.lib.8.c.6.n.4.5.&.6.*

*An Religioſus poſſit commutare etiam cum ſæcularibus aliquas res, quando nullam iacturam patitur Conuentus?*

RESOLVT. XXXVIII.

NEgatiuam ſententiam docet Fauſto *in theſ.Relig.lib.8. q.158. n.2.* Homobon.*de caſib.reſeru. c.3.p.3.* Sanch. *in ſum.tom.2.lib.7.cap.19.n.67.* & alij: quia putant, talem commutationem eſſe actum dominij, vt pote quæ à ſolo habente dominium validè fieri poteſt.

Hæc ſententia eſt probabilis: ſed non minùs probabilem contrariam eſſe puto.Et præter Lopez,& Rodriquez quos citant Fauſtus,& Sanchez,tenet etiam hanc ſententiam Peirin.*de Relig.tom.1.c.2.q.2.§.5.*Ioan. de la Cruz *de ſtatu Relig.lib.1. c.3. dub.4. concl.2.* & Ledeſma *in addit. ad ſumm.tom.2.c.4.dub.7. fol.mihi 99.* vbi ita aſſerit: [ Me parece probabiliſſimo, que el trueco no es pecado mortal contra el voto de la pobreza, aunque ſe haga ſin licencia expreſſa del Prelado, y aunque ſe haga con Religioſo del miſmo Conuento,ò con otra perſona eſtraña.Y la razon es, porque quando vno trueca vna coſa, por otra de ygual precio, queda con el miſmo derecho, y con ygual dominio de coſa del miſmo valor; luego licito ſera truecar ſemejantes coſas, ſin licentia eſpreſſa del Prelado.] Videtur igitur talis permutatio,pauca materia, quæ non habet propriam diſtractionis, aut conſumptionis rationem; & adeſt interpretatiua Superioris licentia:ergo,&c. Vide etiam circa præſentem quæſtionem Tannerum *in 2. 2.diſp.6.q.3.dub.3.n.104.*

*An Religioſus poſſit præbere aliquod munus Religioſo eiuſdem Monaſterij?*

RESOLVT. XXXIX.

NEgatiuè reſpondet Coriolan.*de caſ.reſeru. p.2. caſ.8. n.6.*ſi præbeat rem notabilem. Et ſi quis ſcire velit, in qua quantitate hoc fieri liceat,reſpondeo cum Ledeſm. *in addit.tom.2.c.4.dub.6.fol. mihi 95.* vbi ſic aſſerit: [ Si vn Religioſo da à ſu compañero vn Roſario,ò vnos cochillos, ò vnos lienços de narizes, que en dineros valdrian diez,ò doze reales,no tendria eſcrupulo,que el Religioſo los dieſſe à otro Religioſo del miſmo Conuento. Lo miſmo digo de otras coſas parecidas, y ſemejantes, que no ſe pueden poner a qui por ſer tan menudas, como ſean deſte precio poco mas, ò poco menos, no ay que tener eſcrupulo de pecado de propriedad, contra el voto de la pobreza. Ita ille, qui non ſolùm hoc extendit ad Religioſos eiuſdem Monaſterij; ſed ad alios Religioſos, eiuſdem tamen Religionis.Et hanc ſententiam docet Peirinus *de Relig.tom.2.c.2. q.2.§.6.* qui etiam notat, res comeſtibiles receptas cum licentia Prælati, poſſe diſpenſari in extraneos,in magna quantitate,& non obſtante, quòd ſint magni pretij:quia in iſtis ſemper præſumitur licentia Prælati. Sed an hæc omnia *in præſenti Reſol.* poſita ſint probabilia in praxi,remitto me arbitrio aliorum.

*An Religioſus peccet contra paupertatem ſumendo aliquam rem ex loco publico,pro vſu temporali,vt deinde in eundem locum reſtituat?*

RESOLVT. XL.

NEgatiuam ſententiam docet Azorius *p.1. lib.12. c.12. qu. 5.* vbi ſic ad præfatum dubium reſpondit: [ Non mihi videtur is paupertatem violaſſe,niſi id alioquin fuerit aliunde prohibitum: non enim, eò quòd accipit, vti vult citra omnem prorſus ſui Superioris voluntatem; ſed ad certos tantùm dies, animo, & voluntate illud in eundem locum,vnde acceperat,referendi.]Sic ille.Et nouiſſimè Villalob. *in ſum.tom.2. tract.35. dub.29.n.8.* & Fabrus *de reſti.,in 4.ſent.diſt.15.q.2.diſp.45.c.5.n.114.*

Sed notandum eſt, hanc ſententiam impugnare Sanchez *in ſumm. tom. 2. lib.7. c.19. n.57.* & poſt illum Fauſto *in theſ.Relig. lib.8. q.106.n. 2.* Sed vtraque opinio eſt probabilis.

*An,ſi aliquis Religioſus accipiat ab amico aliqua comeſtibilia, peccet contra votum paupertatis?*

RESOLVT. XLI.

NEgatiuè reſpondet Ioan.de la Cruz *de ſtat.Relig.lib.1. c.3. dub. 3. concl.3.* vbi ſic aſſerit: [ Religioſus accipiendo ab amico prandium,aut alia comeſtibilia,non peccat: ad hoc enim præſumitur habere licentiam à Prælato interpretatiuam. ] Et ita etiam docet Lopez *in inſtr.p.c.6.* [ Poteſt (ait) Religioſus accipere à ſæcularibus aliqua munera electuariorum,vel confectionum cordialium,bina vaſcula,vel par perdicum, vel gallinarum, vel aliquid ſimile.[ Sed, quia in comeſtibilibus magni valoris non præſumitur ita facilè licentia Superioris;ideò cautè in tali caſu procedendum eſt.

*An Religioſus poſſit recipere aliquid ſine licentia Superioris, ſi habeat intentionem petendi dictam licentiam,priuſquàm illud expendat?*

RESOLVT. XLII.

NEgatiuè reſpondet Ioann. de la Cruz *de ſtatu Relig. lib.1.cap.3.dub.3. concl.1.*

Sed contrariam ſententiam putat etiam probabilem: nam ita ait: [Eſt probabilis ſententia Victoriæ aſſerentis, poſſe Religioſum,ſecluſa ſpeciali prohibitione,circa hoc recipere aliquid ſine Prælati licentia: dum tamen habeat animum petendi licentiam,quando expenderit illud.[Ita ille. Sed, quia res accepta acquiritur ſtatim Conuentui, eò quòd abſolutè data,& recepta ſit à Religioſo; & ideò, dum abſque licentia retinetur, id efficitur inuito domino;propterea in tali caſu dictus Religioſus poteſt, vt benè obſeruat Sanchez *in ſum.tom.2. lib.7,cap.19. num.51.* & poſt illum Fauſto *in theſ. Relig.lib. 8. qu.109. n.2.* ſine fractione paupertatis efficere,vt dominium illius rei, & adminiſtratio remaneat apud dantem; & ipſe Religioſus, nomine illius depoſitam habeat, non ea vtens, donec licentiam à Superiore petat; & ita ſine vllo ſcrupulo poterit rem quamcunque detinere: quia ſic Religioſus, nec dominium,nec vſum, nec adminiſtrationem illius rei habet:ergo non peccabit contra votum paupertatis, vt patebit meliùs ex *infrà* dicendis.Notandum eſt etiam, quòd ſi talis Religioſus abſolutè recipiat, v. g. illam pecuniam, ſe



ſed ab breue tempus retineat; vt, quia expectatur nouus Prælatus, vel ſcribat ſtatim Generali, vel Prouinciali pro licentia, peccabit tantùm venialiter. Quæ quidem ſunt adnotanda: quia multùm practicabilia.

*An frangat votum paupertatis Religioſus, qui petit ab amico, vt deponat pecuniam penes aliquem, vel apud ipſummet Religioſum, vt quando opus erit,petat facultatem vtendi à Superiore Prælato?*

RESOLVT. XLIII.

TOtum hoc efficere poſſe Religioſum, teſtatur Sanchez *in ſumm. tom. 2. lib.7. cap. 19. n. 50.* Ita aſſerens: [ Non eſt contra paupertatis votum, ſi Religioſus ab aliquo abſque Superioris licentia, petat, vt deponat pecunias apud aliquem, non habens voluntatem acquirendi dominium, poſſeſſionem,aut adminiſtrationem,aut vſum in illas:ſed totum id maneat apud deponentem cum libera reuocandi depoſiti facultate, & ſolùm habeat voluntatem habendi opportunè pecunias, ex quibus,cùm indiguerit, accipiat ex Superioris licentia, & non aliter accepturus; & nullum ius acquirat, donec Superior det licentiam accipiendi. Et idem eſt dicendum, ſi Religioſus eas pecunias in depoſitum apud ſe ſeruet,eodem prorſus modo, quo erant apud amicum: quia re ipſa non aliter eas pecunias habet, quàm ſi eſſent apud externum depoſitarium:& hoc non pugnat cum paupertatis voto. ] Ita Sanchez, quem poſtea,tacito nomine, ſequitur Barthol. à S, Fauſto *in theſ.Relig.8.quæſt.115.*

*An Religioſus furans aliquid notabile ad vſum fratris particularis, vel alicuius ſæcularis, incurrat in caſum reſeruatum in Decreto Clement.VIII.*

RESOLVT. XLIV.

AFfirmatiuè reſpondet Coriolanus *tract. de caſ. reſer. p.3.caſ.8. dub.5.n.13.* quia talis caſus intelligitur non ſolùm de rebus Monaſterij, aut Conuentus in communi, nempe, de rebus pertinentibus ad Communitatem, tam de mobilibus, quàm de immobilibus,tam de his, quæ vſu quotidiano conſumuntur, quàm de his, quæ durant: verùm etiam de rebus particularibus, ad particularem vſum alicuius Religioſi conceſſis.Et ita ex Sorbo teſtatur declaraſſe ipſummet Clem.VIII.

At,his non obſtantibus, contrariam ſententiam docet Petr.de Ledeſma *in addit. ad ſumm. tom. 2. c. 4. dub. 12. fol. mihi.118.* & Hieronym. de Cenedo *tract. de paupert. relig. dub.19.n.21.* vbi ſic aſſerit:[El Prelado no puede reſeruar el hurto en materia graue de las coſas, que pertenecen à la celda de otro particular,porque aunque es verdad, que el ſeñorio deſtas coſas eſtà en el Monaſterio, però no ſe llaman coſas del Conuento derechamente. ] Sic ille.Itaque,ſecundùm hos Authores, Superior alicuius Religionis non poteſt reſeruare furtum commiſſum à ſuo ſubdito de rebus conceſſis alteri Religioſo,vel alicuius ſæcularis. Et ratio eſt: quia Clem.VIII. conceſſit tantùm Superioribus Religionum reſeruationem furti de rebus Monaſterij,& Conuentus:& ad illam declarationem Pontificis poſſet quis reſpondere,de illo non conſtare autheticè:ergo,&c.

*An ſaltem Superior, in tali caſu, poſſit reſeruare illud furtum, quatenus eſt peccatum proprietatis?*

RESOLVT. XLV.

AD iſtud dubium reſpondet Ledeſma *in addit.ad ſum. tom.2.c.4.dub.12.fol.mihi 119.* ita aſſerens:[En razon de propriedad ajunta al hurto, podra muy bien el Prelado reſeruar el pecado de propriedad, que eſtà juntò al hurto: porque aſſi determina el Papa en el Breue, que pueda el Prelado reſeruar el pecado de propriedad, contra el voto de la pobreza en materia graue,ſino es que el Pontifice en nombre de pecado de propriedad contra el voto de la pobreza, entienda el gaſtar,ò dar ſin licentia del Prelado, y como ſeñor, lo que no ſeria fuera de propoſito: ſegun eſto,no podria el Prelado reſeruar todo hurto a vn, en razon de propriedad. Porque entonçes hauemos de dezir, que ſe condiſtinguen, y diferencian eſtas dos maneras de pecados. ] Ita Ledeſma. In quibus vltimis verbis videtur admittere,tanquam opinionem probabilem,non poſſe reſeruare tale furtum particulare,etiam quatenus eſt peccatum proprietatis: quia in Decreto Clement.VIII.ſub nomine proprietatis intelligitur tantùm largitio alicuius rei magni valoris,quam faceret Religioſus; tanquàm dominus, & ſine licentia Superioris. Hæc ſecundùm mentem ſupradicti Authoris, & hæc dicta ſufficiant circa præſentem Bullam,& Tractatum, de paupertate religioſa.

# TRACTATVS VII.

## De circunſtantiis aggrauantibus, non neceſſariò explicandis in Confeſſione.

*An circunſtantiæ notabiliter aggrauantes ſint in Confeſſione à pœnitentibus aperiendæ?*

RESOLVT. I.

ALIQVI affirmatiuè reſpondent,vt ex veteribus Altiſiodorenſis *lib.4. ſumm. tract. 6. c.3. quæſt. 3.* Alenſis *part.3. quæſt.18.memb.4.art.3.§.2.* Marſilius *in 4.ſent.diſt.12.art.1.par.1.dub.1.* Maior *ibid. quæſt. 4.* Idem etiam docuit Sotus *ibid. diſt. 18. quæſt. 2. art. 4.* Victoria *in ſum. n.177.* Caietanus *in ſum. verb. Confeſſio condit.15.* Suarez *in 3.p.tom.4.diſp.22.ſect.3.* Nugnus *in addit.ad 3 p.tom.2.qu.9.art.2. dub.2. concl.2.* Sanchez *in ſum.tom.1. lib.2. cap.11.n.24.* Henriquez,& Fagundez *vbi infrà.* Llamas *in ſum. p.3. §.14.* Coninch.*de Sacram.diſp.7. dub. 3. concl. 1.n. 13.* & nouiſſimè Ioan. de la Cruz *in direct.conſcient.p.2. de Sacram. Pœn.q.3. dub.5. concl.2.* Carillo *poſt itiner. ordinan.in repet.can fin. 14. n. 6. de furto notabili,dub.7. n.54.* Fabrus *vbi infrà,*& Petrus Fay *in addit.ad 3.p.q.9.diſp.5. concl. 1.* & Petrus Ledeſma *in ſum tom.1.de Pœnit.c.18.concl.4.* & Syluius *in addit. ad 3. p. q. 9. art. 2. dub. 1.* Qui hanc ſententiam ita certam iudicant, vt contrariam improbabilem planè exiſtiment,neque vlla ratione poſſe ad praxim deduci.

Sed falluntur equidem: nam opinionem negatiuam aſſerentem, circunſtantias aggrauantes non eſſe in Confeſſione aperiendas, non minùs probabilem, & tutam in praxi,quàm affirmantem cenſeo.Et ita docet D.Thomas *in 4.diſt.16.q.3.art.2. q.5.* Durandus *ibid.q.4.* Gabriel *q.1.* Paludanus *q.3. art.3.* Bonauentura *diſt.17.q.vlt.* Scotus *q.1.art.2.* Carthuſianus *qu.2.* Almainus *qu.1. art.2.* Albertus *diſt.16.ar.14* Ouandus *diſt.16.propoſ.23* Herrera *in 2.diſp.31. q.7.corol.3 poſt regul.2.* Adrianus *qu.4 de Confeſ. art.2.* Turrecremata *de Pœnit. 5. c. 1. n. 11.* Viguerius *in inſtit. c. 16. §.4. verſ.17.* Antoninus *3.p.tit.14. c. 19. §. 7.* Conarruu.*in 4.decret. p.1.c.1.n.14.* Sylueſt.*verb.Confeſſio,q.9. & verb.circunſtantia,n.2. & 3.* Angelus *verb.Confeſſ. . n.13.* Tabiena *verb, circunſtantia,n.6. & 8.* Armilla *eodem verb.n.2. & 4.* Sum.Confeſſorum *lib.3.tit. 4. q.81.* Corduba *in ſum q.3.* Medina *C. de Confeſſ. q. 7. de circunſtantiis.* Nauarrus *c.6. n.7.*

n.7. & in cap.conſideret. de pœnit.diſt.5. n.6. & ex neotericis Alphonſus Regius in ſuis Reſolut.caſ.30. n.5. Vaſquez in 3. par. tom. 4. qu. 91. art.3. dub.2.& 3. Reginaldus in praxi, tom. 1. lib. 6. cap. 5. num. 135. Valentia tom. 4. diſputat. 7. quæſt. 11.punct.1. Leſſius lib.4. c.3. dub.12. num.8. Zanardus in direct. Theol. p.1. de Sacram.Pœnit.quæſt.18. Giptius de caſ.reſeru.c.8.n.5. Ortiz in ſum.cap.23. n.44. Ochagauia de Sacram. tract.2. q.14. Ioſeph de Ortu Parochi in ſpeculo Parochorum. c. 9. n. 7. Ioannes Sancius in practicis diſputationibus.diſp.11. n.6. Puteanus in 3.p. D.Thomæ,part. 2. q.2. dub.4.concl.1. Peſancius in addit.ad 3.p.q.10. §. de integritate Confeſſ.diſp.2. q. 3. Zerola in praxi,de Pœn.c. 12. qu. 5. & hanc ſententiam probabilem vocant etiam aliqui ex aduerſariis,vt Henriquez lib.1.c.7. n.4. Fagundez de Præcept.Eccleſ.punct.2. lib.4.c.2.n.6.in fin. Pitigianus in 4.ſent. diſt.16.qu.vnica,art.5.concl.5.Fabrus de Pœn.in 4.ſent.diſt.17. qu.vnica, diſp. 24. c. 1. n. 18. & Villalobos in ſum. tom. 1. tract.9.dub.36. n.8. vbi ita aſſerit: [ Si alguno quiſiere ſeguir la opinion contraria de nueſtra concluſion, no le podremos condenar, pues tiene tan buenos padrinos, y la podra ſeguir. Et ratio eſt.

Primò, quia iure diuino non tenetur quis confiteri niſi omnia peccata mortalia:ſed reticendo circunſtantias, quæ non prohibentur peculiari præcepto, confitetur quis omnia peccata mortalia: ergo,&c.Probatur minor:quia peccatum eſt dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei:ergo, ſi aliqua circunſtantia non prohibetur peculiari præcepto,non eſt ſpeciale peccatum. Vt, v. g. eodem præcepto prohibetur furtum mediocris quantitatis,& magnæ quantitatis,ergo;quamuis non exprimatur quantitas rei alienæ,ſufficit ſic confiteri:Fateor, me commiſiſſe furtum,quod attingit peccatum mortale.

Secundò, Concilium Tridentinum ſeſſ.14.c.5.agens de circunſtantiis ait, eſſe præceptum confitendi illas, quæ ſpeciem mutant:ergo, cùm de aggrauantibus taceat, virtute negat tale præceptum ad illas extendi.Probatur conſequentia: tum, quia integram doctrinam tradit de omnibus neceſſariis ad hoc Sacramentum; tum etiam, quia præmittit illa verba: *Nihil aliud ab Eccleſia à pœnitentibus exigitur, quàm vt.*&c. Ergo, nihil aliud eſt ſub præcepto, niſi quod ibi præſcribitur.

Tertiò, ſi vera eſſet contraria ſententia, teneretur peccator ſcire circunſtantias aggrauantes, ſicut tenetur ſcire peccata mortalia, quæ confiteri debet:hoc autem eſt valde durum:ergo, &c. Et quia ex hac opinione reſoluuntur benignè multi caſus, ego in gratiam Confeſſariorum ponam hîc ſelectiores, & magis in praxi occurrentes. Ideò quæro.

### *An, qui contra naturam peccauit cum mari, vel fœmina, vel cum beſtia diuerſæ ſpeciei, debeat explicare circunſtantias maris, vel fœminæ, aut beſtiæ huius, vel alterius generis?*

#### Resolvt. II.

REſpondeo negatiuè, ex doctrina Caietani quæſt. 3. de Confeſſ. & aliorum: quia ſpecies illæ ſpecialiſſimæ, quæ ſolùm differunt in genere entis,& naturæ, & non in genere moris, & malitiæ, non ſunt confitendæ, ſicut eſt diuinatio per terram, per aſtra,per aquam: item, peccatum æquale in potu, vel eſu carnium, vel aliarum rerum: item,furtum auri,panni,argenti,&c.non dicunt niſi vnam deformitatem formalem in genere moris: & propterea, neque iſtæ ſpecies ſpecialiſſimæ,neque circunſtantiæ materiales ex parte entis ſunt neceſſariò confitendæ. Eodem modo dicimus de peccato contra naturam, non eſſe neceſſe confiteri circunſtantiam maris, vel fœminæ vnius aut alterius generis beſtiæ: ſed ſufficit dicere: Peccaui in ſodomia toties: in beſtialitate quater, &c. Et ita publicè docuit, hîc Panormi, quidam Theologus Societatis IESV, licèt Tannerus (quod mihi magis placet) contrarium docet, quoad ſodomiam in 2. 2.tom.3. diſput. 5. qu.3. punct. 6. num. 146. & ante illum Zanard. in direct. part. 2. præcept.6.c.9.

### *An mulieri peccanti cum Sacerdote Religioſo, ſatis ſit dicere, ſe commiſiſſe ſacrilegium cum Sacerdote, vel initiato ſacris Ordinibus?*

#### Resolvt. III.

NEgatiuè reſpondet Sotus in 4.diſt.18. q.2. art 4. & de iuſt.lib.2. q.8.art.5. ad 1. Coninch de Sacram diſp.20. dub.3. n.131. Ledeſma in ſum.tom.1.de pœnit.cap.19. de circunſtantia perſonæ, dub. 2. Zanardus in director. Theol p.1. tract.de pœnit. c. 18. Petrus Fay in addit.ad 3. p.qu.9. art. 2. diſp.7. ad. 3. & alij: quia votum ſolenne caſtitatis à Religioſo emiſſum, alterius ſpeciei eſt à ſpecie voti Sacerdotis,in Ordine ſuſcepto.

Sed ego contrarium aſſerendum eſſe cenſeo: & ita docet Pitigianus in 4.ſent.tom.2.diſt.16. q.vnica,art.5. Henriquez lib.5. de pœn. c.5. n.6. in Gloſſ.lit.G. Sanch.de matrim. lib.7. diſp.27. n.27. & nouiſſimè Villalobos in ſumm.tom.1. tract. 9. c. 37. n.13. vbi ita aſſerit: [ El Sacerdote profeſſo en el pecado de la carne ſatisfaçe con dezir, que es profeſſo,ò que es Sacerdote. El fundamento deſta ſentencia es,que el Sacerdote no tiene obligacion à la caſtidad,mas que la del voto ſolenne, que aſſi ſe incluye, y aſſi el voto del Sacerdote,y el del Religioſo no hazen diferente eſpecie, ſino ſolo es reiterar el voto, como el que hizieſſe tres, ò quatro vezes voto de ayunar los viernes: que ſi le quebraſſe, no haze mas que vn pecado: que es como el que hizo muchas eſcrituras de obligacion para pagar vna deuda, que no por eſſo queda obligado à pagar mas. ] Ita ille,qui etiam citat Medinam,Azorium, & Rodriquez. Et hanc ſententiam probabilem vocat Ioan. de la Cruz. in director. conſc.part. 1.præcept.6. art. 6. dub. 8. concluſ. 3. & Leſſius lib.4.c.3. dub.12. n.87.

Dicendum eſt igitur, pœnitentem accuſantem ſe de copula, ſatisfacere dicendo in Confeſſione, ſe habuiſſe copulam cum Sacerdote; & non tenetur dicere, illum Sacerdotem fuiſſe Religioſum. Ita, Religioſus Sacerdos, quando ſe accuſat in Confeſſione,non tenetur dicere, ſe eſſe Religioſum Sacerdotem; ſed ſufficit dicere, ſe eſſe Religioſum, vel Sacerdotem, aut ſacris Ordinibus initiatum,&c. Et hanc ſententiam etiam probabilem vocat Fagundez de Præcept. Eccleſ. tract.2. lib.4. c.3. n.4. in fin. Vide ſuper hac materia tertiam meam Partem,Reſolut.67.Tract.4. de Sacrament.

### *Vtrum Sacerdos, vel Religioſus profeſſus ſatisfaciat in Confeſſione, ſi dicat, ſe violaſſe votum caſtitatis, non manifeſtando votum ſolenne, quod habet?*

#### Resolvt. IV.

NEgatiuè reſpondet Palatius in 4. diſt.16. dub.3. n.31. Rodriquez in ſumma, tom.1.cap.109. num.5. Layman in Theol.mor.lib.4. tract.10. c. 7. n.4. Medina in ſumm.lib. 1. cap.14. §.18. Petrus Fay in addit. ad 3.par.q.9. art.2. diſp.7. ad 2. Aragon in 2.2. q.8. art.7. Azorius part.3. lib.3. c. 27. q.10.Coninch de Sacram.diſp.7 dub.4. n.20. Fagundez, & Villalobos,vbi infrà. Ledeſma in ſum.tom.1.de Pœnit.c. 19. in circunſtantia perſonæ,dub.2. Henriquez, vbi infrà, & alij, qui putant, votum ſacerdotale caſtitatis, differre ſpecie à voto ſimplici.

Sed ego puto, contrariam ſententiam eſſe probabilem: & ita illam vocauit Villalobos in ſum. tom. 1. tr. 9. dub.37. n.13. Henriquez lib. 5. de Pœnit.c. 5. n. 6. in Gloſſa, litt. G. Fagundez de Præcept. Eccleſ. tract.2. lib.4. c.5. n.6. & illam etiam abſolutè docent Llamas in ſumm.part.3. cap.8. §.14. Megala in 1. p.lib.5. c.11. num.8. Filliucius tom.2. tract. 30. cap.9.



c.9. n.124.& 125. Sanch. de matr.tom.2. lib.7. diſp.27. n.27. Sufficit igitur,in Confeſſione Regularem, ſeu Monialem profeſſam, dicere,ſe fregiſſe toties votum caſtitatis, & tacere circunſtantiam profeſſionis: quia votum ſolenne à ſimplici non differt ſpecie, neque alterius rationis vinculum eſt, ſed ſolùm accidentaliter. Idem dicendum eſt de Sacerdote ſæculari:non enim in Confeſsione tenetur dicere, ſe habere ſacros Ordines; ſed ſatis eſt dicere,ſe habere votum caſtitatis, & contra illud toties peccaſſe.

Et hoc etiam dicendum eſt de fœmina,vel viro, ſi carnaliter ſe miſcuit cum Sacerdote, vel cum Religioſo profeſſo: nam ſatis eſſet dicere in Confeſsione,ſe toties fornicatam eſſe,vel copulam ſodomiticam habuiſſe cum viro voto caſtitatis adſtricto.

Notandum eſt etiam hîc, contra Fagundez de Præcept. Eccleſ.tract.2.lib.4. c. 3. n. 10. ei, qui votum caſtitatis ſimplex in ſæculo, vel in Nouitiatu emiſit, & poſteà in Religione profeſsus eſt;vel,qui poſt votum caſtitatis ſimplex, ſacris Ordinibus initiatur, ſufficere,ſi dicat, ſe habere votum caſtitatis:& non tenetur explicare circunſtantiam ſacrorum Ordinum, vel profeſſionis in Religione. Et ita docet Sanchez vbi ſupr. n.25. & 35. cum Azorio, Rodriquez, & Henriquez. Vide tertiam huius Operis Partem, Reſol.67. Tract.3. de Sacram.

### *An ſponſus, vel ſponſa de futuro, & cum eis carnaliter ſe commiſcentes, teneantur iſtam circunſtantiam explicare?*

#### Resolvt. V.

AFfirmatiuè reſpondet Homobonus de exam. Eccleſ. part.1.tract.7. cap.36. quæſt. 140. Naldus in ſum. verb. ſponſalia,num.12. Syluius in 3. p.quæſt.43. art.1. quæritur, 2. Molfeſius, Pitigianus in 4. ſent.tom.2.diſt.17.q.vnica, art.5. Sarmiento ſelectar. inter. lib.1. c. 5. n.3. & Lopez in inſtructor. conſcient. p.1. c.29. Petrus Fay in addit.ad 3. part.qu.9. art.2. diſp.7. ad 4.cum Petro Ledeſma vbi infrà: quia duplex eſt malitia,altera fornicationis,altera fractorum ſpōſalium,quæ ob id dirimi poſſunt, ex cap. quemadmodum.de iureiur. Nec valet dicere, hoc procedere in ſola ſponſa fornicante: nam vterque in corpus alterius per ſponſalia ius ſibi comparat.

Sed, his non obſtantibus, non deſunt Doctores, qui contrarium docent;nempe,talem circunſtantiam non eſſe fatendam, neque à ſponſa. Ita docet Couarruuias in 4. decret. part.1. c.1. num.11. Viualdus in candelabro aureo, p. 1. in tit.de ſponſalibus, n. 10. & probabilem hanc opinionem eſſe docuit Petr. de Ledeſma de matr. q.43. art. 1. dub. vlt. immò probabiliorem putat Azorius apud Filliucium, vbi infrà: quia circunſtantiæ mutantes ſpeciem ſunt neceſſariò confitendæ: ſed iſta non mutat ſpeciem, cùm adulterium non ſit,vt tenet Henriquez lib.11.de matr. c. 23. n.4. ergo, &c.

Non reticebo tamen, aliquos Doctores media via incedere:& ita docet Rodriquez in ſumm. tom.1. c. 109. n. 3. Sanchez de matr.tom.1. lib.1. diſp 2. n.6. Fagundez de Præcep.Eccleſ.tract.2.lib.4.c.3.n.21. & Filliucius tom.2.tract.20. c. 2. n. 53. Villalobos in ſum. tom. 1. tract. 9. dub. 16. n. 16. quòd talis circunſtantia tunc neceſſariò eſt fatenda,quando ſe tenet ex parte fœminæ;id eſt,dum aliquis fornicatur cum ſponſa alterius de futuro: tunc enim tenetur fornicans, & ipſa ſponſa fateri hanc ſponſaliū circunſtantiam: at, quando ſe tenet ex parte viri, quia ſponſus de futuro fornicatur, hæc circunſtantia non eſt de neceſſitate detegenda in Confeſſione.

Sed,his non obſtantibus,noſter P.Megala in 1. p. lib.5. c.11. q.5. num.9. putat, hanc circunſtantiam non eſſe neceſſariò aperiendam in Confeſſione, etiam in ordine ad ſponſam: quia,vt diximus ex Henriquez, non mutat ſpeciem, neque eſt adulterium; ideò exiſtimo, hanc ſententiam probabilem eſſe, & tutam in praxi: & illam etiam docet,vt ſuprà notauimus, Couar. & Viualdus. Vide Reſol.67.Tract.5.de Sacramen.in tertia huius Operis Parte.

### *An Epiſcopus, & Generalis alicuius Religionis, ſi peccet mortaliter, teneatur explicare iſtam circunſtantiam?*

#### Resolvt. VI.

AFfirmatiuam ſententiam docet Fagundez Præcept. 2. lib. 4. c. 3. n. 8. & Nugnus in addit. ad 3.p. tom. 2. q.9. art.2.dub.3.concl.2.& 3 vbi ita aſſerit: [ Quando ipſe pœnitens eſt Epiſcopus, tenetur explicare iſtam circunſtantiam in quocunque peccato mortali:quia Epiſcopi, ratione proprij ſtatus, tenetur ad perfectionē vitæ Chriſtianæ habendam:ſed huic perfectioni ex æquo repugnat quodcunque peccatum mortale:ergo notabiliter aggrauatur in Epiſcopo, ex hac circunſtantia, quodcunque peccatum mortale.Et hoc probabiliter etiam procedit in Generalibus Ordinum, eò quòd Generales Ordinum ſunt quaſi Epiſcopi, & tenentur alios monere ad perfectionem.] Ita Nugnus.

Sed ego oppoſitum dicendum eſſe cenſeo; & ita puto, non eſſe talem circunſtantiam neceſſariò in Confeſſione aperiendam.Et ita docet Coninch de Sacram.diſp.7. dub.4. n.18. vnde Filliucius tom.2. tract. 30. c.7. n. 125. Villalobos in ſum. tom. 1. tract. 9. dub. 36. num. 14. Sanchez de matrim.tom. 2. lib.7. diſp.27. n. 33. Henriquez lib. 5. cap. 5. num.6. in Gloſſa, litt G, & alij, qui aſſerunt, quòd fornicans Epiſcopus non tenetur Epiſcopatus circunſtantiam fateri, niſi fornicatio illa ab Epiſcopo, ſeu Generali Religionis admiſſa ita publica eſſet, vt ſcandalum pareret: tunc enim aduersùs ſpecialem officij obligationem delinquerent, qua tenentur ſubditos, non ſolùm verbo,ſed etiam exemplo paſcere, atque adeò ſpecialis malitia ex ſtatus ac officij circunſtantia contraheretur, eáque eſt neceſſariò fatenda.

Itaque ex his apparet, quòd Epiſcopus, ſi occultè fornicaretur,ſatisfaceret, non ſolùm tacendo,ſe eſſe Epiſcopum; ſed etiamſi diceret, ſe habere tantum votum caſtitatis, vt ſuprà diximus de Sacerdote, vel Religioſo profeſſo fornicante.Et ita docet Sanchez vbi ſuprà;quidquid in contrarium aſſerat Fagundez de Præcept. Eccleſ. tract.2. lib.4. c.3. n. 8. qui citat Ledeſmam, & alios multos. Sed, quod dictum eſt de Epiſcopo cum Sanchez, à fortiori procedit in Generalibus Religioſorum. Notandum eſt etiam hîc contra Nugnum vbi ſuprà, quòd quando omnes ciues tenentur ad præliandum, ſpecialiter tenentur milites, & duces: ſed ſupradicti non tenentur iſtam circunſtantiam explicare,nempe,ſe eſſe milites,& duces;quia dicta circunſtantia eſt ſolùm aggrauans, & ideò non neceſſariò in Confeſſione aperienda.

### *An mulier habens rem cum Nouitio, vel ſolutus cum Nouitia Religioſa, teneatur aperire hanc circunſtantiam?*

#### Resolvt. VII.

AFfirmatiuè reſpondet Llamas in ſumma, part.3.cap.8. §.14.

Sed mihi placet contraria ſententia, quam docet noſter Megala in 1. part. lib. 5. cap. 11. num. 7. quia, cùm hæc circunſtantia ſit tantùm aggrauans, non eſt in Confeſſione aperienda. Quæ doctrina magis procedit, ſi mulier haberet rem cum Clerico minorum Ordinum: quia talis circunſtantia non ita notabiliter aggrauat malitiam luxuriæ. Et ita docet Llamas vbi ſuprà.

* * *

An

*An, ſi Sacerdos, vel initiatus ſacris Ordinibus, aliquem percutiat, vel occidat, teneatur explicare hanc circunſtantiam?*

RESOLVT. VIII.

TEneri docet Nugnus *in addit. ad 3. part. tom. 2. q. 9. art. 2. dub. 3. concl. 5.* vbi ſic aſserit: [Quando initiatus ſacris Ordinibus occidit, vel abſcindit membrum alterius, vel notabiliter percutit, vſque ad effuſionem ſanguinis, tenetur explicare, ſe eſse initiatum ſacris: quia hoc maximè repugnat proprio ſtatui propter irregularitatem annexam. Et credo etiam probabiliter, quòd Sacerdos teneatur explicare, ſe eſse Sacerdotem: quia effuſio ſanguinis maximè repugnat ſacerdotio.] Ita ille.

*An Religioſus profeſſus, qui emittit votum de non committenda mollitie, vel fornicatione, teneatur explicare hanc circunſtantiam voti emiſſi poſt profeſſionem? & idem quæritur de Sacerdote, vel ſacris Ordinibus initiato.*

RESOLVT. IX.

REſpondeo negatiuè; nempe, non teneri declarare in Confeſſione, ſe hac de re poſt votum profeſsionis, aut ſacrorum Ordinum, ſpeciale votum emiſiſse: quia per votum ſolenne caſtitatis in profeſſione emiſsum,)& dum ſacros Ordines ſuſcepit, ad id ipſum tenebatur; & multiplicatio noua votorum nullam etiam addit circunſtantiam aggrauantem; nec ſe obligauit de nouo, ſed veterem obligationem cum illo voto confirmauit: ſicut qui ſæpè promitteret aliquam rem cum iuramento, vel publicas ſcripturas de illa efficeret. Et ita docet Fagundez *de Præcept. Eccleſ. tract. 2. lib. 4. c. 3. num. 11.* qui citat Sanchez, & Llamas. Et ideò Filliucius *tom. 2. tract. 30. c. 7. n. 26.* aſſeruit aliquem habentem votum ſolenne, & ſimplex, non teneri vtrunque exprimere: quia votum ſolenne & ſimplex differunt tantùm accidentaliter, & non eſt circunſtantia in Confeſſione aperienda.

*An vir, qui prima vice virginitatem amiſit, teneatur hanc ſui floris circunſtantiam in Confeſſione aperire?*

RESOLVT. X.

ALiqui, vt notat Nugnus *in addit. ad 3. part. tom. 2. q. 9. art. 2. dub. 3. concluſ. 5.* affirmatiuè reſpondent: quia etiam vir in illo actu amittit quandam integritatem naturalem, & formaliter amittit ipſam virginitatem, hoc eſt, virtutem virginitatis, & ſpecialem quandam gloriam, quæ appellatur laureola virginitatis; quæ omnia amittit irreparabiliter in æternum. Hoc autem videtur maximum nocumentum ſuper omnia nocumenta temporalia. Ergo tenetur vir talem circunſtantiam in Confeſſione explicare.

Sed contrariam ſententiam, veram eſſe iudico cum Llamas *in ſumma, part. 3. cap. 8. §. 17.* Azorio *part. 3. lib. 3. cap. 11, quæſt. 2.* Filliucio *tom. 1. tract. 29. c. 3. num. 71.* Henriquez *lib. 2. de Pœnit. c. 8. num. 2.* Suarez *in 3. part. diſp. 22. ſect. 4. in circunſtantia, Quid.* Nugno *vbi ſupr.* & cum aliis communiter. Neque obſtat argumentum in contrarium: nam, ſi verum eſſet, probaret etiam, primum peccatum commiſſum à ſuſceptione Baptiſmi, plurimùm augeri à circunſtantia innocentiæ baptiſmalis per idem amiſſæ; & ideò explicandum eſſet in Confeſsione: quod nullus docuit. Videatur Caietanus *in 2. 2. q. 154. art. 6.*

Sed difficultas conſiſtit, an idem
dicendum de virgine;
ideò quæritur,

***

*An virgines, quando ſponte primò fornicantur teneantur in Confeſſione iſtam circunſtantiam explicare?*

RESOLVT. XI.

AFfirmatiuè reſpondent Doctores, quos citant, & ſequuntur Fagundez *de Præcept. Eccleſ. tract. 2. lib. 4. c. 3. n. 13. & 16.* & Bonacina *de matrim. q. 4. punct. 17. n. 2.* Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 9. dub. 36. n. 15.* Azorius *p. 3. lib. 3. cap. 11. q. 4. & 5.* Filliucius *tom. 2. tract. 30. cap. 3. n. 66. & 72.* Syluius *in addit. ad 3. par. qu. 9. art. 2. dub. 2. concl. 3.* Quibus adde Nugnum *in addit. ad 3. par. tom. 2. q. 9. art. 2. dub. 3. concluſ. 6.* & Petrum Fay *in addit. ad 3. part. q. 9. art. 2. diſp. 8. concluſ. 1.* quia circunſtantia virginitatis mutat ſpeciem, & eſt peccatum ſtupri; vel ſaltem eſt circunſtantia aggrauans, maximè ſi virgo eſſet ſub cuſtodia parentum, & tutorum, vt aliqui volunt, & præſertim D. Thomas *2. 2. q. 64. art. 6.* Angelus *verb. ſtuprum, in princ.* Sylueſter *verb. luxuria, q. 1.* Tabiena *verb. ſtuprum, n. 1. verb. luxurioſus, q. 5. n. 6.* Armilla *verb. luxuria, n. 4. & verb. ſtuprum, n. 1.* Graffius *par. 1. lib. 2. cap. 79. n. 1.* & Pedrazza *in ſumm. præcept. 6. §. 2.* cum aliis.

Sed, his non obſtantibus, contrariam ſententiam probabiliorem eſſe iudico; nempe, peccatum virginis, ſi ſponte conſentiat, ſiue ſit, ſiue non ſit ſub cura tutorum, & parentum, non eſſe peccatum ſtupri, ſed ſimplicis fornicationis; & hanc circunſtantiam non eſſe in Confeſsione aperiendam. Et ita docent Viri doctiſsimi, Leſsius *lib. 2. c. 10. dub. 6. num. 5.* Coninch *de Sacram. diſp. 7. dub. 4. n. 19.* Sanch. *de matr. tom. 2. lib. 7. diſp. 4. n. 5.* Vaſquez *Opuſc. de reſtit. c. 3. §. 1. dub. 1. n. 6. & in p. 2. diſp. 112. c. 1. num. 1.* qui pro hac ſententia citat Socin. *in d. diſt. 18. q. 2. art. 4.* & meritò defendit à calumnia, quam illi imponunt omnes ferè Doctores. Idem etiam docet Megala *in 1. p. lib. 5. c. 11. n. 10. opin. 4.* Nauarra *de reſtit. lib. 2. c. 3. n. 419.* & alij, quos citat Salas *in p. 2. tom. 2. tract. 3. diſp. 14. n. 5.* & hanc ſententiam probabilem vocat Tannerus *in part. 2. diſput. 4. qu. 8. num. 150.*

Vnde ex hac doctrina inferunt, & rectè, ſupradicti Authores, quòd virgo, quæ moroſè delectatur circa aliquem, non tenetur in Confeſsione aperire circunſtantiam virginitatis, & dicere ſe, cùm eſſet virgo, delectationem moroſam de iuuene, vel Religioſo ſuſcepiſſe; etiamſi virgo ſe polluat cogitando ſuper illos: quidquid in contrarium aſſerant Regius *variar. reſolut. caſ. 18. num. 9.* qui multos alios citat.

Secundò infertur, iuueni, qui moroſè delectatur de virgine, ſine tamen voluntate inferendi ei violentiam, ſufficere, ſi dicat in Confeſſione, ſe delectationem habuiſſe circa fœminam ſolutam: Idem dicendum eſt, ſi cum virgine copulam habuerit: nam, ſi ſponte conſenſit, ſufficit dicere, ſe toties copulam habuiſſe cum fœmina ſoluta. Et ratio ſupradictorum eſt; quia, vt notauimus, quando virgo ſponte conſentit, peccatum, ſeu ſtuprum illud non differt à ſimplici fornicatione. Et hæc opinio eſt probabiliſsima, & tuta in praxi, Notandum eſt etiam hîc à fortiori cum Bonacina *de matr. q. 4. punct. 11. n. 9.* non eſse neceſsariò explicandam in Confeſsione ſodomiam commiſſam fuiſse cum virgine: ſed ſufficere, ſi dicatur, commiſſam fuiſse cum fœmina: nam per hoc peccatum non violatur clauſtrum virginale.

Notandum eſt etiam, vt obſeruat Sancius *in ſuis practicis diſputationibus*, aliquos Viros doctos ex Societate IESV cenſuiſse, ſat eſse ſtuprantem fœminam per vim, fateri ſe commiſiſse ſimplicem fornicationem per violentiam. Sic ille *diſp. 29. n. 8. in fin.* licèt ipſe hanc ſententiam *in n. 5.* non admittat.

Et tandem notandum eſt, quòd, etiam ſtando in prima opinione, quam *ſuprà* poſuimus, quando virgo ſola polluitur, non tenetur exprimere circunſtantiam virginitatis: quia, licèt per illam pollutionem perdatur virginitas,



prout eſt virtus; non tamen, prout dicit integritatem ſignaculi. Et ita docet Filliucius *tom. 2. tract. 30. c. 3. n. 74.* Vide *Reſol. 67. Tract. 4. de Sacr. in tertia huius Operis Part.*

*An Confeſſarius, qui carnaliter cognouit pœnitentem, teneatur dictam circunſtantiam explicare?*

RESOLVT. XII.

AFfirmatiuè reſpondet Homobonus *de exam. Eccleſ. p. 1. tr. 5. c. 12. q. 75* Ragucius *in luccrna Parochorum, de Sacram. Pœnit q. 43.* Acugna *tract. de Confeſſ. ſollicit. q. 5. n. 53.* Nugnus *in addit. ad 3. p. tom. 2. q. 9. art. 2. dub. 3. in fin.* Sanchez *de matr. tom. 2 lib. 7. diſp. 55. n. 4.* Coninch *de Sacram. diſp. 31. dub. 2. n. 23.* Megala *in 1. p. lib. 5. c. 12. n. 16.* Zanard. *in direct. Theol. p. 1. de Sacr. Pœnit. c. 18. in circunſt. Quis*, & nouiſſimè Fagundez *de Præcept. Eccl. tract. 2. lib. 4. c. 3. n. 33.* & alij: quia hæc circunſtantia mutat ſpeciem peccati: eſt enim ſpeciale ſacrilegium ratione vinculi, ſimilis cognationi ſpirituali ex Sacramento contractæ.

Sed contrariam ſententiam puto eſſe probabiliorem: quia, vt notat Vaſq *in 3. p. tom. 4. q. 91. art. 1. dub. 2. n. 20.* Rodriq *in ſum. t. 1. c. 209. n. 1.* Vegha *in ſum. tom.... c. 35. caſ. 19.* & alij, hæc circunſtantia non mutat ſpeciem, ſed notabiliter tantùm aggrauat peccatum. Et ita in terminis hanc ſententiam docet Pontius *tract. de impedim. matr. cauſa 30. c. 24. §. 2. verb. atque hac.* Sancius *in pract. diſp. 11. n. 3. & ſeq.* Azor. *p. 3. lib. 3. c. 9. q. 5.* & nouiſſimè Fay *in addit. ad 3. p. q. 9. art. 2. diſp. 8. concl. 2.* Bonacina *de matr. q. 4. punct. 16. n. 7.* cum aliis penes ipſos. Et hanc opinionem probabilem putat Portell. *in addit. ad dub. regul. verb. eligendam. 3.* & Ledeſm. *in ſum. tom. 1. de Pœnit. c. 19. concl. 6.*

Notandum eſt verò, quod Filliuc. *tom. 1. tract. 10. cap. 5. n. 187.* reſoluit hanc quæſtionem cum diſtinctione. Aut enim ait, actu mulier eſt pœnitens Sacerdotis, cui ordinariè confiteatur; aut non eſt actu pœnitens, ſed olim fuit: in primo caſu putat, talem circunſtantiam eſſe in Confeſſione aperiendam; in ſecundo caſu minimè.

Sed tu probabiliter tene, abſolutè dictam circunſtantiam nunquam eſſe neceſſariò in Confeſſione explicandam: quia, vt diximus, dicta circunſtantia eſt ſolùm aggrauans, & non mutat ſpeciem: quia Sacramentum Pœnitentiæ non inducit propriè cognationem ſpiritualem, cùm in nullo iure expreſſa reperiatur. Et *cap. omnes. 30. q. F.* intelligitur de inceſtu metaphorico, & improprio, licèt Confeſſarius dicatur Pater ſpiritualis. Et hoc etiam docet Filliucius *tom. 2. tract. 30. c. 5. n. 105.*

*An, qui committit, v. g. tria fornicationis peccata cum tribus fœminis, teneatur in Confeſſione dicere, ſe cum tribus fœminis fornicaſſe?*

RESOLVT. XIII.

REſpondeo negatiuè cum Sancio *in pract. diſp. 1. n. 24.* Homobono *de exam. Eccl. p. 1. tract. 5. c. 13. q. 83.* Bonacina *de Sacr. diſp. 5. q. 5. punct. 2. §. 3. diffic. 3. propoſ. 3. n. 14.* vbi ſic ait: Qui cõmiſit tria fornicationis peccata cum tribus fœminis, non tenetur dicere, ſe tres fœminas carnaliter cognouiſſe: ſed ſatisfacit dicendo, ſe ter fornicatum fuiſſe: nam actus fornicationis, cæteris paribus, eandem habent malitiam, ſiue committantur cum vna, & eadem fœmina, ſiue cum diuerſis eiuſdem rationis, & conditionis.] Ita ille, qui citat etiam Azorium.

*An, qui furatus eſt, v. g. mille aureos, ſatisfaciat, ſi in Confeſſione dicat: Surripui rem notabilem?*

RESOLVT. XIV.

NEgatiuè reſpondet Nugnus *in addit. ad 3. par. tom. 2. q. 9. art. 2. dub. 3.* Henriquez *lib. 5. cap. 7. n. 4.* Sanchez



*in ſum. tom. 1. lib. 4. c. 11. n. 24* Coninch *de Sacram. diſp. 7. dub. 3. n. 13. concl. 1.* Fagundez *de Præcept. Eccl. tract. 2. lib. 4. c. 4. n. 2.* Suarez *in 3. p. tom. 4. diſp. 22. ſect. 3. n. 17.* Medina *lib. 1. c. 9. §. 2.* Toletus *lib. 3. c. 7. n. 4.* Sotus *in 4. diſt. 17. q. 1. art. 4.* Sayrus *de Pœnit. cap. 8. n. 8.* Petrus Fay *in addit. ad 3. part. q. 9. art. 2. diſp. 5. concl. 1.* Bonacina, *vbi infrà*, & alij.

Hæc opinio eſt probabilis: ſed contrariam etiam probabilem vocat Bonacina *de Sacram. diſp. 5. quæſt. 5. ſect. 2. punct. 2. §. 3. diffic. 3 n. 17.* & illam docuit Nauarrus *in cap. conſideret. diſt. 5. n. 12.* & ex neotericis ſuſtinet hanc ſententiam Vaſq. *in 3. p. tom. 4. q. 91. art. 1. dub. 3.* Megala *in 1. p. lib. 5. c. 12. n. 2.* Zanardus *in Theol. p. 1. tract. de pœnit. c. 18.* Gyptius *tract. de caſ. reſeru. c. 8. n. 5.* Zerola *in praxi pœnit. cap. 12 q. 5.* & alij. Vnde ſufficit, quòd pœnitens dicat, ſe commiſiſſe furtum in re notabili, vt Confeſſarius poſſit cognoſcere illum peccaſſe mortaliter.

*An conſuetudo peccandi ſit circunſtantia aperienda in Confeſſione?*

RESOLVT. XV.

AFfirmatiuè reſpondet Fagundez *Præcept. 2. lib. 4. c. 4. n. 7.* Henriquez *lib. 5. c. 8. n. 2.* qui *in Gloſſa, litt. A*, citat pro hac ſententia D. Antoninum, Tabienam, Roſellam, Syluestrum, Sotum, & alios.

Sed contrariam ſententiam, & meritò docet Bonacina *de Sacr. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. punct. 2. §. 3. diff. 3. n. 22.* qui citat Suarez, Reginaldũ, & Zerolam, quibus ego addo Vaſq. *in 3. p. tom 4. q. 91. art. 1. dub. 3. n. 3.* niſi quãdo conſuetudo illa peccãdi fuiſſet ex occaſione proxima, quã pœnitens tenetur reſecare: ſecùs, quando fuiſſet conſuetudo, vbi non eſt hæc occaſio; tunc enim non tenetur talem conſuetudinem explicare, niſi à Confeſſario iuſta de cauſa interrogetur, vt illius diſpoſitionem intelligat: quia conſuetudo arguit infirmum emendationis propoſitum. Vide *infrà in Reſol. 55.* vbi Sancium contrarium docentem inuenies.

*An ſubditus qui Prælato præcipienti aliquid ſub præcepto obedientiæ, non obedit, peccet dupliciter, & teneatur hanc circunſtantiam in Confeſſione aperire?*

RESOLVT. XVI.

AFfirmatiuè reſpondet Villalobos *in ſum. tom. 1. tr 9. dub. 36. n. 14.* vbi ſic ait: [El Religioſo, que no obedece al Prelado, quando le manda por obediencia, comete vn peccado con dos malicias, que es contra Religion, y contra obediencia; y aſſi todo lo debe en Confeſſion explicar.]

Sed pro contraria ſententia, aduerſùs Hiſpanum, alium Hiſpanum ponamus, & hic eſt Ledeſma *in ſum. tom. 1. de Pœnit. c. 19. concl. 6. fol. mihi 338.* vbi ſic aſſert: [Se puede dezir muy probablemente, que el tal Religioſo no comete ſino vn peccado mortal, que tiene vna ſola malicia, porque aunque el quebrantamiento del precepto ſea contra la virtud de obediencia, y de Religion: però no es contra materia neceſſaria de obediencia, ſino es por participacion de la virtud de Religion; mediante el voto que hizò: y anſi el tal peccado no tiene mas que vna malicia.] Ita ille, qui citat Caiet. *in 2. 2. q. 88. art. 5. ad 3.* & Sotum *de iuſt. lib. 7. q. 2, art. 3. ad 1.* Super hac materia conſule *tertiam huius Operis Partem, Tract. 4. de Sacram. Reſol. 67.*

*An, ſi quis vnica voluntate voluiſſet plures homines occidere, aut pluries ad mulierem accedere, &c. teneatur hanc circunſtantiam confiteri?*

RESOLVT. XVII.

AFfirmatiuè reſpondent Doctores, qui putant, in eodem actu eſſe poſſe duplicem malitiam ſolo numero

differentem, vt docet Vaſquez; *vbi infrà*. Et exemplum erit in illo, qui vno actu odij feratur in decem homines: committeret enim vnum peccatum phyſicè, in quo eſſent decẽ malitiæ morales numero diſtinctæ; quia ſunt decem obiecta integra, quorum quodlibet ex ſe aptum eſſet conſtituere vnum peccatum; ſunt enim decem iniuriæ diuerſæ numero, quæ fierent decem diſtinctis hominibus: ſicut, qui vno ictu occideret decem homines, faceret vnum peccatum phyſicè, ratione vnius actionis, in quo eſſent decem malitiæ homicidij.

Sed contrariam ſententiam tenet Suarez *in 3. p. tom. 4. diſp. 22. ſect. 5. n. 35.* & alij, qui putant, eiuſmodi obiecta diuerſa numero, materialiter, & phyſicè facere tantùm actum peccati grauiorem; eſſe autem vnum obiectũ formaliter, & moraliter; ideóque, licèt ſingula, ſi per ſe ſumantur, poſſint dare malitiam numero diuerſam; tamen quatenus omnia coniunguntur in vno actu hîc; & nunc, nullum ex iis per ſe illam confert, ſed omnia ſimul per modum vnius concurrunt ad vnam, & eandem malitiam. Itaque ex hac ſecunda opinione apparet, obiecta diuerſa numero non multiplicare peccata: ſed tantùm aggrauare: & ideò ſecundùm illam dicendum eſt, talem circunſtantiam non eſſe in Confeſſione aperiendam, vt rectè notauit, licèt ipſe contrariam ſententiam teneat, Vaſquez *in 3. part. tom. 4. q. 91. art. 10. dub. 4. num. 8.* vbi ſic aſſerit: [Hoc dixerim in opinione hac, quam credo probabiliorem, in eodem actu eſſe poſſe duplicem malitiam ſolo numero differentem, cuius contrariam non exiſtimo improbabilem: & ſecundùm illam, qui eam ſequuntur, tenentur dicere, eam circunſtantiam non eſſe neceſſariò in Confeſſione explicandam.] Ita Vaſquez.

Et ideò ex neotericis docuit hanc ſententiam, ex noſtris P. Megala *in 1. part. lib. 5. cap. 12. n. 4.* vbi expreſsè aduerſùs Azorium probat, quòd ſi aliquis vnico actu voluntatis decem homines occidere velit, non tenetur quantitatem huius caſus in Confeſſione explicare: quia, præter rationes adductas, ſicut vnicus, & indiuiſibilis actus charitatis erga decem homines, vnicam, & indiuiſibilem charitatem habet; ita vnicus, & indiuiſibilis actus odij erga totidem homines, vnicam, & indiuiſibilem habet malitiam: ſed; qui vnico actu voluntatis decem homines vellet occidere, vnicum actum odij haberet: ergo eius actus vnicam haberet malitiam: ergo ſufficeret, hanc tantùm in Confeſſione explicare. Niſi tamen vnico actu voluntatis vellet plures occidere, quorum vnus eſt pater proprius, alter Sacerdos, alter ſæcularis: in quo caſu vnum committeret peccatum; ſed plures habens deformitates, ſcilicet, homicidij, parricidij, & ſacrilegij. Sicut, qui vnico actu voluntatis deſideraret, & delectaret ſe de tribus fœminis, quarum vna eſſet Monialis, altera coniugata, & altera ſoluta: ſecus, ſi omnes tres eſſent ſolutæ, vel coniugatæ, vel Moniales: nam in hoc vltimo caſu, non autem in primo ſufficit, ſi pœnitens, dicat, ſe moroſam delectationem habuiſſe ſuper Moniali, vel ſoluta vel coniugata: & non erit neceſſarium dicere, delectationem fuiſſe ſuper tres Moniales, vel tres ſolutas, vel tres coniugatas: quia, vt dictum eſt ex ſententia ſupradictorum DD. obiecta tantùm diuerſa numero non multiplicant peccata, ſed aggrauant. Et idem dicendum erit ſecundùm hos DD. in caſu, quo quis vno actu voluit omittere Officium per menſem, vel ieiunium per totam Quadrageſimam: ſufficeret enim, ſi diceret in Confeſſione, ſe voluiſſe frangere ieiunium, vel Officium non perſoluere. His tamen non obſtantibus, puto, contrariam ſententiam Vaſquez amplectendam eſſe, & ita in praxi obſeruatur, & docet nouiſſimè Granado *in par. 2. D. Thomæ, contr. 6. tract. 2. diſp. 5. num. 10.* & Malderus etiam *in p. 2. quæſt. 20. art. 4. diſputat. 99.*

* * *

*An geſtatio Reliquiarum in actu venereo, vel illas amaſiæ dare, ſit circunſtantia in Confeſſione aperienda?*

RESOLVT. XVIII.

RESpondeo, quòd ſi in actu venereo geſtentur Reliquiæ, vel Agni benedicti, vel calculi cum Indulgentia, non committitur ſacrilegium, nec talis eſt circunſtantia in Confeſſione explicanda: quia concomitanter ſe habent ad actum venereum. Quod etiam procedit; ſi dictæ res ſacræ dentur amaſiæ ex gratitudine, & beneuolentia; non autem tamquàm pretium actus venerei: nam in iſto caſu eſſet ſacrilegium hoc facere, in primo verò eſt tantùm irreuerentia quædam, re ſacra, & Deo dicata remunerando actum turpem, & profanum. Et ita docet Filliucius *tom. 2. tract. 30. c. 7. n. 219.* Adi *tertiæ huius Operis Partis Tractatum* 4. *de Sacram. Reſol.* 67.

*An ſit circunſtantia aperienda in Confeſſione, copula inter coniugatos habita in loco ſacro?*

RESOLVT. XIX.

REſpondeo negatiuè, ſi per longum tempus in illo loco detenti ſint: quod verò tempus longum ſit, arbitrio prudentis committitur: & in hoc eſt difficultas. Sanchez *de matr. tom. 3. lib. 9. diſp. 15. n. 12.* exiſtimat, vnum menſem eſſe longum tempus. Leſſius *lib. 4. c. 3. dub. 12. n. 86.* quindecim, vel viginti dies. Fagundez verò *Præcept. 2. lib. 4. c. 4. n. 21.* decem dies.

Sed ego, attenta humana fragilitate, puto cum Suarez *in 3. part. q. 83. art. 3. diſp. 81. ſect. 4. §. tertiò violatur.* & Petro Ledeſma *in ſum. tom. 1. de Sacram. Euchariſt. c.* 20. longum tempus eſſe quatuor, vel quinque dies.

Ex his apparet, rectè reſpondiſse Megalam *in 1. p. lib. 5. c. 13. n. 9.* non peccaſse quandam mulierem, quæ in quadam Eccleſia Regularium reddidit coniugale debitum marito dicenti, ſe ampliùs non poſse continere, quia ad Eccleſiam confugerat propter delictum, & nulla aderat ſpes inde exeundi, niſi poſt longum tempus.

Sed non reticebo, quoſdam Doctores exiſtimare, copulam coniugalem in loco ſacro, ſi occultè fiat, etiamſi coniuges non ſint concluſi, non eſſe peculiare peccatum ſacrilegij: quam ſententiam probabilem putat Vaſquez *in p. 2. tom. 1. diſp. 98. c. 3. n. 6.* & illam refert Leſsius, *vbi ſupr.* & non impugnat: & illam nouiſſimè docet Pontius *de matrim. lib. 10. c. 10. num. 15.* & hæc opinio eſt probabilis, quidquid in contrarium aſſerat Tannerus *in 2. 2. diſp. 4. q. 2. dub. 3. num. 42.* licè contrariam ſententiam probabiliorem exiſtimet.

*An ſit circunſtantia aperienda in Confeſſione, ſi quis, haberet copulam in Oratorio alicuius domus in quo de licentia Epiſcopi, Miſſæ celebrantur?*

RESOLVT. XX.

REſpondeo negatiuè: & ita docet Sanchez *de matr. tom. 3 lib. 9. diſp. 15. n. 39.* & alij. Idem dicendum eſt, vt his diebus in caſu occurrenti ego reſpondi, ſi copula habita ſit in porta Eccleſiæ, à parte externa Eccleſiæ, vel in Monaſterio, & cellis Religioſorum, etiamſi Superior Conuentus ſingulis noctibus benedicat dormitorium, & aqua aſpergat luſtrali, & ibi ſit altare ad celebrandum: quia reputabitur tunc tanquam Oratorium priuatum. Ita Fagundez *Præcept. 2. lib. 4. c. 4. n. 34. & 39.* Quæ omnia etiam procedunt, ſi copula haberetur in Sacriſtia Eccleſiæ: nam non eſſet circunſtantia aperienda in Confeſſione, vt notant Doctores citati, & noſter P. Megala *in 1. part. lib. 5. cap. 13. num. 21.*





*An Clericus ſacris Ordinibus initiatus, vel Religioſus, qui ludo taxillorum, & alearum, fraudauit aliquem in notabili quantitate, ſatisfaciat dicendo in Confeſſione, ſe proximum in quantitate notabili fraudaſſe; an verò teneatur circunſtantiam inſtrumenti, & medij aperire, aſſerendo illam fraudem feciſſe in ludo taxillorum, ſeu alearum?*

RESOLVT. XXI.

ESſe prædictam circunſtantiam aperiendam, putant omnes, qui aſſerunt, ſupradictos peccare mortaliter, ſi frequenter vacent his ludis. Et ita docent Rebellius, & Leſſius apud Megalam, *vbi infrà*, quibus ego addo Salam *tract. de ludo, dub. 24. n. 2. & ſeq.* Squillante *de obligat. Cler part. 2. dub. 8. n. 46.* Toletum *lib. 5. c. 27. n. 46.* Homobonum *de exam. Eccleſ. part. 2. tract. 9. c. 24. q. 74.* Molfeſium *in ſum. tom. 2. tract. 12. c. 21. num. 41. & 88.* Filliucium *tom. 2. tract. 37. cap. 4. n. 59.* & alios.

His tamen non obſtantibus, noſter Megala *in 1. p. l. 5. c. 14. n. 8.* docet, dictam circunſtantiam non eſſe in Confeſſione aperiendam: quia putat, dictos Clericos, & Religioſos, ſecluſo ſcandalo, etiamſi frequenter ludant, non peccare mortaliter: & conatur reſpondere ad ſacros Canones, vbi tales ludi Clericis prohibiti inueniuntur. An verò hæc ſententia ſit probabilis, Viri docti, illum legendo, iudicent.

*An, qui non audiuit Miſſam in die Dominico, in quem incidit feſtum alicuius Sancti ſatisfaciat dicendo in Confeſſione, ſe in die feſto ſemel Miſſæ ſacrum prætermiſiſſe? Item quæritur, ſi eodem die, duplici titulo ieiunandum ſit?*

RESOLVT. XXII.

NEgatiuè reſpondet Tannerus *in 2. 2. diſp. 5. q. 6. dub. 2. n. 24.* Homobonus *de exam. Eccleſ. p. 1. tract. 5. c. 12. q. 76.* Fabrus *de Pœnit. in 4. ſent. diſt. 17. q. vnic. diſp. 24. c. 2. n. 36.* Nauarrus *in Manuali, cap. 11. n. 4.* Lopez *in inſtruct. part. 1. c. 29.* Rodriquez *in ſumm. tom. 2. c. 23. q. 3.* Coninch. *de Sacram. diſp. 2. dub. 6. num. 47.* Reginaldus *in praxi, tom. 1. lib. 6. c. 4. num. 129.* & alij, qui putant, in tali caſu non ſufficere, ſi pœnitens dicat: Omiſi Sacrum in die Dominico, ſed opus eſt dicere, in illo die Dominico incidiſſe, v. g. feſtum D. Ioannis Baptiſtæ.

Sed contrariam ſententiam puto eſſe probabiliorem, quam tuentur, & docent, Vaſquez *in 3. p. tom. 4. q. 91. art. 1. dub. 4. n. 9.* Nugnus *in addit. ad 3. p. quæſt. 9. art. 2. dub. 3.* Henriquez *lib. 5. c. 5. n. 6. in Gloſſa, lit. B.* Sancius *diſp. 11. n. 17.* Sanchez *de matrim. tom 3. lib. 9. diſp. 15 num. 6.* vbi ſic ait: [Hinc deducitur pro materia de Pœnitentia, dum obligat præceptum audiendi Sacrum, aut abſtinendi à ſeruilibus, ratione duplicis feſti concurrentis, vt ſi feſtum incidat in die Dominica; aut ieiunij, ratione vigiliæ incidentis quatuor anni Temporibus, aut Quadrageſimæ, vnicam eſſe malitiam, præceptum illud tranſgredi; atque ita ſufficienter fateri dicentem, ſe ieiunium, aut feſtum violaſſe.] Idem docet etiam Ledeſma *in ſum. tom. 1. de Pœn. c. 19. concl. 6.* Megala *in 1. p. lib. 1. c. 17. n. 5.* Sà *verb. Confeſſio, §. quidam putant.* Et hanc ſententiam magis in praxi eſſe vſu receptam, teſtatur Homobonus *de exam. Eccleſ. part. 1. tract. 5. c. 12. quæſt. 76.*

Vnde ex his infertur, quòd qui furatur rem ſacram de loco ſacro ſatisfacit, ſi in Confeſſione dicat, ſe furatum fuiſſe rem ſacram: nec opus eſt dicere de loco ſacro; quia vtraque illa circunſtantia ad eandem rationem formalem virtutis religionis ſpectat. Ergo, &c. Et ita docet Fagundez

*Vtrum, ſi quis furetur propter fornicationem, teneatur hanc circunſtantiam finis explicare in Confeſſione; vel ſufficiat dicere: Furatus ſum, & poſteà per alium actum dicere: Habui intentionem fornicandi.*

RESOLVT. XXIII.

NEgatiuè reſpondet Syluester *verb. Confeſſio. 1. q. 10.* & ex neotericis Ioan. de la Cruz *in director. conſc. part. 2. tract. de Sacram. Pœnit. q. 3. dub. 6. concl. 1.* Megala *in 1. p. lib. 5. cap. 10. num. 2. c. 15. num. 6.* Nugnus *in addit. ad 3. p. quæſt. 9. art. 2. dub. 3.* & alij.

Sed mihi contraria ſententia videtur probabilior. Dico igitur verum eſſe, circunſtantiam finis eſſe explicandam in Confeſſione, vt in exemplo appoſito, quando quis furatur propter mœchiam. Et ita docet Bonacina *de Sacr. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. punct. 2. diffic. 3. n. 25.* Fagundez *Præcept. 2. lib. 4. c. 5. n. 10.* Henriquez *lib. 2 c. 6. n. 3.* Suarez *in 3. p. tom. 4. diſp. 22. ſect. 4. in circunſtantia, Cur.* Reginaldus *tom. 1. lib. 6. c. 4. n. 127.* & alij communiter.

Sed, licèt hoc, vt dixi, verum ſit: puto tamen, in ſimili caſu contra Nugnum, & alios ſufficere, ſi pœnitens dicat: Furatus ſum. & poſtea ſubiungat: Habui intentionem mœchandi. Et ita docet Angelus *verb. interrogatio, §. 6.* Nauarrus *in Man. c. 6. n. 2.* & ex neotericis Petrus Fay *in addit. ad 3. part. q. 9. art. 2. diſp. 11.* Quia, vt ait ipſe, malitia, quæ in furto deſumitur à mœchia, ad quam ordinatur, non eſt alia ab ea, quæ reperitur in intentione mœchiæ: ſimiliter malitia furti, quæ requiritur in intentione mœchiæ, non eſt diuerſa à malitia ipſius furti ſecundùm ſe: ergo, qui confitetur furtum, & mœchiam, etiamſi non explicet ſe ordinaſſe vnum ad aliud, ſufficienter explicat ſuum ſtatum: ergo ad aliud non tenetur.

Notandum eſt etiam cum Coninch *de Sacram. diſp. 7. dub. 4. num. 24.* & aliis, *vbi ſuprà*, quòd circunſtantia finis tunc eſt explicanda, quando quis peccando intendit finem aliquem, qui continet malitiam mortalem. Vnde rectè notauit Pitigianus *in 4. ſent. tom. 2. diſt. 17. q. vnic. art. 5. in circunſtantia. Cur.* quòd ſi quis eſt confeſſus propter inanem gloriam; hæc circunſtantia mali finis, id eſt, vanæ gloriæ, non erit neceſſariò in Confeſſione aperienda quia in tali caſu circunſtantia mali finis non continet malitiam mortalem: ergo non eſt confitenda.

Nota ſecundò, quòd ſi quis in die feſto propter ſtudium omitteret Sacrum, non eſt neceſſarium in tali caſu cõfiteri circunſtantiam ſtudij, propter quod omiſſum fuit; ſed tantùm omiſſionem Sacri: quia talis circunſtantia, nec in ſe mala eſt, nec mutat ſpeciem peccati, nec illud notabiliter aggrauat: ergo, &c. Et ita docet Salas *in p. 2. tract. 13. diſp. 2. ſect. 7. & 8.* Vaſquez etiam *in p. 2. diſp. 93.* Henriquez *lib. 2. c. 5. n. 7. & in Gloſſa, lit. C.* cum aliis.

*An, qui cum conſcientia erronea fecit aliquid; nec tamen in cogitatione diſtinxit, an illam actionem facere eſſet peccatum mortale, vel veniale; debeat in Confeſſione talem circunſtantiam conſcientiæ erroneæ aperire, ſi poſteà inuenit non eſſe peccatum mortale illud, quod fecit?*

RESOLVL. XXIV.

AFfirmatiuè reſpondet Sanchez *in ſumm. tom. 1. lib. 1. c. 11. num. 7.* Vaſquez *in p. 2. tom. 2. diſp. 59. c. 3. n. 10.* Azorius *p. 1. lib. 2. c. 8. q. 6.* & alij.

Sed contrariam ſententiam probabilem etiam eſſe puto, quam docet Nauarr. *in Manuali, prælud. 9. n. 9.* Lopez *in inſtruct. part. 1. c. 3.* & ex neotericis Valentia *tom. 2. diſp. 2. q. 14. punct. 3.* qui hanc rationem adducit: [Nam velle id, quod in genere duntaxat iudicatur illicitum, non videtur eſse grauis malitia, cùm contineatur adhuc eiuſmodi voluntas intra limites eius rationis, quæ eſt communis

peccato mortali, & veniali, atque adeò, ſit imperfecta in genere mali: itaque ſolùm hîc erit peccatum veniale. ] Ita Valentia. Vnde talis circunſtantia non erit in Confeſſione neceſſariò aperienda.

*An, tactus impudici, facti in Eccleſia, habeant ſpecialem malitiam ſacrilegij mortalis, neceſſariò in Confeſſione explicandam?*

RESOLVT. XXV.

AFfirmant plures, & præſertim ex neotericis, Syluius *in 2. 2. q. 154. art. 10. in fin.* Ortiz *in ſumm. notab. 5. in fin. circa 6. præceptum.* Salas *in p. 2. tom. 2. tract. 13. diſp. 6. ſect. 22. n. 150. in fine*, Pitigianus *in 4. ſent. tom. 2. diſt. 17. quæſt. vnic. art. 5. in circunſtantia, Vbi, in fin.* Azorius *tom. 1. lib. 4. c. 6. q. 10.* Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 3. c. 7. num. 11.* vbi citatis. Cord. Sylues, Lopez, Rodriquez, & Ledeſma, ait: [Et ratio huius ſentētiæ non fundatur in eccleſiaſtica prohibitione: nam hæc prohibitio facta non eſt, niſi de ſeminis emiſſione in Eccleſia, ergo erūt hi tactus impudici, in Eccleſia facti, mortalia ſacrilegia ex vi legis naturalis prohibentis illos tactus in loco ſacro, tanquàm indecentiſſimos ſanctitati eius. In quo genere tactus illi reputantur prudenter materia grauis, & ſufficiens ad grauem irreuerentiam loci ſacri. Fortaſſe tamen non erit idem de turpi aſpectu, aut leui verbo, maximè quando in tranſitu, & ſine notabili mora, & ſcandalo fiunt: quia non videntur materia ita grauis. De quo non poteſt ferri certa regula; ſed id prudenti iudicio relinquendum eſt.] Hæc Suarez.

Sed nimis ſcrupuloſè. Puto igitur cum Homobono *de exam. Eccleſ. p. 1. tract. 5. c. 12. q. 77.* Sanchez *de matr. tom. 3. lib. 9. diſp. 15. n. 21.* Fagundez *Præcep. 2. lib. 4. c. 4. n. 31.* & Coninch *de Sacram. diſp. 7. n. 22.* probabilius eſſe, etiam tactus turpes, & impudicos, habitos in Eccleſia, modò non adſit periculum pollutionis, ratione loci ſacri non habere ſpecialem malitiam ſacrilegij in Confeſſione aperiendam. Et ratio eſt: quia, vt docet Valentia 2. 2. *diſp. 6. q. 15. punct. 1. §. præterea.* cum Henriquez *lib. 5. Pœnit. c. 6. n. 5.* & Vaſquez *in p. 2. tom. 1. q. 72. art. 6. diſp. 98. n. 4.* malitia, & ſpecialis deformitas ſacrilegij non conſurgit ex iure naturæ; ſed ex ſolo Eccleſiæ ſtatuto, quod decernit, Eccleſias tantùm ex ſanguinis, & ſeminis effuſione violari. Itaque, vt optimè etiam docet Caietanus *tom. 1. tract. 7. reſponſ. 12. dub. 1.* tunc loci circunſtantia ſacrilegium conſtituit, cùm peccata in eo admiſſa impediunt diuina poſſe ibi celebrari, mortuos ſepeliri, &c. ſed tactibus, quamuis impudicis, vt patet, non violatur Eccleſia, neque per illos impediuntur diuina Officia: ergo tales actus, etiam turpes, non erunt ſacrilegium: neque continebunt circunſtantiam in Confeſſione detegendam.

Poſt hæc ſcripta, inueni ſententiam Suarez, & aliorum, docere, etiam ex neotericis Raphaëlem de la Torre *in art. 2. tom. 2. quæſt. 99. art. 3. diſp. 7.* vbi quærit, quando ſacrilegia pertinentia ad actus turpes in Eccleſia ſint peccata mortalia: & reſpondet, eſſe mortalia in fornicatione, pollutione, & tactibus impudicis in partibus inhoneſtis, & ideò aperienda in Confeſſione. Sed noſtra opinio tutò practicari poteſt.

Proximæ dubitationi iſta non diſſimilis merito ſit adiuncta.

*An pollutio occulta, facta in Eccleſia, contineat ſacrilegij malitiam neceſſariò in Confeſſione manifeſtandam? Idémque quæritur de fornicatione?*

RESOLVT. XXVI.

LIceat ſententiam affirmatiuam cum verbis Raphaëlis de la Torre incipere. Is *in 2. 2. D. Th. tom. 2. q. 99. art. 2. diſp. 7.* ſic ait: [ Secundus gradus ſacrilegij in loco ſacro continet actiones fornicarias in Eccleſia exercitas: quod quidam limitant ad fornicationem publicā, videlicet, per facti euidentiam, eo modo, quo talia crimina ſciri poſſunt, vel iuridicam probationem, aut rei confeſſionem. At verò ſi fornicatio ſit occulta, aiunt, non eſſe ſacrilegium, nec eam circunſtantiam loci ſacri, eſſe neceſſariò aperiendam in Confeſſione. Sed hæc ſententia falſa mihi videtur: quia talis fornicatio contrariatur, etiam ſecluſo omni iure poſitiuo, ſanctitati Eccleſiæ, non ſolùm propter malitiam eam, quam includit: verùm etiam propter fœditatē actus, cuius turpitudo, etiam ſi nullum eſſet peccatum, ſanctitati Eccleſiæ, & eius munditiei repugnans eſt. Eandem ſententiam priùs etiam docuerat Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 3. c. 7. n. 4.* primò, quia, licèt fornicatio non violet Eccleſiā actu, vt ſic dicam, & in foro Eccleſiæ, quandiu occulta eſt; tamen Eccleſia ſuo præcepto non prohibet tantùm ſeminationem illicitam in Eccleſia, ſed ſimpliciter ſeminis emiſſionem voluntariam. Et hinc eſt, quòd, licèt in principio, talis actus occultus non polluat Eccleſiam; nihilominus, ſi poſteà fiat publicus, incipit Eccleſia eſſe polluta. Ergo à principio, actus ille fuit culpabilis contra Eccleſiæ prohibitionem: quia culpa non pendet ex futuro euentu; nimirum, an fornicatio illa ſit aliquando futura publica, nécne; & actus ipſe de ſe polluit ſufficienter, & ideò eſt contra ſpecialem prohibitionem Eccleſiæ. [ Hæc Suarez quem ſequitur etiam Sanchez *de matr. tom. 3. lib. 9. diſt. 15. n. 11.* & Bonac. *de matr. q. 4. punct. vlt. n. 7.* & alij.

Sed non reticebo negatiuam ſententiam, quam falſam vocauit Raphaël de la Torre; tanquam probabilem, amplexum eſſe Gabrielem Vaſquez *in p. 2. tom. 1. q. 72. art. 7. diſp. 98. c. 3. n. 6.* Accipe eius verba: [ Ex dictis colligitur, fruſtrà aliquos torqueri in aſſignanda ratione, ob quam blaſphemare, vel loqui turpia in loco ſacro, præter malitiam, quam habent in alio loco, non habeant malitiam peculiarem ex loco ſacro: ratio enim facilis eſt: quia, nimirum; lege humana non eſt ita ſtatutum, vt blaſphemia, vel turpi ſermone locus ſacer prophanetur, ſicut de pollutione definitum eſt; ideóque illis peccatis non infertur peculiaris iniuria loco ſacro, qualis infertur pollutione, aut ſanguinis effuſione. Vbi etiam obſeruandum eſt, ſatis probabile videri, non eſſe peculiare peccatum ſacrilegij, cùm effunditur ſemen occultè in Eccleſia: quia, ſecundùm ſententiam communem, quam ſequuti ſumus *in tractatu de violatione Eccleſiarum*, tantum violatur locus ſacer pollutione notoria: ſi ergo hæc effuſio eò tantùm eſt ſacrilegium, quia locus ſacer ea profanatur, & tollitur conſecratio, aut benedictio: quia nulla alia ratio eſt, vt ſpeciale peccatum ſit; fit, vt notoria tantùm effuſio ſpeciale peccatum ſacrilegij ſit. Hæc Vaſquez, quem nouiſſimè ſequitur Baſilius Pontius *de matr. lib. 10. cap. 10. n. 15.* Vnde probabiliter puto, hanc circunſtantiam, non eſſe in Confeſſione aperiendam. licèt contrariam ſententiam probabiliorem exiſtimem, quam contra Vaſquez docet Tannerus *in part. 2. D. Thomæ, diſp. 4. q. 2. dub. 3. n. 42.*

*Quidam latro furatur crumenam diuitis in Eccleſia: quæritur, an hoc pecatum, extra malitiam furti, contineat etiam malitiam ſacrilegij, neceſſariò in Confeſſione aperiendam?*

RESOLVT. XXVII.

SEntentia affirmatiua abſolutè, ſine vlla diſtinctione de qua nos inferiùs, placuit Paulo de Laymā *in Theolog. mor. lib. 5. tract. 10. c. 7. n. 18.* & Franciſco Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 3. c. 4. n. 7.* vbi ex communi ſententia aſſerit, furtum in loco ſacro ſacrilegium eſſe. Probatur ex verbis Ioannis Papæ *in c. Quiſquis. 17. q. 4.* quæ ſunt iſta: [ Sacrilegium committitur, auferendo ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, aut ſacrum de non ſacro. ] Vbi clarè demonſtratur, ſimpliciter, & ſine vlla limitatione eſſe ſpeciem ſacrilegij, furari non ſacrum de ſacro; & vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, *l. de prætorio. ff. de Publican.* niſi vel alia lex obliget, vel ratio





cogat quando aliàs ſequeretur abſurdum, quorum nihil in noſtro caſu interuenit: & ſic hanc ſententiam ſequitur etiam Raphaël de la Torre *in 2. 2. tom. 2. q. 99. art. 2. diſp. 7.* & Rebellius *p. 1. lib. 3. q. 15. n. 25.* cum Reginaldo *tom. 2. lib. 23. c. 1. n. 12.* & Menochio *de arbitrariis, lib. 2. cent. 4. caſ. 389. n. 14.* & Petro de Ledeſma *in ſum. tom..... tract. de Pœnit. cap. 19. fol. mihi 328. col. 2.*

Pro deciſione huius quæſtionis, oportet diſtinguere duos modos, quibus poteſt res non ſacra in Eccleſia eſſe. Primò, quia eſt ſub iure, & quaſi poteſtate Eccleſiæ, verbi gratia, quia eſt illi tradita ad cuſtodiendum, vel in pignus data, vel alio ſimili modo in Eccleſia depoſita. Secundò, poteſt res aliqua profana per accidens eſſe in Eccleſia; vel, quia ibi eſt perſona, quæ illam ſecum defert; vel, quia caſu ibi relicta eſt. Hoc ſuppoſito.

Aſſero contra Suarez, in priori caſu ſacrilegium eſſe furari bona illa in Eccleſia; non autem in poſteriori caſu: vt, quando latro, v. g. furatur crumenam diuitis. Et ratio eſt: quia bona illa, quaſi per accidens, ſunt in Eccleſia: ergo non irrogatur ſpecialis iniuria ipſi Eccleſiæ, etiamſi inde quis ea furetur; & aliàs tale furtum non eſt ſpecialiter prohibitum ab Eccleſia in honorem templi: vnde non habet malitiam ſacrilegij lethalem: & ex hoc non eſt neceſſariò aperienda hæc circunſtantia in Confeſſione. Hanc ſententiam tenet Sotus *in 4. diſt. 18. q. 2. art. 4.* Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. p. 2. tract. de Sacram. Pœnit. q. 3. dub. 6. concluſ. 1.* Fagundez *Præcept. 2. lib. 4. cap. 4. n. 9. & 12.* Henriquez *lib. 2. c. 6. n. 5. in Gloſſa. litt. N.* & ego practicè probabilem iudico, ſicut etiam probabilis viſa eſt Raphaël de la Torre, *vbi ſuprà*, & Leſſio *lib. 2. c. 45. dub. 3. n. 14.* vbi ſic ait: [Furtum in loco ſacro, & quidem ſi aſyli. & ſecuritatis cauſa res ibi ſit depoſita, vt reuerentia loci tuta ſit, ob circunſtantiam loci ſacri dicit malitiam ſacrilegij mortiferam: ſi autem eam ob cauſam ibi depoſita non ſit, probabile eſt rationem ſacrilegij mortiferam non eſſe; quia res illa cuſtodiæ loci ſacri non erat concredita, ſed per accidens ibi poſita. Quare non cenſetur loco per tale furtum maior iniuria irrogari, quàm per confabulationes, riſus, detractiones, contractus ſæculares, & ſimilia.] Sic Leſſius. Sed audiamus Thomam Zerolam *in praxi pœnit. c. 12. q. 17.* [Quærit ibi, vtrùm furari tapeta, tobaleas, cortinas, vel ſellas, vel quid huiuſmodi, quæ erant accommodata à Sacriſta, pro ornamento alicuius feſtiuitatis in Eccleſia, ſit ſacrilegium? Et reſpondet, quòd ſic: quia deſeruiebant cultui diuino, pro quo erant mutuò data. Secùs verò, ſi quis deferret ſellam, tapeta, vel baldachinum, vel quid huiuſmodi in Eccleſiam, pro ſui commoditate, vel ornatu, vt faciunt Principes, Officiales, & nobiles, quia tunc furari ea, non eſt ſacrilegium. Sed quando feciſſet Sacriſta ſibi ea accommodari, & ipſe ea pararet pro ſeſſione alicuius Principis, vel Prælati venientis ad Eccleſiam pro deuotione; tunc etiam committeretur ſacrilegium: quia indirectè cultui diuino erant deputata.] Ita Zerola, Vide etiam Farinac. *de immunit. Eccl. c. 16. n. 217. ad Bull. Gregor. XIV.* Ex his patet reſponſio ad dubitationem in principio poſitam. Nota verò, circa præſentem materiam, aduerſùs Ioan. de la Pegna, non committere ſacrilegiū, qui furatur à Clerico aliquid iure Eccleſiaſtico poſſeſſum. Ita Pitigian. *in 4. ſent. tom. 2. diſt. 17. q. vnic. n. 5. in circunſt. Vbi.*

*An ei, qui vnico impetu profert in ſeruos plures iniurias, vocando illos fures, ſodomitas, &c. aperienda ſit quantitas, & numerus iniuriarum, & etiam perſonarum: vel ſufficiat accuſare, ſe iniuriam grauem intuliſſe alicui, non explicando iniurias, neque perſonas?*

RESOLVT. XXVIII.

QVoad primum reſpondent aliqui affirmatiuè. Sic Ioan. Yribarne *tom. 2. in 4. ſent. diſt. 17 diſp. 15. ſect. 8.* [Percontaberis (ait) qui in vno tempore plures iniurias vni dicit, quot committit peccata? Reſpondeo, quòd ſi iniuriæ prolatæ ſint ſpecie diſtinctæ, vt tu es fur, & Iudæus; tunc eiuſmodi duæ iniuriæ erunt plura peccata.] Sic etiam ait Nauarr. *c. 6. n. 18.* Megala *in 1. p. inſt. Confeſſ. lib. 5. c. 12. n. 2.* & Henriquez *lib. 5. c. 8. n. 3.* Idem etiam docet Sanchez *in ſum. lib. 1. c. 3. num. 39.* ex alio principio; & nouiſſimè Sancius *diſp. 6. n. 1. & 2.* cum Tannero *in 2. 2. diſp. 4. q. 2. dub. 4. num. 55.*

Ego verò contrariam ſententiam ſuſtinendam eſſe iudico, quam ſequitur Zerola *in praxi pœnit. c. 12. q. 48.* Et ratio eſt: quia omnes contumeliæ ſunt eiuſdem ſpeciei. Ita Caiet. *in 2. 2. q. 72. art. 1.* Sotus *de iuſtit. lib. 5. q. 9. art. 1.* Emmanuel Sà *verb. contumelia, n. 1.* Molina *tom. 5. tract. 4. diſp. 19. n. 3.* Azor. *p. 3. lib. 13. c. 5. dub. 1.* & Reginald. *tom. 2. lib. 24. c. 5. n. 102.* vbi in terminis ponit deciſionem noſtræ quæſtionis: aſſerit enim: [ Tertium documentum eſt, omnes contumelias eiuſdem ſpeciei eſſe: quia quamuis in cæteris diuerſitas cernatur, conueniunt tamen in ratione formali, quæ eſt intentio auferendi alteri ſuum honorem. Vnde ſequitur, ſatis eſſe in Confeſſione dicere: Toties contumelia affeci meum proximum. nec requiri, vt dicatur: Illum vocaui ebrium, ſcurram, adulterum, &c. Niſi quòd, vt addit Sotus, aliquando contumeliæ grauitas tantùm augeri poſſit, vt eius expreſſio ſit de neceſſitatē Confeſſionis, vt ſi quem Hæreticum, aut patriæ proditorem, aut quid aliud ſimile appelles. ]

Sed hæc limitatio Soti, quam etiam ſequitur noſter P. Molf. *tom. 1. tract. 12. c. 22. n. 191.* procedit in opinione illorum, vt notat Azorius, *vbi ſuprà*, qui putant circunſtantias aggrauantes eſſe in Confeſſione aperiendas. Ego verò, qui tantùm circunſtantias mutantes ſpeciem, in Confeſſione manifeſtandas eſſe puto, aſſero ſimpliciter, non eſſe neceſſarium contra Sotum, & Reginaldum, explicare contumelias graues; ſed ſatis eſſe dicere: Toties contumelia affeci Petrum, Ioannem, &c.

Notent Confeſſarij, quòd etiam hæc doctrina eſt applicanda, & practicanda in detractionibus: & ſic à multis ſcrupulis, & interrogationibus immunes erunt. Vide Bonac. *tract. de Sacr. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. punct. 2. §. 3. diffic. 3. n. 17.* qui noſtram ſententiam probabilem vocat. Aliqua etiam, quæ ad hanc materiam pertinent, reperies *in Tract. 4. de Sacram. tertia huius Operis Partis, Reſol. 67.*

*Vtrùm, ita vt in ſuperiori caſu ſentiendum ſit, quando quis infert iniuriam pluribus perſonis, an verò ſit neceſſarium explicare in Confeſſione numerum perſonarum?*

RESOLVT. XXIX.

EXplicandum eſſe cenſuit Yribarne *in 4. ſent. diſt. 17. diſp. 15. ſect. 8. tom. 2.* nam, dum eadem iniuria in plures eſt prolata, tot peccata committuntur, quot perſonæ afficiuntur tali iniuria: damna ſiquidem cauſata in fama, & honore, eatenus iuxta numerum perſonarum numerantur, vt nequeant cadere ſub vnica exiſtimatione, perinde atque damnum illatum in vita. Ita enim ſentit Bonacina *de Sacram. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. punct. 2. §. 3. diffic. 3. n. 16.* vbi ait, qui pluribus iniuriam intulit, teneri numerum perſonarum exprimere: non, quia pluritas perſonarum, præciſè, ſit circunſtantia mutans ſpeciem; ſed, quia eſt obiectum terminans, & determinans ipſum actum, vt aliquid ſpectans ad ipſius ſubſtantiam quaſi indiuiduam: cùm autem ipſe actus indiuidualis exprimendus ſit in Confeſſione, & hîc exprimi ſufficienter nequeat, non expreſſo numero perſonarum; ſequitur, numerum perſonarum exprimendum eſſe. Et in terminis hanc opinionem ſequitur, præter Zerolam *in praxi pœnit. c. 12. quæſt. 48.* & Henriquez *lib. 5. c. 5. n. 4.* ſequitur, inquam, Vaſquez, *vbi infrà*, & Tannerus *in 2. 2. diſp. 4. q. 2. dub. 4. n. 55.*

Sed reſolutio huius caſus pendet ex illa celebri quæſtione, vtrùm in eodem actu poſſint dari plures malitiæ,

ſolo numero diſtinctæ? Negat. P. Sua. *in 3. p. tom. 2. diſp. 22. ſect. 5. n. 34.* Affirmat Vaſq. etiam *in 3. p. tom. 4. q. 91. art. 1. dub. 4 n. 4.* Sed, licèt Suarez teneat negatiuam ſententiam; aſſerit tamen, confitendum eſſe neceſſariò numerum perſonarum. Sed magis conſequenter loquitur Vaſquez: nam *n. 8.* ait: [Hoc dixerim in opinione hac, quam credo probabiliorem, in eodem actu eſſe poſſe duplicem malitiam ſolo numero differentem; cuius contrarium non exiſtimo improbabile: & ſecundùm illam tenentur, qui eam ſequuntur, dicere, eam circunſtantiam non eſſe neceſſariò explicandam.] Vbi vides, eos, qui tenent, in eodem actu non eſſe poſſe plures malitias ſolo numero diſtinctas, quam opinionem probabilem vocat Vaſquez, debere dicere in noſtro caſu circunſtantiam, & numerum perſonarum non eſſe in Confeſſione aperiendum; iuxta ſententiam, quam ſequimur, circunſtantias aggrauantes non eſſe aperiendas in Confeſſione.

Dices: Vnitas peccatorum non tantùm deſumi debet ex vnitate actionis; ſed etiã ex multiplicitate perſonarum, circa quas verſatur actio: ſed in propoſito caſu reperiuntur plures perſonæ, & plura ſubiecta, circa quæ verſatur illa iniuria: ergo ſunt plura numero peccata. Reſpondeo, vnitatem, & multiplicitatem peccatorum deſumi ex vnitate, & multiplicitate perſonarum, & ſubiectorum, quãdo actio ſit ſucceſſiuè circa plures perſonas, non quando ſit tota ſimul circa plures perſonas, vt in noſtro caſu: quando enim quis fert iniuriam erga decem homines, illa iniuria reſpicit illos decem homines per modum vnius obiecti; & ideò vnica habitudine tranſcendẽtali ad illos tendit. Quapropter, licèt vnumquodque ex his obiectis per ſe poſſet terminare actum ſibi adæquatum, & ita poſſent eſſe ad alia obiecta plures reſpectus diſtincti; tamen vt cadunt ſub tali actu, nullum illorum obiectorum per ſe ſufficit ad terminandum aliquem reſpectu illius actus, ſed ſolùm omnia coniunctim. Ergo, &c. Sed, his non obſtantibus, contrariam ſententiam cum Vaſquez, tenendam eſſe puto, & cum citatis DD. Sed ad alia deueniamus.

*An peccatum odij aduersùs proximum, non ſit peccatum vnius ſpeciei, ſed plurium, ita vt in Confeßione pœnitentes teneantur explicare mala volita, verbi gratia, ſi fuerunt circa facultates, vel circa perſonam, ſeu circa honorem?*

RESOLVT. XXX.

Affirmatiuè reſpondet P. Suar. *de char. diſp. 6. ſect. 2. n. 2. & 3.* & Syluius *in 2. 2. q. 34. art. 6. quæritur 2.* Et probatur: nam afficere proximum iniuria in vita vel in fama, ſunt peccata ſpecie diuerſa contra iuſtitiam; propter materiæ diuerſitatem: ergo pari modo efficient diuerſitatem in odio. Denique quod ad mores ſpectat, (ſubiungit Suarez,) non dubito, quin talis diuerſitas ſit aperienda in Confeſſione. Et ſic, ſtante iſta opinione, quando Pœnitens confitetur, ſe odiſſe fratrem, deberet Confeſſarius interrogare, quonam genere odij? verbi gratia, an malum volitum fuerit circa honorem, vel famam, ſeu vitam, &c.

Sed contraria opinio probabilis etiã mihi videtur, quam docet Bonac. *in tr. de leg. diſp. 3. q. 4. punct. vlt. §. 1. n. 10.* & Ledeſma *in ſum. tom. 2. tr. 3. c. 6. concl. 8. fol. mihi 62.* vbi ait: [El aborrecimiento del proximo, ſiempre es pecado de vna miſma eſpecie, aunque el hombre deſſee varios, y diuerſos males al proximo, como ſon matarle, y quitar la hazienda. Porque ſiempre deſſea eſtos males de baxo de vna miſma razon, que es el aborrecimiento del proximo.] Igitur ſecundùm hanc opinionem, ſufficit, vt pœnitens dicat, ſe toties odiſſe proximum; & non opus eſt explicare, an illud odium verſaretur circa famam, diuitias, & perſonam; quia non videtur eadem ratio odij, & aliorum peccatorũ, quorum obiectum materiale explicandũ eſt in Confeſſione: nam odium in ſuo eſſe non ſolùm ſpecifico, verùm etiã indiuiduali cõſtituitur potiùs ex motiuo, quàm ex obiecto materiali, cùm idcircò velimus alicui graue malum, quia nobis diſplicet, &c. Ad argumentum Suarez reſpondetur, quòd, licèt illa mala volita differant ſpecie; tamen in noſtro caſu optantur ſub vna, eadémque ratione fomali, quæ eſt odium proximi. Circa præſentem materiam vide Lorcam *in 2. 2. q. 34. art. 3. n. 3.* Turrian. *in 2. 2. diſp. 91. dub. 1. in fin.* & alios. Inuenies plura *in tertia huius Operis Parte, Tract. 4. de Sacram. Reſol. 67.*

*An, qui commiſit inceſtum cum matre, vel filia, aut ſorore vel nepte, debeat exprimere circunſtantiam perſonæ ſibi iunctæ ſanguine, vel affinitate naturali, vel legali, aut ſpirituali; an ſatis ſit dicere: Pollui me peccato inceſtus, duabus vicibus?*

RESOLVT. XXXI.

Reſpondeo, quòd aliqui tenent, inceſtum eſſe diuerſæ ſpeciei, non ſolùm in lineâ conſanguinitatis, & affinitatis deſcendentium, & aſcendentium; ſed etiam in gradibus ſingulis vtriuſque lineæ, ita vt quot ſunt gradus conſanguinitatis, & affinitatis, tot ſint ſpecies diſtinctæ inceſtus: & ſecundùm hanc opinionem dicunt, circunſtantiam perſonæ ſibi coniunctæ eſſe neceſſariò explicandam, quia mutat ſpeciem. Et ideò, qui filiam, vel ſororem vxoris, vel neptem cognouit, non ſufficeret dicendo: Peccaui cum affine, vel conſanguinea, vel cum vna aſcendentium, vel deſcendentium, ſed deberet dicere, cum filia vel nepte, vel ſorore vxoris, &c. Quinimò, ſi quis peccaſſet cum matre, non ſatisfaceret dicendo: Peccaui cum vna in primo gradu conſanguinitatis.

Verùm, iuxta opinionem D. Thom. 2. 2. *q. 154. art. 9.* & Caietan. *ibid.* quia inceſtus inter conſanguineos, & affines, non differunt ſpecie in genere moris, & in iudicio ſacramentali; ſufficit, vt ille, qui cum ſorore peccauit, dicat: Commiſi inceſtum ſemel, vel bis, non explicando perſonam ſibi coniunctam. Et quamuis grauior ſit inceſtus cum filia, vel mátre, quàm cum ſorore, vel nepte, vel conſobrina vxoris: tamen, quia iſta grauitas auget malitiam intra eandem ſpeciem, non eſt neceſſariò confitenda. Et hæc opinio D. Thomæ magis placet, quam probabilem vocat Filliuc. *in quæſt. mor. tom. 2. tract. 20. c. 5. n. 97.*

Dicendum eſt igitur cum Nugno *in addit. ad 3. p. tom. 2. q. 9. art. 2. dub. 3.* diuerſitatem graduum non facere diuerſitatem ſpecificam in inceſtu; ſed eſſe circunſtantiam aggrauantem, quam ego probabiliter puto non eſſe in Confeſſione neceſſariò explicandam. Et ita in terminis docet Gyptius *tr. de caſ. reſer. c. 8. n. 5.* & ex noſtris P. Megala *in 1. p. lib. 5. c. 12. n. 9.* & alij. Circa præſentem quæſtionem vide Azor. *p. 5. lib. 3. cap. 9. q. 1.* Bonac. *de Sacr. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. punct. 2. §. 3. diffic. 3. n. 9.* Vaſq. *in 3. p. tom. 4. q. 91. art. 1. dub. 4. n. 18,* Valentiam *tom. 4. diſp. 7. q. 11. punct. 1.* Suarez *in 3. p. tom. 4. diſp. 22. ſect. 3. n. 7.* Coninch *de Sacram diſp. 7. dub. 3. n. 13. & 21.* Sayrum *in claui regia lib. 7. c. 4. n. 3.* Rodriquez *in ſum tom. 1. c. 207. n. 3.* Leſſium *lib. 4. cap. 3. dub. 11. num. 79.* Reginaldum *in praxi, tom. 1. lib. 22. c. 2. ſect. 5. n. 27.* Nauar. *c. 16. num. 3.* Petrum de Ledeſma *in ſumm. tom. 1. de Sacram. Pœnitent. c. 19. concl. 4. fol. mihi 327.* Henriquez *lib. 5. cap. 8. num. 1,* Sotum *in 4. diſt, 48. q. 2. art, 4. concl. 8. & diſt. 40. quæſt. vnica, art. 4.* Llamas *in 3 p. Methodi, c. 8. §. 19.* & alios. Vide, quæ addidi in hanc Reſolutionem, *in tertia huius Operis Parte, Tract. 4. de Sacram. Reſol. 68.*

*An, ſi quis perpetrauit aliquod delictum carnale in die Iouis ſancti, vel eo die; qua ad Confeßionem accedit, teneatur poſteà in Confeßione aperire hanc circunſtantiam?*

RESOLVT. XXXII.

Affirmatiuè reſpondet Medina *in ſumm. lib. 1. cap. 9. §. 1.* Pitigianus *in 4. tom. 2. diſp. 17. vnica, art. 5. in fin.*





Rodriquez *in ſum. tom. 1. c. 53. n. 12.* Llamas *in ſum. p. 3. c. 8. §. 14.* & alij. Et è fortiori docebunt hanc ſententiam illi, qui aſſerunt, circunſtantiam diei feſti eſſe de neceſſitate Confeſſionis: & ita docuerunt Alenſis *3. p. q. 32. mem. 5. art. 3.* D. Antoninus *3. par. tit. 17. c. 17. §. 5.* Maior *in 4. diſt. 17. q. 4.* Angelus *verb. præceptum, n. 5.* Adrianus *in 4. de confeſſ. q. 4.* & alij aſſerentes, vt dixi, circunſtantiam diei feſti eſſe in Confeſſione aperiendam, vt blaſphemare, peierare, furari, &c.

Sed hanc ſententiam ferè omnes neoterici refellunt, vt Ledeſma *in ſum. tom. 1. de Pœnit. c. 18. fol. mihi 229.* Petrus Fay *in addit. ad. 3. p. qu. 9. art. 2. dub. 12.* Vaſquez *in 3. par. tom. 4. q. 19. art. 1. dub. 4. n. 24.* Bonacina *de Sacr. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. punct. 2. §. 3. diffic. 3. n. 29.* Coninch *de Sacram. diſp. 7. dub. 4. n. 27.* Nugnus *in addit. ad 3. p. tom. 2. q. 9. art. 2. dub. 3.* & alij. Quia in diebus feſtiuis nõ prohibetur opus ſeruile ſpirituale, ſcilicet, peccatum, quod tale tantùm dicitur metaphoricè, ſed ſeruile propriè corporale, ſcilicet mechanicum: niſi talia peccata efficerentur in contemptum diei feſti. Vnde ad dubium quæſitum reſpondeo, circunſtantiam peccati perpetrati in die Iouis ſancti, vel alterius magnæ Feſtiuitatis, non eſſe in Confeſſione aperiendam: quia, vt notat Filliucius *tom. 2. tract. 21. c. 9. num. 347.* eſt tantùm circunſtantia aggrauans. Et ita noſtram ſententiam docet Henriquez *lib. 5. c. 6. n. 6.* vbi ſic aſſerit: [Circunſtantia temporis aliquando grauat peccatum, vt ſi in ſolenni feſto, aut hebdomada ſancta, fiat peccatum externum, & multi putant neceſſarium eſſe, id exprimere in Confeſſione: ſed reuerà non tenetur pœnitens explicare in Confeſſione.] Ita Henriquez. Et idem dicendum eſt, ſi aliquis peccatum perpetrauit in die, qua poſteà confitetur, vel in die, qua ſacram Euchariſtiam ſumpſit. Et ita docet contra aliquos Homobonus *de exam. Eccleſ. p. 1. tract. 5. cap. 12. q. 81.*

*An, qui peccauit, aliàs non peccaturus, ex confidentia obtinendi Iubilæum, aut Bullam Cruciatæ, teneatur hanc circunſtantiam in Confeßione aperire?*

RESOLVT. XXXIII.

Negatiuè reſpondendum cum Pitigiano *in 4. ſent. tom. 2. diſt. 17. q. vnica, art. 5. circunſtantia, Cur.* Fagundez *Præcep. 2. lib. 4. cap. 5. n. 8.* & aliis: Zanardus verò *in direct. Theol. p. 1. tract. de pœn. c. 18.* limitat hanc ſententiam: ſed in aliquibus mihi non placet.

*An confitenda ſit circunſtantia inductionis ad peccatum, ſi alter ad peccandum paratus eſſet; vt ſi quis fornicarerur cum muliere parata?*

RESOLVT. XXXIV.

Affirmatiuè reſpondet Bonac. *de Sacr. diſp. 5. punct. 2. §. 3. diffic. 3. n. 19.* & ante illum Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 1. c. 6. n. 14.* quia etiam in iſto caſu, quis cooperatur peccato alterius. Ergo, &c.

Sed contrariam ſententiam tenendam exiſtimo, & illam docet Coninch *de Sacr. diſp. 7. dub. 4. num. 13.* Azor *p. 1. lib. 12. c. 16. q. 5.* Ledeſma *in ſum. tom. 2. de Pœnit. c. 19. dub. 7. fol. mihi 325.* Suar. *in 3. p. tom. 8. diſp. 22. ſect. 4. n. 18.* & alij. Et ratio eſt: quia in tali caſu reuerà non datur ſcandalum; nec propria, & moralis inductio eſt: nam voluntas ex ſe, & ſua ſponte iam expoſita erat. Ergo, &c.

Notandum eſt, quòd quando quis vtitur aliqua perſona parata, vt maleficiumm ſoluat alio maleficio cum pacto Dæmonis, tenetur hanc circunſtantiam inductionis explicare: & ita docet. Henriquez *lib. 5. c. 7. n. 7.*

Sed hanc opinionem refellit Fagundez *Præcept. 2. lib. 4. c. 5. num. 3.* putat enim, in tali caſu non eſſe dictam circunſtantiam inductionis confitendam, cùm illa ſit parata; & moraliter loquendo, talis non eſt cauſa inductionis: tenetur tamen confiteri peccatum aditionis magæ, vel magi: & ita etiam mihi videtur.

*An circunſtantia modi, in copula coniugali, ſit in Confeßione aperienda?*

RESOLVT. XXXV.

Reſpondeo, quidquid aliqui aſſerant, negatiuè: & ita non peccat mortaliter vir, qui vult habere copulam cum vxore, vel à latere, vel ſedendo, vel præpoſterè, aut ſuccumbendo, niſi adſit periculum effundendi ſemen extra vas; quia eſt abuſus, ac naturalis ordinis peruerſio in ſolis accidentalibus, dum vas legitimum ſeruatur. Et ita docet Sanchez *de matr. tom. 3. lib. 9. diſp. 16. n. 3.* & alij penes ipſum.

Nota verò, quòd aliquando hoc efficitur, etiam ſine culpa veniali, vbi non captandæ voluptatis gratia hoc accidit, ſed aliqua iuſta cauſa interueniente, propter pinguedinem viri, vel propter periculum, ne fœtus ſuffocetur.

Notandum ſecundò, quòd vxor tenetur reddere debitum; etiamſi vir cum culpa veniali, vt diximus, ex variatione ſitus velit copulam complere. Ita Sanch. *vbi ſuprà, n. 8.* licèt probabiliter aliqui contrarium aſſerant, vt notat Henriquez *lib. 12. c. 16 n. 6. in Gloſ. lit. S,* & alij.

*An, ſi Iudex, vel alia perſona publica, furto capiat res alienas, quas ex officio cuſtodire tenetur; debeat explicare hanc circunſtantiam officij ſui?*

RESOLVT. XXXVI.

Affirmatiuè reſpondet vterque Medina, Complutenſis, & Salmanticenſis, hic *in Summa,* ille *in C. de Confeſſ.*

Sed mihi placet ſententia Henriquez *lib. 2. c. 6. n. 3. in Gloſſ. lit. O,* & aliorum, aſſerentium, ſecluſo ſcandalo, non teneri: quia dato, & non conceſſo, quòd circunſtantiæ aggrauantes ſint neceſſariò confitendæ; attamen talis circunſtantia publici officij non multùm aggrauat peccatum intra eandem ſpeciem: ergo non eſt confitenda.

*An raptus ſit circunſtantia neceſſariò confitenda, ſi virgo ſponte conſentit.*

RESOLVT. XXXVII.

Negatiuè reſpondeo: quia, quando virgo conſentit in raptu, quamuis parentes diſſentiant, & tutores, ac ij, qui loco parentum ſe habent, ſolùm erit fornicatio, vel furtum ſimplex; & non erit neceſſariò explicanda ratio virginitatis, nec iniuria facta parentibus, ſi tamen raptum neſciant: nam, ſi parentes actualiter repugnent, quia tunc ſit eis manifeſta vis, & iniuria, erit talis circunſtantia in Confeſſione aperienda: ſecùs autem minimè, vt *ſuprà* diximus de ſtupro, cum Leſſio *lib. 2. c. 10. dub. 1.* Sanchez *de matr. tom. 2. lib. 7. diſp. 4. n. 5.* & aliis. Licèt contrarium docuerit Caietanus *2. 2. q. 154. art. 6. ad 1 dub.* Corduba *in q. lib. 1. q. 3.* Barth. Ledeſma *de Pœnit. dub. 10. n. 1.* Vegha *in ſum. tom. 1. c. 55. caſ. 25.* & alij.

Sed tu tene noſtrã ſententiam. Vnde non tenentur, nec debent Confeſſarij dictas puellas ſtupratas, vel raptas, interrogare, an virgines eſſent: nec corruptores tenentur dictam circunſtantiam ſtupri, vel raptus explicare, niſi cùm violenter, ac repugnantem virginem deflorant, vel rapiunt; quia in tali caſu ſolùm datur ratio veri ſtupri, & raptus: non autem, quando virgo ſponte, ac liberè conſentit: nam in iſto vltimo caſu, quando virgo ſponte conſentit, ſtuprum, & raptus non differt à ſimplici fornicatione, & ſic ſufficit, vt in Confeſſione quis dicat: Fornicatus ſum ſemel. Nec tenetur corruptor ad aliquam reſtitutionem faciendam virgini, vel parentibus, ſeu illius tuto-

tibus:quia volenti,& conſentienti nulla fit iniuria : & virgines ſunt dominæ ſui corporis , non autem parentes, aut tutores. Et ita docet Nauarra *de reſtit. lib.2.c.3. n.* 42; Sotus *de iuſt. lib.4.q.7.art.1.ad* 2. Suarez *in 3.p.tom.4.diſp.* 21. *ſect.*4.Graffius *lib.2.deciſ.aur.c.79. num.*13. & alij.Plura ſuper hac materia reperies *in tractatu 4.de Sacram. Reſol. 67. in tertia huius Operis parte.*

*An , ſi aliquis in Eccleſiam confugiat , & intra illam poſteà ei Iudex auferat arma ; debeat Iudex hanc circunſtantiam in Confeßione aperire ?*

RESOLVT. XXXVIII.

RESpondet negatiuè Couarruuias *variar. Reſol.lib.2.c.*20.*n.*17.& poſt illum nouiſſimè Fagundez *Præcep.*2. *lib.* 4. *c.*4.*n.*55. vbi ita aſſerit : [ Quanuis Iudex laïcus non poſſit abſque ſacrilegio , & circunſtantia neceſſariò confitenda , fruentes hoc priuilegio è loco ſacro inuitos abſtrahere ; poteſt tamen ab eis aſque prædicto ſacrilegio, & circunſtantia,intra Eccleſiam arma auferre. ] Ita ille. Sed de hæc quæſtione egimus *in Tractat.de imm. Eccleſiæ.*

*An circunſtantia durationis temporis ſit in Confeßione aperienda?*

RESOLVT. XXXIX.

RESpondeo negatiuè cum Zerola *in praxi pœn. c.* 12. *q.* 15. Vaſquez *in 3.p.tom.4.q.91.art.1.dub.3. n.*36. contra Canum,Sotum,& alios,vbi ſic aſſerit : [ Ex qua ratione Nauarrus docet, temporis durationem non eſſe neceſſariò explicandam , in quantum aggrauans eſt ; docet tamen,& benè,quando fuerit nimia,explicari oportere:quia forſan videtur vnum peccatum,& plura fuerunt, quorum numerus,cùm explicari commodè non poſſit,oportet durationem explicare. ] Ita ille.

Vnde temporis duratio in Confeſſione aperienda eſt, non quatenus eſt circunſtantia aggrauans ; ſed quatenus illam explicando pœnitens manifeſtat eo modo, quo poteſt,numerum peccatorum neceſſariò in Confeſſione explicandorum. Et ideò, ſi daretur caſus , in quo pœnitens in memoria haberet omnes delectationes , v. g. moroſas, quas per annum habuit,non tenetur in Confeſſione aperire talem durationem temporis , ſed ſufficeret dicere: Toties moroſè delectatus ſum. quidquid in contrarium aſſerant, Henriquez *lib.* 5.*c.*7.*n.* 5. & Coninch *de Sacram. diſp.7.dub.3.n.*5.cum aliis,Et ideò etiam putat Zerola , *vbi ſuprà* , quòd ſi quis haberet rem cum concubina tota nocte, non tenetur exprimere hanc grauitatem ; ſed ſufficit confiteri numerum peccatorum,videlicet : Semel, vel bis fornicatus ſum. Vide aliqua hîc addenda *in tertia huius Operis Parte,Tract.4.de Sacram.Reſol.67.*

*An teſtis , qui ſimul rogatur de pluribus rebus , & articulis ſub iuramento , & in omnibus mentitur , teneatur hanc circunſtantiam in Confeßione aperire.*

RESOLVT. XL.

RESpondeo negatiuè:quia eſt vnum peccatum,vt rectè obſeruat Henriq.*lib.5.c.5.n.6.in Gloſſa,litt.F*, qui citat Archidiaconum,& Sarmientum , qui etiam *in litt, H.* addit , & optimè , hoc etiam procedere, quando multiplicat execrationes,& iuramenta per Deum , & per Sanctos ſuper eadem re,vel multiplicat ſcripturas publicas etiam ſuper eadem re:nam in talibus caſibus adeſt tantùm vnum peccatum mortale , & illa circunſtantia diuerſorum iuramentorum,& ſcripturarum non eſt in Confeſſione explicanda ; ſed ſatis eſt, vt dicat pœnitens : Tranſgreſſus ſum iuramentum , & non adimpleui quandam obligationem. Quæ omnia pro praxi ſunt valdè notanda.

*An,ſi Sacerdos in Mißa Euchariſtiam ab aliis conſecratam in peccato mortali multis miniſtret, debeat hanc circunſtantiam explicare?*

RESOLVT. XLI.

NEgatiuè reſpondeo : quia in tali caſu reperitur tantùm vnicum peccatum morale in genere moris, abſque iniuria proximi:ſicut,v.g. ſi aliquis vna aſperſione Baptiſmi, aut vna abſolutione baptizaret, ſeu abſolueret ſimul multos.Et ita docet Tannerus *in 2.2.diſp.4. q.2.dub.*4.*n.*56.Henriquez *lib.5.c.5.n,6.*& alij.

Imò,vt *in tract.de celebrat. Miſſarum* , diximus , eſt probabilis illa ſententia , quæ docet, Sacerdotem, in peccato mortali aliis ſacram Euchariſtiam miniſtrantem,non peccare mortaliter , docet Vaſquez *in 3. p. tom. 2. diſp.* 136. *c. 3.n.*38.Ioan.de la Cruz *in director. Confeſ.p.3.q.4.dub. 2. concl.* 1. & alij. Quidquid in contrarium aſſerat Filliucius *tom. 1.tract.4.c.9.n.2*/1. Coninch *de Sacram.qu. 64. art. 6. dub.*1.*n.*35.Valentia *tom.4.diſp.9.q.*10. *punct.* 1. Villabolos *in ſum.tom.1.tract.4.dub.*14.*n.*.. & alij.

Itaque in tali caſu non eſt neceſſe, vt Sacerdos ſe accuſet de tali adminiſtratione Euchariſtiæ in peccato mortali. Vel,ſi hanc opinionem non vis tenere, dic quòd ſufficit , vt ſe accuſet Euchariſtiam adminiſtraſse in peccato mortali , ſine expreſſione , & numero perſonarum , quas communicauit.

Vnde apparet,me olim probabiliter reſpondiſse,quendam Parochum Euchariſtiam infirmis per ciuitatem miniſtrantem cum peccato mortali , mortaliter non peccaſſe : quia,qui miniſtrat Euchariſtiam conſecratam, non eſt miniſter Dei ad iuſtificationem proximè, ſicut in aliis Sacramentis;ſed tantùm eſt veluti applicans actiua paſsiuis. In aliis autem Sacramentis Sacerdos ſimul conficit , & miniſtrat Sacramentum, non autem in hoc,non enim eſt idem conficere,& aliis miniſtrare. Cætera Sacramenta in actione,& vſu conſiſtunt:Sacramentum verò Euchariſtiæ poſt conſecrationem permanet.Ergo,&c.

*An , ſi quis fornicatur , teneatur non ſolùm explicare actum:ſed circunſtantias, vt tactus , oſcula , &c. quæ ſubſequuntur copulam?*

RESOLVT. XLII.

AFfirmatiuè reſpondet Vaſquez *in 3.part.tom.4.q.* 91. *art.1.dub.5.n.*35.Suarez *in 3.p.tom.4.diſp.* 22. *ſect.* 2. *n.* 8. & 9. Coninch *de Sacram.diſp.7.dub.7.num.* 59.& alij; Quia,cùm illa non ordinentur ad copulam præcedentem, ſed ad ſequentem : non poſſunt cum illa eundem actum conſtituere.Ergo ſunt explicanda.

Sed contraria ſententia in praxi communiter obſeruatur : & illam docet Henriquez *in ſum.lib.5. cap.5.n.5.& in Gloſſa,litt.V*,vbi ſic aſſerit: [ Eſt vnum numero peccatum, quando quis ante fornicationem,& poſt illam , continuat actus libidinoſos. Limitant aliqui,niſi eſſent actus exorbitantes ad maiorem voluptatem inuenti , qui non ſatis explicantur in actu principali. Imò aliqui putant , quòd præter copulam tenetur exprimere tactus , & oſcula. At reuerà prædicti actus etiam extraordinarij habent ſe materialiter reſpectu eiuſdem formæ , nec ſunt neceſſariò explicandi.]Ita Henriquez & ante illum Nauarrus *c.6.n.* 7. Zanardus *in direct.Theol.par.1. tract.de Pœnit.c.*18. Sancius *diſp.6.n.*3. Zerola *in praxi,de pœnit. c.* 12. *q.* 47. Azorius *par.1.lib.4.c.4.in fine* , & alij. Ideò , qui poſt copulam tangit,& oſculatur, etiam propter delectationem , denuò meretricem,dummodo hæc non faciat ad iterandam fornicationem , non tenetur illa oſcula , & tactus declarare: ſed ſufficit dicere:Toties fornicatus ſum ; quia talia oſcula;& tactus cum actu,& effectu principali coniunguntur: & cùm eo conſtituunt vnum numero peccatum:vnde explicato actu principali, etiam cenſentur huiuſmodi actiones explicatæ.

Notandum



Notandum eſt etiam, quòd Sancius,*vbi ſuprà,diſp. 6. n.* 3.idem docet de gaudio, aut collocutione conſequente ad præhabitam fornicationem , licèt interceſſerit magna interruptio temporis inter copulam, & conſequentia ad illam. Hoc tamen intelligit, quando is, qui fornicationem commiſit , ad alia negotia agenda non ſe diuertit ; ſed in eodem ſitu,& ſtatu,quo peccauit,perſeuerat, retinens fœminam ad deoſculandum illam , & colloquendum ; vel ſi fortè fœmina diſceſſerit, ex vtriuſque conuentione,expectet reditum ad iterum deoſculandum eam , vel ad colloquendum cum periculo deoſculationis.Ita ille.Vide ſuper hoc *Reſol.67.Tractatus quarti de Sacram.tertiæ Partis.*

*An , qui in peccato mortali excipit Confeßiones multorum , non ſolùm peccet mortaliter , ſed teneatur hanc circunſtantiam aperire ?*

RESOLVT. XLIII.

AFfirmatiuè reſpondent aliqui,& putant talem debere explicare numerum perſonarum:quia tot peccata mortalia committit, quot perſonas abſoluit. Ita Azorius *par.1.l.4.c.4.q.6.*Suar.*in 3.p tom.4.diſp.22.ſect.5.n.*55.& alij.

Hæc ſententia eſt probabilis : ſed contrariam etiam probabilem exiſtimo ex dictis *in ſuperiori Reſolutione*; dummodo ſucceſſiuè illos pœnitentes abſoluat : eſt enim vnicum peccatum in genere moris;non autem ſi cum notabili interruptione nunc vnum , nunc alium abſolueret. Ideò in caſu noſtro ſufficit , vt dicat poſteà dictus Confeſſarius,quando confitetur : Adminiſtraui Sacramentum pœnitentiæ in peccato mortali. Et hanc ſententiam in terminis docet Rodriquez *in ſum.tom. 2.cap.44.n.* 3. Inuenies plura ſuper hac materia *in tertia huius Operis Parte Tract.4.de Sacram. Reſol.67.*

*An , qui commiſit aliquod peccatum , cuius periculo ſe anteà expoſuit , teneatur explicare hanc circunſtantiam in Confeßione ?*

RESOLVT. XLIV.

REſpondeo negatiuè ; ſed ſatisfacere confitendo peccatum commiſſum;ſi tamen inter occaſionem,& periculum cui ſeipſum expoſuit,& inter actum peccati completum , non interceſſerit mora notabilis , quæ peccatum nouum numero diſtinctum poſſit conſtituere. Et ita docet Sanchez *in ſum. tom.1. lib.* 1.*c.*8.*n.*4.Suarez *in 3.p. tom. 5.diſp.* 18.*ſect. 3.n.*16. Aragonius *in 2.2. q.*813.*art.3.in fin.* & Villalobos *in ſum.tom.1.tract.* 14. *dub.* 4.*n.* 3. vbi ſic ait: [ El que va à pecar,ò ſe dexa lleuar de la tentation,no cae en dos pecados, per no hauer orado , para que Dios le libre : porque no hauia aqui obligation de orar diſtinta del precepto,que quebrò, que ſolo la oracion era medio para no pecar,como lo es el quitar la ocaſion ; y el que no quita la ocaſion , no comete dos pecados , ] Ita ille.

*An , qui dixit peccatum , oblitus alicuius circunſtantiæ , ſatisfaciat poſteà in alia Confeßione , explicando grauitatem circunſtantiæ oblitæ ?*

RESOLVT. XLV.

REſpondet negatiuè Nugnus *in addit. ad 3.p.tom.2.q.* 9,*art.1.dub.*2. vbi ſic aſſerit:[ Quando multa peccata fiunt eodem actu , vt quando quis furatur bona Eccleſiæ, non ſufficit , ſe accuſare de furto : ſimiliter , quando quis occidit Clericum , non ſufficit , ſe accuſare de homicidio: ſed in vtroque caſu debet explicari ſacrilegium : atque adeò ſi obliuiſcatur illius circunſtantiæ , debet poſteà de illa ſe accuſare. Sed tunc eſt dubium, vtrùm ſufficiat confiteri illam circunſtantiam , ſecundùm ſe ; an verò ſit neceſſarium illam confiteri per modum circunſtantiæ , dicendo totum peccatum ſimul fuiſſe , ſcilicet, furtum cum ſacrilegio ? Angelus dicit, hoc ſecundum eſſe neceſſarium. Et iſta ſententia videtur mihi magis vera, quia aliter non verè explicatur tota malitia. Et hoc magis certum eſt, quando vnum ordinatur ad alterum , vt quando quis furatur ad mœchandum.]Ita Nugnus.

Sed Suarez *in 3.p.tom.4. diſp.*21.*ſect.2.num.*8.& 9. Coninch,*de Sacram. diſp.7. dub.* 7.*n.* 60. Reginaldus *in praxi, tom. 1.lib. 6.c.4.n.* 141. Filliucius *tom. 1.tract.7.c.4.n.* 80, & alij.contrarium docent:in caſu tamen,quo tam peccatum, quàm circunſtantia poſſunt ſeparatim ſufficienter explicari : ſecùs, quando non poſſunt ſufficienter explicari. Et ideò,qui iurauit non percutere Clericum , aut ieiunare in vigiliis; ſed poſtea Clericum percuſſit , aut ieiunium in vigiliis perfregit , & in Confeſſione ſolùm expreſſit , ſe Clericum percuſſiſſe , aut ieiunium perfregiſſe , nullam habens iuramenti memoriam , ſatisfaciet in alia Confeſſione, dicendo , ſe licitum iuramentum perfregiſſe. Et idem dicendum eſt de voto.

Similiter, qui furatus eſt calicem ; ſed in Confeſſione ex obliuione dixit ſe furtum commiſiſſe, non expreſſa circunſtantia calicis ; hic in ſecunda Confeſſione ſatisfaciet dicendo , ſe mortale ſacrilegium commiſiſſe. Et ideò doctrina Nugni, *vbi ſupra*, intelligenda eſt cum diſtinctione Suarez, & aliorum.

*An , qui peccatum hæreſis , vel ſuperſtitionis commiſit, teneatur explicare in Confeßione qualitatem ſuperſtitionis , vel hæreſis ?*

RESOLVT. XLVI.

REſpondeo negatiuè , quidquid in contrarium aliqui aſſerant;& ita docet Reginaldus *in praxi,tom. 1.lib. 6. c.4.n.*114.vbi ita ait:[ Cùm diuerſitas ſpecifica peccatorum fuerit tantùm in genere naturæ ; tunc, quia malitia moralis in illis eſt eiuſdem ſpeciei , nihil eſt opus diuerſitatem declarare:vt,ſi,v.g. quis peccauerit in diuinando. vel prolabendo in hæreſim , ſatis eſt,ſi dicat:Toties peccaui peccato diuinationis. neque neceſſe eſt addere , ſemel per pyromantiam , iterum per hydromantiam , ac demum per necromantiam. Item , Toties lapſus ſum in hæreſim. nec neceſſe eſt dicere : Semel lapſus ſum in hæreſim Lutheranam, iterum in Caluinianam , &c. quia in talibus non eſt diuerſitas ſpecifica moralis,ſed tantùm phyſica. ] Ita ille. Et ante illum doctiſſimus Sotus *in 4.ſent. diſt.* 18. *q.* 2. *art.* 4.*concl.*6.quidquid,vt diximus, in contrarium aſſerant aliqui , vt Sanchez *in ſumm. tom.* 1. *lib.* 2. *c.*31.*n,*39. Valentia *tom.*3.*diſp.*1.*q.*10.*punct.*3. & alij.

*An Confeſſarius , qui incipit audire Confeßionem in peccato mortali ; ſed poſteà ante abſolutionem elicit actum contritionis , teneatur poſteà , quando confitetur, explicare ſe incepiſſe illam Confeßionem in ſtatu peccati ?*

RESOLVT. XLVII.

AFfirmatiuam ſententiam docet Poſſeuinus *de offic. Curati, cap.*45.*num.*41. qui citat Suarez *in 3.p.diſp.*18. *ſect.*1.*num.*2.

Et hæc opinio eſt ſatis probabilis : ſed contrariam probabilem etiam eſſe exiſtimo. Dico igitur , Confeſſarium , licèt ſit in peccato mortali , dum à principio audit Confeſſionem , non peccare mortaliter , ſi habeat propoſitum pœnitendi , antequàm abſoluat. Et ita docet Henriquez *lib. 6. cap.* 18. *num. 6. in Gloſſa , litera V.* Et ratio eſt : quia tunc Sacerdos peccat mortaliter ; quando adminiſtrat Sacramentum , in peccato mortali : ſed in tali caſu , quando Sacerdos conficit Sacramentum, iam per actum contritionis elicitum eſt in gratia : ergo, &c.

An

*An delectatio moroſa ſumat malitiam ab opere externo, ita vt neceſſe ſit in Confeſſione aperire circunſtantiam operis, & exprimere obiectum, v. g. ſi mulier, de qua ſumpta eſt delectatio, fuerit coniugata, Monialis, libera, &c.*

RESOLVT. XLVIII.

COmmuniter affirmatiuè reſpondetur: & ita docet Caietanus 2.2. *q.*154.*art.*4. Nauarrus *c.*16.*n.* 9. & ex neotericis Lorca *in par. 2. tom.*2.*diſp.* 28. *de pecc. memb.* 3. Martinez *etiam in p. 2. tom.* 1. *q.* 15. *art.* 4. *dub.* 1. Sanch. *in ſum. tom.* 1. *lib.*1.*c.*2.*n.*11. Azorius *p.* 1.*lib.*4.*c.*6.*q.*3. Villalobos *in ſum. tom.* 1. *tract.* 3. *dub.* 3. *num.*4. Homobonus *de exam. Ecc. par.* 1. *tract.* 5. *cap.*13.*q.*84. Nam delectationes moroſæ in re venerea, non ſunt eiuſdem ſpeciei; ſed diuerſæ, pro diuerſitate ſpecifica operis, de quo ſunt delectationes: ergo diſtinctè exprimendæ ſunt in Confeſſione. Hæc opinio eſt probabilis. Sed prædictis non obſtantibus, quando delectationes moroſæ conſiſtunt tantum in appetitu ſenſitiuo, & non in efficaci voluntate; puto, omnes eſſe eiuſdem ſpeciei, nec differre à ſimplici fornicatione: quia in tali caſu quis, v.g. non delectatur de coniugata, vt coniugata, & de illo obiecto, quatenus eſt iniurioſum alteri; ſed quatenus eſt obiectum delectabile: ergo, &c. Et ita hanc ſententiam docet Vaſquez *in part.* 2. *tom.* 2. *diſp.* 112. *c.* 2. & Sayrus *in claui regia, lib.* 9. *c.* 7. *n.* 10. Reginaldus *tom.*2.*lib.*12.*c.*2.*n.*13. cum aliis. Et probabilem hanc opinionem vocat Filliucius *tom.*2.*tract.* 21. *c.*8.*n.*301. Bonacina *de matr.q.*4.*punct.*8.*n.*19. Leſſius *lib.*4. *c.*2.*dub.*15.*n.*123. & alij.

Vnde in Confeſſione puto, non eſſe tales circunſtantias perſonarum neceſſariò aperiendas: quia, vt diximus, hæ delectationes non differunt ſpecie; ſed ſufficit, vt pœnitens dicat: Toties moroſè delectatus ſum: ſine expreſſione, & circunſtantia perſonæ imaginationi obiectæ, an, ſcilicet, fuerit Monialis, vel libera, ſeu coniugata, &c. Conſule *Reſol.* 67. *tract.* 4. *de Sacram. tertiæ huius Operis Partis*, ſuper hac materia.

*Vtrùm in Confeſſione aperienda ſit circunſtantia manifeſtatiua complicis, ſi ex hac nullum damnum ſequatur complici, præter infamiam apud Confeſſorem?*

RESOLVT. XLIX.

AFfirmatiuè reſpondet Bonacina *de contract. diſp.* 2. *q.* 4.*punct.*4.*n.*2. qui citat Suarez, Rebellium, Nauarrum, & alios, quibus ego addo Vaſquez *in* 3.*p.tom.*4.*q.*91. *art.* 2.*dub.*3.*n.*28. Coninch *de Sacram, diſp.* 7. *dub.* 9. *n.* 89. Reginaldum *in Praxi, tom.* 1. *lib.* 6.*c.*4.*num.*156. Henriqu. *lib.*2.*c.*9.*n.*3.& 5. Emmanuel Sà *verb. Confeſſio, n.* 18. Toletum *lib.* 3.*c.*8.*n.*4. Paludanum *in* 4.*diſt.*16.*q.*3.*art.*2. Angelum *verb. Confeſſio*, 1.§. 3. Roſellam *eodem verb. n.* 6. Medinam *C. de Confeſſione, qu. de circunſt. loct.* Nugn. *in addit ad* 3. *p. q.*9. *a.*2. *dub.*2. & alios. Quia in Confeſſione nunquam datur vera ratio infamiæ, & Confeſſarius id cognoſcit ſub ſigillo Confeſſionis, quod perinde eſt, ac ſi non nouiſſet, vel ſciret.

Hæc ſententia eſt probabilis: ſed probabilior contraria mihi videtur, quam docet nouiſſimè Villalobos in *ſum. tom.* 1. *tract.* 9. *dub.* 38. *n.* 3. & Petrus Fay *in addit. ad* 3. *par. qu.* 9.*art.*2.*diſp.*9.*concl.* 1. & ante illos Valentia *tom.* 4. *diſp.* 7 *q.* 11, *punct.*1. Nauarrus *in Manual. c.*7. *num.* 3. & 4. Caietanus *verb Confeſſio, condit.* 3. Armill. *verb circunſtantia, n.*11. Lopez *in inſtruct. p.* 1. *cap.* 36. & alij, quibus etiam adde Ioan. de la Cruz *in director. conſcient. p.* 2. *de Sacram. Pœnit. q.*3.*dub.*5.*concl.*3. vbi ſic aſſerit: [ Pœnitens non poteſt confiteri peccatum, aut circunſtantiam manifeſtatiuam complicis, etiamſi ex hoc nullum damnum ſequatur complici, præter infamiam apud Confeſſorem, qui illud tenetur celare ſub ſigillo confeſſionis. Nam præceptum non infamandi alterum fortius eſt præcepto integrandi Confeſſionem. Nec reputatur iſta leuis infamia, ſi aliàs Confeſſor non ſciebat de cõplice ſimilia peccata. ] Ita ille.

Et hanc ſententiam ita veram aliqui exiſtimant, vt doceant, nec etiam in articulo mortis, poſſe quenquam licitè talem circunſtantiam confiteri. Et ita docet Medina *in ſum. lib.*2.*c.*4.§.1. Sotus *in* 4.*diſt.*18.*q.*2.*art.*5.*ad* 4. Bannez *in* 2.2.*q.*33.*dubit.*8.1.*p.* & 3.*p.* & alij: licèt contrarium probabilius cenſeat Ledeſma 2.2.*q.*8.*art.*4 *dub.*2. & *q.*10. *art.* 1. *dub.* 7. Victoria *in ſum.* §.174. Petrus Soto *de Pœnit. lect.*11. & alij.

Reſtat modò reſpondere ad argumenta contraria. Ad primum dico, quòd ſi ex dicta manifeſtatione complicis detrimentum non eſſet graue, poſſet pœnitens, etiam habita opportunitate alterius Confeſſarij, confiteri ei, qui in notitiam complicis deuenturus creditur: ſed hoc eſt abſurdum: ergo, &c. Ad alterum verò, quòd Confeſſarius id noſcit ſub ſigillo, reſpondetur, quod iudicium temerarium non redditur grauius, quia alteri ſit manifeſtandum; ſed ex hoc præcisè, quòd quis prauam formet de altero exiſtimationem: ergo parum facit, quòd Sacerdos debeat ſubticere circunſtantiam complicis explicatam. Non nego tamen, vt dixi, contrariam ſententiam eſſe probabilem: nam, vt aliàs diximus, probabiliter ſine ſcrupulo peccati mortalis poteſt quis manifeſtare vni, vel duobus amicis taciturnis delictum alterius occultum: ergo à fortiori poteſt quis complicem in Confeſſione manifeſtare. Igitur elige, quam vis, opinionem.

*An quis teneatur confiteri circunſtantiam, ſeu diuerſitatem blaſphemiarum?*

RESOLVT. L.

AFfirmatiuè reſpondet Filliucius *tom.* 2. *tract.* 25. *c.* 1. *n.* 26. qui citat Suarez. Idem etiam docet Turrianus *in* 2.2.*diſp.*58.*dub.*3. Reginaldus *tom.*2.*lib.*18. *c.* 14. *n.* 201. Sanctarellus *tract. de hæreſi, c.* 4. *dub.* 1.*n.* 4. Sancius *diſp.* 6. *q.*6. Layman *in Theol. mor. lib.*4.*tract.*10.*c.*6.*n.*11. Ledeſma *in ſum. tom.* 2.*tract.*1.*c.*9. *concluſ.*5. Lopez *in inſtruct. p.*1.*c.*282. Bannez *in* 2.2. *q.*13.*art.*10. Aragonius *ibidem*, & alij.

Sed ego contrariam ſententiam ſuſtinendam eſſe iudico: quia blaſphemiæ in Deum, & in Sanctos, non differunt ſpecie, vt docet Lazarius *tract. de blaſp. q.*3.*num* 51. Caietanus *in ſum. ver. blaſphemia.* Valentia *tom.*3.*diſp.* 1. *q.* 13. *punct.* 1. Azorius *tom.* 1.*lib.*9.*c.*28.*q.*10. & alij: ergo non ſunt neceſſariò in Confeſſione aperiendæ, niſi tales blaſphemiæ procederent ex odio Dei formali, vel continerent hæreſim: ſecluſis autem his duobus caſibus, in nullo alio tenetur pœnitens explicare qualitatem blaſphemiæ. Et ita in terminis docet Gyptius *tract. de caſ. reſer. cap.*9.*n.*37. Homobonus *de caſ. reſer. p.* 2.*c.* 1. *fol. mihi* 236. & Caietanus *in* 2.2.*q.*13.*art.*1. *in fine.*

Vnde apparet, me olim probabiliter reſpondiſſe, contra Sanchez *in ſum. tom.*1.*lib.* 2.*c.*32.*n.*39. & Aragonium *in* 2.2. *q.*13.*art.* 1. quendam Clericum potuiſſe reticere in Confeſſione, an eius blaſphemiæ fuerint contra Beatam Virginem, an contra alios Sanctos.

*An, quando quis profert vnico actu conuitia in Deum, aſſerendo ſæpiùs:* Dio ingiuſto, Dio ingiuſto, *&c. teneatur hoc in Confeſſione aperire?*

RESOLVT. LI.

REſpondeo negatiuè: quia tunc quot ſunt conuitia in Deum, vel Sanctos, tot ſunt peccata, quando ſunt diuerſa formaliter: vt ſi quis diceret Deum iniuſtum, & Deum non eſſe omnipotentem; ſic enim variantur formaliter conuitia: vel quando, interruptis actibus, dicta conuitia proferuntur: ſecùs autem in caſu noſtro; nam

talis



talis vnam blaſphemiam profert tantùm, licèt ſæpiùs in Deum vnico tamen actu, & eodem tempore. Et ita docet Zanardus *in director. conſcient. par.* 2 *præcept.* 1.*c.*10.

Vnde olim cum multis aliis Theologis excuſaui quendam piſcatorem à reiteratione Confeſſionum, qui ſæpiùs conuitia horrenda; non tamen ſpecie diuerſa in Deum, ſi piſces non ſumeret, vnico actu proferebat.

Adde, quòd probabiliter etiam dici poteſt contra Zanardum, & Sanctarellum *tract. de blaſphemia c.* 4. *dub.* 2. *n.* 5. in Confeſſione non eſſe exprimenda, quæ verba contumelioſa fuerint in Deum, vel Sanctos prolata: nam omnes contumeliæ ſunt eiuſdem ſpeciei, vt *ſuprà* probatum eſt, & docet Reginaldus *tom.* 2. *lib.*24.*c.*5 *n.* 102. & alij, & omnes conueniunt in ratione formali, quæ eſt intentio auferendi alteri honorem: ergo, &c.

*An, ſi aliquis coïens cum homine, & ſupercubans, ſicuti ſuper mulierem, teneatur aperire hanc circunſtantiam, ſi tantùm ſe polluat?*

RESOLVT. LII.

AFfirmatiuam ſententiam docet Hieronymus Llamas *in ſum. p.*3.*c.*8.§. 1. Sed contraria ſententia mihi placet: nam, vt ipſemet fatetur, hæc circunſtantia non mutat ſpeciem: & ideò in tali caſu exiſtimo, ſatis eſſe dicere: Tactu alterius mollitiem commiſi. vel, Pollutus ſum, tangendo alterum impudicè. Et ita ſenſiſſe quendam virum doctum teſtatur *loco citat.* Llamas.

*An, quando aliquis ſolus ſe polluit, tangendo aliquem Profeſſum, vel in ſacris conſtitutum, teneatur explicare hanc circunſtantiam?*

RESOLVT. LIII.

NEgatiuè reſpondet Llamas *in ſum. p.*3.*c.*8.§.16. vbi ſic aſſerit: [ Quando ſola mollities committitur tactibus Profeſſi, vel in ſacris conſtituti, ſi patiens eſt ſæcularis, non tenetur ampliùs dicere, niſi: Paſſus ſum voluntariè pollui tactibus alienis. Neque in ſacris conſtitutus, vel Profeſſus ampliùs tenetur dicere, niſi, tangens impudicè, alium pollui. Et ſi non ſit cognitus, non tenetur explicare: Et ſum in ſacris, vel Profeſſus, aut Profeſſa Religionem; niſi illi etiam accidat voluntaria pollutio, vt de ſe liquet; quia ſacra perſona non eſt in tali caſu violata. ] Ita Llamas, ſed an probabiliter, iudicent viri docti: nam oppoſitam ſententiam exiſtimo veram.

*An circunſtantia apoſtaſiæ ſit in Confeſſione aperienda vel ſufficiat dicere: In hæreſim lapſus ſum?*

RESOLVT. LIV.

ESſe hanc circunſtantiam in Confeſſione aperiendam, putat Ledeſma *in ſum. tom.* 2. *tract.*1.*c.*7.*concluſ.*3. Aragon *in* 2. 2.*q.*11.*art.*1.*dub.*1.*concl.*1. Valentia *tom.*3. *diſp.*1. *q.* 11. *punct.* 1. *diffic.* 1. & *q.*10.*punct.*3. *verſ. His ita.* Suarez *de fide, diſp.* 16 *ſect.* 5. *in fine.* cum aliis. Imò Sanch. *in ſum, lib.* 2. *c.* 7. *n.* 17. docet, apoſtatam debere explicare, ad quam ſectam tranſierit. Probatur hæc opinio: vel, quia apoſtaſia differt ſpecie ab hæreſi, vt tenet Suarez *loco cit.* Lorca *in* 2. 2. *q* 12.*art.*1. *diſp.* 50.*n.*3. Turrecremata *in ſom. lib.* 4.*p.*2.*c.*13. Simanchas *de cathol. inſt. tit.*7.*n.*5. Canus *de locis theol. lib.* 12 *cap.*9. vel quia eſt circunſtantia multum aggrauans: ergo, &c.

Sed ego puto, apoſtaſiam non differre ſpecie ab hæreſi, vt docet Bannez *in* 2. 2. *q.* 12. *art.* 1. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 1. *q.* 11.*punct.*1. & *q.*12.*punct.* 1. Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 21.*q.*3. Caietanus *in* 2 2.*qu.*10.*art.*1. & *qu.*11.*art.*1. Caſtrus *de iuſt. hær. punit. lib* 1. *c.*7. Pegna *in director. p.*2.*q.*49. *comment.* 74. Sanchez *vbi ſuprà, n.* 16. & recentiores Thomiſtæ apud Lorcam, *vbi ſuprà num.* 1. Zanardus *in direct. Theol. p.*2.*præcept.*1.*c.*8. Ledeſma, *vbi ſupr.* ideò aſſero, circunſtantiam apoſtaſiæ, tanquam aggrauantem, non eſſe neceſſariò in Confeſſione aperiendam. Quòd verò apoſtaſia non differat ſpecie ab hæreſi, probatur: quia apoſtaſia eſt diſceſſio à tota fide; hæreſis autem à parte fidei; at magis, vel minùs recedere ab eo, quod ſemel ſuſceptum eſt, non mutat ſpeciem: ergo apoſtaſia non differt ſpecie ab hæreſi; & ideò apoſtatis, & hæreticis eadem pœna imponitur: ergo, &c. Deinde, cùm apoſtata ſit, qui omninò fidem deſerit, ſi non eſſet Hæreticus, ſequeretur multiplicando hæreſim non augeri, ſed potiùs minui, & omninò deficere ſpeciem hæreſis: quod etiam à Philoſophia naturali alienum videtur, nam multiplicando calorem, non deficit calor; & à Philoſophia morali, nam multiplicando furta, non deſinit furtum: ideò dicendum eſt, circunſtantiam apoſtaſiæ non eſſe in Confeſſione aperiendam.

*An circunſtantia recidiui ſit aliquando confitenda; & an Confeſſarius propter conſuetudinem peccandi, poſſit differre abſolutionem?*

RESOLVT. LV.

TEneri pœnitentem confiteri conſuetudinem peccandi ſi à Confeſſario interrogetur, docet Vaſquez *in* 3. *p.tom.*4.*q.*91.*art.*1.*dub.*3. Henriquez *lib.*5.*cap.*8.*num.*1. Reginaldus *tom.*1.*dub.*6.*c.*4.*n.*133. & nos *ſuprà in Reſol.* 15. docuimus. Et poſſe Cõfeſſarium, etiam per menſem, plùs, vel minùs, ſecundùm prudentiam, differre abſolutionem aſſuetis peccato, docuit Graffius *p.*1. *deciſ. lib.*1. *cap.*2c.*n.* 14. Idem etiam docet Suarez *in* 3.*p.tom.*4. *diſp.*32.*ſect.*.. *in fine.* Sayrus *in claui regia. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 8. Sanchez *in ſum. tom.*1.*lib.*2.*cap.*32.*n.*45. Toletus *lib.*3.*c.*18.*n.* 3. iterum Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 8. *in fin.* Reginaldus *in praxi, tom.*2.*lib.* 18.*n.* 87. Villalobos *ſum. tom.* 1. *tract.* 11. *diff.* 25. *in fin.* Delrius *in diſquiſ. mag. lib.*1. *c.* 5. *q.* 4. *in fin.* Sà *verb. abſolutio, n.*14. Henriquez *lib.*4.*cap.*24.*n.*4. Bannez *in* 2.2.*q.*2.*art.*8.*dub.*2. Ledeſma *in ſum. tom.*2.*tract.* 1. *cap.*3. *poſt concluſ.*7. & alij.

Non reticebo tamen, (quod eſt valdè notandum, quia nouum.) Ioannem Sancium *in ſuis practicis diſputationibus Matriti impreſſis, anno* 1524. *diſp.*9.*num.* 6. & *ſeq.* contrariam ſententiam ex multis rationibus docere: & ideò putat, Confeſſarium ius non habere ad interrogandum de conſuetudine peccandi, cùm neque illud habeat, vt bis eadem peccata quis confiteatur, nec ad afficiendum pœnitentem pudore, & dedecore, conſuetudine peccati cognita; ſed debet pœnitens ſtatim abſolui, ſi verè dolorem habeat de præteritis, ac in poſterum vitæ emendationem firmiter proponat. Probat hanc ſententiam authoritate aliquorum Doctorum. Et ratio eſt: quia, vt *ſuprà* dictum eſt, ſi conſuetudinem peccandi teneretur pœnitens aperire, idem eſſet, quòd obligare illum peccata legitimè confeſſa iterum repetere; quod ſanè nullo præcepto humano induci poteſt, ſaltem quando non interuenit reſeruatio: imò, licèt interueniat reſeruatio, non poſſe pœnitentem obligari ad iterum confitenda peccata, docet Vaſquez *in* 3 *p. tom.* 4. *q* 93. *art.* 1. *dub.* 6. *num.* 4. retractans ſententiam, quam anteà docuerat *in quæſt.* 91. *art.* 3. *dub.* 6. 7. & 8.

Deinde pœnitens, quamuis ſit peſſimæ conſuetudini addictus, ſi mentem mutauerit, & occaſionem frangere propoſuerit, in illo non remaneret ſtatus peccati: ergo illi non eſt deneganda abſolutio: nam, ſi Confeſſarius poteſt in tali caſu licitè abſoluere pœnitentem, vt ipſimet aduerſarij concedunt; ad id tenebitur, quia pœnitens habet ſemper ius, vt ſibi non negetur abſolutio, ſi dignus ſit, niſi id efficiatur de proprio ipſius pœnitentis conſenſu.

Vnde ex his infert Sancius, quòd ſi pœnitens probabiliter credat, Confeſſarium non impenſurum illi abſolutionem, ſi fateretur conſuetudinem peccandi, poſſe æqui-

uocatione

uocatione vtendo, negare conſuetudinem, vt fiat ſenſus: Conſuetudine careo peccandi, non abſolutè; ſed ad confitendum tibi de præſenti. Et hoc etiam procedit, ſi credat, abſolutionem ſe nacturum, cùm ad confitenda eadem peccata bis non ſit obligatus, nec ad patiendum pudorem ex conſuetudine iam nota oriundum. Idem dicendum eſt de occaſione proxima, ineuitabili tamen, ſine magno incommodo, & ſcandalo: nam in tali caſu poſſet etiam pœnitens vti æquiuocatione, licèt à Confeſſario de tali occaſione interrogetur: nam poſito vero propoſito, vt ſupponimus, emendationis, habet pœnitens ius ad abſolutionem: & vt Confeſſarius rectè ſuo fungatur officio, nihil conducit ſcire, ſítne pœnitens in occaſione, vel non, dato, quòd illam vitare non poteſt, eò quòd ſiue cognoſcat occaſionem, ſiue non, tenetur Confeſſarius abſolutionem dare. Ergo, &c. Deducitur etiam ex dictis contra Azorium *tom. 1. lib. 11. cap. 3. q.* 4. non eſſe denegandam abſolutionem habenti conſuetudinem iurandi; & contra Ledeſmam *in ſum. tom. 2. tract. 1. c. 3. poſt 7. concluſ.* & alios: ignoranti doctrinam Chriſtianam, etſi ſæpè admonitus non didiciſſet, dummodo pœniteat de præterito, & proponat de futuro.

Putat igitur ſupradictus Sancius, vir equidem doctiſſimus, peccatorem conſuetudinarium in quocunque peccato, dummodo habeat dolorem de peccatis, & firmum propoſitum cauendi de cætero, eſſe abſoluendum toties, quoties, nec poſſe Confeſſarium illi beneficium abſolutionis denegare; & reſpondet ad argumentum in contrarium, quod adduci poteſt, nempe, abſolutionem in tali caſu differendam eſſe, vt cautior pœnitens reddatur ad præcauenda peccata, & propter incutiendum timorem. Hæc omnia deſumpta ſunt, vt diximus. ex ſupradicto Sancio: adi illum, & non pigebit: eſt enim vir acutiſſimi ingenij, & hæ prædictæ diſputationes quas nuper edidit, ſunt immortalitate digniſſimæ. Vtinam alios ingenij ſui fœtus in lucem emitteret: Sed an hæc opinio ſit tuta in praxi, remitto me iudicio aliorum.

*An in opinione, quam* ſuprà, in Reſol. 12. *refutauimus, quòd Confiſſarius obligatur confiteri circunſtantiam copulæ cum filia Confeſſionis, teneatur etiam id fateri, ſi cùm viro filio Confeſſionis accubaret?*

RESOLVT. LVI.

AFfirmatiuam ſententiam docet Sancius *diſp.* 11. *n.* 12. quia, etſi iura de commiſtione cum fœminis de Confeſſionis filiabus ſolùm loquantur; eadem omninò ratio procedit reſpectu virorum pœnitentiæ filiorum; & eadem irrogatur iniuria Sacramento; & ideò aſſerit Sancius, quòd in Bulla contra ſollicitantes fœminas in Confeſſione, includitur etiam ſollicitatio virorum.

Hæc ſententia eſt probabilis: ſed non minùs probabilem, & tutam in praxi contrariam exiſtimo. Et contra Sancium tenet hanc ſententiam Baſilius Poncius *in trac. de impedim. matr. cauſa* 30. *cap.* 24. §. 2. *verſ. Atque hæc.* & Acugna *tract. de Confeſſ. ſollic. q.* 5. *n.* 53. *in fin.* & Peirinus *ſuper priuil. Minimor. tom. 2. Conſt.* 4, *Greg. XV.* §. 5. *num.* 18. quia canones prohibentes; de fœminis tantùm loquuntur, vt *c. fin.* ibi, *cum mulieribus, & c. omnes.* ibi, *ad ſuam pœnitentialem accedat.*

Ad argumentum Sancij reſpondeo, multos Doctores probabiliter docuiſſe, ante Bullam Greg. XV. Confeſſarios ſollicitantes viros, non fuiſſe denunciandos: quia Bulla Pauli V. & Clem. VIII. loquebatur tantùm de Confeſſariis ſollicitantibus fœminas. Ita Fagundez, Societatis IESV, *de Præcep. Eccleſ. tract.* 2. *lib.* 4. *c.* 3. *n.* 31. Portel. *in addit. ad dubia regular. verſ. ſollicitare fœminas.* Vide *noſtrum Tract. de Denunciationibus Reſol.* 12. vbi pro hac firmanda ſententia, multas rationes inuenies. Notandum eſt etiam, quòd, ſtando in opinione, quòd Confeſſarius tenetur confiteri circunſtantiam copulæ cum filia ſpirituali, non tenetur confiteri circunſtantiam tactus aut pollutionis, habitæ inter fœminæ femora: quia ius canonicum ſolùm commiſtionem numerat, in ordine ad irrogandam iniuriam Sacramento.

*An prælatus, ſi omittat correctionem ſubditi, ſatisfaciat dicendo in Confeſſione: Omiſi correctionem proximi?*

RESOLVT LVII.

NEceſſe eſſe, vt dicat ſe eſſe Prælatum illius, docet Bannez *in 2 2. q. 33. art. 3. dub. 1. concl. vlt.* & nouiſſimè Villalobos *in ſum. tom. 2. tract. 4. diffic. 6. num.* 4. quia ad corrigendum ſubditum tenetur ex iuſtitia.

Aliqui autem putant, quòd obligatur ex miſericordia; & ideò ſecundum illos notabiliter tantùm aggrauat iſta circunſtantia: vnde in Confeſſione non erit neceſſariò aperienda. Et hanc ſententiam probabilem exiſtimat Ioannes Sancius *in ſuis practicis diſputationibus, diſp.* 6. *n.* 9. nam ſententiam Bannez veriorem tantum vocat. Quod diximus de Prælato, dicendum eſt de parte, tutore, domino, reſpectu tamen mancipij, non autem reſpectu famuli ob ſalarium ſeruientis: quia mancipium eſt ſub dominio domini, & ad eius curam pertinet, actiones mancipij dirigere; non autem famulorum.

*An diuturnitas voluntariæ retentionis rei alienæ furto ablatæ, ſit circunſtantia neceſſariò in Confeſſione aperienda?*

RESOLVT. LVIII.

SVppono, probabilem eſſe ſententiam Petri à Nauarra *de reſtit. lib.* 4. *c.* 4. *n.* 9. & Tanneri *in 2. 2. diſp.* 4. *q.* 6. *dub.* 14. *n.* 425. qui citat etiam Aragonium, & Carbonem; aſſerentium, plura non committi peccatà, ſed tantùm continuari antiquum, quamuis vno anno, vel plùs, iniuſtè retineatur res aliena: etiamſi fortè ſæpiùs interim offeratur occaſio reſtituendi; aut etiam ſæpius renouetur propoſitum non reſtituendi: dummodo tamen poenitentia ductus proponat reſtituere; & poſteà mutato propoſito habeat animum non reſtituendi.

Hoc ſuppoſito, quæritur an ſaltem diuturnitas voluntariæ retentionis rei alienæ ſit neceſſario in Confeſſione aperienda? Tannerus, *vbi ſuprà, n.* 427. & alij affirmatiuè reſpondent, & rationem adducunt: quia, licèt in tali diuturnitate retinendi rem alienam, inuito domino, non ſemper multiplicentur peccata, vt *ſuprà* diximus; aggrauantur tamen notabiliter. Ergo, &c.

Sed in noſtra ſententia negatiuè reſpondendum videtur: quia circunſtantiæ aggrauantes non ſunt neceſſariò confitendæ; ſed dicta diuturnitas voluntariæ retentionis rei alienæ eſt tantùm circunſtantia aggrauans. Ergo in Confeſſione minimè aperienda erit.

Notet hoc Confeſſarius, & à multis ſcrupulis immunis erit: nam pœnitens in Confeſſione ſatisfacit, tantùm ſe accuſando non reſtituiſſe rem alienam, nec interrogandus eſt de tempore, & diuturnitate retentionis, vel de numero peccatorum, quæ aliqui in tali diuturnitate committi putant; dummodo, vt diximus, propoſuerit reſtituere, & poſteà mutato animo determinauerit ampliùs reſtitutionem non facere: quæ omnia valde notanda ſunt, quia multùm practicabilia.

*An, qui cum conſcientia peccati mortalis miniſtrat excellentius Sacramentum, debeat dictum Sacramentum in Confeſſione explicare?*

RESOLVT. LIX.

AFfirmatiuam ſententiam docet Ioan. de la Cruz *in director. conſc. p.* 2. *de Sacram. in genere, quæſt.* 4. *dub.* 3. *concl.* 3.



*concl.* 3. & ante illum Ledeſma *in ſumma. tom.* 1. *de Sacr. in genere cap.* 6. *concl.* 3.

Sed ego contrarium aſſerendum eſſe puto: licet enim in tali caſu grauiùs peccetur, attamen in Confeſſione ſufficit dicere, ſe miniſtraſſe Sacramentum in peccato mortali. Et idem etiam aduersùs præfatos Doctores dicendum eſſe exiſtimo, quando miniſter eſſet in aliquo grauiſſimo, & extraordinario peccato, aut ſi ſit multis & grauibus irretitus peccatis: non enim in tali caſu ſpeciem, & numerum peccatorum, cum quibus Sacramentum miniſtrauit, opus eſt explicare; ſed ſufficit dicere ſe Sacramentum cum lethali peccato ſemel, vel toties miniſtraſſe. Et hoc ego intelligo de aliis Sacramentis, excepta Euchariſtia, nam, ſi quis Euchariſtiam miniſtrat cum reatu peccati mortalis, puto non peccare mortaliter, vt alibi fusè *in tract. de celebrat. Miſſar.* cum Vaſquez & aliis ſatis probatum eſt.

*An Medico ſatis ſit fateri, ſe conceſſiſſe licentiam edendi carnes abſque legitima cauſa diebus prohibitis, non manifeſtando illos ieiunio eſſe conſecratos?*

RESOLVT. LX.

NEgatiuam ſententiam docet Sancius *in ſuis ſelectis diſput. diſp.* 41. *n.* 16. quia in tali caſu reus eſt fractionis duplicis præcepti, ieiunij, videlicet, & carnis abſtinentiæ, vt docet etiam Sanchez *in ſum tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 11. *n.* 42. & 53. cum Ludouico de S. Iuan. *in ſum. tom.* 2. *tract. de ieiunio art.* 7. *dub.* 2.

Sed Monteſinus *in p.* 2. *tom.* 2. *q.* 73. *art.* 2. *q.* 4. *n.* 47. docet, hoc eſſe tantùm vnicum peccatum contra temperantiam; quamuis cenſeat eſſe cicunſtantiam notabiliter aggrauantem. Vnde, ſi hæc opinio eſſet vera, in noſtra ſententia dicendum erit, hanc circunſtantiam non eſſe in Confeſſione aperiendam, tanquam tantùm aggrauantem & non mutantem ſpeciem.

*An, ſi qui furaretur coram Iudice, vel cum manifeſto periculo vitæ, teneretur poſteà aperire hanc circunſtantiam in Confeſſione.*

RESOLVT. LXI.

AFfirmatiuam ſententiam docet Vaſquez *in p.* 2. *tom.* 1. *q.* 73. *art.* 9. *dub.* 3. quia putat, in tali caſu adeſſe duo peccata, videlicet, peccatum furti, & peccatum temeritatis contra fortitudinem; ſicut, qui in bello ſe exponit manifeſto periculo mortis abſque cauſa.

Sed mihi placet contraria ſententia, quam nouiſſimè tuetur Tannerus *in p.* 2. *diſp.* 4. *q. dub.* 3. *n.* 71. nam pœna huius vitæ, quamuis à peccante præuiſa, non addit nouam ſpeciem malitiæ, niſi ea pœna directè ſit intenta, ipſúmque adeò peccatum, tanquàm medium ad hunc finem electum. Et ratio eſt: quia, qui directè, & per ſe non vult pœnam, ſed tantùm indirectè; is non vult pœnam, niſi ex ſuppoſitione peccati: ſed velle pœnam ex ſuppoſitione peccati, per ſe non eſt peccatum vt patet: ergo, &c. Idem dicendum eſt de eo, qui alteri ſuadet peccatum cum periculo incurrendæ pœnæ mortis. Sufficit igitur in tali caſu pœnitenti, ſe accuſare commiſiſſe peccatum furti: & non explicare, ſe furatum eſſe coram Iudice, vel cum manifeſto periculo vitæ.

*An, ſi quis omiſit, v. g. Sacrum, propter ſtudium, teneatur explicare in Confeſſione hanc circunſtantiam?*

RESOLVT. LXII.

AFfirmatiuè reſpondet Zumel *in p.* 2. *quæſt.* 71. *art.* 5. *diſp.* 4. qui citat Gandauenſem, Gabrielem, & Riccardum: putat igitur in tali caſu, ſtudium, ex cuius affectu omittitur Sacrum, in die feſto, eſſe peccatum ſpecie, ac numero diſtinctum ab ipſo peccato omiſſionis, ac proinde diſtinctè in Confeſſione explicandum.

Sed ego contrariam ſententiam ſuſtinendam eſſe puto quàm docent Valentia, Medina, Azorius, & Vaſquez, quos citat, & ſequitur Tannerus *in p.* 2. *diſp.* 4. *quæſt.* 4. *dub.* 2. *n.* 15. & 20. Et ratio eſt: quia voluntas ipſa omittendi; atque etiam actus ille ex ſe malus cuius affectu inordinato omittitur aliquod præceptum, per ſe, ac formaliter loquendo, nec ſpecie, nec numero diſtincta ſunt peccata à ſubſequente omiſſione, ac proinde, nec diſtinctè in Confeſſione aperienda ſunt. Actus enim ille ideò malus eſt, quia ordinatur per modum cauſæ, ſiue medij, ad conſummandum omiſſionis peccatum: ſed in genere moris vnum peccatum numero cenſetur actus conſummatus peccati: & cæteri, qui ad ipſam conſummationem ordinantur, ſi aliunde mali non ſunt: ergo, &c. Igitur abſolutè dicendum, quòd actus, qui eſt cauſa omiſſionis, ſi per ſe alioqui malus non ſit, non eſt peccatum ſpecie, vel numero diſtinctum à ſubſequente omiſſione.

*An ſi Clericus, v. g. in diuturna nauigatione abiiciat Breuiarium, teneatur aperire hanc circunſtantiam; vel ei ſufficiat dicere, vigeſies, v. g. omiſi Horas Canonicas?*

RESOLVT. LXIII.

REſpondeo ſufficere. Ita Tannerus *in part.* 2. *diſp.* 4. *q.* 4. *dub.* 2. *n.* 25. & 26. Et ratio eſt: quia impotentem ſe reddere ad actum præcepti, ſolùm prohibetur præcepto affirmatiuo de actu exequendo; ac proinde non aliam habet malitiam, quàm ipſammet omiſſi actus præcepti: ergo, &c. Dicendum eſt igitur, quòd talis actus, quo quis ſe reddit impotentem, non eſt diſtinctum peccatum ab omiſſione, re ipſa conſequente; & ideò ſufficit confiteri omiſſionem ipſam.

Notandum eſt tamen pro praxi, quòd propoſitum omittendi, vt & actus ille, quo quis facultatem ademit actum præcepti exercendi, per accidens aliquando in Confeſſione diſtinctè explicandum eſt: vt, ſi quis, v. g. propoſuiſſet per multos dies Officium diuinum omittere: ſed deinde propoſitum mutans, non niſi quinquies omiſit. Aut, ſi quis in nauigatione, vel itinere, abiecto Breuiario, cum implicito propoſito omittendi Horas per integram hebdomadam, mox poſteà reſipiſceret, vel acquiſito Breuiario poſt tres dies horas recitaret: in his, inquam, caſibus cùm longè maius peccatum ſit ipſe actus ex cauſa omiſſionis, quàm ſubſequens omiſſio, non ſatis eſſet in confeſſione ſolam omiſſionem confiteri.

Notandum eſt etiam, eum; qui poſt abiectum Breuiarium dolet de cauſa omiſſionis data, non ampliùs peccare omittendo Horas quandiu nouam negligentiam in comparando Breuiario non admittit: quia omiſſio ipſa peccatum non eſt, ſi pro tempore, quo accedit, non ſit in poteſtate omittentis, vel in ſua cauſa ſit voluntaria, vt quia ante tempus executionis præcepti hominem de cauſa data pœnituit: aut, quia vel non potuit, vel non debuit cauere ſecuturam omiſſionem. Et hæc omnia notauit Becanus *in p.* 2. *tract.* 2. *c.* 3. *q.* 6. *n.* 10. & 11. cum Tannero *vbi ſuprà, dub.* 3. *n.* 37. & Villalobos *in ſumm. tom.* 1. *tract.* 3. *diffic.* 6. *n.* 4. Sed ad alia deueniamus.

*An ſit neceſſarium, in Confeſſione ipſam omiſſionem explicare; ſed ſufficiat tantùm ſe accuſare de cauſa omiſſioni data?*

RESOLVT. LXIV.

ESſe explicandam ipſam omiſſionem, putant communiter Doctores, quos ſequitur Tannerus *in p.* 2. *diſp.* 4. *dub.* 3. *num.* 35.

Sed contrariam ſententiam etiam probabilem eſſe exiſtimo, quam tuetur Vaſquez *in p. 2. tom. 1. diſp. 94. c. 3. n. 16.* & poſt illum Bonacina *de legib. 2. q. 4 punct. 4. n. 8.* ex illo principio, in quo docet, peccatum omiſſionis tunc ſolùm imputari, adeóque committi, quando cauſa culpabilis omiſſioni datur; ipſam verò omiſſionem actualem pro tempore, quo præceptum obligabat: quia ſub libera poteſtate omittentis non eſt propriè peccatum non eſſe, nec eo quidem modo, quo alioqui actus externus peccati, peccatum dicitur, deriuata, ſcilicet, malitia in ipſum ex voluntate, ſed eſſe ſolum effectum peccati. Quod ita etiam pariter dicendum de homicidio ex ebrietate, & de pollutione in ſomno culpabiliter ſequuta; itémque de vulneratione actuali per emiſſam ſagittam facta, &c.

Sed audiamus Vaſquez de hac re differentem: [ Si hæc omnia exteriora (aſſerit) quæ dicimus, non eſſent peccata; ſequeretur, non eſſe neceſſarium, ea in Confeſſione exprimere; ſed ſatis eſſe explicare cauſam eorum liberè poſitam fuiſſe ſomno, aut ebrietate: hoc autem eſt contra conſuetudinem fidelium omnium, qui ea ſemper confitentur: ergo, &c. Reſpondeo, non eſſe exprimenda in Confeſſione: fideles autem plurimi ea explicant; quia neſciunt ea non eſſe peccata; vel etiam, quia eo facto rectè explicant culpam, quam commiſerunt, præbendo cauſam, & occaſionem: ideò prohiberi non debent à talium euentuum confeſſione, præſertim cùm ipſa explicatione euentus optimè explicetur, quidquid peccati in cauſa præceſſit, & parum vnum ab alio diſtet: at ſi quis præcisè ea exprimere vellet, quæ debet, non eſt cogendus euentus explicare ratione Confeſſionis; ſed aliquando ratione reſtitutionis, vel irregularitatis; ſed ſatisfaceret præcepto, ſi diceret, ſe dediſſe proximam cauſam tali omiſſioni, vel pollutioni. Nec etiam opus eſt in Confeſſione dicere: Ego potu, & cibo nimio mihi intuli morbum lethalem, ſed ſufficit fateri, cauſam illius dediſſe. At, quando opus externum eſt ſecundùm ſe peccatum, quia liberè ſemper manet ſub noſtra poteſtate, tunc debet ſemper explicari. ] Ita Vaſquez, ſatis quidem probabiliter, quidquid aliqui obmurmurent. Dicendum eſt igitur abſolutè, ipſam actualem occiſionem, ſeu vulnerationem hominis per ſagittam, aut homicidium præuiſum in ebrietate commiſſum, vel etiam pollutionem culpabilem in ſomno, non eſſe peccata propriè, ſed tantùm effectus peccati. Et ita etiam hanc ſententiam cum Vaſquez docet nouiſſimè Layman *in Theolog. mor. lib. 1. tract. 1. c. 3. n. 5.*

Sed, ſi aliquis hanc quæſtionem fuſiùs explicatam cum variis Doctorum ſententiis videre cupit, adeat Malderum *in part. 2. quæſt. 72. art. 6.* Lorcam *in part. 2. tom. 2. ſect. 4. diſp. 7. de peccatis.* Azorium *tom. 1. lib. 4. c. 3. quæſt. 3.* Zumel *in part. 2. quæſt. 71. art. 5. diſp. 5.* Filliucium *tom. 2. tract. 21. c. 7. n. 271.* Becanum *in p. 2. tract. 2. c. 3. quæſt. 6.* Peſantium *in part. 2. quæſt. 71. art. 5. diſp. 3.* Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 3. dub. 6. n. 1. & ſeq.* Vide *tertiam huius Operis Partem. Tract. 4. de Sacram. Reſol. 67. in fin.*

*An pollutio præuiſa, ſed non intenta, in ebrietate, nimia comeſtione, &c. ſit in Confeſſione aperienda?*

RESOLVT. LXV.

RESpondeo negatiuè: nam, quando cauſa eſt mortalis in genere luxuriæ, tunc eſt peccatum mortale pollutio præuiſa: non autem vt eſt in noſtro caſu, quando cauſa eſt mortalis in ebrietate, nimia comeſtione, &c. quia eiuſmodi res ex propria ratione non ordinantur ad pollutionem; & ideò non concurrunt grauiter ad ipſam pollutionem, ſed leuiter. At pollutio non eſt culpa mortalis, pro vt præcisè volita in cauſa leuiter illam efficiente. Ergo, &c. Et ita in terminis docet Villalobos *in ſumma, tom. 2. tract. 40. dub. 16. num. 6.* Vaſquez *in p. 2. tom. 1. diſp. 115. cap. 3. n. 9.* Sanchez *de matr. tom. 3. lib. 9. diſp. 45. num. 17.* & nouiſſimè Granado *in p. 2. controu. 6. tract. 4. diſp. 6. n. 12. & 18.* Sufficit igitur in tali caſu, pœnitentem ſe accuſare de nimio potu, & cibo; & non opus eſt explicare pollutionem.

Sed plùs addit Sancius ( attendat Lector ) *in ſuis ſelectis diſputat. diſp. 21. num. 15. & diſp. 23. num. 26.* nam ibi docet, quòd verba impudica, cogitationes turpes, & tactus, licet ſint crimina mortalia, & ſint cauſæ per ſe ordinatæ ad pollutionem; non tamen efficaciter putat in illam influere: nam, ſi, quando cogitatio turpis eſt præſens, non influit pollutionem, quomodo credi poteſt influxuram, quando abſens, vt pote in ſomnis? & ideò pollutio ex tali delectatione præuiſa, non autem volita, non erit ( ait ille) peccatum mortale, vt diximus de ebrietate. Vide Sancium, & non pigebit: nam in hoc nihil affirmo, ſed tantùm eius ſententiam refero.

Notandum eſt etiam, pollutionem præuiſam, ſed non intentam, ex actionibus peccaminoſis tantùm venialiter, in genere luxuriæ, non eſſe peccatum mortale, vt ſi ex tactu leui manus, viſu, verbis, lectione aliquantulùm libidinoſa, &c. Ita Suarez, Henriquez Sanchez, Villalobos, Leſſius, & alij apud Tannerum *in part. 2. diſp. 4. q. 8. dub. 6. n. 123.* quorum ſententiam *in n. 126.* probabilem putat. Notentur hæc, quia ſæpiùs in praxi occurrere poſſunt.

*An diuinationes differant ſpecie, & ſint in Confeſſione aperiendæ.*

RESOLVT. LXVI.

REſpondeo negatiuè, vt alibi ſæpiùs *ſuprà* diximus: quia non ſunt ſpecies omninò diuerſæ in genere moris. Vnde non eſt neceſſe confiteri, an diuinatio fuerit per inſpectionem auium, lineamentorum, &c.

Verum eſt, quod Syluius *in D. Thom. 1. 2. q. 95. art. 3.* putat, quòd ſi per expreſſum pactum cum Dæmone quiſpiam diuinaret, id eſſet exprimendum in Confeſſione: quia, licèt eiuſmodi diuinatio non differat ſpecie à reliquis; habet tamen circunſtantiam notabiliter aggrauantem; multò enim grauius eſt, Dæmones expreſsè inuocare, quàm aliqua facere, quibus dignum ſit, vt ſe Dæmones ingerant. Ita Syluius. Sed tu contrarium tene: quia circunſtantiæ aggrauantes, vt dictũ eſt, non ſunt neceſſariò in Confeſſione aperiendæ: ergo, &c. Et hæc dicta ſufficiant circa præſentem tractatũ de circunſtantiis aggrauantibus. Quæ quidem, vt dixi, non ſunt neceſſariò in Confeſſione aperiendæ, licet laudabiliter quis faceret, ſi illas aperiret: nam hoc conferret ad meritum, & ad emendationem propter verecundiam. Sed nolo imponere onus, vbi non adeſt.

# TRACTATVS VIII.

## De Contractibus.

*An cambium ſit licitum, cùm pro campſario reſpondet Procurator campſoris, non de propriis, vel alienis pecuniis, ſed cum pecuniis ipſius campſoris: quod cambium hodie eſt in praxi valdè vſitatum?*

RESOLVT. I.

MODVS, & praxis ſupradicti cambij inuenitur apud noſtrum Megalam, Filliucium, Salonium, & alios, *vbi infrà.* Prima opinio docet eſſe illicitum, & vſurarium. Sic tenet ex noſtris P. Iuſtinianus *in peculiari ſuo tractat. de cambiis.* Lupus *in cap. vlt. nauigantis, §. 2. ſub. num. 29. ver. ſequitur. inter tract. diuer. tom. 7. fol. 113.* Ioan. Bapt. Cauata *tract. de cambiis, tit. de vſur. ver. quæro campſores, fol. 242.* Idem docet Molina *de iuſt. tract. 2. diſp. 404.* Mercatus *de contr. lib. 4. c. 7.* Sotus *de iuſt. lib. 6. q. 10. art. 1. in fin. & 4. 13. art. 1. concl. 3.* Comitolus *in reſpon. moral. lib. 3. q. 15. & 16.* Tannerus *in 2. 2. diſp. 4. q. 7. dub. 5. n. 149. & 150.* Fabrus *de reſtit. in 4. ſent. diſt. 15. q. 2. diſp. 47. cap. 9. num. 193.* Rodericus *lib. 3. de annuis redditibus, q. 5. n. 71.* Romualdus Coli *tract. de cambio, n. 22.* Palacius *lib. 3. de contr. cap. 3.* Rebellius *de oblig. iuſt. p. 2. lib. 11. q. 6. concl. 3. n. 10.* Ioan Baptiſta Thoro *in Compendio Deciſ. part. 2. verb. Inſtrumentum.* Gregorius XV. tunc Archiep. Bononienſ. *in memor. Confeſſ. part. 6. §. 1. n. 4.* & alij.

Probatur hæc opinio multis rationibus, & primò: In vero cambio, ſicut interueniunt diuerſi domini, ſic debet interuenire diuerſa pecunia; nam nemo dicitur vnam pecuniam ſuam commutare cum alia, etiam ſua: ſed in hoc cambio, de quo loquimur, tota pecunia, quæ datur, & accipitur, eſt pecunia ipſius campſoris: ergo non eſt vera commutatio: ergo eſt cambium ſiccum, & inane; quemadmodum non eſſet vera emptio, ſed ficta, quando merces, & pretium eſſet eiuſdem, & fictè quis emeret ſuã domum, vel permutaret ſuum vinum cum ſuo oleo, vel triticum ſuum cum alio ſuo tritico, quod alibi haberet. Secundò, quia ille reſpondens, & procurator ipſius campſoris cenſetur vna perſona cum campſore, & ideò illa ſolutio, quæ ab ipſo efficitur, videtur fictitia, & imaginaria, & litteræ erunt inanes. Hæc opinio eſt probabilior, & conſulenda.

Sed contraria eſt etiam probabilis: & ideò illam non audet damnare Azorius *p. 3. lib. 10. c. 9. q. 2.* & ſolidè tuentur, & docent ex noſtris, P. Megala *in 2. 2. lib. 2. c. 16. q. 3. à n. 33. vſque. ad 44.* & Naldus *in ſum. ver. cambium, n. 6.* Auctor *conſ. 31. inter conſilia Nauar. tom. 2. lib. 5. tit. de vſuris,* Salas *tract. de camb. dub. 17.* Leſſius *de iuſt. lib. 2. c. 23. dub. 7. n. 7.* Emman. Sà. *verb. camb.* Homobonus *de exam. Eccl. p. 2. tract. 9. c. 17. q. 56.* Saluatorius *de cambiis, p. 3. num. 5.* Filliucius *in quæſt. moral. tom. 2. tract. 35. p. 2. c. 8. n. 436.* Bartholomæus à S. Fauſto *in ſpeculo Confeſſ. diſp. 19. q. 22. n. 2.* Salonius *de iuſtit. tom. 2. q. 4. de cambiis, art. 2. contr. 12.* Thomas Boninſignius *c. 7. de cambiis, n. 78. & 79.* & nouiſſimè Scorria *in Conſt. Pont. epit. 107. theor. 291.* & Theologus innominatus *in tract. de cambiis, edito Mediolani apud Bidellium, Ann. 1623.* vbi *n. 76.* citat etiam pro hac ſententia Martinum Fornarium, & Coſmum Stella, Societatis IESV: & ita ſentiunt etiam multi Theologi noſtræ Religionis, & eiuſdem Societatis IESV, à me de hac re conſulti.

Probatur ex verbis Pij V. in Bulla quadam data ad Bononienſes: & ſi cupis Pontificis verba audire, hæc ſunt: [ Che ogni perſona poſſa dar dinari à cambio, è fare che le lettere ſiano recapitate ſopra eſſi datori, & coſſi tenerli ſui cambi, fin che ſaranno rimborzati da chi hauerà preſo i dinari. ] Vbi Summus Pontifex loquitur abſolutè, ſine vllo diſcrimine, & diſtinctione proprij, vel alterius correſpondentis, vel propriæ, ſeu alterius pecuniæ.

Adde quòd Salonius, & alij notant, ſic etiam declaratum fuiſſe à Congregatione Illuſtriſſimorum Cardinalium, ab Archiepiſcopo Panormitano, anno 1579. re collata cum Gregorio XIII. Summo Pontifice. At, quia Iuſtinianus, & alij conantur reſpondere ad ſupradicta verba Pij V. & ad Declarationem Dominorum Cardinalium, probanda etiã erit hæc opinio rationibus. Nam ſolutio pecuniæ non fit in loco, vbi recepta eſt virtute primi cambij quod reuerà finitur in loco, vbi facienda erit ſolutio; ſed virtute ſecundi cambij celebrati in loco, ad quem miſſæ fuerunt literæ. Deinde, ſi campſor mittat litteras ad proprium factorem, quibus mediantibus ex pecunia ſua, vel aliena, factor ille cambium ab ipſo campſore collatum perſoluat, debito illo per alias literas ad eundem rurſum remiſſo; cur non licebit eidem campſori, vt ex ſua propria pecunia illud ſimiliter perſoluatur? Nam, quod per alios in contractibus ciuilibus præſtare licitum eſt, licebit etiam per nos ipſos ſimiliter præſtare. Tertiò, in hoc cambio nullum intereſſe contingit campſario; quemadmodum ſi tale cambium ſolueretur ex pecuniis alterius tertiæ perſonæ: ergo, cùm campſarius non magis grauetur, ſed potiùs obtineat facilitatem in habenda pecunia, & liberetur ab onere quærendi alium, qui ſoluat cambium, hoc non videtur iniquum.

Nec obſtant in contrarium adducta, nempe, campſorem in hoc caſu emere pecuniam à ſuo correſpondente, qui cenſetur vna perſona cum ipſo campſore; ac proinde ſolutio videtur fictitia, & imaginaria: Nam reſpondetur, in noſtro caſu reſpondentem campſoris duplex officium præſtare; & ipſius campſoris, quatenus acceptat ſolutionem: & campſarij, quatenus pecuniam ſoluit: nihil enim refert ad iuſtitiam contractus, vt vna perſona gerat vices duarum perſonarum, vt paſſim habetur in iure, & vt diuerſis reſpectibus poſſit vnus diuerſas repræſentare perſonas, vt ex multis probat Molfeſius *in ſum. tom. 2. tr. 12. cap. 7. n. 51.* & Scaccia *vbi infrà.* Sic in noſtro caſu non intereſt, an dictæ perſonæ ſint diuerſæ, vel eædem, modò id arbitrio eius, cuius intereſt, relinquatur: & ſic in mutuo ipſemet mutuans poteſt eſſe fideiuſſor, ſeu aſſecurator, volente, & conſentiente mutuatario. Item, ſolutio huius cambij non eſt fictitia, neque litteræ redduntur inanes: quia, poſtquam reſpondens campſoris ſoluit pecunias in loco nundinarum, non mittit eaſdem litteras; ſed finitur illud primum cambium, & fiunt nouæ litteræ campſarij, conficiendo ſecundum cambium, per quod ſoluuntur pecuniæ in eodem loco, in quo primùm ſolutæ ſunt. Hæc opinio, vt dixi, mihi videtur probabilis: nam potiſſimæ rationes oppoſitæ ſententiæ duæ ſunt. Prima, quòd idem gerat duas perſonas. Secunda, quòd campſarius vendat pecuniam illi commodatam ab emptore, vel permutet eandem. Sed hæc argumenta ſaltem probabiliter, ſoluuntur ab Auctoribus ſecundæ ſententiæ, & in ſpecie ab Auctore *conc. 31. inter conſilia Nauarri vbi ſuprà.* Ergo hæc ſententia erit probabilis. Circa præſentem quæſtionem vide Scacciam *tract. de commerciis, & cambio, §. 6. gloſſ. 1. à num. 2. vſque ad num. 89.*

Sed caueant campſores, ne in his cambiis habeant peruerſam intentionem lucrandi ex dilatione ſolutionis; quia hæc intentio erit vſura mentalis: ſed ſolùm dent ad cambium cum animo negotiandi illam pecuniam, eo modo, quo licitè fit inter mercatores, ſiue adſit lucrum, ſiue non: & ad hoc aduertant præcipuè mulieres, & aliæ priuatæ perſonæ, quæ dant ad cambium, vt modò videbitur.

*An ſupradictum cambium licitè exerceatur, non ſolùm à mercatoribus, ſed etiam à perſonis particularibus, & priuatis, vt mulieribus, &c.*

RESOLVT. II.

ALiqui negant; ſed immeritò: nam rationes excuſantes ſupradictum cambium inter mercatores, excuſant etiam illud & inter perſonas priuatas, dummodò habeant aliam pecuniam apud ſe: vtrobique enim ſoluitur cambium per inſtitorem, qui vicem gerit campſoris, & campſarij & apud ipſum dicitur pecunia virtualiter; & creditò eſſe, & ſic vtriuſque munus conuenienter exercet. Cæteras rationes inuenies apud Naldum *in ſumma, verb. cambium, n. 6. & ſeq.* qui in terminis latè docet hanc ſententiam.

Sed, an ſupradictæ perſonæ poſſint continuare tale cambium, dubitat Filliucius *tom. 1. tract. 35. part. 2. c. 10. n. 471.* quia non poſſunt, vt mercatores, eſſe moraliter certi tantundem lucri ipſis ceſſaturum ex mora: quia, videlicet, eandem pecuniam ad cambia exponerent. Sed Naldus, *vbi ſuprà*, docet, etiam recambia in ſupradictis perſonis eſſe licita: & opinio Filliucij procederet, ſi recambium eſſet licitum, ſolùm ratione lucri ceſſantis; & non, quia eſt nouus contractus emptionis, & venditionis, vt videbis *infrà in Reſol. 2.*

*An agens, ſeu reſpondens in ſupradicto cambio, debeat eſſe mercator, ſeu perſona diues?*

RESOLVT. III.

REſpondeo negatiuè: poteſt enim eſſe quælibet perſona, licèt ſit pauperrima, dummodo ſubſtantialia ſupradicti cambij efficiat, literáſque mittat, & alia neceſſaria faciat. Ita Antonius Saluatore *in tract. de continuat. cambiorum, p. 5. num. 25.*

*An cambium, vulgò dictum*, con la ricorſa, *de quo* ſuprà *dictum eſt* in Reſol. 1. *differat ab illo, quod vulgò dicitur*, con le continuationi?

RESOLVT. IV.

REſpondeo, non differre ſubſtantialiter, ſed ſolùm accidentaliter: nam cambium continuationum reducitur ad duas perſonas; cambium verò recurſæ ad tres, nempè, qui dat pecunias, qui illas recipit, & exactor, ſeu inſtitor, qui in nundinis ſoluit, & exigit pecunias: in cæteris verò conueniunt: nam recambia, ſeu cambia continuationum, non ſunt niſi cambia reiterata, ſeu nouæ emptiones, & venditiones; ſub iiſdem tamen iuſtitiæ regulis, quæ neceſſariæ ſunt pro cambio recurſæ. Et ita docet Antonius Saluatore *tract. de contin. camb. in prælud. num. 4. & 5.* & Filliucius *tom. 2 tract. 35. part. 2. c. 11. n.* 489.

*An dictæ continuationes, ſeu recambia, ſint licita ratione tantùm lucri ceſſantis, vel damni emergentis?*

RESOLVT. V.

AFfirmatiuè reſpondet Leſſius *lib. 2. c. 23. dub. 9. n. 82.* & poſt illum Salas *tract. de cambiis, dub. 22. num. 1.* Filliucius *tom. 2. tract. 35. part. 2. cap.* 10. *num.* 471. & ideò aſſerunt, quòd campſor non poteſt paciſci cum campſario, vt ſi elapſo termino non ſoluerit, teneatur eandem ſummam accipere ad recambium, & illud continuare; niſi certò conſtet, tantùm lucri illum ex illa ſumma amiſſurum, quantùm ex recambio perciperet, & campſarium nolle aliter compenſare lucrum ceſſans, vel damnum emergens.

Sed, his non obſtantibus, putat Scortia *in Bull. Pont. epit.* 107. *theor.* 289. cambium eſſe nouam emptionem, & venditionem, vnde ipſe ſic ait: [Recambium eſt iteratum cambium, procedens ab antecedenti, cum eodem debitore, aucta ſorte ex lucro præcedenti; quod, niſi vitietur aliunde, eſt pariter licitum: ita vt etiam ex prioris cambij lucro, poſſit lucrum in cambio, tam prima, quàm aliis vicibus iuſtè, & legitimè capi; quia ſemper eſt emptio, & venditio ſcutorum de marca, tanquam mercis, dicíque non debet intereſſe alterius intereſſe; ſed lucrum capitalis, ſeu ſortis, conuerſo iam priori lucro ſuperioris cambij in partem ſortis, non ſecus ac reliqua ſors lucri facta ex cambiis realibus factis cum aliis campſariis. Cùm igitur recambium nihil aliud ſit, quàm nouum reale cambium alterius ſummæ pecuniarum, alterius lucri diuerſi temporis, virtute nouarum litterarum, pretio legitimè compoſito, & debitis circunſtantiis: vti licitum fuit primum eiſdem circunſtantiis factum, ita licitum erit hoc ſecundum, quod recambium appellamus, ſiue fiat cum recurſa, ſiue abſque ea, v. g. medio proprio Procuratore, certum eſt, ſemper in recambio extingui realiter per acceptationem literarum, & ſolutionem realem, ſeu virtuale cambium præcedens, ſiue fiat cum noua perſona, vt putà ſi creditor alias cambij litteras acceptet à debitore ſui debitoris, ſiue cum eodem priore debitore: vnde etiam poſteriores nouæ litteræ cambij, priores extinguunt.] Ita Scortia, *vbi ſuprà.* Quòd autem cambium ſit emptio, & venditio, docet etiam Boninſignius *tract. de cambiis. c. 7 n. 23.* Scaccia *de commer. § 1. q. 4. num.* 21. & alij penes ipſum: & ſupradictæ continuationes, ſiue cambia, non ſolùm iuſtificantur ratione lucri ceſſantis; ſed etiam ratione emptionis, & venditionis. Sed aliqua dicenda ſunt circa prouiſiones ſupradicti cambij.

*In quanam quantitate ſumendæ ſunt prouiſiones cambiorum?*

RESOLVT. VI.

EX inueterata, & immemorabili inter mercatores conſuetudine pro prouiſione cambij, debetur tertia pars ſcuti pro ſingulis centenis ſcutis, ſecundùm pecuniam, de qua ſoluitur cambium, ſeu efficitur aſſignatio. Ita Boninſignius *de cambiis, c. 7.* Romuald. Coli *de cambiis, c. 21.* Scaccia *de commerciis, § 3. gloſſ.* 3. *num.* 12. Scortia *in Bull. Pont. epit.* 107. *theor.* 291. Filliucius *tom. 2. tract. 33. part. 2. cap. 10. n.* 475. & alij penes ipſos.

*An dicta quantitas tertiæ partis pro centenario ſit iuſta, etiam in prouiſionibus, quæ ſumuntur in recambiis, & continuationibus?*

RESOLVT. VII.

HÆc quæſtio eſt multùm difficilis, & hîc opus hîc labor eſt. Aliqui affirmatiuè reſpondent: quia in omnibus mundi nundinis recipitur integra tertia pars vnius ſcuti aurei pro centenario, etiam pro prouiſionibus recambiorum, & continuationum. Ergo dictæ prouiſiones ſic integræ receptæ ſunt iuſtæ. Probo conſequētiam: nam, vt benè aduertit Boninſignius *tract. de cambiis, c. 7. n. 23.* de iuſtitia, vel iniuſtitia quantitatis prouiſionum ſtandum eſt communi arbitrio mercatorum: ſed, vt dictum eſt, communiter omnes mercatores ex inueterata conſuetudine recipiunt prouiſiones, modo ſupradicto. Ergo minimè de eorum iuſtitia dubitandum eſt.

Sed non deſunt contrarium ſentientes: nam prouiſiones debentur pro labore, vt notat in ſpecie Romualdus Coli *tract. de camb. c.* 21. at in recambiis, & continuationibus, non eſt idem labor, vt in cambiis realibus: ergo, &c. & ideò Milderus *in 2. 2. tract. 5. cap. 4. dub.* 7. putat, quòd in recambiis prouiſiones vix iuſtè integræ accipiuntur, eò quòd faciliùs, & ſecuriùs eadem cambia continuantur, quàm noua ineantur.

Poſſet tamen aliquis reſpondere, conſuetudinem habentem vim legis, vt in ſimili dixit Nauarr. *conſ.* 31. *de vſur.* circa prouiſiones cambiorum, non conſideraſſe magnitudinem, ſeu paruitatem laboris in vnoquoque genere cambij, & in caſibus particularibus, ſed in vniuerſum; & ideò conſtituiſſe pretium pro quouis labore in genere: ergo, &c. Deinde, licèt campſores in recambiis non ita laborant, vt in cambiis realibus; tamen ipſi laborare vellent in dictis cambiis realibus, & ſumere prouiſiones; & de facto laborarent, ſi campſarij ſoluerent pecuniam: nam illam darent ad cambia realia, ex quibus prouiſiones ſumerent. Ergo, etiam in recambiis, prouiſiones integræ illis debentur: quia ex culpa campſariorum prouenit, vt campſores in cambiis realibus dictas prouiſiones integras non recipiant: nam, ſi ſtatuto tempore pecuniam ſoluerent, illam, vt dictum eſt, ad cambium reale alteri darent, & ex ipſo prouiſionem acciperent. Et ideò Leſſius *lib. 2. c. 23. dub. 10. n. 84.* Salas *de camb. dub. 22. n. 3.* Filliuc. *tom. 2. tr. 35. part. 2. cap. 10. n.* 471. & alij, non aſſerunt campſores in recambiis non poſſe recipere integras prouiſiones, qui non ita laborant, vt in cambiis realibus; non, inquam, hoc aſſerunt; ſed docent abſolutè, in continuationibus poſſe campſores ſumere conſuetas prouiſiones, ratione lucri ceſſantis: quia, ſi campſarij ſoluerent ſtatuto tempore, campſores cum aliis alia cambia realia efficerent,



efficerent, ex quibus prouiſiones reciperent. Ergo, &c.

Secundò, aliqui reſpondent, quòd prouiſiones non ſolùm debentur ratione laboris, ſed ratione periculi amittendi ſortem principalem; periculum verò, quod etiam in cambio recurſæ, & continuationum adeſt, explicuit Antonius Saluatore *tract. de contin. cambiorum, p. 5. n. 45.* vbi ſic aſſerit: [ Nego, che ſia maggior pericolo àl cambiſta, mentre che, chi piglia à cambio, trà à pagare ad vn terzo per compire la partita, e non la tra allo ſteſſo cambiſta, perche ſe bene tanti vi ponno eſſere pericoli, quanto vi interuengono pagatori, ò campſuarij, ad ogni modo vi ponno anche eſsere altri tanti pericoli, nella ricorſa d'anni, maſſime ſe chi piglia à cambio, è negotiante, il quale lungo tempo carrico di debiti patiſce intereſſe, che ſe bene il primo anno che piglia à cambio con la ricorſa al cambiſta, egli è ſtimato buon debitore, può nondimeno in ſuceſso di tempo, diuenir cattiuo, e piaceſse à Dio ch'il più delle volte queſti tali non foſsero naſcoſtamente cattiui fin al principio, come l'eſperienza tutto dimoſtra.] Ita ille.

Sed inſtabis, & dices, pericula eſse inæqualia; & poſse quidem cambium cum aliquo eſse periculoſum, non verò cum omnibus, & æqualiter: ſed prouiſiones, ratione periculi, æqualiter ab omnibus ſumuntur: ergo erunt iniuſtæ. Confirmatur: quia, qui vendit pecunia credita, licèt ſe exponat periculo perdendi pretium, non poteſt tamen æqualiter ſumere aliquid plus ab omnibus, ſed ſecundùm æſtimationem periculi, plùs, vel minùs.

Fateor, hoc argumentum apud me validiſſimum eſse: ſed non reticebo, ad ipſum reſpondere Scacciam, *vbi ſuprà, in tract. de commer.* §. 3. *gloſſ. 3. n.* 12. vbi ait, [quòd in cambiis ratione periculi prouiſiones iuſtè recipiantur, non obſtante, quòd pericula ſint inæqualia, & cambij debitor ſit minùs idoneus, ſiue magis idoneus; id eſt, ſiue cambium ſit periculoſum, ſiue non, & hoc non ſolùm in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ. Et ratio quam adducit, hæc eſt: quia lex conſcientiæ debet eſse de re poſſibili: ſed eſt impoſſibile cognoſcere minutatim qualitates, & quantitates periculi; tum, quia periculum eſt incertus euentus rei, & ideò poteſt contingere, vt vbi maius appareat, euaneſcat; & vbi minus, ibi ſuccedat; tum, quia circa rerum euentus, varias habeant opiniones, & inæquali teneantur timore: quare, ſi lex poſitiua, vel conſuetudo, (vt eſt in caſu noſtro inueterata, & immemorabilis,) vnum æquale ſtatuerit pretium, illud erit tutum, etiam in foro interiori, aliàs magna conſcientiarum confuſio, & perplexitas poſset oriri.] Ita Scaccia.

Poſsunt igitur in hoc caſu dicere campſores, vt in ſimili dixit Nauarrus *conſil.* 31. *de vſuris*, conſuetudinem hanc habere vim legis, & non conſideraſse, vt *ſuprà* diximus, de labore magnitudinem, ſeu paruitatem periculi in vnoquoque caſu, & in particulari, ſed in vniuerſum; & ideò conſtituiſse pretium pro quouis periculo in genere. Vnde ex his patet reſponſio ad confirmationem argumenti pro contraria ſententia, de vendente, ſcilicet, pecunia credita, qui non poteſt æqualiter ab omnibus eandem ſummam accipere, pro periculo amittendi ſortem: nam reſpondeo, eſse diſparem rationem inter vtrunque caſum; nam in venditione, ad creditum, non adeſt conſuetudo immemorabilis ſumendi aliquid ampliùs æqualiter ab omnibus ratione periculi, vt eſt in cambio.

Sed rurſus inſtabis contra ſupradicta: nam dato, & conceſso, quòd prouiſiones non ſolùm pro labore, ſed etiam pro periculo ſortis principalis ſumantur, adhuc videntur iniuſtæ, ſi integræ ſumantur; ſaltem in caſu, quando campſores recipiunt fideiuſsores, & pignora: nam ceſsat periculum. Reſpondeo, quòd etiam dato pignore, & fideiuſsore, poſsunt ſumi dictæ prouiſiones: nam, vt benè notat Scaccia *de commer.* §. 3. *gl.* 3. *n.* 11. pignus poteſt eſse obligatum anterioribus creditoribus, & fideiuſſor poteſt eſse ære alieno grauatus: ergo, etiam cum pignore, & fideiuſsore remanet adhuc periculum. Notandum eſt etiam, quòd in nundinis mercatores in taxando intereſſe cambij, non reſpiciunt ad periculum, vt aliquid amplius in ſupradicto intereſſe apponatur ratione periculi; quod campſores poſſunt habere, amittendi ſortem principalem.

Sed, his non obſtantibus, habeo aduerſus ſupradicta firmum argumentum; nam campſores recipiunt prouiſionem ex conuentione facta cum ſuis agentibus; prouiſiones etenim ex natura rei debentur agentibus, & non campſoribus: ergo neceſſariò ſequitur, quòd debentur tantùm ratione laboris, & non periculi: niſi dicas, agentes omnia efficere, cum periculo campſorum, ſtante eorum ordinatione ſoluendi, vt vulgò dicitur, *ſopra di loro.* Ergo recipiunt prouiſiones, etiam ratione periculi, cui ſubiiciuntur campſores.

Sed tu cogita: nam hæc omnia, diſputationis cauſa, ſcripta eſſe volo in gratiam Confeſſariorum, & Reſponſorum caſuum conſcientiæ; vt ipſi tamen videant, an ſint probabilia, necne. Ego verò campſoribus conſulerem, vt a campſario non ſumant in continuationibus integrum intereſſe cambij; ſed ſtatuant pactum, vt intereſſe non excedat aliquam ſummam inter ipſos beneuiſam; & tunc pro relaxatione iſta non eſt illis ſcrupulus imponendus circa prouiſiones: nam, ſi aliquid ampliùs in prouiſionibus ſumerent, iam illud remitterent in intereſſe cambij. Difficultas eſſet, quando intereſſe cambij non exce̶d̶e̶r̶e̶t̶ ſummam præfixam: & in hoc caſu, qui raró ſolet accidere, recurrant ad Confeſſarios & viros expertos, & eorum determinationi acquieſcant. Sed ad alia procedamus.

*An campſores poſſint in recambiis, & continuationibus, exigere, toties, quoties, dictas prouiſiones?*

RESOLVT. VIII.

NOſter P. Molfeſius *in ſum. tom. 2. tract. 12. c. 7. n. 66. & 111. cum ſeq.* negatiuam ſententiam docet.

Sed in praxi contrarium obſeruatur, & illam defendit Leſſius *lib. 2. cap. 23. dub. 9. n.* 84. vbi docet, poſſe in rigore campſores dictas prouiſiones exigere, & hoc titulo lucri ceſſantis, ſupponendo campſorem, ſiue eius reſpondentem percepturos eas ab aliis, ſi campſarius in tempore præfixo ſoluiſſet. Et hanc ſententiam Leſſij, etiam poſt illum docet Salas *tract. de cambiis, dub. 22. n. 3.* & Filliucius *tom. 2. tract. 35 p. 2. c. 10. n. 471.*

Sed ex Scortia, *vbi ſuprà, in Bull. Pont. epit.* 107. *theor.* 289. dicendum eſt, recambia non eſſe licita ratione lucri ceſſantis: ſed, quia ſunt nouæ emptiones, & venditiones, & ideò ſicut in cambiis realibus iuſtè ſumuntur prouiſiones, toties, quoties cambia efficiuntur, ita ſumendæ erunt & in recambiis.

*An campſor poſſit, toties, quoties, recipere duas prouiſiones? vnam in loco, vbi efficitur cambium; alteram in nundinis, quam recipit eius agens?*

RESOLVT. IX.

NEgatiuè videtur prima facie reſpondendum, ex verbis Romoaldi Coli *tract. de cambiis, cap.* 21. circa finem, vbi ſic aſſerit: [ Biſogna auertire, che Giouanne non ſia grauato due volte à pagare lo ſtipendio, ò prouiſione, vna volta à Pietro, & vn'altra volta all'agente di Pietro ]

Sed hæc verba aliqui putant eſſe vera in caſu, de quo loquitur Scaccia *de commer.* §. 3. *gl.* 3. *n.* 15. non autem in caſu, de quo poſteà loquitur ſupradictus Scaccia *num.* 20. [Quia creditor, ſoluendo ſibi ipſi de mandato ſui debitoris, contrahit non ſolùm pro ſe proprio nomine; ſed contrahit etiam procuratorio nomine pro ſuo debitore: nam debitor, dum mandat ei, vt ſoluat ſibi ipſi neceſſariò mandat etiam, vt nomine ipſius debitoris accipiat

cambium à ſeipſo, vt inde ſibi ſoluat: ſed, ſi debitor mandaret alicui tertio, quòd acciperet cambium pro ſuo debitore, & ſolueret creditori; deberetur huic tertio; tum, quia exequendo mandatum ſibi iniunctum laboraret; tum, quia accipiendo cambium, remaneret obligatio danti: ergo eadem debetur creditori, qui accipit cambium à ſeipſo, vt ſoluat ſibi ipſi. [ Ita Scaccia. Vnde Boninſignius *tract. de cambiis, c. 5. n. 10.* ſic aſſeruit: ] Prouiſio ſoluitur à capientibus ad cambium, ſemel, vbi recipitur: iterum verò Lugduni, aut alibi; vbi debitum contrahunt.

Igitur, ſicut in nundinis debetur campſori prouiſio; ſic & in reditu ex nundinis alia etiam debetur prouiſio: in caſu tamen, quo campſarius non vult ipſe rationes accipere, libros tenere, & alios labores neceſſarios facere; ſed id committit faciendum campſori, qui de eius ordine negotium peragit, & illum à ſupradictis laboribus eximit. Vnde, ſi alia perſona, diuerſa à campſore, hæc omnia faceret de mandato campſarii; illi quidem, vt omnes concedunt, deberetur prouiſio: quare ergo erit deneganda campſori, qui etiam de mandato campſarij hoc efficit?

*An debeatur vna tantùm prouiſio pro cambio magno, ac pro paruo, v.g pro mille, ac pro centum.*

RESOLVT. X.

Aliqui viri docti affirmatiuam ſententiam tenent: quia prouiſio debetur pro labore: ſed idem labor ſuſtinetur pro cambio magno, ac pro paruo: ergo eadem debetur prouiſio.

Sed ego contrarium facientem non damnarem ad reſtitutionem, & contraria ſententia mihi non placet: quia Romualdus Coli *tract. de cambiis, cap. 21.* Scaccia *tract. de commer. §. 3. gloſſ. 3. num. 475.* & alij communiter aſſerunt abſolutè, pro prouiſionibus deberi mercatoribus vnam tertiam partem pro ſingulis centenis. Vnde Scortia *in Bull. Pon. epit. 107. theor. 291.* aſſeruit, quòd ſi ſumma cambij ſit vnius millionis, lucrum prouiſionum erit ſcut. 3333.

Ad argumentum verò contrariæ ſententiæ poſſet aliquis reſpondere, quòd Notarij, conficiendo aliquam ſcripturam recipiunt longè diuerſum, ac maius ſtipendium, quàm pro alia eodem labore confecta; quia illa prior continet maiorem pecuniarum ſummam, quàm altera: ſed hoc accidit in caſu noſtro: ergo. Item, ſartor conficit cum eodem labore veſtem ex panno, & ex auro confectam, & tamen recipit maiorem mercedem pro hac, quàm pro illa conficienda, Ergo.

Adde etiam, quòd aliqui aſſerunt, vt *ſuprà* viſum eſt, prouiſiones deberi non ſolùm ratione laboris, ſed etiam periculi: ſed, qui dat in cambio maiorem pecuniarum ſummam, maius periculum in ſe ſuſcipit: ergo maiores debet percipere prouiſiones. Sed de hoc vide *ſuprà in Reſol. 7.*

*An id, quòd campſoribus debetur, ratione prouiſionum, & intereſſe, poſſit ab ipſis adiici ſorti, vt cambium magis augeatur?*

RESOLVT. XI.

Negatiuè reſpondendum videtur, per ea, quæ latè adducit nouiſſimè doctus Narbona *in 3. part. Recopil. lib 5. tit. 18. l. 13. gl. 2. n. 32. & ſeq.* & ita in terminis docet hanc ſententiam Nalderus *in. 2. 2. D. Thom. tract. 5. cap. 4. dub. 10.* & Malderus *in ſum. tom 3. tract. 12. c. 7. n. 112.*

Sed ego contrariam ſententiam probabilem, & tutam in praxi eſſe exiſtimo: & ita tenet ex Societate IESV, Leſſius *lib. 2. c. 23. dub. 9. num. 85.* & Salas *tract. de cambiis, dub. 22. n. 4.* quia campſores moraliter certi ſunt, ſe illud potuiſſe ſtatim aliis ad cambium dare, & per illud lucrari, & ita ratione lucri ceſſantis, poſſunt illud ſorti principali vnire, vt cambium augeatur.

Hoc etiam concedit ex alio principio Scortia *in Bulla Pont. epit. 107. theor. 289.* nempe, ratione noui contractus emptionis, & venditionis. Vide etiam Scacciam *de commer. §. 6. gloſſ. 1. num. 8.* & Saluatorem *tract. de controu. cambiorum. p. 5. n. 43.*

*An conſuetudo campſorum de non acceptanda ſolutione ſortis, niſi ſimul ſoluantur detrimenta cambiorum, ſit licita?*

RESOLVT. XII.

Reſpondeo affirmatiuè: & præter Leſſium *lib. 2. c. 23. dub. 10. n. 87.* Salam, *tr. de cambiis, dub. 25. num. 2.* Filliucium *tom. 2. tract. 35. p. 2. c. 10. n. 472.* tenet etiam hanc ſententiam Malderus *in 2. 2. D. Thom. tract. 5. c. 4. dub. 10.*

Igitur poteſt campſor, cui pro ſorte debentur decem, pro intereſſe autem, & prouiſionibus tria; quando ad computum recipit tria, ea accipere in ſolutum pro intereſſe, & prouiſionibus; & non tenetur tria minuere de ſorte. Rationes verò huius ſententiæ inuenies apud citatos Doctores: nam ego in his meis laboribus, non latè diſputare, ſed ſolùm deliberare volo.

*An campſores dantes ad cambium, modo, vt ſuprà, ſint in foro externo, tanquam vſurarij puniendi?*

RESOLVT. XIII.

Nouiſſimè Adamus Tannerus *in 2. 2. D. Thom. diſp. 4. q. 8. dub. 5. n. 148.* & Leſſius *lib. 2. c. 23. dub. 7. num. 71.* affirmatiuam ſententiam docent.

Sed immeritò quidem: nam, vt benè docet Antonius Saluatore *tract. de continuat. cambiorum, p. 2. n. 8.* [ Chi cambia con la ricorſa, non vien preſunto, ò caſtigato, in foro fori, come vſurario, ma che ſe li conuiene con alcun litigare ſopra queſto nelle Ruote di Genoua, & d'altri Prencipi, & etiandio nella Rota di Roma, Rota delle Rote, e Rota che da lume all'altre, ſi giudica à fauore di chi cambiando chiede l'intereſſe della ricorſa; come vltimamente haue ottenuto il Signor Hettore Fieſco in Roma in vna ſua cauſa, che gli agitò contro il Signor Conteſtabile Colonna. ] Ita Saluatorius. Vide etiam Doctores citatos, *vbi ſuprà.*

*Vtrùm campſor, qui bona fide dedit pecuniam Petro ad cambium, ſoluendam Meſſanæ, exiſtimans ipſum habere pecuniam in tali loco, & poſteà comperiat non habere, poſſit tantùm exigere, quantùm lucri percepiſſet, ſi Petrus Meſſanæ ſoluiſſet?*

RESOLVT. XIV.

Negatiuè reſpondet Salas *de cambiis, dub. 15. num. 2.* qui citat Ledeſmam, & Vegam; vbi aſſerit, tale cambium eſſe ſiccum, & ſic campſorem nihil vltra ſortem recipere poſſe: & ſi receperit, teneri ad reſtitutionem ipſius, niſi bona fide conſumpſerit: quia tunc ſolùm tenetur reſtituere id, in quo factus fuit ditior: poſſe tamen exigere à campſario damnum emergens, & lucrum ceſſans ex ea fraude. Et rationem adducit: quia qui fictè, & ſine animo ſe obligandi, aliquid promiſit, non tenetur implere in foro interno, ſed tantùm tenetur de damno emergente, & lucro ceſsante.

Hæc opinio eſt probabilis: ſed contrariam probabiliorem exiſtimo, quam ſequitur Molina *de inſtit. tom. 2. tr. 2. diſp. 404. n. 7.* & poſt illum Leſſius *lib. 2. c. 23. dub. 7. n. 69.* Quia, cùm campſor bona fide contractum ex parte ſua impleuerit, tenetur alter quoque ex parte ſua implere, quantùm poteſt, vel ſoluere, quantùm intereſt campſoris eum impleri, alioquin contractus ſemper paterent fraudibus, & contrahentes poſsent cum magno ſuo incommodo eludi.





*Vtrùm campſor poſſit cum campſario à principio paciſci certum, & determinatum intereſſe, etiam in caſu non ſolutionis?*

RESOLVT. XV.

Negatiuè videtur reſpondendum cum Filliucio *tom. 2. tract. 35. p. 2. c. 7. n. 424.* Homobono *de exam. Eccleſ. p. 2. tract. 9. c. 15. quæſt. 4.* & alij ex Bulla Pij V. prohibentis taxationem à principio, ſeu certum, aut determinatum intereſſe in cambiis.

Sed, cùm hæc prohibitio fundetur in præſumptione fraudis vſurariæ, in foro conſcientiæ, valebit dictum pactum de certo intereſſe, ſi moraliter conſtet iſtud iuſtum eſſe etiam in locis, vbi dicta Bulla Pij V. recepta eſt. Et ita docet Leſſius *lib. 2. cap. 23. dub. 11. num. 90.* Reginaldus *tom. 2. lib. 25. c. 34. n. 467.* & alij.

An verò in tali caſu campſor peccet mortaliter; affirmatiuè reſpondent Salas *tract. de cambiis, dub. 13. num. 2.* & Rebellius *part. 2. lib. 11. q. 13. n. 5.* vbi ſic aſſerit: Quando modus aliquis contrahendi prohibetur ad tollendas occaſiones peccandi, etſi nulla iniuſtitia de facto in aliquo particulari euentu occurrat, non proinde ratio legis vniuerſim ceſſat: quoties verò ratio legis vniuerſim non ceſſat, nec etiam ipſa lex. Quare in propoſito euentu, prædicta Pij V. prohibitio obligabit, cùm certum ſit, non tolli peccandi occaſiones, ſi relinquatur libertas determinandi certum pretium ab initio, ratione intereſſe veri ſimiliter futuri, licèt interdum æqua determinatio fiat. ] Ita Rebellius.

Sed ego puto, in tali caſu campſorem non peccare, neque dictum modum Pij V. obligare in foro conſcientiæ. Et aduersùs Rebellium aſſero cum Granado *in p. 2. contr. 7 tract. 3. par. 2. diſp. 15. ſect. 2.* & aliis, quos citaui *in tract. de legibus*, quòd quando ceſſat ratio legis, etiam in particulari ceſſat eius obligatio: ſed totum accidit in caſu noſtro: ergo, &c. Et ita etiam docet in terminis cambiorum Emmanuel Sà *verb. cambium, n. 6.* vbi ita ait: [ Etiam in eodem regno licet cambium per literas, etſi id lex aliqua prohibeat, ( præſumit enim fraudem; ) quæ ſi abſit, non intendit prohibere. Idémque dicendum de cambiis omnibus alioqui licitis, aut cambiorum licitis conditionibus, ſi lege aliqua prohibeantur: ceſſante enim fraude, quam lex præſumit, fieri poſſunt, niſi ex ipſa lege, vel conſuetudine conſter oppoſitum. ] Sic ille. Notandum eſt tamen, quòd omnes Doctores citati concedunt, Pium V. non prohibere pactum de lucro incerto, ſi in loco conſtituto campſarius non ſoluat tempore determinato: ſed Pontifex in illa Bulla loquitur tantùm de pacto lucri certi.

*An contractus maſſarij ad mercatorem, qui vulgò dicitur,* alla meta, *ſit licitus: qui contractus paſſim celebratur in hoc Siciliæ Regno?*

RESOLVT. XVI.

Reſpondeo affirmatiuè; etiamſi non ſit agricola, neque dominus prædiorum habens frumenta iure terragiorum, neque in ſolidum ſe obliget cum aliquo, qui talis ſit: quidquid in contrarium videatur docere Muta *deciſ. 52. num. 11.* Et ratio eſt: quia licèt ita contrahens non habeat frumenta aliquo ex tribus modis, vt diximus; habet tamen modum, & potentiam, & poſſibilitatem habendi ſupradicta frumenta: nam poteſt illa emere tempore conſueto, & præfixo in contractu, vt tradat emptori, & iſte contractus, ſi contrahentes habeant animum emendi, & vendendi frumenta, eſt licitus; quia reducitur ad contractum emptionis, & venditionis: neque aliquod continet periurium; quia verum iuratur, nempe, tradendi frumentum tempore præfixo.

Nec valet dicere: quòd in iſto contractu vnus ex contrahentibus vendit frumentum, quod non habet, neque in potentia, quia non eſt agricola, neque eſt dominus prædiorum: ergo talis contractus non eſt contractus emptionis, & venditionis, ſed mutui palliati. Nam reſpondetur, quòd iſte habet frumentum in potentia morali: quia habet poſſibilitatem emendi, vel alio modo habendi frumenta, tempore, quo debet emptori illa conſignare: & ideò quando contrahit, dicitur, habere frumentum. Sicut enim agricola dicitur habere frumentum in potentia; quia illud habebit ex ſuo agro: ita iſte habet frumenta; quia illa, ſua pecunia eſt empturus; & hoc ſufficit ad venditionem.

Adde quòd etiam licitè quis poteſt vendere frumentum alienum, quod non habet, nec habere poteſt: nam, vt communiter Doctores aſſerunt, poteſt quis vendere rem alienam quam minimè habet, & venditor in tali caſu tenetur emptori ad euictionem, & ad pretium rei venditæ, & ad damnum ſubſequutum ex tali emptione, neque ad aliud obligatur.

Ex his ſequitur, quòd qui non habet frumenta, neque habet facultatem illa emendi, mentitur, & eſt periurus, ſi hunc contractum celebret: quia iurat falſum. Et ita peccant contrahentes tali pacto cum filiis familiâs, quos ſciunt, non poſſe tempore præfixo talia frumenta habere, & conſignare, vel cum aliis perſonis, quæ, vt diximus, non ſolùm actu frumenta non habent; ſed neque in potentia: quia poſſibilitatem non habent habendi illa.

Notandum eſt vero, quòd ſi non habens frumenta, neque poſſibilitatem habendi, nihílque de hoc cogitans, ad ſubueniendum ſuæ neceſſitati, & bona fide ita contrahit, quia alij in foro ita ſolent communiter contrahere; puto, ſupradictum non peccare, neque ad reſtitutionem teneri: quia talis contractus, licèt materialiter ſit illicitus, ex obiecto tamen, & formaliter eſt licitus. At ita etiam ſentiunt aliqui Theologi ex Societate IESV à me de hac re conſulti. Sed, quia in tali contractu apponitur pactum, vt ſi venditor frumenta non tradat, poſſit emptor illa emere, vt vulgò dicitur, *alle maggiori valute*; ideò quæritur.

*An, ſi in ſupradicto contractu venditor non tradat frumenta tempore præfixo, poſſit emptor petere, & accipere ſummum in illo anno frumentorum valorem, qui dicitur,* le maggiori valute?

RESOLVT. XVII.

Reſpondeo negatiuè: quia non eſt certus, an vendidiſſet illa frumenta tempore, quo illo ſummo pretio valebant: ideò ex pretiis præteritis debet relinquere pretium rigoroſum, & infimum, & accipere medium. Igitur, ſi ab Auguſto vſque ad menſem Ianuarium, pretium frumenti fuit aliquando tarenorum 40. aliquando 45. & aliquando 50. non ſumatur in tali caſu pretium infimum, quod fuit tarenorum 40. nec rigoroſum, quod fuit tarenorum 50. ſed medium, nempe, tarenorum. 45.

Sed, ſi in illo tempore, quo frumentum valuit tarenos 50. emptor illud vendere determinaſſet; poſſet vtique ſummum valorem accipere: non autem, ſi in illo tempore nihil de tali venditione cogitauit, vel determinauit. Et ita in ſimili caſu docet Villalobos *in ſum. p. 2. tract. 21. dub. 7. n. 10.* Salas *tract. de emp & vend. dub 30. n. 5.* Leſſius *lib. 2. cap. 21. dub. 4. n. 20.* Azorius *p. 3. lib. 8. cap. 9. q. 1. in fin.* Molina *tom. 2. tract. 2. diſp. 355. n. 6.* Salonius *in 2. 2. tom. 2. q. 88. art 2. contr. 21. n. 6.* Pitigianus *in 4. ſent. tom. 2. diſt. 15. concl. 6. in fin. fol 205,* & Bonacina *de contract. diſp 3. q. 2. punct. 4 n. 16.* & Conradus *in reſp. p. 1. q. 134.*

Sed, licèt hoc ſit verum, & conſulendum; pro contraria tamen parte poteſt adduci doctrina Vaſquez *Opuſc. de reſtit. c. 5. §. 1. dub. 12. num. 77.* & communiter aliorum Doctorum apud Leſſium *lib. 2. c. 13. dub. 16. n. 109.* nempe, quòd ſi incertum, ſit, quo pretio, aut in quo ſtatu dominus rem furatam erat venditurus; tunc in tali caſu tenetur reſtituere ſecundùm optimum ſtatum, & ſummam

æſtimationem, quam intereà habuit. Et ratio eſt: quia in eo ſtatu vendi poterat; & in dubio melior eſt conditio innocentis, & in eius fauorem eſt inclinandum. Sed eadem eſt ratio in caſu noſtro: quia venditor iniuſtè detinet frumentum, & illud non tribuit emptori; & emptor tale frumentum poterat vendere eo tempore, quo cariùs valebat: ergo reſtituendum erit ſecundùm ſummam æſtimationem; quia, vt diximus, in eo ſtatu vendi poterat. Dices hoc verum eſſe in fure; non autem in debitore moroſo, vt eſt in caſu noſtro. Reſpondeo, in vtroque caſu militare eandem rationem: nam, vt benè docet Tannerus *in 2. 2. D. Thom. diſp. 4. q. 6. dub. 2. num.* 49. mora æquiualet iniuſtæ acceptioni, etiam directè voluntariæ: & ideò ex hac doctrina multi Viri docti, de hac re à me conſulti, non obligant ad reſtitutionem ita facientes, ſed an probabiliter, remitto me iudicio aliorum.

*An talis contractus poßit ſæpiùs renouari?*

RESOLVT. XVIII.

REſpondeo affirmatiuè, citra fraudem, & affectum auaritiæ: quia ſubſequentes contractus cum requiſitis ſuprapoſitis ſunt etiam contractus emptionis, & venditionis. Itaque tempore menſis Auguſti ſi venditor non poſſet, neque frumentum, neque pretium ſoluere, poteſt celebrare denuò hunc contractum; & quoties non eſt ſoluendo, toties illud renouare: dum tamen habeat ſpem in præfixo tempore habendi aliquo pacto frumenta, vel pretium.

*An ſupradictus contractus dum renouatur, licitè poſteà in illo adiiciatur intereſſe ſorti principali?*

RESOLVT. XIX.

NOſter P. Andreas Molfeſius *in ſua ſumm. p. 62. tr. 12. c. 7. n.* 113. & P. Megala 2. 2. *lib.* 2. *c.* 6. *q.* 1. *n.* 29. partem tenent negatiuam. Hanc ſententiam ſequuti ſunt, Malderus *in 2. 2. tr. 5. c. 3. dub.* 12. & Iacobus de Graffiis *part. 1. lib. 2. c. 105. n.* 8. Hondedeus *conſ. 5. n.* 28. Francus *deciſ.* 254. *n.* 14. Rodericus *de annuis reddit. lib. 5. q. 7. n.* 27. & Deciſiones nouiſſimæ Rotæ Romanæ *vol. 1. deciſ. 315. num.* 8. Probatur ratio: nam hoc eſſet quædam ſuper fœtatio, & anatociſmus, iure prohibitus, vt vſurarum, vt patet *ex leg. vlt. C. de vſuris.* Secundò, ſi admitteretur intereſſe alterius intereſſe, res in infinitum progrederetur contra text. *leg. vnicæ. verſ. in aliis autem caſibus. C. de ſent. quæ pro eo, quod intereſt, proferetur.*

Sed affirmatiuam ſententiam probabiliorem eſſe cenſeo, quam tuentur Alphonſus Villagut. *in tract. de vſuris, q. 18. n.* 34. Rota Genuenſis *in deciſ.* 134. *in fin.* Rota Mantuana, vt teſtatur Burſatus *lib. 1. conſ. 68. num.* 42. Beretta *conſ. 25. n.* 5 Cagnolus *in leg. vnica. C. de ſent. pro eo. n.* 46. & nouiſſimè Scaccia *in tract. de commerciis*, §. 7. *gl.* 2. *à n.* 19. *vſque ad* 59. cum Polydorio Ripa *obſeru.* 324. *n.* 8.

Et ratio eſt aperta: nam, ſicuti primum intereſſe debetur; ſic etiam debetur & ſecundum, & aliud deinceps, cùm nulla probabilis differentia afferatur inter vnum, & aliud intereſſe: decurſo enim primo intereſſe: illud effectum eſt capitale, quo non reſtituto cauſatur nouum intereſſe, cùm creditor careat lucro, quod habuiſſet, ſi illud ſolutum ſibi fuiſſet. Et hoc dicere voluit Signorolus *in conſ.* 65. dum reſpondit, lucrum lucri deberi: quia poſtea quàm lucratum eſt, illud lucrum fecit ſortem, & capitale.

Notandum eſt verò, intereſſe pœnarum nullo modo peti poſſe: vt, v. g. aliquis nomine pœnæ tenetur aliquid ſoluere, ſi pœnam in tempore non ſoluit; non tenetur ſoluere intereſſe dictæ pœnæ, vt optimè notat noſter P. Molfeſius *in ſumm. tom. 2. tract. 12. c. 23. n.* 37.

His ſuppoſitis, reſpondeo: In hoc contractu, vt vulgò dicitur, *alla meta*, ſine vllo ſcrupulo concedere poſſunt Confeſſarij; vt intereſſe ratione lucri ceſſantis adiiciatur ſorti principali. Vide Leſſium *lib. 2. cap. 23. dub. 9. num.* 85. Sed ad alias, non minùs in praxi occurrentes difficultates deueniamus.

*Vtrùm ſit licitum vendere res credita pecunia, pretio rigoroſo; & poſteà illas ſtatim emere numerata pecunia, pretio infimo, vel medio?*

RESOLVT. XX.

REſpondeo affirmatiuè cum Homobono de Bonis *in exam Eccl. p. 2. tr. 9. c. 3. p.* 5. Laym. *in Theol. mor. lib. 3 ſect. 5. tr. 4. c. 16. n.* 16. Leſſio *lib. 2. c. 21. dub. 16. n.* 130. Reginaldo *lib. 25. n.* 296. Toleto *lib. 5. c. 31. n.* 30. Sala *tract. de empt. & vend. dub.* 37. *n.* 2. Nauarra *de reſtit. lib. 3. c. 2. n.* 17. Rebellio *lib. 9. q. 7. n.* 7. & aliis. Quia in tali venditione, & emptione res venditur, & emitur iuſto pretio. Ergo, &c.

Limitanda eſt tamen ſupradicta ſententia, vt non procedat, ſi venditor iniret pactum cum emptore, vt rem emptam iterum ſibi vendat infimo, vel medio pretio. Vide Molfeſium *in ſumm. tom. 2. tract. 12. cap. 5. n.* 11. Molinam *de iuſt. tom. 1. diſp.* 316. *n.* 2. & Doctores citatos. Sed de hac quæſtione iterum redibit ſermo.

*An licitè poßit quis pluris vendere res illas, quæ communiter creditò pluris venduntur?*

RESOLVT. XXI.

REſpondeo affirmatiuè; tum ratione lucri ceſſantis, ſeu damni emergentis; tum ratione multitudinis emptorum; tum, quia in tali venditione illud eſt iuſtum pretium ex communi ementium, & vendentium conſuetudine, & vſu. Et ita docet Emmanuël Sa *verb. venditio, n.* 7. vbi ſic aſſerit: [ Merces, quæ ſolent frequentiùs vendi pecunia credita, quàm numerata, vendi poſſunt pluris expectata pecunia, quàm vendantur numerata, etiam vltra rigoroſum. Quia in eo venditionis genere ex communiori ementium, & vendentium vſu, & æſtimatione illud eſt iuſtum pretium. ] Ita ille. Secus autem, ſi nulla dictarum rationum interueniat, vt notat Bonacina *de contract. diſp. 3. q. 2. punct. 4. n.* 17. & Filliucius *tom. 2. tract. 35. cap. 5. n.* 113. Vide etiam noſtrum Megalam *in 2. 2. lib. 2. c. 6, q. 2. n.* 174. *& ſeq.* cum Molfeſio *in ſumm. tom. 2. tract. 12. c. 5. n.* 130. Vnde excuſatur venditio pannorum, & ſaccharorum tali pacto fieri ſolita in hoc Regno. Sed de hoc alibi.

*An licet minoris emere, anticipata ſolutione, cùm aliquæ res eo modo emi ſolent, vt lanæ, &c.*

RESOLVT. XXII.

NEgatiuè reſpondet Valentia *tom. 3 diſp. 5. q. 20. pūct. 2.* §. 8. & alij penes Salam *tract. de empt. dub.* 43. qui pro affirmatiua ſententia citat vndecim Doctores; & talem emptionē meritò, non abſolutè, ſed ratione aliquarum circunſtantiarum ex pluribus defendit, dicendo, primò, poſſe fieri infimo pretio. Secundò, etiam minori pretio, quàm ſit infimum iuſtum propter periculū non recipiendi merces, aut non ſinceras, aut non ſtatuto tempore, aut non ſine lite, & expenſis. Tertiò, ob lucrum ceſſans, & damnum emergens ex anticipata ſolutione. Quartò, quia ſic emēdo multiplicantur venditores, & ſic minuitur pretiū. Quintò, quia communis indigentia, & neceſſitas venditorum, maximè ſi vltrò, & rogando offerant merces, diminuit pretium. Et tandem, putà, ſi dictæ merces emerentur numerata pecunia, tempore traditionis, viliùs venderentur propter earum multitudinem, & venditorum neceſſitates, quæ in cauſa eſſent, vt emptores rogarentur, maximè ad euitandos ſumptus in eis conſeruandis. Et ita etiam ex neotericis docet Bonacina *de contract. diſp. 3. q. 2. punct. 4. num.* 20. & Filliucius *tom. 2. tract. 35. cap. 5. n.* 102. quidquid in contrarium aſſerant Reginaldus, & alij.

*In quibus caſibus res aliquando poteſt vendi cariùs, quàm alioquin venderetur?*

RESOLVT. XXIII.

REſpondeo cum Bonacina *diſp. 3. q. 2. punct. 4. num.* 22. Primò, ob multitudinem emptorum. Secundò, ob affectum ad rem. Tertiò, ob lucrum ceſſans. Quartò, propter periculum amittendi pretium rei, vel recuperandi cum expenſis. Quintò, propter modum vendendi. Ex quibus deducitur, multas eſſe cauſas, propter quas licet aliquando rem minoris emere, quàm alioquin emeretur. Primò, ob multitudinem mercium, & raritatem emptorum. Secundò, ob inopiam pecuniæ. Tertiò, ob modum vendendi: modò res non habeat pretium à lege conſtitutum. Quæ quidem ſunt maximè à Confeſſariis notanda: nam ex his pendet reſolutio multorum caſuum quotidie in praxi occurrentium. Vt quando rem quis minoris emit ab illo, qui neceſſitate compellitur ad vendendum: nam in hoc caſu puto licitam talem emptionem ex modo vendendi: quia neceſſitas facit, vt venditor offerat merces vltroneas, quæ vileſcunt, vt aliàs dixi, non ſolùm pro tertia parte, ſed etiam pro medietate, Deinde, in tali caſu cenſentur adeſſe pauci emptores: ſed paucitas emptorum minuit pretium: ergo, &c. Et ita docet Vaſquez *Opuſc. de reſtitut. c. 5.* §. 1. *dub. 10. n.* 61. Turrianus *in 2. 2. tom. 2. diſp. 57. dub. 6. n.* 5. Emmanuel Sà *verb. emptio. n. 4. in fine*, & alij.

*An mercator, ſiue quiuis alius, qui non exercuit monopolium, poßit iuſtè ſuas merces vendere pretio illo, quod monopolium auxit?*

RESOLVT. XXIV.

NEgatiuè reſpondet Ioan de la Cruz *in director. conſc. p. 1. præcept. 7. q. 3. dub. 8. concl.* 3. Rebellius *p. 2. lib. 9. q. 7. n.* 5. Salas *de empt. dub. 38. n.* 6. cum Lopez *de contract. lib. 1. cap.* 742. Quia idem pretium eiuſdem rei non poteſt ſimul eſſe ſecundùm ſe iuſtum, & iniuſtum: vel igitur omnes in propoſito euentu iuſtè eodem pretio vendunt, vel nulli. Cùm ergo fraudis auctores iniuſtè vendere certum ſit, reliquos quoque venditores, ſiue conſcios fraudis, ſiue inſcios, poſtquàm reſciuerint fraudem, ſimiliter de iuſtitia teneri ad reſtitutionem non dubium eſt. Confirmatur: quia pretium factum per fraudem vendentium, aliámve iniuſtitiam, quæ curſum iuſti pretij impedit, non eſt cenſendum iuſtum: ergo, &c.

Hæ rationes Rebellij faciunt hanc opinionem probabilem, & ego illam ſequor. Sed contrariam etiam probabilem exiſtimo cum Bonac. *de contract. diſp. 3. q. 2. punct. 5. n.* 11. Turriano *in 2. 2. diſp. 57. dub. 8. n.* 7. quam docet Reginaldus *in praxi, tom. 2. lib. 25. c. 21. n.* 330. & aliis. Quia mercator in tali caſu vendit eo pretio, quod eſt commune: ſed pretium commune iuſtum eſt, etiamſi ſit auctum per fraudes aliorum: ergo, &c.

Notandum eſt etiam, eſſe monopolium contra iuſtitiam, quando mercatores conſpirant, vt nullus eorum vendat, niſi pretio ſupremo, vel medio, vt docet Turrianus, *vbi ſuprà, n. 2. & 4.* licet contrariam ſententiam etiam probabilem putem, quam docet Villalobos *in ſum. tom. 2. tract. 21. dub. 17. num.* 4. Molina *tom. 2. diſp.* 345. Nauarra, & alij, quos citat, & ſequitur Molfeſius *in ſumma, tom. 2. tract. 12. cap. 5. num.* 130.

***

*An, ſi aliquis ſciat breui valorem monetæ diminuendum eſſe, poßit illam alicui mutuare cum pacto, vt eam ſibi reſtituat iuxta valorem, quem dicta pecunia habet; non autem eo, quem habebit tempore, quo reſtituendum erit mutuum?*

RESOLVT. XXV.

NEgatiuam ſententiam amplexus eſt Azorius *part. 3. lib. 5. cap. 7. quæſt.* 9. & Rebellius *part. 3. lib. 9. quæſt. 6. num.* 7. cum aliis.

Sed ego contrariam ſententiam probabiliorem eſſe exiſtimo, quam docet, & tuetur Reginaldus *tom. 2. lib. 5. cap. 23. n.* 345. & poſt illum Bonacina *de contract. diſp. 3. q. 2. punct. 5. n.* 17. & alij penes ipſum. Et ratio eſt, primò: quia ita mutuans vtitur iure ſuo. Secundò, nihil accipit ſupra ſortem, cùm accipiat tantùm, quantùm tradidit in mutuo: quod eſt conſiderandum ſecundùm rei valorem; & non ſecundùm rei quantitatem. Et tandem, ſicut licitum eſt rem meam alteri tradere, quam præuideo perituram, niſi vendam; ita etiam licitum videtur mutuare pecuniam, cuius valorem noui Principis authoritate diminuendum. Et hæc doctrina procedit, etiamſi mutuatarius plus pecuniæ mutuet cognita lege promulganda, quam alioquin diſtraxiſſet. Hæc omnia Bonacina.

*An ſartores poßint à mercatoribus accipere partem pretij?*

RESOLVT. XXVI.

PRo explicatione ſupponendum eſt cum Filliucio, perſæpe ſolere eos, qui nouas veſtes ſibi comparare volunt, committere ſartoribus, vt pannum, vel ſericum emant à mercatoribus: hi autem, quia ad ſuam officinam potiùs acceſſerint, quàm ad aliam, remittunt de vnaquaque vlna, v. g. partem pretij, quod è quolibet alio requirerent: vt ſi viginti Iuliis alteri venderent vlnam panni, remittunt ſartoribus medium Iulium pro qualibet vlna: vel, poſtquam ſolutum eſt precium mercis ad rationem viginti Iuliorum pro vlna, largiuntur ipſi mercatores ſartoribus tres, vel quatuor Iulios. Quæritur ergo, an ſartores licitè poſſint ſibi retinere partem illam pretij?

Negatiuè reſpondet Salas *tract. de empt. dub. 45. n.* 6. vbi ſic ait: Sartores, qui pro aliis emunt, & dicunt illis mercatores; ſe in ipſorum gratiam minoris rem vendere, quàm eſſent vendituri; nihil poſſunt ſibi retinere: quia mercatores falsò hæc dicere ſolent, vt alliciant ſartores, vt à ſe ipſis emant, & non ab aliis. ] Ita Salas, qui citat Molinam *de iuſt. tom. 2. diſp. 363. n.* 3.

Sed Filliucius *tom. 2. tract. 35. c. 6. n.* 149 ita docet: [ Si dicti ſartores fideliter agant negotia eorum, pro quibus mercem illam emunt, non apparet vlla iniuſtitia in accipiendo eiuſmodi pretio: reuerà enim magni refert mercatoribus, vt ſartores potiùs ad ſuam officinam veniant, quàm ad alias: & ex altera parte non pluris venditur merces, quàm valet, & alteri cuicunque traderetur. Ita ille, quod etiam docet Homobonus *in exam Eccl. p. 2. tract. 9. cap 4. q. 6.* & Salas reuerà non diſſentit à Filliucio.

*An, qui vulgò vocantur* regatones, *ſint obligandi ad reſtitutionem?*

RESOLVT. XXVII.

SVppono, ſupradictos, qui à nobis vocantur, *Rigatteri*, impedire alios, ne merces emant ab iis, qui eas portant: ſed eas ipſi anticipatè emunt; ita vt alij poſteà compellantur cariùs emere de manibus ipſorum. Hoc ſuppoſito, quæritur, an obligandi ſint ad reſtitutionem. Affirmatiuè reſpondendum eſt cum Rebellio *de obligat. iuſtit. p. 2. lib. 9. quæſt. 18. ſect. 3. n.* 38.

Sed ipſe contrariam ſententiam probabilem etiam eſſe exiſtimat,& poſt illum Bonac. *de contr. diſp.3.q.2.punct.5.n.5.* vbi ſic ait: [ Non deſunt ex recentioribus, à quibus huiuſmodi reuenditores excuſantur à mortali, & ab obligatione reſtituendi, etiamſi caritatem inducant: quorum ſententiam non improbabilem exiſtimat Rebellius: & patet ex ratione mox allata. Ita Bonac. Et ante illum in caſu ſimili Molina *de iuſtit.tom. 2.diſp.345.n.5.concl.3.* Filliucius *tom. 3.tract.35.cap.8.n.214.* & Leſſius *lib. 2.c. 21. dub. 20.n.150.* Et ratio eſt: quia tales non peccarunt contra iuſtitiam, quando emerunt: nam ſuppono, emiſſe pretio iuſto currenti. Nec etiam ſupprimendo merces: quia non tenentur ex iuſtitia tunc vendere; poſſunt enim illas in alia tempora ſeruare, vel deferre in alia loca. Nec ciues habent ius iuſtitiæ ad eas emendas, niſi ipſi liberè voluerint. Quòd autem poſſint cogi Magiſtratu, tantùm infert eſſe aliquod crimen contra bonum publicum; non autem contra iuſtitiam particularem. Peccabunt ergo ad ſummum contra charitatem, & bonum publicum: ſed non tenebuntur ad reſtitutionem.

Ex his infertur primò, cum Filliucio, & Leſſio, *loco citato*, poſſe ſine onere reſtitutionis mercatorem, ſiue alium impedire, ne aliunde ab aliis merces in ciuitatem portentur, dummodò id non efficiat fraude, minis, &c. ſed ex ſua induſtria, & bonis artibus. Secundò, poſſe quemlibet ſupprimere merces ſuas, vſque ad tempus opportunum, quo eas maiori pretio vendat, ſecluſo monopolio: nam ita faciens vtitur iure ſuo; habet enim ius conſulendi ſibi, & merces ſuas vendendi iuſto pretio. Et ita docet Reginald. *tom. 2.lib.25.cap.22.n.330.* Tertiò, excuſantur transferentes triticum extra territorium, etiamſi ob id pretium notabiliter augeatur: quia ſic facientes violant iuſtitiam legalem, non autem commutatiuam: ergo non obligantur ad reſtitutionem: ſed peccabunt ad ſummum contra charitatem, & prohibitionem Principis. Ita Bonacina, *vbi ſuprà, num.9.*

*An licitum ſit tradere pecuniam alteri, ſibi aliam rem tradenti, v.g. domum hoc pacto, vt ipſe vtatur re; alter verò pecunia: qui contractus vulgò dicitur*, à godere?

RESOLVT. XXVIII.

Reſpondeo affirmatiuè, dummodò in tali contractu adſint duæ conditiones, Prima, vt lucrum ceſſet illi, qui pecuniam tradit: ſicut enim in mutuo licitè aliquid recipi poteſt titulo lucri ceſſantis; ita & in iſto contractu. Secunda, vt in dicto contractu apponatur pactum retrouendendi in fauorem vtriuſque contrahentis, ita vt tradens pecuniam obliget ſe ad rem acceptam reſtituendam, ſi qui pecuniam accipit, reſtituerit pecuniam: & è contrà. Si igitur non adſit titulus lucri ceſſantis, & pactum retrouendendi, prædictus contractus erit vſurarius, & mutuum palliatum: nam tradens pecuniam recipit lucrum, quatenus vtitur re accepta non computato pretio vſus in ſortem. Et ita docet Bonacina *de contract. diſp. 3. quæſt. 2. punct. 7.§.1.n.7.* qui citat Couar. & Medinam. Vide etiam Homobonum *de exam. Eccleſ.p. 2. tract.9.c.13.q. 24.* Sed de hac quæſtione iterum redibit ſermo.

*An pœna conuentionalis ſoluenda ſit ante ſententiam Iudicis?*

RESOLVT. XXIX.

Affirmatiuè reſpondet Regius *in ſuis reſolut. caſ. 43. num.* 14 & citat Couar. Medinam, Salonium, Rebellium, & Azorium, quibus ego adddo Reginaldum *tom. 2. lib.25.cap.22.n.228.* Malderum *in 2.2.tract.4.c. 3. dub. 18.* Turrianum *in 2.2.tom. 2. diſp. 61.dub.3. num.9.* Filliucium *tom. 2. tract. 34.c.5.num.105.* Salam *tract. de vſuris, dub. 21. n.3.* Emmanuel Sà *verb. pœna, n.2.* Molinam *tom.2.diſp.317. num. 2.* Guttierrez *de matr. c.18.n.19.* Molfeſium *in ſumm. tom. 2.tract.12.cap.23.n.43.* Megalam *in 2. 2. lib. 2. cap. 15. q.2.n. 19.* Vide etiam Nauarrum *de reſtit. lib.3. c.2.n.335.* Et ratio eſt: quia hæc eſt differentia inter pœnam legalem, & conuentionalem: nam illa non debetur ante Iudicis ſententiam; hæc autem maximè.

Hæc ſententia eſt probabilis: ſed contraria non caret ſua probabilitate, vt etiam Authores citati fatentur. Et ita abſolutè docet Sanchez *de matrim.tom.1.lib. 1. diſp. 37. n. 4.* Vaſquez *in p. 2. tom.2.diſp.173. c. 1.* Nauarrus *cap.23. n. 67.* Beia *p. 1. caſ. 41.* Vide etiam Homobonum *de exam. Eccleſ.p.2.tract.9.c.15.q. 47.* Leſſium *lib.2.cap.20. dub. 15. n. 136.* & Layman *in Theol.mor.lib. 3. ſect. 5. tract. 4. c. 16. n.11.* qui aſſerunt, hanc ſententiam eſſe probabilem. Et ratio eſt: quia hæc videtur intentio contrahentium, niſi aliud exprimatur.

Notandum eſt etiam, quòd dicta pœna non debetur in conſcientia, ſi debitor non ſit in mora culpabili, vel ſi non ſit moderata. Item, ſi debitor ſoluit partem debiti, præfixo termino non tenetur ad perſoluendam integram pœnam; ſed tantùm ad partem pro ratione partis non ſolutæ. Et tandem interuallum vnius hebdomadæ, imò & viginti dierum, ſecundùm Mercatum, & Regium *vbi ſupra, n. 17.* non dicitur mora notabilis, vt quis teneatur ad poenam conuentionalem. Et hæc omnia obſeruant Doctores citati, quæ multùm ad praxim conducibilia ſunt.

Sed, an ſupradicta pœna conuentionalis inter contrahentes ſit licita, vide Narbonam *in 3.p. Recop.lib.5.tit.18. leg. 13.gloſſ. 2.n. 56.* vbi contrarias ſententias concordat: lege illum, & non pigebit. Vide etiam Grammaticum *deciſ.58.n.6.* Guttierrez *de iuram.confir p. 1.c.36.d. 10.* Gamma *deciſ.218.n.8.* Barboſam *in leg. 2.p. 1.n. 42. ff ſol. matr.* Pereira *de empt.& vend.c.29.n.22.* & alios penes ipſos.

*An poſſit quis dare Titio mercatori magnam ſummam pecuniarum, cum pacto, vt pro tali pecunia accipiat ab ipſo Titio in fine anni, v. g. quinque pro centenario?*

RESOLVT. XXX.

Reſpondeo affirmatiuè, dummodo intendat celebrare tres contractus; vnum ſocietatis; alterum aſſecurationis capitalis; & tertium venditionis lucri incerti pro certo, vel aſſecurationis lucri certi pro maiori incerto. Et pro maiori intelligentia ſciat Confeſſarius, quòd talis caſus ita procedit: nam, primò, præbetur pecunia ad negotiandum titulo ſocietatis, ex qua negotiatione percipere quis poſſet decem, v. g. vel duodecim pro centenario. Deinde, cum eodem mercatore celebratur contractus aſſecurationis capitalis, pro cuius aſſecuratione à mercatore ſuſcepta, ille, qui dedit pecuniam illam, detrahit quinque, v. g. ex his, quæ probabiliter lucraturus erat in contractu, & negotiatione ſocietatis. Et tandem pro aſſecuratione reſtantis lucri, detrahit etiam aliquid. Quibus ita detractis remanent, v. g. illa quinque, quæ licitè, & ſine vlla iniuſtitia ſumi poſſunt; nam in tali caſu ſeruatur æqualitas: onera enim mercatori impoſita compenſantur iuſto pretio. Et ſi ſupradicti contractus ſunt liciti, ſi ſeorſim celebrantur, & cum diuerſis perſonis; liciti etiam erunt, ſi ſimul, & cum eadem perſona, eodem tempore celebrentur, vt patet in contractu venditionis cum pacto retrouendendi, addito contractu locationis, quo res vendita locatur eidem venditori.

Et ita iiſdem verbis docet Bonacina *de contract. diſp. 3. q. 3.punct.11.n. 2.* qui citat multos alios, quibus ego addo Gratianum *in diſcept. tom. 2. c. 360.n. 10. & 11.* Sarmiento *ſelect.lib.7.c.1. num. 7.& ſeq.* Morla *in empor. iuris, part. 1. tit.8.q.25.n. 30.* Natta *part.2. conſ. 403. num. 3.* Rubeum *in repet.c.per veſtras, notab. 6. §. 11. n. 8.* Palatium *de contract. lib.4.c.12.* Narbonam *lib 3.part.Recopil.lib.5.tit.18. leg. 15. gloſſ.2.n.8.* Homobonum *de exam Eccl.p.2. tract. 9. cap. 14. quæſt.14*



*quæſt.44.* Malderum *in 2.2.tract.5.c.2.dub.9.* Megalam *in 2.2. lib.2.cap.1 ;.q.2.n.25.* & alios penes ipſos. Quidquid in contrarium aſſerat Azorius *p. 3. lib. 9. c.3. q. 8.* Sotus *de iuſt. lib.6.q.6.art.2.* Felicius *tract.de ſociet.c.19.num 16.& ſeq.* Paladorius *rer.quot.lib.2.c.2.n.9. & ſeq.* cum aliis.

Et hæc omnia procedunt, etiamſi dicti contractus celebrentur tacitè, & intentione implicita. Vnde ex his apparet, me olim rectè reſpondiſſe, ſine vllo ſcrupulo potuiſſe quendam relinquere in teſtamento pecuniarum ſummam tradendam mercatoribus, cum pacto recipiendi quinque pro centenario pro eleemoſyna, cuidam conſeruatorio puellarum danda; modò talem pecuniam reliquerit cum intentione, ſaltem implicita, celebrandi ſupradictos tres contractus. Et ex his etiam paſſim non obligamus viduas, & pupillos, qui ſuas pecunias tradunt mercatoribus cum pacto accipiendi quinque, v.g. pro centenario: quidquid, vt diximus, contra noſtram ſententiam dicat Azorius, Rebellius, & alij.

*Vtrùm quis poſſit ſumere mutuum ab vſurario ſub vſuris, non ſolùm ad ſubleuandam neceſſitatem ſed etiam propter conuiuia, torneamenta, & ſimilia, iuxta exigentiam proprij ſtatus?*

RESOLVT. XXXI.

Negatiuè reſpondet Syluester *verb. vſura, 7.q.1.* Rebellius *de obligat. iuſt.part. 2.lib.8.quæſt.16.ſect.6.num. 27.* & alij.

Sed, vt ipſemet Rebellius fatetur, contraria ſententia eſt probabilis; quam tamen ego puto probabiliorem: eámque docet Fauſtus *in ſpeculo Confeſſor. diſp. 16.q. 127. n. 4.* Sanchez *in ſum.tom ...lib.3.c.8.n.15.* qui citat Sotum, Aragon. Salonium, Ledeſmam, & alios. Et ratio eſt: quia hæc omnia ad decentiam ſtatus pertinent, & ita pecuniam accipiens à mutuatario non videtur cooperari eius malitiæ: ſed tantùm peccatum permittit. Quod adeò verum exiſtimo, vt cum ipſo Sanchez *ibid. n.23.* Sala *tract de vſuris, dub.48.n.7.* & aliis, patem, non peccare mortaliter, ſed venialiter, ſi dictam pecuniam quis peteret ad vana, & inutilia, vt ad ſuperfluas epulas, ad ludos otioſos, &c. quia eadem eſt prorſus ratio de hoc, ac de petente Sacramentum à miniſtro malè parato; quanuis ſciat, fore vt in peccato mortali miniſtret: ſed, qui peteret abſque neceſſitate, & vtilitate aliqua à tali Sacerdote Sacramentum, venialiter ſolùm peccaret; ergo, &c. Cæteras rationes vide apud Sanchez: quidquid in contrarium aſſerat Rebellius *loco cit* Arragonius *in 2. 2 quæſt. 89. art. 6. dub. 2.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. q.21.punct. 4.* & alij penes Salam *vbi ſuprà, n.6.* & Sanchez. Sed noſtra ſententia eſt probabilis, & tuta in praxi: & illam etiam docet, præter DD. citatos, Ioan. de la Cruz *in director. conſcient. part. 1.præcept. 7. q.5. dub. 14. concl.2.*

*An Theſaurarius alicuius Principis, vel Procurator, ſeu famulus alicuius domini, inſcio ipſo poſſit cum domini pecuniis, quæ ad expendendas, vel conſeruandas habet, negotiari, & lucrum in ſuam vtilitatem vertere?*

RESOLVT. XXXII.

Reſpondeo affirmatiuè cum Beia *p. 1. caſ.42.* quia huiuſmodi lucrum eſt fructus induſtriæ concurrente pecunia, tanquam inſtrumento, quod ex ſe infœcundum eſt. Et ita vendens triticũ alienum eo tempore, quo cariùs valet, ſatisfacit emendo, & reſtituendo tantundem æqualis bonitatis, eo tempore, quo minùs valet, ſi dominus illud ſeruaturus erat ad illud vſque tempus, quo minùs valet. Et ratio eſt: quia ſeruat dominum indemnem, tantùndem æqualis bonitatis reſtituendo, etiamſi retineat ſibi lucrum, quo triticum alienum cariùs vendidit.

Vide Molinam *de iuſt.tom.2.tr.2.diſp.402.n.2.* Reginaldum *tom. 2.lib.25 cap.33.n.450.* Rebellium *p.2.lib.11.q. 10. n. 2.* Salam *tract.de cambiis, dub.7.* Leſſium *lib.2.c.23.dub. 2. n 18.* & Azorium *p.3.lib. 10.c.4. q.11.* qui aſſerunt, quòd ſi quis tradat famulo, vel negotiorum geſtori mille aureos in auro, vt ſoluat ſuo creditori, non curans, qua ſpecie id fiat, & ille eam commutet in monetam argenteam cum lucro, eámque ſoluat creditori, retento lucro non teneri reſtituere illud lucrum, neque creditori; neque domino; ſed poſſe illud ſibi retinere.

*An licitum ſit mercatoribus dicere petenti mutuò centum: Nolumus tibi, tantam pecuniam mutuò dare: ſed mutuabimus 50. & ſi volueris, totidem dabimus in mercibus, vel etiam totum, quod mutuò petis, pro ſummo pretio ad creditum?*

RESOLVT. XXXIII.

Affirmatiuè reſpondet Salas *tract. de vſuris, dub. 17. n. 1.* qui citat multos alios. Et ita nouiſſimè docuit P. Ioan. de la Cruz *in direct.conſc.p.1.precep. 7. q. 5. dub. 2. concl.1.* vbi ſic aſſerit: [ Vſura eſt mutuare obligando mutuatarium, vt dimidium mutuum accipiat in mercibus. Secùs, ſi ſit ſine obligatione, dicendo, ſe nolle mutuare tantam pecuniam; ſed, quòd accipiat mutuatarius, ſi velit aliquid in mercibus; tunc non erit vſura; etſi ſciat mutuans mutuatarium venditurum viliùs illas. Et licèt mutuans non poſſit obligare mutuatarium, vt illas merces ſibi reuendat; tamen ſecluſa hac obligatione, licet mutuanti, ſicut & aliis, emere illas vili pretio aliorum: quia idem eſt pretium iuſtum reſpectu omnium emptorum. ] Ita ille, & ſatis quidem probabiliter: quia, ſi alter eaſdem merces emeret infimo, pretio, pecunia numerata, nullam committeret iniuſtitiam. Ergo, neque ipſe mercator, qui priùs eas vendidit: non enim factus eſt deterioris conditionis ad emendum, per hoc, quòd vendiderit illas merces. Suppono tamen, mercatorem in pactum hoc non deduxiſſe. Itaque puto, hanc ſententiam eſſe in praxi probabiliſſimam.

*Vtrùm licitum ſit percipere lucrum ceſſans ex mutuo, ſi compenſetur alio lucro, quo careret mutuans, ſi non mutuaret.*

RESOLVT. XXXIV.

Reſpondeo, eſſe illicitum, & vſuram. Vnde colligitur eſſe vſurarios mercatores, qui vendentes credito, accipiunt aliquid vltra pretium rigoroſum, dicentes, ſe id accipere ratione lucri ceſſantis, eò quòd ſi ſtatim eis ſolueretur merces pretio ſummo, aut medio; tantundem, aut plus lucrarentur, quàm recipiant vltra ſortem; aliunde enim hoc lucrum compenſatur: nam vendendo ad creditum, quod virtualiter eſt mutuare, plures habent emptores, pluréſque vendunt; & ita compenſatur lucrum, quod vendendo numerata pecunia haberent.

Et ita docet Salas *tract de vſuris, dub. 20.n. 5.* & ante illum Molina *tom. 2.tract.2.diſp. 316.n.4.* vbi ſic aſſerit: [ Si hi homines ſolùm venderent pecunia ſtatim numerata, certè in fine anni non tot merces vendidiſſent, quot vendunt, vendendo ſimul creditò: quia longè pauciores emptores habuiſſent. Neque ex eo, quòd creditò multis vendant, nullum lucrum eis ceſſat; quod habuiſſent, ſi ſolùm negotiari vellent pecunia ſtatim numerata: quin potiùs eis lucrum accreſcit, ſi intra limites iuſti pretij creditò vendant eis, qui non habent pecuniam præſentem, qua emant: quoniam, vltra alios, his etiam vendunt quibus non vendidiſſent, niſi creditò vellent eis vendere. ] Ita Molina.

Quod etiam anteà docuerat Michaël de Palatio *lib 4. de contract. cap.4. dub.5.* vbi multa aduersùs dictos mercatores

tores adnotauit; & præſertim, quod vendendo ad creditum, vendunt merces pretio rigoroſo: quod non haberent, ſi pecunia numerata illas venderent. Notent hæc Confeſſarij: quia hic caſus paſſim in praxi occurrere ſolet; maximè cum illis, quos nos vulgò vocamus, *Panneri*, & *Merceri*. Sed apponam hîc alium caſum, etiam in praxi ſæpiùs occurrentem.

*An qui vendunt fructus meliores pretio maiori, deteriores pretio taxato, peccent, & obligentur ad reſtitutionem?*

RESOLVT. XXXV.

REſpondeo affirmatiuè cum Filliucio *tom. 2. tract.* 35. *c.4.n.*88. vbi ita ait: [ Si pretium taxatum ſit pro fructibus, & pomis, in ſingulas libras; venditores autem ſeparent fructus meliores à deterioribus; & deteriores vendant pretio taxato, meliores verò occultè pretio maiori; peccántne, & obligantur ad reſtitutionem? Reſpondeo affirmatiuè: quia pretium taxatum eſt pro vtriſque permixtim. Idem dic de carnibus, piſcibus, & aliis huiuſmodi: hoc enim ipſo, quòd eſt taxatum pretium, intelligitur comprehendere res eiuſdem ſpeciei, etiamſi modicus ſit exceſſus in bonitate, vel deterioritate. ] Ita Filliucius & Fernandez *in inſtruct. Confeſſar. p.3.c.* 22.*n.*4. & alij,

Sed Homobonus *in exam. Eccl. p.*1.*tract.* 7.*c.*17.*q.* 180. & Molfeſius videtur excuſare dictos venditores *in ſumm. tom.* 2.*tract.* 12.*c.*5.*n.*89. vbi ita aſſerit: [ Si emptor vellet carnem electam, poſſent macellarij aliquid plùs vltra taxam recipere ratione laboris, aut damni, quod in reſiduo carnis ſuſtinent ex venditione carnis electæ: quia alia minùs valet. Et idem eſt quoad eos, qui fructus vendunt: nam eadem eſt ratio. ] Ita ille. Poſſent etiam dicti venditores vltra iuſtum pretium aliquid exigere ratione gratitudinis, vt docet Rodriquez *in ſum. tom.* 4. *c.* 172. *n.* 1. ita aſſerens: [ Algunas vezes no pecan los vendedores, recibiendo mas del iuſto precio, ſi lo reciben, no come precio, ſino por via de gratitud, con laqual les correſponden los compradores por la facilidad, y buena voluntad, que tienen los vendedores en las vender, porque aunque eſtan obligados à venderlas; eſta facilidad, y voluntad non cae de baxo de obligation, y aſſi merecen, por via de gratitud, alguna remuneration. ]

Sed hæc opinio Rodriquez eſſet vera, ſi illud plus liberaliter daretur; quod communiter non accidit: ab emptoribus enim tribuitur, quia iuſto pretio obſonia illa non haberent, Opinionem verò Molfeſij non approbo: nam macellarij reſiduum carnis non electæ vendunt etiam pretio currenti, & non minùs, vt experientia docet, & Filliucius notauit: & ſi aliquando minùs vendunt. eſt longè maior ſine comparatione exceſſus pretij carnis electæ quod iniuſtè percipiunt. Ergo, &c.

Sed hîc notanda ſunt etiam duo in ordine ad emptores: & primò, vt benè obſeruat Megala *in* 2. 2. *lib.* 2. *cap.* 6. *quæſt.* 3.*n.*113. caueant, ne ſpe maioris pretij inducant macellarium, & alios venditores ad electionem carnis: nam, ſi inducerent illum ſpe notabilis exceſſus pretij, & ipſe emptor peccaret mortaliter, quia induceret proximũ ad trãſgreſſionẽ taxationis pro notabili quãtitate, niſi fortè ipſe ſimpliciter peteret carnem electam, & macellarius ſpontè diceret, ſe nolle illam dare, niſi pretium excedat: nam tunc emptor rem licitam peteret; & conſentiendo tranſgreſſioni, redimeret vexationem ſuam, ſibíque imputabit macellarius, ſi vendere non vult electam carnem, niſi cum exceſſu pretij, provt de vſurario & petente mutuum dicunt Doctores. Ita Megala, & Graffius *in ſuis deciſ. part.* 1. *lib.* 2. *c.*93.*n.*21. qui etiam *n.* 22. notat peccare dictos emptores, ſi conueniant cum venditoribus, vt falſis periuriis, ſeu mendaciis decipiant eos, qui curam habent, ne obſonia cariùs vendantur, ſi ab eis inuenirentur: nam in tali caſu peccabunt mortaliter ob notabile præiudiciũ Reipublicæ.

Et hoc procedit, ait ille, etiamſi poſteà dictum peccatum non committatur.

Et tandem obſerua cum Megala, *vbi ſuprà*, quòd nec à peccato excuſantur macellarij & ita vendentes, ob pœnam in dicto æſtimatorio ſtatutam: nam, illa non obſtante, iniuſtitiam committunt circa pretium. Nec etiam excuſantur, ait Graffius, propter læſionem paruam: quia ad plurimum emptores addere ſolent duos, vel tres quatrinos: nam dicta rei paruitas non excuſat, quando accipitur, vel ſit intentione accipiendi notabilem quantitatem Hæc omnia aduertant Confeſſarij: quia ita in praxi, vt plurimùm, euenire ſolet. ſed ad maiora tranſeamus.

*Quis pro cenſu impoſito ad rationem quinque pro centenario dedit tantùm vncias octoginta; rogatus tamen enixè à venditore: quæſiuítque à me, an teneretur ad reſtitutionem?*

RESOLVT. XXXVI.

REſpondi negatiuè ex authoritate Nauarri, & Sylueſtri, quos citat, & ſequitur Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. p.* 1. *præcep.* 7.*q.*6.*dub.*2.*concl.* 3. vbi ſic aſſerit: [ Poteſt quis emere cenſum iam iam impoſitum minoris pretij taxæ, etſi non ſit periculoſus, ſi ad id per venditorem rogatur: quia merces vltroneæ vileſcunt. ] Ita ille. Quantùm verò vileſcant, reſpondent Doctores. vileſcere pro tertia parte. Ita Caietanus *in* 2.2.*q.* 77. *art.* 1. Salas *tract. de empt. dub.* 25. *n.* 3. Filliucius *tom.*2. *tract.* 35.*c.*4.*num.* 70. Leſſius *lib.*2.*c.*21.*dub.*4.*n.*33. & alij.

Imò non deſunt, vt nos *alibi* notauimus, qui etiam aſſerunt, vileſcere pro medietate. Vide Turr. *tom.*2.*diſp.* 57. *dub.*6.*n.*5. Bonacinam *de contract. diſp.* 3.*q.* 2.*punct.* 4.*n.*22. Vaſquez *Opuſc. de reſtit. c.* 5.§. 1.*dub.*10.*n.* 61. Molfeſium *in ſum. tom.*2.*tract.*12.*cap.* 5.*n.* 109. Pitigianum *in* 4.*tom.* 2. *diſt.* 15.*q.*2.*art.*3. Salonium *in* 2.2.*tom.* 2.*q.* 88. *art.* 2. *controu.* 23. Ledeſmam *in ſum. tom.* 2.*tract.*8.*c.*32.*concl.*6. Bannez *de iuſt. q.*77.*art.*1.*dub.*1.*conclu.* 1. & alios.

*An licitum ſit propter periculum in recuperanda ſorte, aliquid amplius exigere? & idem quæritur, ſi aliqua res ad creditum vendatur?*

RESOLVT. XXXVII.

REſpondet negatiuè Ioan. de la Cruz *in director. conſc. p.*1.*præcept.* 7.*q.*5. *dub.*6.*concl.* 2. vbi ita ait: [Non licet mutuanti exigere aliquid pro periculo, & metu recuperandi debitum. Ita Soto, Bannez, & alij quos refert, & ſequitur Lopez, & oppoſitum ait eſſe periculoſum in fide: quia *in cap. nauiganti. de vſuris.* definitur, eſſe vſurarium, qui recipit aliquid vltra ſortem, ex eo, quòd ſuſcipit in ſe periculum mutui. Nec eſt eadem ratio de fideiuſſore, & aſſecuratore, quibus licet aliquid accipere pro periculo aſſecurationis: quia iſta ſunt pretio æſtimabilia, cùm interueniat obligatio ciuilis ex parte fideiuſſoris: at periculum metus mutuantis non eſt quid ſeparatum à mutuo, & ſic gratis præſtandum cum mutuo. ] Ita ille. Et ita etiam hanc opinionem docet ex Societate IESV Rebellius *p.* 2. *lib.* 9. *q.* 12. Toletus *de* 7. *peccat. mort. c.* 51. & alij penes Salam *tract. de vſur. dub.*22.*n.*1.

Sed ipſe *n.*3. rectè contrariam ſententiam docet, citans plures Doctores, quibus ego addo Bonacinam *de contract. diſp.* 3. *q.* 2. *punct.*4.*n.*18. Filliucium *tom.*2.*tr.*35.*c.*5.*n.*112. & Malderum *in* 2. 2.*tract.* 5.*c.*3. *dub.* 14. Et ratio eſt: quia hoc pertinet ad indemnitatem mutuatoris; qui tamen non debet hoc facere cum grauamine mutuatarij, quale erit, ſi volente mutuatario tradere pignus, aut adducere ſufficientem fideiuſſorem, non contentus his cautionibus, perſcribat ei, vt ſecum ſuper periculo paciſcatur.

Aduertendum eſt tamen, quòd tale periculum debet eſſe verum, & graue; & non leue. Ad argumentum Ioan. de la Cruz, & aliorum, reſpondeo, illos nimis licentioſè loquutos fuiſſe. Et *ad cap. in ciuitate.* quod adducunt, reſpondetur, quòd nullo modo caſus noſter ibi attingitur: ſed Pontifex tantùm declarat, eos peccatum incurrere, qui ideò rem cariùs vendunt, quòd expectent ad tempus ſolutionem: niſi probabile ſit, tempore ſolutionis valituram plùs minúſve eo pretio maiori, quo nunc venditur. Imò textus iſte facit pro nobis: nam permittit, venditorem poſſe exigere vltra pretium aliquid; quia ſe exponit periculo amittendi lucrum: ergo ſimiliter mutuans poteſt aliquid recipere pro periculo, cui ſe exponit. Et ita notant Doctores citati. Sed ex veritate huius concluſionis pendet deciſio cuiuſdam caſus in praxi ſæpiùs occurrentis; ideò quæritur.



*An quis poßit vendere equum, torquem aureum, vel aliquid aliud, vltra iuſtum pretium; & hoc cum conditione, vt emptor id ſoluat, cùm vxorem duxerit?*

RESOLVT. XXXVIII.

AGit de hac quæſtione noſter P. Megala *in* 2. 2. *lib.* 2. *c.*6.*q.* 4. *n.* 139. & ex profeſſo *in conſ.* 70. vbi ſententiam affirmatiuam docet ex principio *in ſuperiori Reſolut.* allato; nempe, quia ratione periculi licitum eſt exigere aliquid vltra iuſtum pretium, quidquid alij contradicant. Sed addit, quòd quinque conditiones ſunt neceſſariæ pro iuſtitia iſtius contractus: Prima, vt periculum ſit reale. & non imaginarium, Secunda, vt ſit graue. Tertia, vt fiat ſine ſcandalo ob ſuſpicionem palliandi vſuras. Quarta; vt manifeſtetur emptori, ratione periculi emendi vltra iuſtum pretium. Quinta, vt augmentum pretij ſit proportionatum periculo. Itaque, cùm in noſtro caſu adſit periculum amittendi capitale, non ſolùm ob mortem emptoris; ſed etiam, quia fieri poteſt, vt ipſe ob multa, quæ contingere poſſunt, vxorem non ducat; & nullum quoque ex tali contractu ſumatur ſcandalum, cùm paſſim efficiatur; ſequitur, quòd ſi concurrant ſupradictæ conditiones, licitus erit talis contractus. ] Ita noſter Megala. Qui etiam, & optimè, exiſtimat, in hoc caſu graue periculum illud eſſe, quòd conditio adimplenda pro ſoluendo pretio ex ſimplici voluntate emptoris dependet. Non reticebo tamen, ſupradictas venditiones ſæpius eſſe illicitas; quia augmentum pretij non eſt periculo proportionatum: quod quando tale ſit, relinquitur arbitrio boni viri circunſtantias attendentis.

*An quis poßit vendere aliquid cum vitio occulto, quod ſi emptor ſciret, non eſſet rem empturus, ſaltem eodem pretio;*

RESOLVT. XXXIX.

REſpondeo affirmatiuè, dummodo venditor de pretio diminuat, quantò minus res propter defectum valet. Et ratio eſt: quia in iſta venditione adeſt æqualitas inter contrahentes: ſeruatur enim æqualitas ex parte rei; quia ſuppono rem cum tali vitio eſſe etiam vtilem emptori: idem etiam accidit ex parte pretij: quia venditor iuſto pretio illam vendit pro ratione defectus. Ergo, &c. Secundò, venditor in tali caſu vtitur iure ſuo citra alterius damnum: ergo. Probo maiorem: quia vendit rem nullo modo nociuam, ſed vtilem ad vſus ementis, ad quos illam quærit, & iuſto pretio; & licet occultet eius defectum, hoc facit, vt ſuæ conſulat indemnitati, ne emptor plus, quàm par eſt, pretium extenuet: ergo, &c. Et ita docent Doctores, quos citat, & ſequitur Salas *tract. de empt. dub.* 34. *n.*5. quibus ego addo Malder. *in* 2.2.*tract* 5.*c.*2 *dub* 8. Leſſium *lib.* 2. *c.* 21. *dub.*11. *n.* 91 Bonacinam *de contract. diſp.* 3.*q.*2.*punct.*6.*n.*4. Filliucium *tom.*2.*tract* 35 *cap* 6.*n.*128. Regium *in ſuis reſolut. caſ.* 31. *n.* 11. & Beiam *in ſuis reſponſ. p.*1.*caſ.*24. Quidquid in contrarium aſſerat Azor. *p.* 3. *lib.*8.*c.*23.*q.*3. Rebellius *p.*2.*lib.* 9.*q.*8. Megala *in* 2.2.*c.*6.*q.*2. *lib.*2.*n.*175. Nauarr. *in Man. c.*23.*n.*89. & alij.

Nec valet dicere, quòd talis occultatio dat cauſam contractui, & conſequenter tollit liberum conſenſum emptoris: ergo talis venditio eſt iniuſta, & illicita. Nam reſpondeo, quòd talis occultatio in caſu noſtro non eſt doloſa: quia quando res venalis vtilis eſt emptori, neque ipſe exprimit aliquem diſſenſum; non detegere mercis defectum, non eſt propriè fraus, & dolus: ſed tunc eſt dolus in occultatione defectus, quando per defectum illum redditur inutilis emptori, vel periculoſa, aut non minuitur pretium, iuxta exigentiam defectus.

Notandum eſt verò, quòd ſi venditor probabiliter intelligit, emptorem emere rem illam ad reuendẽdum; tunc debet manifeſtare occultum vitium, ne emptor reuendat rem maiore pretio, quàm cum illo vitio valeat. Et ex dictis etiam ſequitur, quòd ſi emptor explicet; ſe nolle rem emere, niſi careat vitio, venditionem talem eſſe nullam, cùm conditio non ſubſiſtat: ſecùs autem, vt diximus, ſi emptor nihil dicat; licèt, ſi vitium noſſet, nullo modo eſſet empturus, vel ſaltem eodem pretio.

Hinc etiam infertur primò contra Medinam *in ſumm. lib.*1. *c.*14. §.25. *reg.* 2. & alios, eſſe iuſtam illam venditionem, quando vna ſubſtãtia æquè bona datur emptori pro alia, vel etiamſi ſit aliquantulum deterior: quia dolus in rè modica, & leui non irritat contractũ, neque vllam inducit obligationem. Vnde excuſantur Pharmacopolæ dantes vnũ pro alio æquali, vel ferè æquali ad medicinam. Et ita docent communiter Doctores, quos citat Salas *de empt. dub.*25. *n.*1. 2. & 3. Infertur etiam ſecundò, quòd ſi ſutor conficiat calceos ex parte corij debiliori, non tenetur id manifeſtare emptori; quia tales etiam vtiles ſunt: moderandum tamen eſt pretium. Sed hoc in praxi ſeruari non poſſe putat Filliucius, *vbi ſupr. n.* 129. quia omnes eodem pretio vendi ſolent: ſecùs autem, ſi corium aduſtum eſſet; Item etiam, quia galeri non omnes adeò cõtexti euadunt, vt æqualiter vtiles ad vſum ſint: quando ergo defectus admodũ notabilis non eſſet, quia galerus reuerà durabit, ſed non quantùm alij, aut non tanto tempore ſplendorẽ retinebit, quantum alij, tunc non tenetur artifex detegere vitium, ſed ſolùm moderari pretium, iuxta vitij quantitatem. Et ita docet Molin. *de iuſt. tom.*2. *tract.*2. *diſp.*353. *n.*22. & alij. Sed circa præſentem quæſtionem vide, præter DD. citatos, Turrianum *in* 2.2.*tom.*2.*diſp.*58.*dub.*2.

*An, ſi aliquis ſciat, rem breui minùs valituram, poßit vendere pretio currenti?*

RESOLVT. XL.

QVidquid aliqui in contrarium aſſerant, affirmatiuè reſpondent communiter Doctores apud Fauſtum *in ſpeculo confeſſ. diſp.*6.*q.* 15. *n.* 2. Molfeſium *in ſumm. tom.* 2. *tract.* 12.*c.*5.*n.*69. Nauar. *de reſtit. lib.*3 *c.*2.*n.*67. & alios.

Valentia verò *tom.* 3. *diſp.* 5. *q.* 20. *punct.*4. *ad* 3. limitat hanc ſententiam, quando emens emit rem illam, vt ſeruet in futurum tempus, vt reuendat. Sed hanc limitationem meritò impugnat Turrianus *in* 2. 2. *tom.* 2. *diſp.* 58. *dub.* 3. *n.* 5. quia venditor in tali caſu iuſtè poteſt pretio currenti vendere rem illam, etiamſi agnoſcat, emptorem emere ad reuendendum: nam in tali caſu vtitur iure ſuo; & vendit pretio communi tempore contractus.

*An poßit quis vendere res indifferentes, ſi ſcit, emptores abuſuros in damnum alicuius tertij innocentis?*

RESOLVT. XLI.

NEgatiuè reſpondet Rodriquez *tom.*2.*lib.*25.*c.*15.*n.*265. vbi ſic aſſerit: [ Peccat, qui meretrici ornamentum aliquod

aliquod vendi, quod probabiliter creditur ab illa emi ad ſcandalizandum innocentem aliquem, ac puſillum: peccat, inquam, non quaſi cooperans meretrici ipſi, quæ ſua tantùm malitia peccat; ſed tanquàm cooperans ad proximi ruinam, quod eſt peccatum contra charitatem.] Ita ille. Et idem docet Ioan. de la Cruz *in director. conſc. part. 1. præcept. 7. q. 3. dub. 12. concluſ.* 2. & alij Doctores, quos citat Salas *de empt. dub.* 47. *n.* 2. qui meritò ab ipſo impugnantur, & à Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 1. c. 7. n.* 14.

Dico igitur, poſſe aliquem res indifferentes ad bonum, & ad malum vſum vendere facere, locare, aut tradere iis, quos nouerit illis ad peccatum abuſuros, modò adſit cauſa rationabilis, & proportionata: & cauſam rationabilem puto eſſe neceſſitatem, vel vtilitatem aliquam, intellige proportionatam qualitati peccati. Et ita Salas concedit, poſſe vendi fucos, monilia, & veſtes fœminis abuſuris illis ad adulteria: item poſſe vendi taxillos, aleas, & cartas luſorias iniuſtè luſuris; poſſéque deponi pecunias apud vſurarium, qui illis exercebit vſuras.

Item, licebit etiam meretricibus domos locare, etiamſi honeſtas vicinas peruerſuræ ſint: dummodo, vt diximus, cauſa rationabilis adſit. Sed circa præſentem quæſtiodem, præter Doctores, quos citat Salas, & Sanchez, vide Fauſtum *in ſpecul. Confeſſ. diſp.* 6. *q.* 101. vide Coninch *de actibus ſuper diſp.* 18. *dub.* 12. *per tot.* Suarez *tract. de charit. diſp.* 10. *ſect.* 4. *per tot.* Lorca *in* 2. 2. *q.* 10. *art.* 9. *n.* 5. *& ſeq.* & Molfeſ. *in ſum. tom.* 2. *tract.* 12. *cap.* 5. *n.* 53.

*An Senatus ciuitatis, vel Conſiliarij Regis poſſint vendere res ſuas, quando agnoſcunt breuiter minuendum earum pretium ex lege, vel mandato Principis?*

RESOLVT. XLII.

NEgatiuè ex Theologis reſpondet Molina *de iuſt. tom. 2. tract. 2. diſp.* 354. Leſſius *lib. 2. c. 21. dub.* 5. Salas *de empt. dub.* 32. *ad.* 5. *arg. num.* 8. Fauſtus *in ſpeculo Confeſſ. diſp.* 6. *q.* 20. *n.* 2. & ex Iuriſperitis, Padilla *in leg. conſtitutiones, C. de iuris, & facti ignor.* & Pinellus *leg.* 2. *C. de reſcind vendit. p.* 3. *c.* 2. *n.* 22. Quia ratione officij tenentur conſulere aliorum vtilitati; ideò non poſſunt vti munere ſuo in damnum cæterorum: ſecùs autem, ſi aliàs illas res erant vendituri.

Sed non deſunt pro contraria ſententia etiam præſtantiſſimi Theologi, & Iuriſconſulti; & ideo illam ſuſtinet Turrian. *in* 2. 2. *tom.* 2. *diſp.* 18. *dub.* 3. *n.* 7. qui citat Cordubam, & ex Iuriſconſultis etiam idem docet Couar. *in reg. peccatum, p.* 2. §. 4. *n.* 6. qui omnes aſſerunt, etiamſi certò agnoſcant futuram promulgationem legis, poſſe dictos Conſiliarios vendere omnes merces ſuas pretio communi, etiam quas non eſſent aliàs vendituri, ſi liberè, & ſine fraude aliqua exponant eas venditioni: quia, & vendunt pretio currenti, & ipſi ratione ſui officij non obligantur ad non vendendum eo tempore pretio communi: nec tenentur manifeſtare futuram promulgationem legis, ante tempus aſſignatum à Rege, vel à Senatu. Non poſſunt tamen differre eam manifeſtationem ſolùm eo fine, vt priùs vendant omnes ſuas merces: in hoc enim caſu planè viderentur abuti munere in damnum aliorum. Hæc Turrianus. Vnde, licèt ego olim, & ſcripſerim, & conſuluerim contrariam ſententiam, modò exiſtimo ſupradictam Turriani opinionem eſſe etiam probabilem.

*An aliquis teneatur reſtituere lucrum ceſſans, vel damnum emergens alicuius contractus mutui, vel venditionis, ſi mora fuit inculpabilis?*

RESOLVT. XLIII.

REſpondent affirmatiuè Doctores, ſi adſit pactum, & à principio conuentum ſit de intereſſe prouenienete ex mora: ſecùs autem, ſi tale pactum non adſit. Et ita docet Salas *de empt. dub.* 21. *n.* 4. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 34. *cap.* 4. *dub.* 85. & alij penes ipſos.

Imò Homobonus *de exam. Eccl. p.* 2. *tract.* 9. *c.* 15. *q.* 45. adducit, tanquàm probabilẽ, eam ſententiã, quæ docet, ex quacunque mora, etiã inculpabili, eſſe ſoluendum intereſſe lucri ceſſantis, ſeu damni emergẽtis Et ita notauit Emmanuel Sà *verb. mora, n.* 2. vbi ſic aſſerit: [ Obl g tus ex delicto ſemper eſt in mora: qui autẽ ſine delicto; & non poteſt, aut cum difficultate poteſt, aut alioquin iuſta cauſa excuſatur; putant quidã, quòd non ſit in mora, adeóque non teneatur ad intereſſe ratione moræ, niſi ex pacto. Alij putãt, eum, qui non ſoluit tempore debito, etiam ſine culpa, in mora eſſe: quæ mihi opinio videtur mercatorum vſu recepta.] Sic ille. Sed, quid dicendum, quando in contractu apponitur pœna conuẽtionalis, non vt ſatisfactio pro intereſſe, ſed quatenus ad ſoluendũ in termino debitor adigatur? Aliqui exiſtimant, quòd qui ex impotentia inculpabili omiſit reſtituere tempore debito, tenetur in conſcientia impoſitam pœnam exſoluere. Alij verò negant. Rationes, & Auctores vtriuſque ſententiæ inuenies apud Fauſtum *in ſpeculo Confeſſ. diſp.* 71. *n.* 1. *&* 2. Omnes itaque ſupradictæ opiniones ſunt æquè probabiles. Sed de hac quæſtione iterum redibit ſermo.

*An de pecunia anteà debita poſſit cenſus conſtitui, vel tempore contractus, tradendo aliquas merces in pretium?*

RESOLVT. XLIV.

NEgatiuè reſpondent, etiam in foro conſcientiæ, Filliucius *tom.* 2. *tract.* 35. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 306. Salas *de cenſ. dub.* 8. *n.* 11. & multi alij penes ipſos.

Sed contraria ſententia, quoad forum interius, viſa eſt mihi ſemper probabilior: & ita docet Malderus *in* 2. 2. *tract.* 5. *c.* 5. *dub.* 6. Ioan. de la Cruz *in direct. conſcient. part.* 1. *præcept.* 7. *q.* 6. *dub.* 3. *concl.* 1. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 12. *n.* 80. Nauarrus *comment. de vſuris, n.* 88. *&* 121. Boninſignius *tract. de cenſ. c.* 5. *n.* 5. & Bartholomæus à S. Fauſto *in ſpeculo Confeſſor. diſp.* 18. *q.* 19 *&* 21. qui citat Valentiam, Salonium, & Palatium.

Vnde noſter P. Megala *in* 2. 2. *lib.* 2. *c.* 7. *q.* 2. *num.* 57. ita aſſerit: [ Infertur, in foro conſcientiæ validum eſſe contractum cenſualem, quotieſcunque ita fuerit celebratus, vt de iure naturæ teneat, & nullam iniuſtitiam, aut fraudem contineat; licet deficiat aliqua ſolennitas requiſita à Bulla Pij V. quæ ſolùm ad vitandas fraudes, non autem ad iuſtitiam contractus, ſit neceſſaria. Et conſequenter infertur, in foro conſcientiæ contractum hunc valere, licet non ſeruetur ſolennitas ſoluendi pecuniam numeratam coram Notario, & teſtibus; cùm talis ſolennitas neceſſaria non ſit ad iuſtitiam contractus; ſi tamen verè, & realiter ſolutio priùs facta ſit. Et hoc exiſtimo verum in foro conſcientiæ, etiam poſt latam ſententiam de nullitate contractus in foro exteriori; cùm enim ſit tunc ipſa ſententia in præſumptione culpæ, & fraudis fundata, prout fundantur omnia iura diſponentia de re iudicata, vt *in cap. cùm inter. de iudic.* in conſcientiæ foro locum non habet, cùm in ea ſolùm veritas ſit attendenda.] Ita doctè, vt ſemper aſſolet, Megala.

Idem etiam docuit Emmanuel Sà *verb. cenſur. n.* 3. ita aſſerens: [Quædã in dicta Bulla prohibentur ob præſumptionem fraudis, quæ ſi abſint, validus eſt contractus. Itaque poteſt pretium non ſtatim ſolui, & priùs ſolui, &c] Itaque, cùm Pontifex damnet cenſus celebratos, non numerata pecunia tẽpore celebrationis, ad obuiandum fraudibus, quæ contingere ſolent contractibus aliter celebratis; ſi probetur, fraudem nullam interceſſiſſe, ſed anteà pretium iuſtum debitum fuiſſe ratione pecuniæ mutuò acceptæ, vel alterius rei æquiualentis; validus, & iuſtus erit talis contractus: pecuniæ enim nomine æquiualentia comprehenduntur, vt patet *in leg. pecuniæ. ff de verb. ſignif. & in leg. quæ. ff. de iure dotis.* Quæ verò de iure naturæ, ſeclusis Bullis pontificiis, in contractu cenſuali ſunt neceſſaria, hæc ſunt, vt notauit Leſſius *lib.* 2. *c.* 22. *dub.* 12. *n.* 74. æqualitas ſecundùm æſtimationem inter cenſum, & pretium: & ſi aliqua grauamina hinc inde præter naturam contractus per pacta acceſſoria imponantur, ea prudentis arbitrio debitè compenſentur: Bullam verò Pij V. non eſſe in hoc Regno Siciliæ vſu receptam, notauit etiam idem Leſſius *dub.* 13. *n.* 99.

Ex quo ſequitur, quòd ex penſionibus non ſolutis poteſt quis in hoc Regno reditum, & cenſum antiquum augere, vel nouum conſtituere: quod eſt valdè notandum. Et ita docet Salas, *vbi ſuprà, de cenſibus, dub.* 8. *n.* 13. qui citat Rodericum, & Nauarrum. An verò cenſus poſſit conſtitui ex pecunia credita, aliqui affirmant: ita Sotus *de iuſt. lib.* 6. *q.* 5. *art.* 1. Alij verò negant: ita Lopez *de contract. lib.* 1. *c.* 59. Et hanc opinionem probabiliorem putat Fauſtus *in ſpeculo Confeſſ. diſp.* 18. *q.* 32. *n.* 2. Erit igitur opinio Soti probabilis, ſed vbi Bulla Pij V. non eſt vſu recepta: nam in dicta Bulla id expreſsè vetatur.

Notandum eſt etiam pro fine huius Reſolutionis, quòd, licèt aliqui non admittant, quòd poſſit cenſus inſtitui in re, quæ non reddit tantam vtilitatem, quantam habet cenſus; tamen hoc fieri poſſe concedit dictus Sotus, *vbi ſuprà*, cum Conrado *de contract. q.* 88. *concluſ.* 12. & Couarruuia *lib.* 3. *var. cap.* 7. *n.* 6.

*An ſi aliquis ſciat, Aulam, & Proregem citò Meſſanam diſceſſurum, poſſit domum locare pretio currenti?*

RESOLVT. XLV.

NEgatiuè reſpondet Gregor. de Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *q.* 20. *punct.* 4. ex quadam ratione, quam non benè capit Turrian. *in* 2. 2 *tom.* 2. *diſp.* 58. *dub.* 3. *n.* 4. Molina *tom.* 2. *diſp.* 354. *n.* 11. & Salas *tract. de empt. dub.* 32. *n.* 8. *ad* 5 *arg.*

Ideò, & meritò, contrariam ſententiam docent. Et ita etiam tenet Leſſius *lib.* 2. *c.* 21. *dub.* 5. *n.* 44. & Ioann. de la Cruz *in direct. conſcient. p.* 1. *præcept.* 7 *q.* 3. *dub.* 10. *concl.* 2. vbi ſic aſſerit: [ Licitè venditur domus pretio currenti in Curia, etiam à ſciente Curiam in breui mutãdam in alium locum. Et ſi emis aliquid, potes ſoluere in moneta, quam ſcis cras deponendam ex ſuo valore: & potes illam nunc mutuare, & recipere poſteà valorem, quem habebat, quando mutuaſti; etſi non eſſes conſumpturus ante eius depoſitionem.] Ita ille, quem, vt diximus, non ſolùm ſequitur Salas, quoad locationem domus; ſed etiam quoad mutuationem pecuniæ; nam *loco citato, in fine dubitationis*, ſic ait: [ An verò ſit licitum, pecuniam, quam ſcio breui minuendam, mutuò dare cum obligatione habendi poſteà eundem valorem, Syluester *verb. vſura*, 1. *q.* 15. & Gabriel *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 11. *art.* 3. putant, eſſe vſuram; ſed parum conſequenter, & falsò, vt docent Corduba, Nauarra, & Aragon. ſiquidem hæc communi æſtimatione, vel ex lege tantùm valorem nunc habet. Idem ait Nauarrus de cambio.] Ita Salas. Quod eſt valdè notandum pro praxi.

Et ratio horum omnium eſt: quia res iuſtè vendi poteſt ſecundùm communem æſtimationem pro tempore vigentem: nam iuſtum pretium eſt, quod vel Principis lege, vel communi æſtimatione conſtat, etiamſi ignorantia, & errore fundetur: alioquin etiam, qui ignorantes currenti pretio vendidiſſent, tenerentur poſteà reſtituere: quod eſt abſurdum. Ergo, &c. Ex his etiam ſequitur, quòd ſi ſciam, pretium mercis mox minuendum, poſſim eam vendere pretio currenti; vel monetam, ſeu triticum alienare, & vendere, etiamſi ſciam Magiſtratum condidiſſe decretum de illis minuendis; ſi tamen tale decretum nondum eſt promulgatum. Sed de his omnibus iterum redibit ſermo. Vnum verò, circa præſentem materiam reſoluendum videtur, ideò quæritur.

*An, ſi quis rogatus de futura copia mercium, vel de tritici, vel monetæ diminutione, vel de diſceſſu Proregis, & Aulæ; dicat ſe neſcire, vel reſpondeat negatiuè, peccet contra iuſtitiam, & teneatur reſtituere?*

RESOLVT. XLVI.

AFfirmatiuam ſententiam docuit Lopez *de contract. lib.* 1. *c.* 47. *dicto* 5. Leſſius verò *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 5. *n.* 3. negatiuam tenet; cum limitatione tamen, ſi ille, videlicet, in hoc non ſit fide dignus: nam aliter, qui credit, ſuæ leuitati imputet, ſi quod inde damnum ſentiat.

Sed alij abſolutè hanc ſententiam docent. Et ita tenet Salas *de empt. dub.* 23. *n.* 2. *in fin.* & Ioan. de la Cruz. *in direct. conſcient. part.* 1. *præcept.* 7. *q.* 3. *dub.* 10. *concluſ.* 3. vbi ſic aſſerit: [Copia futura mercis à te nota non minuit pretium tuæ mercis; ſed licitè vendis pretio currenti. Et licèt interrogatus de copia futura, taceas, aut dicas, nil ſcire, cùm non tenearis veritatem manifeſtare ex iuſtitia; imò, etſi mentiaris, dicendo, non eſſe futuram copiam, ſi aliàs ex tuo mendacio non creuit pretium; licitè vendis pretio currenti.] Ita ille, & rectè quidem: nam in tali caſu diſſimulare, & retinere reſponſum, non eſt actus poſitiuus.

Deinde, iſte æquiuocè, & amphibologicè reſpondere poteſt, cùm veritatem detegere non teneatur: & licèt non occurrente æquiuocatione mentiatur; mendacium non eſt pernicioſum, ſed officioſum; quia ius habet conſulendi ſuæ indemnitati, etiamſi inde ſequatur damnum tertij, & licet vtatur malo medio, ſcilicet mendacio, non peccat contra iuſtitiam, ſed contra veritatem. Eſſet etiam aliquando contra charitatem: vt ſi nouerim, ex illa emptione alterum incurſurum in extremam, vel grauem neceſſitatem; niſi ego in ſimilem neceſſitatem eſſem incurſurus: quia non potero vendere mercem illam, vel monetam illam diſtrahere, niſi illum in talem pauperiem iniiciendo. Sed hoc rariùs accidit, ideò abſolutè noſtram opinionem in praxi probabiliſſimam eſſe exiſtimo.

*Petrus mutuauit Ioanni magnam pecuniarum quantitatem, putans ſe poſſe aliquid ex eo mutuo accipere; quòd ſi ſciuiſſet ſe licitè non poſſe, alium non iniuſtum contractum celebraſſet Quæritur modò, vtrùm poſſit retinere lucrum, quod acquiſiuiſſet celebrando contractum iuſtum, v. g. ſocietatis, cambij, &c.*

RESOLVT. XLVII.

PVlchra quæſtio, & ſæpiùs in praxi occurrens. Leſsius *de iuſt. lib.* 2. *c.* 20. *dub.* 17. reſpondet negatiuè, niſi expreſſerit, velle contrahere meliori modo, quo poſſet. Et ratio eſt: quia acquiſita contractu iniuſto non poſſunt retineri, vt ex multis probant Couarr. *lib.* 4. *var. reſol. cap.* 3. *n.* 6. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *q.* 31. *punct.* 3. Azorius *p.* 3. *lib.* 5. *cap.* 11. Bannes *in* 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. *dub.* 1. *& ibidem* Aragonius, & Salonius cum Syluest. *verb. vſura*, 9. *dub.* 1. & Armilla *eod. verb. num.* 59.

Nec excuſat bona fides: nam, ſi, v. g. Ioannes vendit bona fide aliquid ſupra iuſtum pretium, tenetur poſteà reſtituere exceſſum, nec pro lucro ceſſante debet aliquid retinere. Hoc etiã procedit in locato, & conducto, in cambiis, & cenſibus, & ſimilibus. Vide Ioan. Malder. *in* 2. 2. *tract.* 5. *c.* 3. *dub.* 13. *in fine*, & Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 34. *p* 2. *c.* 5. *n.* 106.

Sed contraria ſententia viſa eſt aliquibus probabilis: aſſerunt enim, quòd ſi aliquis bona fide celebrauit cõtractum vſurarium, vel aliter iniquum, quem ſi cognouiſſet iniquum eſſe, alium iuſtum celebraſſet; poteſt retinere lucrum, quod acquiſiuiſſet celebrando illum contractum iuſtum. Ita ſentiunt multi viri docti, quos tacito nomine citat Leſsius, *vbi ſuprà, n.* 102. Et in terminis tenet hanc opinionem Emmanuel Sà *verb. vſur. num.* 8. & hæc ſunt

eius verba: [ Qui fecit contractum vſurarium, bona fide credens iuſtum, poteſt tantùm lucri retinere, quantùm acquiſiuiſſet alioquin per contractum licitum. Nec deſtituta ratione videtur hæc opinio: nam, qui celebrat bona fide contractum vſurarium, implicitè intendit iuſtum titulum; & ita celebrat talem contractum, vt ſi ſciret titulum iniuſtum, nollet contrahere; ſed alium celebraret contractum licitum. Ergo, &c. Vide etiam Sanctarellum *in Reſol. p.* 1. *q.*46.*n.*11. Ex ſententia horum Doctorum concludendum eſt, Petrum poſſe retinere illud auctarium, quod ex pecunia mutuata accepit à Ioanne, ſalua, &c.

*Petrus mutuò dedit Ioanni vncias centum per duos annos, ita vt intra id tempus repetere non poßit dictas vncias centum. Quæritur modò, an Petrus poßit aliquid accipere, non pro mutuo, nam eſſet vſura; ſed pro illa priuatione non repetendi dictas pecunias, per illud tempus duorum annorum.*

RESOLVT. XLVIII.

LVdouicus Molina *de inſtit. tom.* 2.*tract.* 2.*diſp.*308.*n.* 8. Layman *in Theolog. mor. lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.*4. *c.*16. *n.* 8. Turrianus *in* 2. 2. *tom.* 2. *diſp.*61. *dub.* 3. *n.*6. & Salas *tract. de vſuris. dub.* 9. *n.*12. negatiuè reſpondent: & contrariam ſententiam, nouam, & periculoſam in fide vocant. Nam, ait Molina, eſt falſum fundamentum, cui innititur opinio contraria, nempe, mutuare ad annum, v. g. eſſe mutuantem inducere ſuper ſe obligationem in futurum: nam hoc non eſt inducere ſuper ſe obligationem aliquam; ſed ex ſua liberalitate concedere beneficium mutui in totum id tempus. Sed hoc aſſumptum Molinæ mihi diſplicet: nam, vt notat Salas, *vbi ſuprà*, negari non poteſt, ex vi illius contractus mutuantem manere obligatum ad non repetendam pecuniam toto eo tempore. Ergo, vt quis non poſſit mutuatam pecuniam repetere ante tale tempus, non eſt, vt voluit Molina, liberalis donatio, ſed etiam aliqua obligatio.

Adde, quòd, vt benè ait Leſſius, *vbi infrà*, non ſolùm dantur obligationes ad actus poſitiuos, ſed etiam ad priuationem actuum. Igitur ipſe Leſſius *lib.* 2. *c.* 20. *dub.* 14. probat hanc ſententiam his rationibus. Primò, quia contraria ſententia videtur noua, nec illa apud Authores reperitur. Secundò, quia carentia pecuniæ, & obligatio non repetendi ante aliquod tempus, eſt quid intrinſecum ratione mutui, alioquin mutuum non differret à precario. Vide etiam Malderum *in* 2.2.*tract.*5.*c.*3.*dub.*15.

His tamen minimè ſuffragantibus, affirmatiuam ſententiam tenet expreſsè Petrus de Ledeſma, publicus Lector S.Thomæ in Vniuerſitate Salmantina, *in ſua ſumma, p.* 2. *tract.*8.*c.*35.*concl.*4.*fol. mihi* 457. Sed, quia codex non ita facilè inuenitur, ponam hîc eius verba.

[ La ſegunda dificultad es, quando vno preſta mil ducados con obligacion de no los boluer à pedir en tanto tiempo, ò por algun eſpacio de tiempo, ſi ſeria vſura lleuar pretio. La razon de dudar es, porque ſi el lleuaſſe mas que el principal, lo lleuarà por razon del empreſtito, luego vſura ſeria lleuarle. Confirmaſe, porque ſiempre, que ay empreſtito, ay por lo menos obligacion virtual de no pedir el empreſtito por algunos dias, luego ſi por la obligacion de no boluerle à pedir, ſe puede lleuar precio, ſiempre ſe puede lleuar pretio por el empreſtito. Hoc eſt abſurdum. Ergo.

A eſta difficultad ſe ha de reſponder, que ſi la obligacion de no lo boluer à pedir es por mucho tiempo, ſe puede muy bien eſtimar con precio, y por razon de aquella obligacion ſe puede muy bien lleuar el juſto pretio ſin vſura ninguna. Eſto enſeñan los diſcipulos de S. Thomas, porque la tal obligacion es eſtimable con precio.

A la razon de dudar ſe reſponde, que en el tal caſo non ſe lleua el dinero por el empreſtito, ſino por la obligacion de no lo boluer à pedir por mucho tiempo. ] Hæc Ledeſma.

Ad primum argumentum Leſſij, poſſet aliquis reſpondere, non eſſe verum, hanc opinionem non extare apud Authores: nam, vt dictum eſt, illam tenet Ledeſma: & forſitan, ſi Leſſius illum vidiſſet, in hanc deſcendiſſet opinionem: nam eam, *vbi ſup.* probabilibus rationibus fulciuit.

Ad ſecundum reſpondetur, verum eſſe, quòd obligatio non repetendi pecuniam, ante aliquod tempus, ſit de intrinſeca ratione mutui; ſed non ante tale, vel tale tempus. Quòd verò dicit, quòd ſi hoc eſſet, mutuum non differret à precario, negatur; nam mutuum à precario differt etiam alia ratione: in mutuo enim transfertur dominium, non autem in precario.

Sed, an hæc opinio ſit probabilis, aliis iudicandum relinquo: mihi enim non placet.

*An chirographa, ſeu credita immatura emi, & extingui poßint minori pretio, non ſolùm à tertia perſona, verùm etiam ab ipſomet debitore? Quod eſt dicere, an ius, v, g. ad* 100. *aureos ſoluendos intra annum, poßit modò emi ab aliquo, vel ab ipſo debitore minoris, vt* 96. *vel* 97.

RESOLVT. XLIX.

SEcluſo lucro ceſſante, aut damno emergente, vel ſi difficilis, vel ambigua non ſit ſolutio, vſurariam eſſe hanc emptionem, communiter affirmant DD. Hi ſunt Reginaldus *in prax tom.*2.*lib.*25.*c.*18.*n.*312. Leſſius *lib.*2.*c.*21.*dub.*8. *n.*71. Turrianus *in* 2. 2. *tom.*2. *diſp.* 57. *dub.*9 *n.*3. Azorius *part.*3.*lib.*8.*c.*10.*q.*5. Rebellius *lib.*9. *q.*13. *part.*2. Valentia *tom.*3.*diſp.*5.*q.*20 *punct.* 2. Salas *tr. de empt. dub.*39.*& tract. de vſuris, dub.*37. Sotus *de iuſt.lib.*6.*q.*4.*art.*1. D. Antonin. *p.*1.*tit.*1.*c.*8. §. 3. *&* 4. Angelus *verb. vſura,* §. 63. Syluest. *verb. vſura,*2.*q.*14. Gabriel *in* 4. *diſt.* 15. *q.*11. *dub.*4. & alij. Nam ius ad centum, cùm certa ſunt, tanti valet, quàm centum præſentia; alioquin ſola temporis expectatio daret valorem rei, quod concedere, eſt vſuris ianuam aperire. Adde, quòd ex iſta ſententia ſequerentur varia incommoda, vt, v. g. ſi poſtularem à mercatore mutuo 100. poſſet ille dicere: Nolo mutuare tibi 100. ſed emere ſolùm ius ad 100. à te recipienda poſt annum per 90. quæ nunc tibi exhibebo. Sed iſte contractus eſſet vſurarius. Ergo.

At, licet hæc ſententia ſit communior, & probabilior, contraria tamen opinio probabilis mihi videtur, ſicut etiam viſa eſt Paulo Layman *in Theolog. moral. lib.*3.*ſect.*5. *tract.* 4. *cap.* 17. §. 5. *num.* 33. Maldero *in* 2. 2. *D. Thomæ, tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 5. & Philiarcho *de offic. Sacerd. part.* 2. *lib.*5.*cap.*13.

Et probatur: nam pecunia præſens magis æſtimatur, quàm futura: ſicut chirographa, ſeu iura, minoris æſtimantur, quàm præſens pecunia: minus enim eſt actionem habere ad rem, quàm rem ipſam habere, *l. minùs, ff. de reg. iuris.* Ergo dicta chirographa, & iura licitè poſſunt minoris emi. Accedit, quòd huiuſmodi contractus non eſt mutuum, ſed emptio, & venditio: nam ius ad rem poteſt emi, ſicut emitur ius tranſeundi per aliquem agrum.

Nec valet dicere, quòd ius ad centum ſunt ipſa centum: quoniam certum eſt, quòd ius ad rem aliquo modo diſtinguitur ab ipſa re. Et ſic hanc opinionem ſequuntur Caietanus *verb. vſura. ſub fin.* Armilla *verb. vſura, n.*50. Emmanuel Sà *verb. debitum. n.* 20. Nauarr. *c.*17. *n.* 331. & ex neotericis Faber *de reſtit. in* 4. *ſent. diſt.* 15. *q.* 2. *diſp.* 47. *c.* 4. *n.* 113. & illam publicè docuit Louanij Cardinalis Bellarminus, vt notat Leſſius, *vbi ſuprà, num.* 66. qui etiam pro hac opinione citat Panormitan. & Innocent. *in cap. in ciuitate. de vſuris.* Et nouiſſimè Petrus Ledeſma *in ſumma, tom.* 2. *cap.* 33. *tract.* 8. *fol. mihi* 475. *colum.* 1. aſſerit, poſt factum hanc ſententiam non eſſe damnandam. Sed, ſi hæc ſententia eſt probabilis, vt reuerà





eſt; non ſolùm poſt factum, ſed etiam ante factum eſt approbanda. Vnde Ioan. Azorius *part.*3.*lib.*8.*c.*10. *q.* 5. licèt opinionem contrariam, tanquàm probabiliorem, & tutiorem, amplectatur: aſſerit tamen, quòd ſi quis Caietani, & Nauarri ſententiam ſequatur, eum minimè condemnandum arbitratur: & ſic etiam ego puto. Vide Fernandez *in ſuo exam. Theol. part.* 1. *c.* 15. §. 1. *n.* 10. & Toletum *lib.* 5. *cap.*31.*n.*4.

*Hîc Panormi à Theſaurario Regni expediuntur militibus quædam librancie. Quæritur, an emi poßint dimidio pretio, ſi difficilis ſit ſolutio? Idem etiam quæritur de omnibus chirographis?*

RESOLVT. L.

MAlderus *in* 2. 2.*tract.* 5. *cap.* 7. *dub.* 5. vt etiam noſter Molfeſius *in ſum. tom.* 2. *tract.*12.*c.*5.*n.*116. & Ioan. Salas *tract. de vſur. dub.* 27. *n.* 8. partem amplectuntur negantem. [ Si enim tibi, ait Malderus, liceret, hanc librangiam emere dimidio; quia, quamuis tu non habeas periculum, moleſtiam, aut intereſſe in obtinenda ſolutione; alij tamen communiter habent, & quidem talia, vt ab eis liberari vulgò æſtimetur dimidio eius, quod continet chirographum: etiam in actionibus aliis emendis paſſim habebitur ratio, non illius tantùm intereſſe, & periculi, quod emptor ſubit; ſed illius, quod alij ſubirent. Atqui communis opinio non reſpicit ad iſta incommoda, niſi quatenus in particulari locum habent in hoc emptore. Igitur huiuſmodi emptor committeret iniuſtitiam cum obligatione reſtituendi: ſi plùs deduxerit, quàm reuerà in particulari apud ſe expectatio, & ſollicitatio illius debiti habitura ſit incommodi, moleſtiæ, periculi, ſeu incertitudinis in æſtimatione ſumma cum nonnulla compenſatione oneris, quod ſitum eſt in obligatione hoc pro altero curandi ad eius inſtantiam.] Hæc Malderus.

Sed, licèt hæc opinio ſit probabilis, mihi tamen contraria probabilior videtur, quam ſequuntur Layman *in Theol. mor. lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 4. *c.* 17. §. 5. *num.* 33. Villalobos *in ſumma, tom.* 2. *tract.*21. *diffic.* 8. *n* 6. Leſſius *lib.*2. *cap.* 21. *dub.* 9. & Salas ſibi contrarius *tract. de empt. dub.* 40. Bonacina *de contr. diſp.* 3. *q.* 3. *punct.* 10. *num.* 4. & ante illos Ludouic. Molina *de iuſt. tract.* 2. *diſp.* 361. *num.*4. Aſſerunt enim hi DD. quòd quando aliquis ſua induſtria apud Principem facilè imperrabit ſolutionem, poteſt chirographum emere dimidio, ſi intereſſe, periculum, incertitudo, & moleſtia, quæ alius communiter ſubire deberet in hac actione proſequenda, iudicio aliorum æſtimentur pertingere ad chirographi, ſeu librànciæ dimidium. Et ratio eſt: quia, vt ait Bonacina, & alij, *vbi ſuprà*, iuſtum pretium rei emptæ non eſt, quanti res valet emptori; ſed, quanti in ſe valet, aut quanti valet ipſi creditori, conſideratis certis circunſtantiis. Cùm ergo dicta chiroprapha venditori non valeant in totum ratione difficultatis, & exiguæ ſpei, quam creditor habet illa recuperandi; ſequitur, huiuſmodi chirographa minoris emi poſſe.

Confirmatur, ait Leſſius *num.* 76. quia hæc chirographa, cùm non habeant pretium lege taxatum, illud eſt aſſignandum ex communi æſtimatione. Vnde, ſi Princeps Turcarum tibi debeat 1000. aureos, nulláque, vel parua ſit ſpes obtinendæ ſolutionis; fas eſt hoc debitum emere paruo pretio, v. g. 100. vel 50. etiamſi emptor facilè integram ſolutionem obtinebit: hoc enim eſt tribuendum ſuæ induſtriæ, & bonæ fortunæ. Et ſic ego aliquas Apodixas Tabulæ huius ciuitatis, vt vocant, *del conto à parte, & della Corte,* difficilis exactionis, olim ſæpius conſului minoris emi poſſe.

Salua, &c.

* * *

*Quidam habet multa dolia vini generoſi, cui apponit magnam quantitatem aquæ; ſed ex illa mixtione non efficitur deterius eo, quod paßim venditur ab aliis. Quæritur modò, an poßit tuta conſcientia ſine onere reſtitutionis, in venditione talis vini, exigere totum pretium à lege taxatum? Idem poteſt quæri de tritico, & aliis?*

RESOLVT. LI.

NOn deſunt DD. qui prorſus negant hanc mixtionem fieri poſſe. Sic Petrus de Ledeſma *in ſumm. part.* 2. *tract.* 8. *c.*32. *poſt concluſ.*7. *diff.* 2. *fol. mihi* 425. *col.*2. Rebellius *de oblig. iuſt. part.*2. *lib.*9. *q.*9. *n* 17. & Salas *tract. de empt. & vendit. dub.* 12. qui etiam citat Medinam, Molinam, Nauarrum, & Rodriquez. Et probatur hæc opinio: nam lex, v. g. taxat triticum, quale ex area adduci ſolet, non quale facit induſtria fraudulenta. Igitur, ſi tale triticum ex induſtria cum aliqua mixtione venditur, minori quidem pretio vendi debet, quàm ſit à taxa legis præſcriptum. Adde, vt ait Azorius *part.*3.*lib.*8.*c* 23.*q.*3.*in fin.* quòd qui vinum aqua perfuſum vendit, eo ipſo vendidit plùs, quàm habeat; nam, ſi habeat tres amphoras, vendit plus, quàm tres amphoras. Ergo, &c.

Propter has rationes probabilis eſt hæc opinio: ſed mihi longè probabilior ſententia affirmatiua videtur, quam ſequuntur Lopez *in inſtruct. conſcient. part.* 2. *c.* 47. *aliàs* 192. Ioan de là Cruz *in direct. conſc. part.* 1. *præcep.* 7. *q.* 3. *dub.* 6. *concl.* 2. Homobonus *de exam. Eccleſ. part.* 2. *tract.*8.*c.*7.*q* 21. Leſſius *lib.* 2. *c.* 21. *dub.* 11. *num.* 87. qui ait: [ Cur quis rem ſuam non poteſt ad eum ſtatum reducere, in quo ſunt res aliorum; & tunc eam vendere eodem pretio quo alij? Fit hoc interdum in vino, tritico, & ſimilibus ſpeciebus, dum vino valdè præſtanti miſcetur aliud tenue, vel aqua; aut tritico valdè puro ſecala; ea tamen moderatione, vt non ſint deteriora, quàm quæ ab aliis paſſim venduntur.] Hæc Leſſius.

Putabam, hanc ſententiam citatos DD. tantùm patronos habere; ſed poſteà inueni Martinum Bonacinam, virum doctum, etiam illam amplecti *in diſp.* 3. *de contr. q.* 2. *punct.*6. *num.*17. & probat validiſſimis rationibus, quas accipe. Nam, aſſerit, talis venditor nullum damnum, vel iniuriam infert emptori: non enim tenetur illi tradere res maioris perfectionis, & integritatis, quàm ab aliis vendantur. Secundò, æſtimatio rei deſumitur per ordinem ad vſus humanos: cùm autem, v. g. vinum per admiſtionem illam aquæ ſit adhuc æquè vtile ad vſus humanos ad quos emitur: ergo aliquis ſic vendens non peccat contra iuſtitiam, neque tenetur ad reſtitutionem, cùm nullius damni cauſa cenſeatur.

*In hoc Regno Siciliæ pretium, quo venduntur boues, eſt à Regia Pragmatica taxatum. Quæritur modò, an Petrus, qui habet aliquos boues, in bonitate excedentes alios, poßit illos vendere, vltra taxam dictæ Pragmaticæ?*

RESOLVT. LII.

SEcundùm opinionem aliquorum, vt Ioann. de Salas *tract. de empt. & vendit. dub.* 12. *num.* 9. reſpondendum eſt negatiuè. Et probatur hæc opinio: quia taxa poteſt, & vult, propter bonum commune, rebus valdè inæqualibus idem pretium imponere: & oppoſitum eſſet oſtium aperire in commune damnum violationis legis: multi enim dicerent, v. g. ſuum triticum, & ſuos boues eſſe notabiliter meliores aliis, qui communiter vendi ſolent. Erge, &c.

Mihi tamen opinio affirmatiua viſa eſt probabilior, & ſæpè in praxi eam conſului: nec deſunt Authores pro hac opinione firmanda: nam illam ſequuntur Ludouic.

Molina de iuſt tom.2 diſp.364.n.11.& Reginald.in ſua praxi, tom.2 lib 25.c.16.ſect.3.n.284. Qui aſſerunt,quòd etſi triticum,vel vinum, quod aliquis vendit, aliquantulò melius ſit eo,quod venditur communiter;non ideò licèt vendẽdo illud,taxam à lege definitam tranſgredi; nam modicũ pro nihilo reputatur:ſed propter notabilem exceſſum in bonitate licitum eſſet vendere vltra pretium à lege taxatum.Et probatur: quia, ſicut vendens triticum in bonitate longè inferius,ac deterius tritico,quod communiter venditur,eò quòd à vermibus ſit corroſum,debet minuere pretium,quo communiter venditur triticum;ita quanto triticum in bonitate eſt longè melius, poſſunt venditores augere pretiũ, quo communiter vendi ſolet:& idem iudicium eſt de cæteris mercibus, quarum pretium fuerit lege taxatum. Ex his reſpondendum eſt affirmatiuè ad ſuperius quæſitum, cuius doctrina aufert Confeſſariis multos ſcrupulos.

*Quiſpiam emerat veſtem quadraginta, quæ valebat ſexaginta aureis, ſed emerat rogatus à venditore. Conſultus fui,an emptor teneretur aliquid reſtituere?*

RESOLVT. LIII.

REſpondi negatiuè. Et pro declaratione huius quæſtionis notandum eſt,quòd concurrentibus aliquibus circunſtãtiis,aliquando licet minoris emere rem aliquam, quàm alioquin emeretur: ſicut è contra,vt, v. g. propter modum vendendi. De qua cauſa vide Couar.lib.2.var.c.3. n.5.Nauar.c.23.n.78.& 87. & Medinam in C. de rebus reſt. q. 31. verb.ſimiliter. Et ſic in fine nundinarum merces minoris venduntur,quàm initio:item, finitis ſtudiis, ſcholaſtici in patriam reuerſuri,libros ſuos minoris vendunt: & cùm merces exponũtur ſub haſta, & publica voce præconis venduntur, aliud pretium habent,quàm ſi à mercatoribus venderentur.Sic etiam minutim res maioris vẽditur quàm in magna quantitate.Et ratione copiæ,merces, quæ ſimul emuntur,poſſunt emi minoris.Et ſic de ſimilibus.

His ita ſuppoſitis, dico, quòd res pluris venduntur in officina mercatoris quæſiti, & rogati, quam cùm quis per ſe,vel per proxenetas emptores quærit,& rogat.Vnde Caietan. in 2. 2.quæſt. 77. art. 1. Leſſius lib.2. cap. 21. dub. 4. num. 33. Ioan.Salas tract.de empt.& vendit.dub. 25. num.3. Bonacina de contract. diſp. 3.quæſt. 2. punct. 4.num. 21. & Emmanuel Sà verb. empt. num. 4. aſſerunt, merces vltroneas vileſcere pro tertia parte.Imò Palacius, quem ſequitur Bartholom à. S.Fauſto in ſpecul.Confeſſ. diſp.6.quæſt. 10. num. 9. Salas, vbi ſuprà, & Rebellius part. 2. lib. 9. quæſt. 1. num. 36. in Caiet. verb. emptio,cap. 1. dixit,pallium,quod in officina mercatoris valet quatuor aureos, ab emptore rogato poſſe emi duobus. Et ratio eſt:quia talis modus vendendi indicat copiam mercium,& paucitatem emptorum. Ex hoc apparet deciſio quæ ſit,ſcilicet, illam veſtem iuſtè fuiſſe emptam quadraginta,licèt valeret ſexaginta aureos: nam, vt eſt dictum, merces vltroneæ vileſcunt pro tertia parte.

*Olim in hoc Regno propter monetæ tonſionem promulgatum fuit Edictum ab Excellentiſſimo Prorege Marchione Viglenæ, vt in poſterum omnia genera monetarum, ſecundùm pondus valerent, & expenderentur: cùm hoc ſcirent multi, ante Edicti promulgationem, omnem pecuniam, vel mutuò dederunt, vel ex ea res emerunt. Quæſitum fuit à multis,an hoc cum crimine, & onere reſtitutionis factum fuerit?*

RESOLVT. LIV.

MVlti Theologi tunc affirmantem ſententiam ſuſtinuerunt, nec quidem improbabiliter: nam lex futuræ Pragmaticæ Principis debet eſſe omnibus communis,tam inſciis, quàm conſciis, etiam antequàm promulgetur;& ſic in fraudem eius facit, qui ante promulgationem futuram, & ignoratam ab aliis,plùs diſtrahit, quàm diſtracturus foret de re imminuenda, quoad valorem per legem publicam. Deinde, ſi Princeps alicui aperiret futurum decretum ante promulgationem, & hic occaſione talis notitiæ cum aliorum damno plùs monetæ,& mercium diſtraheret, vt ditaretur; teneretur quidem ad reſtitutionem, quia fuit cauſa illius damni. Ergo etiam ille tenebitur, qui hac occaſione ditatus eſt, quomodocunque ea ſcientia ad ipſum deuenerit.Et ita in terminis ſequuti ſunt hanc ſententiam Molina tom.2. diſp. 354. §. In hoc tamen. Reginaldus in ſua praxi,tom. 2.lib. 25.cap.23.num.345. Rebelius de oblig.iuſt p.2.lib.9.q.6.n.7.& Pinellus C.de reſcind. vend.p.3.cap.2.num.22.

Sed ego contrariam ſententiam conſului,nixus authoritate Leſſij lib.2.c. 21. dub. 5.n.45.Ioan.Salæ tract. de emp. & vendit. dub. 32.n.8.ad 5.Homoboni in exam. Eccl.p. 2. tract.9.c.3.q.4. & Barth.à S.Fauſto in ſpec. Confeſſ. diſp.16. q.19.n.2.qui citat Couarruuiam,Sotum,Caietanum, Bannez, & Aragonium. Et ratio eſt manifeſta: nam lex ex communi ſententia DD.non obligat ante Iudicis promulgationem: ergo, etiamſi aliquis ſciret decretum à Principe conditum circa monetam, vel alias merces; tamen, dum non eſt promulgatum, non obligabit, neque vllam vim habebit; & ideò antiquum pretium durabit. Nec valet dicere, ait Leſſius, vbi ſuprà, quòd hoc procederet in illo, qui diſtraheret monetam, vel alias merces bona fide; non tamen in illos, qui ex notitia huius decreti, venderent plùs mercium, quàm alioquin erat venditurus: nam reſpondetur, quòd talis vtitur iure ſuo, nec aliqua lex vetat,ne vtatur notitia illius decreti in ſuum commodum.

Hanc etiam opinionem ſequitur Comitolus in reſponſ. mor.lib.3.q.32.n.6. Obſerua tamen, quòd Princeps,eiuſque Conſiliarius tenetur ad reſtitutionem, ſi ex eorum negligentia illa notitia legis promulgandæ peruenit ad aures ſubditorum: vnde ipſi poſteà ex tali ſcientia vendiderunt merces cum aliorum detrimento. Et ratio eſt: quia tenentur ex officio euitare,ne detrimentum hoc aliis ſequatur:cæteri verò ciues,minimè.Videant Conſiliarij,quanto ſilentio in iſtis negotiis eſt procedendum.

*Dubitare aliquis fortaſſe poſſet, an qui ob feruorem contralicitantium vendidit ſub haſta rem plùs duplo, quàm valebat, teneatur reſtituere?*

RESOLVT. LV.

PRo deciſione huius quæſtionis ſæpiùs in praxi occurrentis notandum eſt, quòd quando pretium à lege taxatum eſt;tam venditor, quàm emptor, ad illud obligantur: vbi verò non eſt legitimum pretium, tam venditori, quàm emptori ſtandum eſt intra latitudinem iuſti pretij vulgaris: aliàs ille excedendo notabiliter,& iſte deficiendo, peccant mortaliter cum onere reſtituendi. Eſt tamen aliquis caſus, quo ceſſante legitimo non aſtringuntur ementes, & vendentes ad pretium vulgare: & hic caſus inter alios eſt in ſubhaſtationibus publicis.

Sed, quale ſit iuſtum pretium in iſtis ſubhaſtationibus, non conueniunt inter ſe DD. nam multi, & inter illos præcipuè Salonius in 2. 2. tom. 2 q.77.art. 1.contr.5. aſſerit, in hoc vendendi genere reperiri etiam tria illla genera pretij quæ conſtituuntur communiter à DD. in communi vſu fori, nempe, infimum, medium, & ſupremum, ſeu rigoroſum: ſed cum hoc diſcrimine; nam in pretiis quæ ſumuntur ex commmuni vſu fori,infimum, & ſupremum parum diſtant à medio, ſicut 9. & 11. parum diſtant à 10. At in ſubhaſtatione plurimùm poſſunt diſtare: medium nanque in ſubhaſtatione eſt, quod eſt iuſtum, aut ſecundùm vſum fori, aut arbitrio prudentium: infimum, quod ab illo deficit, modò non deficiat infra dimidium: ſupremum, quod illud excedit, & ſuperat, modò non excedat vltra dimidium. Vt ſi iuſtum pretium equi,





peritorum arbitrio, ſint 100.& equus ille,voce præconis, vendatur; medium pretium erunt illa 100. infimum 50. ſupremum 150. Vnde diſtant in ſubhaſtatione gradus extremi à medio, quantùm medietas ipſa iuſti pretij complecti poteſt verſùs exceſſum, vel defectum. Hæc Salonius,ex cuius doctrina,quam etiam ſequitur Molina tom.2. diſp. 349. n. 11. apparet, illud eſſe iuſtum pretium in venditione ſub haſta, quod non deficit, vel non excedit medietatem pretij, quo alioquin res venderetur, ſi non venderetur ſub haſta. Et addunt, in tali venditione locum eſſe remedio legis ſecundæ, C. de reſcindenda venditione. quando contingit exceſſus vltra dimidium. Vide noſtrum P.Megalam 2.2.lib.2.c.6.q.2. n.70. & P. Molfeſium in ſum. tom.2.tract.12.c.5.n.148.

Sed audiamus DD. contrarium ſentientes. Nalderus Antuerpienſis in 2.2.tract.5.c.2.dub.2. aſſerit, iuſtum pretium in ſubhaſtatione etiam illud eſſe, quando ex contentione licitatorum res duplo venditur, quàm valeat. Plùs dicit Bonacina de contr.diſp.3.q.2 punct.4. num. 21. iuſtum pretium vendendi ſub haſta illud eſſe, quod extorqueri poteſt abſque fraude: & in exceſſu pretij præſumitur donatio,cùm nec ignorantia, nec ius, nec fraus, neque neceſſitas cogat emptorem ad ſic emendum, vel venditorem ad ita vendendum. Ex his patet reſolutio ſupràpoſitæ quæſtionis, nempe, non eſſe faciendam aliquam reſtitutionem, etiamſi res in ſubhaſtatione duplo, vel plùs vendatur, quàm valet. Vide Ioan. Salam tract. de emp. & vendit.dub. 25. num.4. & Petrum à Nauarra de reſtit. lib. 3. cap.2.num.37.

*An gemmas inſignes, canes, falcones, picturas antiquas, & ſimilia, quæ non habent pretium taxatum à Principe, vel à communi hominum æſtimatione, poſſit venditor vendere eo pretio, quo voluerit?*

RESOLVT. LVI.

QVidam negant: ita Leſſius lib.2.c.21.dub.3.n.16.Nauarrus c.27.n.28.& alij. Probatur primò: quia quælibet res vendi debet iuſto pretio: ſed iuſtum pretium earum rerum, quæ nec lege, nec communi æſtimatione taxatæ ſunt, ſumendum eſt iudicio prudentis mercatoris, qui ſpectatis circunſtantiis ad rei valorem facientibus, eam æſtimat. Ergo non eſt licitum tanti has res vendere, quanti vendi poſſunt. Secundò, iudicium, quo iudicatur aliqua res tanti valere, debet eſſe prudens; ſed nemo poteſt prudenter iudicare rem aliquam valere tanti, ex eo, quòd venditor tanti velit vendere: ergo, &c. Hanc ſententiam communiter ſequuntur omnes.

Sed contrariam tenet Sotus de iuſtit. lib.6.q.2.art.3.Valentia tom 3.diſp.5. q.20. punct.2. Emmanuel Sà verb. venditio,n.14.& nouiſſimè Reginaldus in praxi, lib. 25. c. 16. ſect.4.n.286. vbi ait:[illa verò: quæ allata ſunt in contrarium,nimirum,quòd res tantùm valeat, quanti vendi poteſt; & quòd vnuſquiſque in ſuis rebus ſit moderator, & arbiter:Petrus à Nauarra lib.3.c.2. num.11 notat vera eſſe ſolummodo in his rebus,quæ nec lege, nec communi hominum æſtimatione appretiari ſolent, vt ſunt gemmæ, capilli,accipitres,canes venatici,equi pretioſi,& alia,quæ venduntur ad ſplendorem, decorem,delicias, & voluptates: pro talibus enim,ſecluſis fraude, & metu, poteſt tantùm accipi in pretium, quantùm venditor arbitratus fuerit,& emptor ſciens,& prudens dare conſenſerit. Etenim, ſi nulla ſit eiuſmodi rerum indigentia in republica, nec vlla neceſſitas ad nobilitatis in ea ſplendorem, ſed tantùm ad curioſitatem pertineant; iuſtum pretium earum non aliter determinatur, quàm æſtimatione ementis, qui illas tanti facit, vt putet pertinere ad nobilitatis ſuæ, ac diuitiarum ſplendorem, dare tale pretium.] Hæc ex Nauarra Reginaldus, ex quibus patet reſponſio ad poſitam dubitationem.

*Olim hac quæſtione tentatus ſum: Vtrum ſit licitum exigere aliquid ſuprà iuſtum pretium, ratione periculi ſortis, cui interdum vendens creditò exponitur?*

RESOLVT. LVII.

NOn eſt tam facilis hæc quæſtio; vt multis forſitan videtur:nam ſine peccato,& onere reſtitutionis hoc fieri poſſe mordicùs negant hi omnes, Sotus de iuſt. lib.6. q.4.art.1.dub.2 Nauarrus c.23. n.81. Lopez in inſtruct.p.1. c.220. Palac.de contract. lib.4. c.3. concl.8. Garſias de contr. lib.1.c.23. Toletus de ſeptem peccatis, c. 5. Azorius p. 3. lib. 8.c.8.q.7.& Rebellius de oblig.iuſt.par.2.lib.9.q.12.n.1. qui validiſſimis rationibus probat hanc ſententiam, ex quibus aliquas accipe: Vſurarius eris, ſi cogas mutuatarium ad ineundam tecum aſſecurationem eiuſdem mutui, etiam pro viliſſimo pretio, vt patet ex cap. nauigantis, de vſuris. Ergo à fortiori vſurarius eris, ſi non mutues alteri, niſi ſub obligatione reddendi aliquid vltra ſortem pro periculo, cui mutuum exponis: & eadem ratio in credito militat. Conſequentia probatur: nam vtilior videtur debitori, & minùs oneroſa prior, quàm ſecunda obligatio. Secundò: quia nec timor periculi, nec ipſum periculum de non ſoluendo mutuo;vel credito,eſt ſecundùm ſe vendibile;ſed eſt conſequens, ſiue acceſſorium ad vtrumque. Probatur antecedens, nam periculum iſtud ex ſui natura ſolet præcaueri per pœnam impoſitam, vel per fideiuſſores:ergo vendi non poteſt. Hæc, & alia argumenta adducit Rebellius.

Sed contraria opinio viſa eſt probabilis his omnibus; Medinæ de reſt.q.38.cauſa 3.& 4.Petro à Nauarra lib.3. de reſtit.c.2.par.1. dub 11. n.105. & par.2. c.3 dub. 10. n. 342. Valentiæ tom.3.diſp.5. q.20. punct.2 concluſ.4. Emmanueli Sà verb.venditio. n.3. Rodriquez in ſumma,par 2. c.83. n.3. & Leonard.Leſſio lib.2.c.21. dub.6.n.54 & aliis, quos citat,& ſequitur Sanctarellus in ſuis reſol. p 1.q. 47. n.17. & Salas tract.de vſuris, dub.27.n.3. Nec deſunt rationes pro hac opinione. Nam, exponere ſe tali periculo, eſt pretio æſtimabile: ergo pro eo poteſt aliquid exigi. Deinde,venditor poteſt petere fideiuſſorem, qui, vt periculum illud in ſe ſuſcipiat,poteſt iuſtum pretium ſtipulari:ergo,ſi emptor cupiat venditorem illud in ſe ſuſcipere, poterit venditor iuſtum eius pretium exigere. Nota tamen, quòd hoc periculum debet eſſe verum, & non fictum. Et ſi quæris,quale erit eius iuſtum pretium; reſpondeo,totum id, quod tu libenter alteri dares,ad ſimile periculum redimendum.

*Solent mercatores aliquando non mutuare indigenti; ſed ei creditò merces offerre, & vendere ſummo pretio, vt ille eas vendat pecunia numerata, cui voluerit: ſed emptor ſtatim illas offert ipſis mercatoribus, qui eaſdem merces emunt pecunia numerata pretio medio, vel infimo: hic contractus Hiſpanè vocatur* mohatra *Italicè* ſtocco: *Quæritur, an ſit licitus?*

RESOLVT. LVIII.

MEdina lib.1. ſum.c.14. §.23. & D. Antoninus p.3. tit.8. cap. 4. §. 4. exiſtimant eſſe iniuſtum, & palliatam vſuram,quando idem redimit. Nam hic contractus, rectè conſideratus, mutuum reuerà eſt, & cum vſura. Quid enim aliud eſt, Petrum mercatorem vendere Ioanni merces pretio,vt 100.ſoluendas in fine anni, & ſtatim poſteà eaſdem emere pecunia numerata pretio, vt 90. quàm dediſſe illi mutuò 90. recipienda in fine anni cum lucro vt 10. Qui contractus reuerà eſt mutuum, & cum vſura. Hinc omnes prudentes, eo audito,illum ſtatim condemnant, & mercatorem ita vendentem, ac reementem; ini-

quum indicant;& in legibus Caſtellæ, vt notat Rebellius *par. 2. lib. 9. q. 7. num.7.* ſub grauiſſimis pœnis prohibetur contractus iſte.

Sed veriùs alij exiſtimant, contractum iſtum non eſſe iniquum, nec damnandum, ſi duplex in eo reperiatur conditio. Prior eſt, vt ſeruetur ſemper iuſtum pretium: nam, cùm merces huiuſmodi certum pretium à lege illis impoſitum non habeant, ſed iuſtum illarum pretium ſit, quo vendunt communi vſu fori, quod, vt patet, habet latitudinem; ſi mercator,neque cùm cariùs vendit,latitudinem illam excedat; neque, cùm viliùs emit, ab eadem latitudine deficiat, ſeruat vtique priorem conditionem in hoc contractu debitam. Altera conditio eſt, vt tollatur omne ſcandalum, explicando, in tali contractu nullam eſſe iniquitatem, cùm nec pretium rigidum, in quo vendit, excedat latitudinem iuſti pretij; nec ab illa deficiat pretium infimum, in quo emit. Sic Nauarrus *cap.23.n.91.* Petrus à Nauarra *lib. 3. cap.2.n.107.* Homobonus *in exam. Eccl.par.2.tract.9.c.3.qu.4.* Regius *in ſuis reſol.caſ.14.& 34.* Summa Corona *p.2.c.8. n.9.* & Leſſius *lib.2.c. 21. dub. 16. num.130.*

Nec valet dicere,quòd idem ſit emptor, qui ante erat venditor: nam, vt ait Leſſius, ſi alius poterat illo pretio emere, cur non mercator, qui vendidit? Imò beneficium in hoc alteri præſtari videtur, dum liberatur emptor à quærendis aliis, & à ſumptibus in proxenetas faciendis. Non tamen poteſt illum ad hoc cogere, nec pactum implicitum, aut explicitum de hoc adhibere, vt notat Graffius *par.1.lib.2.c.109.n.4.*& Bonacina *de contract.diſp.3.q.2. punct.3.n.20.*

Addunt aliqui, quòd vt hæc venditio ab iniuſtitia, & vſura immunis ſit, non debet fieri intentione principali reemendi viliori pretio, ita vt ſine ſpe illius lucri, non eſſet creditò mercator vendíturus. Sic Molina *tom. 2. diſput.301.* Angelus *verb.vſura,n.60.* Lopez *lib.1.de contr.c.34.* Vegha *in ſum.tom.2.cap.131.caſ.62.* Azorius *par. 3. lib. 8. cap. 11.* & alij.

Sed mihi placet opinio Ioan. Salæ *in tract. de empt. & vend.dub. 37. n. 4.* qui improbat hanc conditionem. Et ratio eſt: quia, vbi nihil vltra ſortem deducitur in pactum, nec ſperatur, vt pretium, aut debitum de iuſtitia pro mutuo; nulla eſt vſura, ſi auctarium principaliter, ſeu minùs principaliter intendatur, vt vult Molina *tom. 2. diſp. 305.* Valentia *tom. 3. diſp.5. q.21. punct.1.* Nauarra *de reſt. lib. 3. c.1. dub.2. n. 190.* & idem Salas *tract.de vſuris,dub. 5.n. 5.* Ergo,&c.

Reſpondendo igitur ad quæſitum, dico, talem contractum non eſſe illicitum, etiamſi mercator tali intentione vendat illas merces, & poſteà per ſe, vel per alios emat illas:modò non adſit ſcandalum; neque pactum explicitum, vel implicitum de retrouendendo interueniat; & modò intra limites iuſti pretij conſiſtat; ita vt quando vendit creditò, non excedat pretium ſummum; & quando emit numerata pecunia, non excedat iuſtum infimum. Salua,&c.

*An ſit vſura mutuare: vt mihi,cùm opus habebo, remutues;aut vt iuſto pretio à me emas, vel in meo molendino molas? Quod eſt quærere, an mutuator licitè poßit deducere in pactum eam iuris naturalis obligationem, qua ex honeſtate tenemur benefacere noſtris benefactoribus? Et hoc totum intelligendum eſt ſine incommodo mutuatarij.*

### Resolvt. LIX.

COmmunis opinio eſt negatiua. Sic D. Thomas 2. 2. *q.78.art.2.ad 2.& 4.*& ibi Caietanus,Salonius, Aragon, & Bannez. Petrus à Nauarra *lib.3.de reſtit.c.2.dub. 4. n.139.* Molina *tom.2.diſp. 308.& 309.* Couarruuias *lib. 3. var.c.1.n.1.* Sylueſter *ver.vſura,1.q. 2.* Medina *in ſum.lib. 1. cap. 14. §. 23.* Leſſius *lib.2.c. 20.dub.8.n.58.* noſter Megala *2.2.lib.2.c.15.q.2. n.29.* Molfeſius *in ſum.par.2. tract.12. c.23. n.43.* & alij. Probatur hæc opinio vnica,ſed validiſſima ratione: nam obligatio ciuilis,ſeu ex iuſtitia,ad tales actus,eſt pretio æſtimabilis: ſed,quando aliquis in mutuo ex vi pacti, ſeu contractus intendit aliquid pretio æſtimabile, eſt vſura:ergo, &c. Maior probatur: nam per illam ciuilem obligationem mutuatarius amittit aliquam libertatem, & ſubiicitur mutuanti: ergo. Eſt tamen notandum,quòd iſti DD. aſſerunt, nullum eſſe peccatum, ſi mutuator obliget mutuatarium ad tales actus faciendos non obligatione ciuili,ſed ſolùm gratitudinis: tunc enim nulla ciuilis obligatio ab eo petitur, præter eam, quam ipſe habet ex iure naturali.

Sed affirmatiuam ſententiam tenuit Adrianus *in 4. de reſtit.quæſt. de vſura,§. ſed contra.* D. Antoninus *par. 2. tit. 2. c.7.§.10.* Angelus *verb.vſura,1.n.4.* Maior, Almainus, Cardinalis,Ioan. Andreas,Laur.de Ridulphis,citati ab Azorio *par.3.lib.5.c.7.q.1.* Probatur hæc opinio multis rationibus, Et primò ait Almainus: Mutuans tali pacto, & cum iſta obligatione ciuili, non conſequitur lucrum ex mutuo, cùm det æquiualens proprij coloni, vel artificis, vt ad ſuum, v.g. molendinum, vel agrum veniat:ergo non eſt vſurarius. Et ponamus,quòd ille priùs locaſſet operas coloni; dediſſétque ipſi pecuniam, & colonus nollet operari, liceret mutuare illi,vt operaretur pro pecuniis acceptis. Ergo etiam licitum erit mutuare cum pacto, vt operetur pro pecuniis accipiendis. Deinde,licitum eſt mutuare cum pacto,vt mox aliquid remutues:ſed hæc obligatio non eſt minùs oneroſa,quàm obligatio ciuilis remutuandi in poſterum,quando gratitudo id poſtulabit:ergo. Minor probatur:nam eſt minùs grauis obligatio ciuilis mutuandi in poſterum, quàm remutuandi ſtatim; quia incertum eſt, an alter indigebit; & non teneris; niſi commodè poſſis:ergo,&c.

Hæc opinio videbitur alicui probabilis, ſicut viſa eſt Maldero *in 2. 2. tract.5.c.3.dub.4.* qui contrariam ſententiam tantùm probabiliorem vocat. Ergo,ſecundùm Malderum,hæc opinio erit vera,& probabilis. Adde, quod ex neotericis illam ſequitur in terminis Rodriquez *in ſum. tom.2.c.197.n.5.* & quia dicta Summa non eſt in Latinum tranſlata,& non tam promptè inuenitur,ponam eius verba:[Cierto es,que el que preſta à otro algun dinero, puede recibir algo,no como ganancia del dinero, ſino como agradecimiento deſta buena obra, pues la gratitud es vna correſpondencia deuida de derecho natural, y diuino, lo qual es tanto verdad,que puede el,que da preſtado,imponer obligacion ciuil, al que lo recibe de le acudir con eſte agradecimiento;pudiendolo hazer ſin notable dañoſuyo, como tiene Adriano, y San Antonino.] Hæc ille. Sed,an hæc opinio ſit probabilis,aliis iudicandum relinquo.

Nota etiam ſingularem doctrinam Ioan. de Salas *tract. de vſuris,dub. 9. n. 4. & dub.10.n.3. ad 4. & dub.13.n.3. & dub.16.n.4. & dub. 11.n. 2.* ſumptam à Dominico Bannez & Aragon. *in 2.2.q.78. art.1.* Vegha *in ſum. tom. 2. c.131. caſ.76.*& aliis,quòd quando obligatio, v.g. ad emendum, remutuandum, &c. ſine vlla incommoditate fieri poteſt à mutuatario, non eſt pretio æſtimabilis. Et ideò ſi à mutuante in pactum deducatur,non eſt vſura. Ex his poteris reſpondere ad ſuprapoſitam dubitationem, & ad multos alios caſus.

*Rogatus, an mutuanti liceat in pactum deducere,vt mutuatarius ſtatim emat,vendat,remutuet,&c.*

### Resolvt. LX.

REſpondi in hac quæſtione, varias eſſe Doctorum opiniones: nam Lopez, Sotus, Aragonius,Graſſius, citati à Ioan. Sala *tract.de vſuris,dub.10.n.3.* & ipſe etiam aſſerunt, in tali euentu vſuram committi, niſi obligatio ſit



ſit reciproca. Eandem opinionem ſequitur Fernandinus Rebellius *de obligat. iuſtitiæ, par.2. lib.8.q.4.n. 10.* vbi aſſerit, non minùs fœneratitiam conuentionem eſſe obligare mutuatarium ad ſtatim mutuandum, quàm in poſterum. Nec D. Thomas,ait ille,aſſerens mutuanti vnum,fas eſſe aliud mutuum ſimul recipere, nobis aduerſatur: non enim negamus,viciſſim poſſe ſimul fieri mutuationem, vt D. Thomas ait; ſed nefas eſſe dicimus imponi obligationem ad ſtatim mutuandum aliud; quod D. Thomas non concedit. Probatur etiam hæc opinio alia ratione: nam, vt ait Salas, obligatio ad ſtatim mutuandum, emendum, &c. poteſt eſſe non minùs grauis, & moleſta mutuatario,& vtilis mutuanti; quàm obligatio ad mutuandum, emendum, &c. in poſterum: ergo poteſt eſſe æqualiter pretio æſtimabilis; ac proinde, ſicut eſt vſura, ex pacto mutui obligare ad hæc in poſterum facienda; ita ad ſtatim.

Sed ego non minùs probabilem eſſe exiſtimo contrariam ſententiam: nam, vt benè aſſerit Reginaldus *tom.2. lib. 25. c.11.n.198.* mutuans, nullam, cauſa mutui extorquet obligationem pretio æſtimabilem, cùm mutuatarius inde non maneat ad aliquid in poſterum obligatus. Nec valet dicere,mutuatarium amittere libertatem vendendi, vel mutuandi in poſterum: quia,ex quo per illam in præſens tantummodo,non in futurum eſt quis ſubiectus,nullum cenſetur inde ſubire onus pretio æſtimabile. Adde, quòd ſi obligatio ad ſtatim mutuandum eſſet pretio æſtimabilis,obligatio ad ſtatim vendendum erit etiam pretio æſtimabilis; & ſic poſſet quis, vltra ſummum pretium rei venditæ,aliquid exigere pro tali obligatione. Conſequens eſt falſum. Ergo.

Accedit, vt denuò notat Reginaldus, durum eſſe, de vſura damnare hunc, aut ſimiles contractus ſatis vſitatos: Do tibo mutuo 100. aureos, vel 100. amphoras vini; vt mihi viciſſim mutues 100. modios tritici,vel vendas iuſto pretio 100. cados olei; præſertim, cùm vt dictum eſt,talis obligatio impoſita mutuatario, vt pote,quæ eſt ad breuiſſimum tempus,nihil,aut parum oneroſa cenſeatur, neque pretio æſtimabilis. Et ſic hanc opinionem ſequitur Petrus à Nauarra *de reſt. lib. 3.c. 2.n. 235.& 242.* vbi abſolutè docet illam. Et probabilem illam vocat Dominicus Bannez *in 2. 2. q.78. art.2.* & nouiſſimè Layman *in Theol. mor. lib.3.ſect.5.tract. 4.c.16.n.3.* qui omninò videndus eſt, vbi ſic aſſerit: [Si dicatur homini: Si vis à me obtinere pecunias mutuas, oportet te quoque mutuare frumentum; vel iuſto pretio vendere, aut locare mihi prædium; aliàs nihil obtinebis. vel, Volo tibi mutuò dare pecunias: ſed oportet, te gratum eſſe ob beneficium, & ſcholas meas frequentare, vel ad molendinum meum frumenta afferre,merces ex mea taberna pretio iuſto emere, aut vacans officium mihi conferre: non quidem, vt ex iuſtitia ad talia mihi præſtanda ratione mutui accepti, vel accipiendi obligatus ſis,(id enim apertè vſurarium eſſet;) ſed in tuo arbitrio ſit talia præſtare:tamen ſi non præbes,mutuum non accipies, vel acceptum illicò repetetur, in his caſibus, puto non adeſſe vſuram,licèt periculoſi ſint.] Ita Layman.

*An mutuare aliquid cum pacto, vt ille,qui recipit mutuum, conferat officium, vel eccleſiaſticum beneficium, vſura ſit?*

### Resolvt. LXI.

AFfirmatiuè reſpondet Aragonius *in 2. 2. q. 78. art. 2. dub. 2.* Medina *in ſum. lib.1.cap.14. §. 23.* Lopez *in inſtruct.p.2.c.56.§.adde.* Medina Complutenſis *q.4. de vſuris, § inde ſequitur.* Reginald. *tom. 2. lib. 25. c.11.n. 202.* Et ratio eſt: quia illa obligatio tollit libertatem præſentandi collatori, ac proinde eſt pretio æſtimabilis. Ergo habere tale officium,vel beneficium,eſt vſura: & non ſolùm vſura, ſed ſimonia. Vnde ait Reginaldus *tom. 2. lib. 25.c. 11. n.190.*& Rebellius *part.2.lib.8.q.4.n.13.* quòd vtraque deformitas, vſuræ,ſcilicet, & ſimoniæ, in Confeſſione neceſſariò explicanda erit: nam,quatenus in pretium mutui intendit rem ſpiritualem, quæ de iure pro temporali dari nequit, ſimoniam committit: vſuram verò,vt dictum eſt quatenus ex mutuo intendit rem, quæ, etſi de iure comparari nequeat;pretio tamen æſtimabilis eſt.

Sed,licèt hæc omnia vera ſint; aduertit tamen Petrus à Nauarra *de reſt. lib. 3. c. 2. part.2.dub. 6.* quòd deducere in pactum collationem, vel præſentationem beneficij ſtatim faciendam,non eſſet vſura:quia,vt dictum eſt *ſuprà*, obligatio ad ſtatim, cùm modico tempore duret, non eſt pretio æſtimabilis: ergo mutuare cum pacto, vt ſtatim mutuatarius conferat beneficium,non eſt vſura. Idem obſeruauit Malderus in *2. 2. tract. 5. cap.3.dub.6.* vbi ait,quod ſi mutuum daret, non vt pretium beneficij eccleſiaſtici; ſed vt hac ratione prouocet amicitiam collatoris, aut vt gratiam præſtet,quam non vult præſtare,niſi alter ſtatim gratificetur conferendo beneficium, probabile eſt, nec vſuram, nec ſimoniam fore. Et tandem Leſſius *lib. 2. c. 20. dub. 9.n.64.* aſſerit:[Si mutuas alteri cum pacto,vt conferat beneficium eccleſiaſticum; partim eſt vſura,partim ſimonia:modò illud pactum ſit iuſtitiæ, ſecùs ſi amicitiæ. Ex his poſſunt Confeſſarij in foro conſcientiæ animaduertere, quando mutuans cum pacto, vt recipiat beneficium, committat vſuram,nécne.

Dices,quid ſit dicendum, quando aliquis, v. g. confert ſtatim,quantùm in ſe eſt,beneficium,de quo interpellauit mutuator; ſed ſolennitate aliqua hoc ipſum poſteà debet perficere? Reſpondeo cum Maldero, *vbi ſuprà*, quòd ſi poſt inchoatam collationem beneficij à mutuatario, eius, quod ſupereſt,obligatio non habeatur pro ciuili, ſed antidorali, & ex gratitudine; probabiliſſimum eſt non eſſe vſuram. Vide Nauarrum *lib.3.c.2.n.272.*

*Petrus mutuans magnam pecuniarum ſummam, excitauit mutuatarium ad mutui beneficium remunerandum,& mutuatarius ſic excitatus miſit illi aliqua dona: quæritur, an iſta dona vltra ſortem accipiens ſit vſurarius?*

### Resolvt. LXII.

HAnc eſſe vſuram aliquæ rationes demonſtrant: nam talis inſinuatio videtur quoddam pactum implicitum. Secundò,mutuatarius,qui dat propter talem inſinuationem tempore mutuationis, non videtur dare liberaliter;ſed rubore, vel neceſſitate compulſus: ergo mutuans, illa dona recipiens, vſurarius eſt. Et ſic hanc ſententiam amplexi ſunt Richardus *in 4. diſt. 15. art. 5 q. 5.* Scotus *q.2.* & ex recentioribus Ioſeph. Angles *qu.de contr. mutui,art.2. defin.5.concl.1.*& alij.

Sed ſemper ego contrariam ſententiam ſequutus ſum, & conſului, quam etiam amplectuntur Caietanus *in 2.2. q.78.art.1.* Molina *de inſt.tom.2.diſp.305.n.6.* Rebellius *p.2. lib. 8. q.4.n.8.* Bonacin. *de contr. diſp.3.q.3.punct.2.n. 10.* Et probatur:nam, vt ait Salonius *in 2.2.qu.78.art.2.contract. 1. concl.2.* actus interior, & exterior eiuſdem ſunt bonitatis, & malitiæ: ſed actus interior,qui eſt,ſperare per mutuum non ſolùm amicitiam, verùm etiam effectus amicitiæ, non ex debito,ſed ex gratitudine, eſt actus licitus, & honeſtus: ergo actus exterior, quo aliquis huiuſmodi effectus ita exigit, nempe, non ex debito, ſed ex gratitudine, non erit actus iniquus, neque vſurarius: quia ſi intentio eſt licita per hoc, quòd verbis explicetur, ſecluſo ſcandalo nequaquam fiet illicita. Secundò confirmatur:nam obiectum formale vſuræ eſt lucrum ex vi mutui, ac cum pacto, & debito ciuili:in hoc autem exteriori actu, quo mutuans expetit beneficia iſta,& remunerationes, non expetit vi mutui, neque ex debito iuſtitiæ: ergo non eſt vſura. Ex his apparet Petrum non teneri reſtituere illa dona,quæ à mutuatario accepit,licèt ab ipſo fuerit excitatus.

Sed

Sed quæres an licitum ſit non mutuare, donec mutuatarius à me excitatus dicat, ſe daturum auctarium, ex gratitudine, ac proinde ex veracitate, & fidelitate; licèt non ex iuſtitia maneat obligatus. Reſpondet affirmatiuè Ioan. Salas *tract. de vſur. dub.7.n.6.* quia, neque effectu recipitur aliquid in pretium, vel exigitur, quaſi debitum ex iuſtitia; ſed ſola expectatio interuenit, qua mutuans expectat expreſſam, rectámque voluntatem mutuatarij, de dando auctario, antequàm mutuum recipiat. Hæc Salas, cuius ſententia, tanquam probabilis, eſt amplectenda. Verùm, an ſit etiam probabilis illa, quam ponit *dub.6. n. 2.* iudicent viri docti: quærit enim, an ſit vſura mentalis auctarium velle recipere ab eo, quem ſcio non daturum, niſi timore, ne iterum negetur ei mutuum, aut ne videatur, vel vocetur ingratus? Et licèt Caietanus 2.2.*q.*78. *art.* 1. *ad* 4. Petrus à Nauarra *lib.3.c.2.n.*211. Nauarrus *c.*17.*n.*219. & alij negatiuè reſpondeant, quia tunc mutuatarius non dat illud liberaliter, ſed metu, & neceſſitate coactus iterum recipiendi mutuum: tamen Salas, vt dixi, quando nullus eſt animus extorquendi auctarium, vel recipiendi illud, vt debitum ex iuſtitia; ſeu ex vi pacti, nullam eſſe vſuram mordicùs contendit.

*Petrus debet Ioanni centum nummos ſoluendos poſt annum: ſed nunc vult illi ſoluere quinquaginta hoc pacto, vt Ioannes expectet per biennium alios quinquaginta: quæritur, an hæc ſolutio ſit vſuraria?*

RESOLVT. LXIII.

TAlem eſſe reſpondet Bonacina *de contr. diſp.3. qu. 3. punct. 3.num. 9.* Et ratio eſt: quia hoc nihil alud eſt, quàm implicitè mutuare cum pacto, vt Ioannes remutuet in fine anni: vnde Petrus à Nauarra *de reſt.lib.3.c.2.n.* 290. vt non intercedat vſura in tali caſu, ait diſſoluendum eſſe priorem contractum, quo debitor ſe obligauit ad ſoluendum centum, & alium de nouo ineundum eſſe, quo debitor, traditis quinquaginta, obliget ſe ad ſoluendos alios quinquaginta poſt biennium.

Sed, licèt hæc opinio ſit probabilis; probabilior tamen contraria mihi videtur, quam ſequitur, præter Leſſium *lib.* 2. *c.* 10. *dub.*8.*n.*59. Salam *tract. de vſuris, dub.9.n.*10. & alios, Ioan Malderus *in* 2.2.*tract.* 5. *c.3.dub.*4. Et ratio eſt: quia, qui ſe obligat ad expectandam ſolutionem, non ſe obligat ad mutuandum; ſed ſtatim mutuat, quia prorogat terminum ſolutionis, quod eſt virtuale mutuum: vnde in hoc contractu vnum mutuum datur pro alio. Aduertit etiam Salas, *vbi ſupr.* quòd doctrina Petri à Nauarra *ſuperius* allata, quam etiam docet Aragonius *in* 2. 2.*q.*78.*art.*2. *dub.* 1. de reſciſſione prioris contractus, & renouationis alterius, non habet locum, quando debitum non oritur ex contractu, vel contractus renouari non poteſt, vt ſi res empta iam eſſet conſumpta, vel in dominium tertij tranſlata. Adde, quòd periculoſum eſſe poteſt vni parti, quia altera fortè poſteà nollet renouare contractum, niſi cum pacto renouationis reſciſſus ſit. Vnde abſolutè dicendum eſt, quòd in tali contractu nulla adeſt vſura: quia à contrahentibus vnum mutuum datur pro alio: & ſic patet reſponſio ad quæſitum, ſalua ſemper, &c.

*Cùm lucrum ceſſans debeatur mutuanti, quæritur modò, an totum, vel in qua quantitate debeatur?*

RESOLVT. LXIV.

QVænam conditiones ad legitimum intereſſe, ratione lucri ceſſantis, recipiendum exigantur, declarant fusè Doctores, qui communiter docent, quòd non deducatur in pactum totum lucrum, quod ſperabatur ex vſu pecuniæ, vel alterius rei mutuatæ; ſed deductis expenſis quæ faciendæ erant in negotiatione, detrahendoque aliquid propter pericula, ſeu incertitudinem lucri. Et ratio eſt clara: quia tantò minùs valet lucrum in ſpe, quàm in re, quantò magis ſpes fruſtrari poteſt, ſpectatis omnibus circunſtantiis; minùs etiam valet lucrum obtinendum cum expenſis, quàm ſine illis. Sic Rodriquez *in ſum. p.* 1. *c.* 111. *n.* 9. & 10. Palatius *de contr. lib.4.c.4.* Syluester *verb. vſura,* 1. *qu.* 19. Angelus *q.*16. Armilla *n.* 3. Molina *tom.* 2. *diſp.* 316. Gabriel *in* 4.*diſt.5.q.*11.*n.*3. Graſſius *p.* 1. *lib.* 2. *c.*115.*n.*20. Rebellius *p.2.lib.8.q.6.* & alij, vt Sotus *lib.6. de iuſt.q.1.art.*3. Salonius *tom.2.q.88.art.2.contr.9.*

Sed, quia hæc opinio relinquit taxationem dicti lucri arbitrio boni viri, quod eſt difficile, & ſcrupuloſum; quæſierunt ſæpiùs à me multi Confeſſarij certam regulam, ſecundùm quam poſſent ſine ſcrupulò, & formidine taxare quantitatem ſupradicti lucri ceſſantis: quibus hanc dedi inuentam, & poſitam à Leſſio *lib.*2. *c.*20. *dub.* 11.*n.* 97. Bonacina *de contract. diſp.3.q.3. punct.4.num.* 3. Reginaldo *tom.* 2.*lib.* 23.*c.* 8 *n.*86. vbi ait: Optima autem regula ſtatuendi in hac re iuſtum pretium poteſt eſſe, vt, qui mutuat, tantùm remittat ex lucro ceſſante, quantùm ipſe daret alteri ob contractum aſſecurationis, id eſt, quantùm, daret illi, qui ipſum ſecurum redderet de toto lucro ſperato, in ſe ipſum ſuſcipiẽs totum periculum: vt, verbi gratia, ſi quis ſperaret lucrum. 15. pro 100. & libenter daret 5. pro aſſecuratione, poſſet tantùm accipere 10. pro lucro ceſſante: quia hæc ſoluens reddit ipſum ſecurum.] Ex hac regula poſſunt Confeſſarij ſtatim ſine conſideratione expenſarum, laborum, &c. ſtatuere iuſtum pretium lucri ceſſantis, non ſolùm in mutuo, ſed in aliis contractibus.

*Pluries quæſitum à me fuit, an contractus, qui vulgò dicitur,* à pagare, & conſignare, *& in hoc Siciliæ Regno frequentèr celebratur, ſit licitus, & non vſurarius?*

RESOLVT. LXV.

NOtandum eſt pro praxi huius contractus, quòd ita celebratur. Ioannes, v.g. menſe Ianuar. habet centum modios frumenti, quos vendit Petro, & non tradit nunc, quando celebratur contractus; ſed obligat ſe illos conſignare menſe Iulij, quando Petrus emens ſoluet pretium, quod ipſi contrahentes taxant menſe Ianuar. quando faciunt contractum: pretium autem non eſt illud, quo valebunt frumenta menſe Iulij, neque quo valent nunc menſe Ianuar. ſed illud, quod taxant contrahentes menſe Ianuar: & ſolent ex communi conſenſu hoc modo definire pretium ſoluendum. Hoc pretium verò ita taxatur, vt ſi menſe Ianuar. tempore contractus, modius frumenti valeat quadraginta tarenis, ipſi determinant, & conueniunt, vt menſe Iulij ſoluãtur, v.g. quadraginta tres tareni augendo aliquid vltra pretium currens tempore contractus: atque ita taxato pretio maiori, qui valet de præſenti, vendit frumentum conſignandum, & ſoluendum, quando conſignabitur menſe Iulij.

Notandum ſecundò, quòd eſt proprium, & ſpeciale in hoc contractu, vt Ioannes venditor frumentorum conſignandorum menſe Iulij, teneatur illa dare Petro emptori, quoties petierit medio tempore, à Ianuario ad Iulium, & toto illo tempore medio dicta frumenta ſtant periculo, & expenſis Ioannis venditoris: ſi verò tranſierit Iulius, & Petrus non acceperit frumentum, Ioannes tunc debeat aduertere, & cogere Petrum, vt illud accipiat, aliter proteſtatur de intereſſe, & expenſis; & periculum deinceps frumenti erit penes Petrum. His ita notatis.

Dico, quòd ſi iſte contractus celebretur inter eos, qui realiter, & verè emunt frumenta, & non fictè, vt ex tali fictione lucrentur; nam alioquin iurarent falſum: dico, inquam, quòd talis contractus eſt licitus, & non vſurarius. Probo primò: nam eſt contractus veræ emptionis, & venditionis. Secundò illud plus, quod accipitur vltra pretium currens, Ioannes licitè accipit ſine aliqua iniuſtitia: quia



quia illos duos, vel tres tarenos accipit pro expenſis, laboribus, & periculis, quæ ſubit conſeruando frumenta ad menſem Iulii. Tertiò, in hoc contractu adeſt æquale, & probabile periculum, tam venditoris, quàm emptoris: nam in menſe Iulio poteſt pretium eſſe maius, vel minus: ergo vterque ſubit periculum lucrandi, vel perdendi. Quartò, in hoc contractu eſt quædam ſpecies contractus, quæ vulgò dicitur, *arriſicare*: ex eo, quòd venditor, & emptor taxant pretium de præſenti in menſe Ianuar. & exponunt ſe periculo, vt menſe Iulij perdant, vel lucrentur propter æquale, & probabile periculum, cui ſe exponunt; talis verò arriſicatio, vt vulgò dicitur, ſtante periculo probabili euentus lucrandi, & perdendi licita eſt: ergo licitum erit etiã illud plùs, quòd ex tali arriſicatione datur, & accipitur. Propter has rationes Confeſſarij ſine vllo ſcrupulo poſſunt talem contractum, tanquam licitum, & tutum in praxi conſulere, & admittere, ſalua ſemper, &c.

*An, ſi quis capitale maius, quod vulgò dicitur,* tutto il reſto, *in ſponſione aliqua expoſuerit; poßit ille, qui capitale minus habet, acceptare ſponſionem, & lucrari illud plus ſine onere reſtitutionis?*

RESOLVT. LXVI.

VIdetur, quòd non: & ita tenet Alcozer *tract. de ludo, cap.* 16. quia non eſt æqualis conditio ludi ex parte vtriuſque. Martinus verò Bonacina *de contr. diſp.* 3. *qu.* 3. *punct.*2.*n.*19. & Bartholomæus à S. Fauſto *in ſpeculo Confeſſ. diſp.* 32. *q.* 36.*n.* 3. aſſerunt, quòd ſi fortè alter, cuius pecunia maior eſt, norit inæqualitatem, & cõſentiat; quod quaſi ſemper euenit vt patet ex communi vſu ludentium; tunc eſt licitus ludus: quia ſic vſu videtur receptum in ſponſionibus vulgò *ſcommeſſe* nuncupatis, in quibus vnus aliquando minorem quantitatem pecuniæ exponit, quàm alter. Et tandem videmus, vt quis vendat libertatem ſuam ad remigandum in triremibus pro pecunia, quæ eſt longè inferior libertate. Et hanc opinionem ex neotericis tenet etiam Azorius *p.* 3. *lib.* 5. *c.* 25. *q.* 7.

Ad argumentum in contrarium reſpondetur, quòd licèt in tali caſu non ſit æqualis conditio ex parte vtriuſque; tamen ſcienti, & conſentienti non fit iniuria. Vide Ioan. Salas *tract. de ludo; dub.* 13. *n.* 3.

*Quidam filius familiâs, qui parum poterat perdere, lucratus eſt magnam pecuniarum ſummam: cùm poſteà ad Sacramentum Pœnitentiæ accederet, noluit illum Confeſſarius abſoluere; nam aſſerebat, non poſſe plùs lucrari, quàm poßit perdere: quæſierunt à me poſteà, an reuerà dictus pœnitens teneatur ad aliquam reſtitutionem?*

RESOLVT. LXVII.

REſpondi, opinionem Confeſſarij tenuiſſe plures Doctores, vt Sotum *in* 4 *q.*5 .*art.*2. Aragonium *in* 2.2.*q.* 32.*art.*7. Alcozer *tract.de ludo, cap.*16. Comitolum *in reſponſ.moral.lib.3.q.9. n.*5. Caſtrum *de lege pœnali, lib.*2. *c.*2. Couarruuiam *in reg. peccatum, part.*2. §. 4 *num.*4. & alios quamplures. Et ratio eſt: nam, vt ait Comitolus, id fert natura ludi, vt æqua ſit vtriuſque ludentis conditio: ſed in noſtro caſu contractus non eſt æqualis ex vtraque parte: ergo, &c.

At ego exiſtimo, contrariam ſententiam cum Lopez *p.1.inſtruct.c.*183. *concluſ.*3. & Sanchez *in ſum. tom.*2. *lib.*7. *c.*19. *n.*86. eſſe probabilem; & ſic ſupradictum minorem poſſe deponere conſcientiam, & non reſtituere. Authores, qui tuentur hanc opinionem, hi ſunt: Nauarrus *in Manuali, c.*20.*n.*12. Graſſius *in ſuis deciſ. p.*1. *lib.* 2. *c.* 122. *n.*6. Philiarchus *de officio Sacerd.tom.*2. *par.*2. *lib.*5. *c.*2. Beia *in ſuis reſponſ. part.*1.*caſ.*61. Toletus *lib.5.c.27.n.*4.

Adde etiam, quòd in noſtro caſu, vt ipſa pars mihi aſſerebat, colludens ſciebat illum eſſe filium familiâs; & ſic videtur ceſſiſſe iuri ſuo, vt obſeruat Sayrus *in claui regia, lib.*11.*c.*12.*n.*9. Henriquez *lib.7.de Indul. c.* 35. *n.* 6. Vegha *in ſumma tom.2.c.13.caſ.*3. Sà *verb ludus, n.* 6. Azorius *p.*3. *l.5.c.29.q.*56, & 7. Bonacina *de contr.diſp.2.q.3.punct.* 2. *n.* 19. & alij: vnde non tenetur reſtituere quamuis tantam quantitatem pecuniæ perdere non poterat, quantam lucratus eſt: nam volenti, & conſentienti non fit iniuria: quidquid in contrarium aſſerat Sanchez *in ſum tom.*2. *lib.* 7.*c.*19.*n.*87. & Ioan Salas *tract.de ludo, dub.* 13. *n.* 3. putant enim illos, qui ludunt cum eo, qui alienare non poteſt, non conſentire liberè in eius lucrum; ſed, quia non poſſunt aliter ludere, ſuæque cupiditati ſatisfacere: & ideò non eſt dicendum velle iuri ſuo cedere.

Sed contraria opinio eſt tenenda, etiamſi pecunia ſic lucrata à minore eſſet in magna quantitate, contra Bartholomæum à S. Fauſto *in ſpec.Confeſſ. diſp.*32.*q.*18.*n.*4. & Rebellium *de oblig.iuſt.p.2.lib.*12.*q.*5 .*ſect.*1.*num.*4. & alios: nam DD. ſupracitati abſolutè aſſerunt, colludentes cum minoribus ſcienter, cedere iuri ſuo, patique inæqualitatem contractus: & ſic Bannez *in* 2.2.*q.*3 :*art.*7.*concl.*3. ait pupillum habentem tantùm viginti aureos, poſſe lucrifácere centum, imò mille ducatos.

Nota etiam contra Comitolum *vbi ſuprà*, poſſe filiumfamiliâs vigeſimam partem alimentorum, quæ annuè ſuppeditantur, alienare, & ludere. Ita Valentia *tom.* 3.*diſp.* 5.*quæſt.6.punct.*6. Sotus *vbi ſuprà*. Molina *tom.*2. *diſp.* 141. Molfeſius *tom.* 2.*tract.*12.*c.*21.*n.*70. Nauarrus *c.* 20. *n.* 12. Leſſius *lib.2.c.26.dub.5.n.*38. Bannez, & Barthol. à S. Fauſto *q.*19. & 20. & Salas *dub.9.n.*8. *vbi ſuprà*. Quorum doctrina extenditur etiam ad omnes alias pecunias; quas fortè per ludum non ſolùm illicitum, ſed etiam licitum filiusfamiliâs fuerit lucratus, vt vult Malderus *in* 2. 2. *tract.*1.*c.*12.*dub.*5. Sayrus *in claui regia, lib.*11.*c.*12.*num.*14. Salas *dub.*13.*n.*5. Bannez. & Rebellius *ſect.vlt.n.* 16. *locis citatis*, contra Armillam *verb.ludus, n.*8. & alios negantes; eo fundamento: quia lucrum, quod reportat filiusfamiliâs à ludo, numeratur inter bona profectitia: ſed in diſpenſandis bonis profectitiis filius pendet à patre: ergo, poſtquàm, v. g. ſemel lucrifecerit decem aureos, non poterit ampliùs ludere ſine patris licentia. Sed ad hoc argumentum reſpondetur, quòd quando pater concedit filio copiam exponendi aliquam ſummam pecuniæ in ludo, tacitè etiam concedit copiam exponendi omne lucrum, quòd inde reportauit, iuxta leges ludi: ergo.

Ad argumentum verò Comitoli, in principio poſitum, reſpondeo cum Bannez, quòd æqualitas requiſita in ludo ex parte vtriuſque, non eſt alia, niſi quòd vterque colluſor ſit dominus illius pecuniæ, quam exponit, & ſpondet: ſed in caſu noſtro filius familiâs habet liberam adminiſtrationem illius pecuniæ, quam periculo exponit, non ſecùs atque alter: ergo.

*Petrus bona fide rem emit à latrone, quam poſteà durante bona fide vendit Ioanni, & deinde cognoſcit rem illam, eſſe alienam: quæritur, an licitè poßit ſibi pretium retinere, & non reſcindere contractum cum Ioanne, dummodo rem illam vendiderit eodem pretio, quo emerat?*

RESOLVT. LXVIII.

TEneri reſtituere pretium, & reſcindere contractum, docet Bonacina *de contract.diſp.*1.*q.4.punct.* 2. *n.* 5. & præter DD. quos ipſe citat, tenet etiam hanc opinionem Turrianus *in* 2.2.*tom.*2.*diſp.*13.*dub.*2.*n.*12. Malderus etiam *in* 2.2,*tract.4.cap.3.dub.*3. & Bartholomæus à S. Fauſto *in ſpeculo Confeſſ.diſp.4.q.*22.*n.*5. Et ratio eſt: quia, qui vitrũ, verbi gratia, vendit pro gemma, aut ſoluit, ſeu permutat falſum aurum cum vero, debet ſecundùm conſcientiam contractum diſſoluere: ergo pari ratione, ſi vendat rem alienam

alienam, putans eſſe ſuam, debet contractum dirimere, quando poſteà nouerit, rem illam eſſe alienam.

Sed contrariam ſententiam ſuſtinet Nauarrus *in Manuali*, c. 17. n. 8. Philiarchus *de officio Sacerd. tom. 2. part. 2. lib. 6. c. 18. verb. Alterum, in quo*. Ludouicus Lopez *in inſtruct. par. 1. c. 94 ad finem, & lib. 1. de contract. c. 3. verb. Inter tam dubias*. Pitigianus *in 4. ſentent. p. 2. diſtinct. 15. q. 2. art. 1.* qui citat Angelum, Syluestrum, Caietanum, & Couarruuiam. Nam venditor in tali caſu non tenetur reſtituere ratione acceptionis iniquæ; quia bona fide emit à latrone: nec tenetur ratione rei acceptæ: quia iam non habet illam apud ſe, nec in ea factus eſt ditior, vt ſupponimus. Ergo, &c.

Dices, tenetur: quia apud ſe habet pretium rei alienæ, quod loco illius ſuccedit. Reſpondeo cum Rebellio *de oblig. iuſt. p. 2. lib. 9. q. 18. ſect. 1. n. 11.* quòd ſi pretium bona fide à venditore eſt conſumptum, nec inde ditior effectus eſt; certum eſt apud omnes venditorem non teneri ad vllam reſtitutionem. Vel ſecundò reſpondeo cum Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 2. cap. 23. n. 25.* pretium ſuccedere loco rei, non eſſe verum vniuerſaliter: id enim in ſolis vniuerſalibus iudiciis verum habetur, cuiuſmodi ſunt, hereditas, fidei commiſſum vniuerſale, dos, &c.

Dicendum eſt igitur, talem venditorem teneri ſolùm in foro conſcientiæ ad cedendam ſuo emptori actionem de euictione, quam habet aduersùs eum, à quo bona fide emit: quia in ea ſola factus eſt locupletior. Hanc opinionem puto eſſe probabilem, & ſic illam vocant Sayrus *in claui regia, lib. 10. tract. 2. c. 2. n. 13.* & Gregorius de Valentia *tom 3. diſp. 5. q. 6. punct. 3.* & Bonacina, *vbi ſupra*, contrariam ſententiam vocauit tantùm probabiliorem.

Ad argumentum in principio poſitum reſpondet Nauarrus aſſignando diſparitatem rationis: quoniam, qui dedit falſum aurum, dedit rem intrinſecè defectuoſam; non tamen qui dedit rem alienam. Et ſi dicas, parum referre, ſítne vitium intrinſecum, ſeu extrinſecum, quando reuerà tale eſt, ob quod emptor meritò ſit inuitus, reddatque contractum inuoluntarium; tunc enim emptio eſt inualida, ac proinde reſcindenda, ſi velit emptor, reddito pretio. At huic quoque argumento occurrit Nauarrus dicens, emptori tunc iſtum venditorem facere ſatis, ſi cedat ei (vt diximus) actionem de euictione contra primum illius rei alienæ venditorem, *iuxta leg. in creditore. ff. de euict.*

*Petrus emit bona fide equum à latrone, poſt eà de hoc certior factus: quæritur an poſſit tuta conſcientia reſcindere contractum, & latroni equum illum reddere, vt pretium pro eo datum recuperet?*

RESOLVT. LXIX.

CAietanus *in 2. 2. q. 62. art. 6.* Sotus *de iuſt. lib. 4. q. 7. ar. 2.* Couarruuias *lib. 1. var. c. 3. num. 6.* Bartholomæus Medina *lib. 1. c. 14. n. 31.* Ioannes Medina *Cod. de reſtit. qu. 10.* Tabiena *verb. reſtitutio, §. 24.* Armilla *eodem verb. n. 4. & 15.* Ledeſma *in 4. p. 2. q. 18. art. 6.* Syluius *in 2. 2. D. Thom. q. 62. art. 6. quæritur 1. concluſ. 6.* & ex Societate IESV, Ludouicus Molina *de iuſt. tom. 3. diſp. 722.* negatiuam tuentur ſententiam: nam, qui rem furtiuam reddit furi, cooperatur ipſius iniquæ detentioni: ergo, &c. Secundò, in foro iudiciali Iudex ſtatim, atque cognouit dominum rei, præcipit omninò illi reſtituere: at hæc ſententia Iudicis eſt iuſta: ergo etiam ſecundùm conſcientiam tenenda.

Verùm contraria ſententia probabilior apparet. Illam ſequuntur Azorius, Leſſius, Rebellius, Toletus, Salonius; Aragon, Vaſquez, Nauarra, Nauarrus, & alij, quos citat, & ſequitur Martinus Bonacina *de contr. diſp. 1. qu. 4. punct. 2. n. 1.* & præter illos amplexi ſunt etiam hanc opinionem Megala *in 2. 2. lib. 2. c. 6. q. 6. num. 182.* Bartholomæus à S. Fauſto *in ſpec. Confeſſ. diſq. 4. q. 23. n. 2.* Pitigianus *in 4. ſent. p. 2. diſt. 15. q. 2. art. 1.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. qu. 6. punct. 4.* Malderus *in 2. 2. tract. 4 c. 3. dub. 2.* Turrianus etiam *in 2. 2. tom. 2. diſp. 13. dub. 2. n. 3.* Et ratio eſt: quia talis emens non tenetur potiùs conſulere bonis alterius, quàm propriis, cùm ipſe bona fide illam rem acceperit, neque dominus rei eſt rationabiliter inuitus comparatione talis ementis; nec enim obligatur emens ad obſeruandam rem alterius, ſoluto pretio illius.

Dicendum eſt igitur, ſi emptor rei alienæ non poteſt facilè recuperare pretium à vero domino; ſed à fure, poteſt reſcindere contractum, & pretium à latrone recuperare. Ad primum argumentum reſpondetur: Emens, cùm reddit rem latroni, qui vendidit, non eſt cenſendus cooperari iniuſtæ detentioni; actio enim illa reddendi talem rem latroni ex prædicta cauſa, non eſt intrinſecè mala; quia neque eſt iniuſta comparatione domini, vt *ſuprà* dictum eſt; neque comparatione latronis, quia illa actio fit ad recuperandum pretium; neque reddens rem illam latroni præbet neceſſariò materiam peccati: liberum enim eſt latroni illã reſtituere vero domino: quòd ſi ex malitia non reſtituat, non imputabitur peccatum ei, qui rem reddit ad recuperandum proprium pretium. Ad ſecundum reſpondetur, negando conſequentiam: nam in foro exteriori ideò talis emptor condemnabitur ad reſtitutionem, quoniam res ablata apud ipſum inuenitur: Iudex enim, vt ait Leſſius *lib. 2. c. 14. dub. 3. n. 18.* ſtatim inquirit, à quo eam emerit; cui, ſi poteſt inueniri, iubet, non vt illi reſtituat, (quia non vult dominum rei per iſtas ambages ducere;) ſed vt reſtituat domino, cuius eſt, & ipſe, ſi velit, pretium ab illo recuperet.

Notent verò Confeſſarij ſecundam ſententiam, quam *ſuprà* expreſſimus, veram eſſe, quando poſſeſſor bonæ fidei emit rem à fure, & non quando gratis accepit: nam, ſi gratis accepiſſet, non poſſet eam tradere latroni, niſi fortè moraliter certus ſit, rem domino reſtituendam eſſe à fure. Ita Nauarra *de reſt. lib. 3. c. 2. dub. 3. n. 19. opuſc. de reſt. c. 9. § 1. dub. 2. n. 13.* Sayrus *in claui regia, lib. 10. tract. 2. cap. 2. num. 21.* & alij: ſalua ſemper, &c.

*Celebris, & difficilis eſt illa quæſtio inter DD. an tempore magnæ ſterilitatis, & inopiæ, Pragmatica frumenti & aliarum rerum ſeruanda ſit in conſcientia, vel liceat vendere frumentum ſecundùm pretium commune, & vulgare?*

RESOLVT. LXX.

SVpponendum eſt ex Ariſtot. *lib. 2. Ethic. cap. 7.* duplex eſſe rerum pretium; aliud legitimum, ſeu legale; aliud naturale, ſeu vulgare: legitimum vocant Authores, quod lege Principis taxatũ; & ideò dicitur legale: naturale verò id, quod communi æſtimatione hominum ſtatuitur: illud conſiſtit in indiuiſibili mathematico; hoc non conſiſtit in indiuiſibili, ſed latitudinem habet ſupremi, medij, & infimi; ſeu rigoroſi, vel rigidi; pij, & minimi. Ita D. Thomas *in 2. 2. q. 77. art. 1.* & ibi Caietanus, Bannez, Aragon, Valentia, & Scotus *in 4. diſt. 15. q. 7. art. 2.*

Hoc ſuppoſito, reſpondent aliqui Doctores, Pragmaticam, & taxam frumenti eſſe ſeruandam ſub pœna peccati mortalis, & obligationis reſtituendi, etiam tempore ſterilitatis, & inopiæ; & cenſent aliqui, contrariam ſententiã nullam habere probabilitatem, nec eſſe tutam in conſcientia. Ita Ioan. de la Cruz *in director. conſcient. p. 1. præcept. 7. quæſt. 3. dub. 3. concluſ. 1.* Ioan. Salas *tract. de empt. & vendit. dub. 7. n. 3.* Michaël de Palatio *de contr. lib. 2. c. 2.* Petrus à Nauarra *de reſtit. lib. 3. cap. 2. n. 2.* Bartholomæus Salonius *de iuſt. tom. 2. q. 77. art. 1. contr. 2.* Baſilius Poncius *var. diſp. par. 1. q. 2. ſcholaſtica, c. 7. in fine*, & Petrus de Ledeſma *in ſum. tom. 2. tract. 8. c. 32. difficul. 19. fol. mihi 434.* Et præcipuum argumentum, quod adducunt, eſt: nam communiter Doctores docent, quando lex eſt dubia, Principi obediendum eſſe: ſed in noſtro caſu res eſt dubia, cùm multi Doctores aſſerant, taxam frumenti, etiam tempore ſterilitatis



ſterilitatis, eſſe iuſtam: ergo obligabit in conſcientia.

Non deſunt tamen Viri docti, qui contrariam ſententiam tenent: & ita notat Ledeſma, *vbi ſuprà*, communiter docere Patres Societatis IESV, & ex illis, qui ſcripta typis mandarunt, P. Molina mordicùs ſuſtinet hanc opinionem *de iuſt. tom. 2. tract. 2. diſp. 364. num. 7.* vbi aſſerit: [Si frumentum anteà lege erat taxatum pretio rationabili, ac moderato, ac menſe Martio, & Aprili ſterilitas magna in annum ſequentem comperitur ob pluuiæ defectum, aut aliqua alia ratione; non tenentur homines deinceps, vendere triticum ſuum pretio tempore abundantiæ taxato. Quoniam præſumendum eſt, voluntatem Principis non eſſe, vt tanta ſuperueniente ſterilitate, lex, quæ tempore abundantiæ lata erat, vim adhuc retineret; neque ſi id Princeps vellet, lex iam tunc eſſet rationabilis, iuſta, ac proinde in conſcientiæ foro non obligaret.] Hæc Molina. Atque hoc etiam voluiſſe videtur Nauarrus *in ſumma cap. 22. num. 88.* dicens, ſuperueniente magna neceſſitate, tollitur omninò taxa: quem refert, & ſequitur Rebellius *de oblig. iuſt. part. 2. lib. 9. quæſt. 2. ſect. 3. num. 14.* In hanc ſententiam iuit etiam Valerius Reginaldus *in ſua praxi, tom. 2. lib. 25. cap. 16. n. 270.* aſſerens: [Quantumuis decurſu temporis, merces pluris æſtimentur communiter, quàm ſit à lege taxatum; non ideò tamen licitum eſt ſecundùm illam æſtimationem vendere contra hanc taxationem. Quanquam mutari debent leges, quando circumſtantiæ notabiliter variantur; ſíque Princeps in eo eſſet notabiliter negligens, lex inciperet eſſe iniuſta, nec in conſcientia obligaret.] Ita etiam docuit Leſſius *lib. 2. c. 21. dub. 3. num. 14.* ait enim: [Mutatis circunſtantiis, ſi Princeps eſſet negligens in pretio legitimo mutando, poteſt res vendi pretio vulgari. Imò, vt notat Pontius, *vbi ſuprà*, ex Authoribus, qui mordicùs defendunt primam ſententiam, nonnulli, quamuis inuiti, in iſtam latenter relabuntur: nam ex illis Salonius, *loco citato, num. 10.* ſic ait. [Quòd ſi progreſſu temporis viderint apertè, & euidenter ipſi venditores, mutatum eſſe pretium rerum communiter apud omnes; quia variatæ ſunt reuerà circunſtantiæ omnes, & mercium, & temporum, & emptorum vbique terrarum; durátque illa varietas non vno, aut altero anno, ſed plurimis, nec propterea mutari pretia à lege, & Magiſtratibus; tunc licet eis vendere tuta conſcientia res ſuas, non ſolùm iuxta legis taxationem, ſed etiam iuxta communem vſum fori ad arbitrium prudentum.] Hæc Salonius. Sic etiam Nauarra, *vbi ſuprà*, & Aragon. *in 2. 2. q. 77. art. 1. dict. 2.*

Ad argumentum contrariæ ſententiæ reſpondetur, tunc procedere, vt benè ex Suarez *in 3. par. tom. 5. diſp. 4. n. 5. & ſeq.* notat Salas *de legib. quæſt. 96. tract. 14. diſput. 10. ſect. 2. n. 23.* quando iuſtitia legis æquè probabilibus rationibus nititur: nam, ſi oppoſitum ſit manifeſtè probabilius, ſubditi poſſunt ſe excuſare ab obſeruantia talis legis. Sed ita accidit in caſu noſtro. Ergo, &c. Vide Molfeſium *in ſumm. tom. 2. tract. 12. c. 5. n. 86.* qui aſſerit, primam opinionem Molinæ, & aliorum procedere, quando taxatio ſingulis annis efficitur: ſecundam verò opinionem Salas, & cæterorum procedere, quando taxatio efficitur vniuerſaliter, & vniformiter, habendo rationem fertilitatis, & ſterilitatis. Vide etiam Malderum *in 2. 2. tract. 5. cap. 2. dub. 1.* Bonacin. *de contr. diſp. 3. q. 2. punct. 4. n. 8.*

*Cuidam ex dato mutuo emerſit damnum notabile, antequàm mutuatarius fuiſſet in mora ſoluendi: quæſiuit, an poſſit aliquid à mutuatario pro illo damno petere, & teneatur mutuatarius dare?*

RESOLVT. LXXI.

OPinionem affirmatiuam videtur inſinuare Medina, & ex veteribus Maior *in 4. diſt. 15. quæſt. 23. ad. confirmat. 1. argum.* & in alia editione, *quæſt. 30.* cuius ſententiam ex neotericis amplexus eſt Pitigianus *in 4. ſentent.*



*tom. 2. diſt. 15. q. 1. art. 6. §. Præterea, col. 2.* vbi ait: [Tenetur mutuatarius ſoluere expenſas, omniáque damna creditori, ratione mutui illata: vt, ſi corruit domus, vel ſi alia id genus infortunia eidem acciderunt, poterítque exigere totum damnum: quia non amittit, quod erat habiturus; ſed, quod actu habebat: quamobrem poterit recompenſationem bonorum, quæ ratione mutui amittit, exigere. Et eſto, quòd mutuator non adiecerit pactum de damno emergente, atque ita non poſſit contra mutuatarium in foro exteriori habere actionem; tamen in foro conſcientiæ tenetur debitor vltra ſortem ad intereſſe.] Sic Pitigianus. Hanc ſententiam cum quadam limitatione docet Toletus *lib. 5. c. 32. in fine.* putat enim, cùm quis vi, vel fraude, vel metu cogitur ad mutuandum, licitè poſſe damna emergentia recipere; quamuis hæc damna in pactum non fuerint deducta.

Sed abſolutè contraria ſententia tenenda eſt, quam tenet Salas *tract. de vſura, dub. 18. n. 4.* & præter DD. quos ipſe citat, tenet etiam hanc ſententiam Leſſius *lib. 2. c. 20. dub. 10. n. 73.* Turrianus *in 2. 2. tom. 2. diſp. 61. dub. 3. num. 3.* Filliucius *in quæſt. moral. tom. 2. tract. 34. p. 2. c. 5. num. 71.* & alij. Et ratio eſt: quia forſan mutuatarius nollet cum eo onere mutuum accipere.

Ad id verò, quod dicit Pitigianus, reſpondeo, non loqui conſequenter; nam, quod in foro interno ex iuſtitia reſtituendum eſt, etiam reſtituendum eſt in foro externo niſi probatio actori deſit. Sed in hac re notent Confeſſarij breuiter hæc tria. Primò, ſi non interſit pactum ante moram, vt diximus, ad nihil mutuatarius tenetur. Secundò, poſt moram tenetur ad damnum intrinſecum, non ad extrinſecum, modò mora ſit culpabilis. Tertiò, ſi fiat pactum, poſſet teneri ad omne damnum intrinſecum, & extrinſecum, ante, & poſt moram, etiamſi mora (ſecundùm aliquos) non ſit culpabilis. Et ratio eſt: quia ille, qui mutuat, poteſt cauere omni ſuæ indemnitati. Sed de hoc nos alibi.

*Vtrùm Clericus in ſacris conſtitutus, vel Religioſus, poſſit negotiari per ſe, vel per alium?*

RESOLVT. LXXII.

ALiqui, vt Caietanus *in ſum. verb. Cleric.* Rodriquez *in ſum. tom. 2. cap. 1. num. 2.* aſſerunt, poſſe, dummodo negotiatio non ſit turpis, & abſit ſcandalum. Hanc ſententiam docet etiam doctiſſimus Michaël de Palatio *de contract. lib. 2. cap. 10. fol. mihi 168.* vbi ait: [Vnde videtur: non eſſe peccatum mortiferum Clerico negotiari, ſi aliunde non trahat rationem culpæ, aut propter ſcandalum, aut propter mendacia, aut periuria, quæ in ea miſcentur. Etenim, ſi Clericus negotiator anteà eſt admonendus: igitur tunc peccat, quando admonitus non ceſſat à negotiando.] Sic ille.

At contra hanc ſententiam ſunt ferè omnes DD. Salonius *in 2. 2. q. 77. art. 4.* Salas *de contract. tract. de empt. & vendit. dub. 2.* Salzedo *in addit. ad pract. crim. Diaz, c. 57.* Proſper de Auguſt. *in addit. ad ſumm. Bull. Quar. verb. vectigal.* Paulus Squillante *de obligat. Cler. p. 2. dub. 3. n. 39.* Reginaldus *in praxi, tom. 2. lib. 30. tract. 3. cap. 2. num. 20.* Medina *de reſtit. quæſt. 30. art. 2.* Syluest. *verb. Cleric. n. 3.* Comitolus *in reſponſ. moral. lib. 5. quæſt. 53.* Scaccia *tract. de commer. §. 1. q. 7. part. 2. ampl. 11. num. 7.* Sotus *de iuſt. lib 6. quæſt. 2. art. 2.* Toletus *in ſumma, lib. 8. cap. 53.* Rebellius *de obligat. iuſt. p. 2. lib. 9. quæſt. 18. ſect. 2. n. 8.* Bellettus *in diſquiſ. cler. p. 1. § 21. num. 2.* & alij DD. quos citat, & ſequitur D. Carolus de Graſſis, amiciſſimus noſter, *in ſuo pulcherrimo tract. de effect. cleric. effect. 3. num. 1. & ſeq.* & patet *ex cap. conſequens, diſt. 88.* vbi Gelaſius Papa ait: [Clericis ab indignis quæſtibus abſtinendum, & ab omni cuiuſlibet negotiationis ingenio ceſſandum: aut, in quocunque gradu ſint poſiti, mox à clericalibus officiis cogantur abſtinere.]

Limita hanc ſententiam, niſi ſemel, aut iterum Clericus negotiaretur: nam in hoc caſu non peccaret mortaliter. Cenedus *in collect. iur. canon. p. 1. collect. 37. n. 2. in fine.* Graſſis, & Salas, *vbi ſuprà*, cum Leſſio, & Maldero.

Sed tota difficultas eſt, an ſit licitum exercere negotiationem per alios. Negatiuè reſpondet ex noſtris P. Megala *in 2. 2. lib. 2. c. 5. q. 5. n. 157.* Genuenſis *in praxi, cap. 62. n. 6.* Riccius *in praxi fori eccleſ. part. 3. reſol. 205. n. 2.* Vgolinus *de poteſt. Epiſc. c. 13. §. 17. n. 1.* Salzedo, Auguſtinus *vbi ſuprà*, & alij.

At mihi contraria ſententia ſemper placuit, quam docet Molina *de iuſt. tom. 2. diſp. 342. n. 10.* Malderus *in 2. 2. tract. 5. c. 2. dub. 4.* Leſſius *lib. 2. c. 21. dub. 1. n. 6.* Aragon. *in 2. 2. q. 77. art. 4.* Tabiena *verb. emptio. q. 26.* Salas, Squillante, Rebellius, & alij communiter. Et ratio eſt: quia, vt probat Medina, *vbi ſuprà*, ſolùm prohibitum eſt, ne per ſe Clerici negotientur; & negotiando per alios ceſſat ratio prohibitionis. Vnde cum Turriano *in 2. 2. tom. 2. diſp. 59. dub. 2. n. 3.* puto ex vi ſolius prohibitionis, etiam ſine veniali culpa, poſſe Clericos, & Religioſos negotiari per alios; licèt cum Leſſio, & Molina aliter ſentire videatur Barthol. à S. Fauſt. *in ſpec. Confeſſ. diſp. 6. q. 103.* putat enim peccare venialiter.

*An ſaltem qui habet beneficium eccleſiaſticum, ſed non eſt ordinatus in ſacris, poſſit negotiari per ſeipſum?*

RESOLVT. LXXIII.

NEgatiuè reſpondet Salas *de contract. tract. de empt. dub. 2. num. 5.* qui citat Rebellium, Vegham, Sà, & Tabienam. Tenet etiam hanc ſententiam Molfeſius *in ſum. tom. 2. tract. 12. cap. 4. n. 129.* & Bellettus *in diſquiſ. cler. p. 1. §. 21. num. 17.*

Non reticebo tamen, aliquos DD. in contrarium inclinare, vt notat Squillante *de obligat. Cler. p. 2. dub. 3. n. 39.* & Molina *de iuſt. tom. 2. tract. 2. diſp. 342. num. 2.* vbi ait: [De beneficiariis, qui in ſacris non ſunt conſtituti, anceps eſt Syluest. inclinaréque videntur Doctores alij, illos non peccare lethaliter.]

*Sæpius in praxi occurrit illa quæſtio: Ex quanam culpa teneatur depoſitarius, quando perit penes ipſum res depoſita?*

RESOLVT. LXXIV.

COmmuniter DD. ſic reſpondent: quando depoſitum fuit factum tantùm in gratiam ſolius deponentis, depoſitarius in hoc caſu tenetur tantùm de dolo; & lata culpa: ſed, ſi accipit aliquid pro depoſito ſeruando, tenetur etiam de leui culpa; ſecùs de leuiſſima, dummodo non ſe offerat in depoſitarium: nam tunc, cùm depoſitum factum ſit in gratiam ipſius depoſitarij, tenetur etiam de leuiſſima, vt etiam, ſi adeſſet pactum. Ita Molfeſius *in ſum. tom. 2. tract. 12. cap. 15. num. 44. & ſeq.* Megala *in 2. 2. lib. 2. cap. 18. quæſt. 2. n. 12.* Turrianus *in 2. 2. tom. 2. diſp. 11. dub. 5. num. 8.* Barthol. à S. Fauſto *in ſpec. Confeſſ. diſp. 8.* Reginaldus *in praxi, tom. 2. lib. 25. cap. 46. ſect. 1. num. 563. & ſeq.* Azorius *par. 3. lib. 7. cap. 7. quæſt. 1. & ſeq.* Molina *de iuſt. tom. 2. tract. 2. tota diſp. 527.* Sotus *lib. 4. de iuſt. quæſt. 7. art. 2.* & alij.

Hinc inferunt DD. ſupracitati, & præcipuè Molina *n. 4.* quòd bullarij, caupones, & nautæ comparatione eorum, quæ in nauim, vel hoſpitium conferuntur: & qui curam molendini habent, comparatione tritici, quod, vt molatur, aſportatur; & qui curam habent domorum publicarum, vt ſunt datiarii, vbi aliquæ res conſeruantur, vel venduntur, & inde commodum aliquod habent; item, ſartores, & fullones, & alij ſimiles; hi omnes tenentur de leui culpa: quia, vt *ſuprà* diximus, res depoſitæ etiam cedunt in ipſorum commodum, propter contractum locationis, & conductionis cum depoſito coniunctum. Imò, & aliquando ſecundùm aliquos tenentur de culpa leuiſſima.

Sed hæc omnia, licèt vera ſint; tamen cenſeo, illam opinionem eſſe probabilem, & tutam in praxi, quæ aſſerit, neminem teneri in conſcientia, niſi ex culpa graui, & lata, & non ex culpa leui, & leuiſſima, niſi aliter inter contrahentes ſit conuentum. Ita Leſſius *lib. 2. c. 27. dub. 3. n. 11.* & Filliuc. *in quæſt. moral. tom. 2. tract. 34. c. 2. num. 23.* Ex hac doctrina erunt liberi à multis ſcrupulis Confeſſarij: & ego, vt dixi, exiſtimo illam ſatis probabilem.

Non reticebo etiam in hac materia ſingularem ſententiam Ferdinandi Rebellij *de oblig. iuſt. part. 2. lib. 16. quæſt. vnica, à n. 5. vſque ad n. 10.* aſſerentis, in foro conſcientiæ in ordine ad reſtitutionem non ſufficere latam culpam iuridicam; ſed requiri theologicam, & moralem; ac denique ſolum dolum verum. Itaque vult, ſi depoſitarius per craſſam ignorantiam, vel incogitantiam, ſeu obliuionem amittat rem depoſitam, non teneri in conſcientia; niſi, quando culpa ſcienter eſt commiſſa, vt ſi propter pigritiam nolit expreſsè rem alienam cuſtodire, vel data opera eam per periculoſa loca deferat. Et ſi audire vis eius verba, hæc ſunt: [Quamuis in iudiciali foro depoſitarius teneatur, non tantùm de dolo, ſed etiam de lata culpa; quia, quando patet lata culpa, dolus eſſe præſumitur; tamen in foro conſcientiæ, vbi veritas conſtat, de ſolo dolo tenetur.] Hæc ille: an probabiliter, iudicent viri docti, & legant Ioan. Valerum *in differentiis vtriuſque fori; verb. depoſitum, differ. 4. num. 4.* qui Rebellium acriter impugnat.

*Quæſtio, quam ordimur, olim nobis cum magnis Theologis agitata fuit: Vtrùm hæres ab inteſtato teneatur in foro conſcientiæ ſoluere legata in teſtamento minùs ſolemni relicta.*

RESOLVT. LXXV.

TEneri putat Paulus Comitolus *in reſt. mor. lib. 7. tota quæſt. 8.* Angelus, Tabiena, Sylueſter, Adrianus, Medina apud Leſſium, *vbi infrà, num. 14.* D. Antoninus *p. 3. tit. 10. c. 3. §. 14.* & dicit communem Iaſ. *in l. ſi poſt diuiſionem, n. 5. C. de iuris, & facti ignor.* Bal. *leg. cum quis. C. eod.* Imola, Alexan. *in leg. nemo poteſt. ff. de legat. 1.* Tenet etiam hanc ſententiam Filliucius *quæſt. mor. tom. 2. tract. 34. c. 7. num. 150.* Molfeſius *in ſum. tom. 2. tract. 13. cap. 2. num. 147.* Homobonus *part. 1. tract. 7. cap. 19. q. 188.* Mantica *de coniect. vlt. volunt. lib. 2. tit. 14. num. 10.* Molina *de iuſt. tom. 1. diſp. 81.* Leſſius, & Malderus, *vbi infrà*, & Reginaldus *in praxi, tom. 2. lib. 15. cap. 7. ſect. 1. num. 105.* Et ratio eſt: quia, ceſſante fine legis, eiuſdem legis ceſſat obligatio: ſed illæ leges, quæ in teſtamentis præcipiunt aliquas iuris ſolennitates, ſolùm hoc faciunt ad euitandas fraudes, & dolos: ergo, vbi iſta non interfuerint, leges ipſæ non obligabunt; atque ex conſequenti illa teſtamenta erunt valida in foro conſcientiæ.

Ex his infert Reginaldus, & alij, *vbi ſuprà*, primò, hæredem ab inteſtato, ſi ſciat defuncti voluntatem, qua alterum conſtituerit hæredem, aut ei aliquid legarit teſtamento minùs ſolenni, teneri in conſcientia tali reſtituere hæreditatem, & legatum ſoluere. Secundò, ſi ea de re fuerit dubius, teneri propter dubium cum illo altero componere: nam, cùm nec ipſe, nec alter ille, adhuc cœperit poſſidere bona fide, par eſt in dubio vtriuſque conditio. Tertiò, ſi hæres ipſe ab inteſtato hæreditatem, aut legata retineat, illi, quibus per teſtamentum minùs ſolenne fuerit aliquid relictum, poſſunt, ſeruatis debitis conditionibus, vti compenſatione. Ita ille ex Molina, & aliis.

At ego cum Maldero *in 2. 2. tract. 1. c. 11. dub. 5.* Leſſio *lib. 2. cap. 19. dub. 3. n. 30.* Ioan. de la Cruz *in director. conſc. par. 1. præcept. 7. q. 1. art. 5. dub. 14. concl. 3.* puto, contrariam ſententiam



ſententiam eſſe probabilem, & tutam in praxi, quam ſequuntur, & docent Couarruuias *c. 10. de teſtam. num. 12.* Bonac. *de contract diſp. 3. q. 1. punct. 3. num. 5. & ſeq.* Valerus *in different. vtriuſque fori, ver. legatum. differ. 6. n. 2.* Vegha *in ſum. tom. 2. cap. 114. caſ. 2.* Beia *in reſp. caſ. conſcien. p. 1. caſ. 53.* Petrus de Arragon *in 2. 2. q. 62. art. 4.* vbi agit de dominio, *fol. mihi 105.* Salas *de legib. tract. 14. diſp. 16. ſect. 12. n. 52.* Salonius *in 2. 2. tom. 1. q. 61. ſiu q. 5. de dominio, art. 4. fol. 159.* Naldus *in ſum. ver. teſtam. num. 8.* Bannez *de iuſt. q. 62. diſput. 5. de tranſlat. dominij, fol. mihi 100.* Becanus *in ſum. theol. tom. 2. tract. 3. cap. 6. n. 4. concl. 4. & num. 6. in fin. regula 5.* & Vaſquez *in Opuſc. de teſtam. c. 3. dub. 1. num. 4. & in p. 2. tom. 1. diſp. 164. c. 3. num. 36. & 37.* qui citat Gomez, & Padilla, Viros doctiſſimos.

Dico igitur primò contra Reginaldum, & alios, *vbi ſuprà*, hæredem ab inteſtato non teneri quidquam tradere hæredi inſtituto in teſtamento minùs ſolenni, nec ſoluere legata facta in tali teſtamento; dummodò non ſint facta ad pias cauſas. Secundò, nec teneri facere compoſitionem iuxta quantitatem debiti. Tertiò, eum, cui legatum relictum eſt, non poſſe vti occulta compenſatione. Ex his duabus opinionibus, quam maluerint, eligant Confeſſarij, & ita in multis caſibus occurrentibus ſedabunt multos ſcrupulos.

Ad argumentum in principio poſitum reſpondetur, quòd finis legis dupliciter poteſt ceſſare, aut in communi, aut in particulari. Quando ceſſat primo modo; ceſſat obligatio legis: non autem, quando ceſſat in particulari. At verò leges, quæ irritant illegitimos contractus, vt in caſu noſtro, habent pro fine bonum commune: & ſic, quamuis ceſſet finis legis in particulari, ſemper eius obligatio firma manet. Ita communis ſententia DD. Vaſquez *in 2. 2. tom. 2. diſp. 163. cap. 3. n. 19. & Opuſ. de reddit. c. 2. §. 2. dub. 14. num. 51.* Suarez *de legib. lib. 3. c. 23. lib. 5. c. 24. & lib. 6. cap. 8. & 9.* Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 4. cap. 15. num. 37. & de matr. tom. 1. lib. 3. diſp. 3. n. 7. & 9.* Salas *tract. de cenſib. dub. 8. n. 11. & de legib. tract. 14. diſp. 10. ſect. 4. n. 19. & diſp. 16. ſect. 7. num. 14.* Coninch. *de Sacram. diſp. 7. dub. 9. n. 86. & diſp. 14. dub. 14. num. 144.* Reginaldus *in praxi, tom. 1. lib. 13. cap. 18. q. 3. n. 180.* Rebellius *de obligat. iuſt. part. 2. lib. 11. q. 13. num. 7.* Molina *de iuſt. tom. 1. diſp. 81. ad 3. argum. ſecundæ ſententiæ.* Bonacina *de legib. diſp. 1. q. 1. punct. vlt. §. 2. num. 1. & ſeq. & diſp. 10. q. 2. punct. 8. §. incident. num. 13.* Pitigianus *in 4. ſent. tom. 2. diſt. 15. q. 2. art. 3.* Sayrus *in claui regia, lib. 3. c. 1. num. 6. & c. 7. n. 12. & 13.* Felicianus *de cenſib. tom. 2. lib. 1. c. 8. num. 6.* Couarr. *in 2. part. Decret. c. 6. §. 9. n. 8.* Sarmiento *lib. 3. ſelect. interpr. c. 12. num. 8.* Petrus de Aragon. *in 2. 2. q. 62. art. 4.* licèt probabiliter aliqui contrarium aſſerant. Ex his omnibus apparet, contractum nullum iure humano in foro exteriori, eſſe etiam nullum in foro conſcientiæ, Sed ad ornatum præſentis quæſtionis vide etiam, extra DD. citatos, Farnandez *in examine Theol. moral. part. 1, cap. 17. §. 2. num. 14.* Naldum *in ſumma, verb. Teſtament. n. 8.* Sotum *de iuſt. lib. 4. quæſt. 5. art. 3.* Suarez *de legib. lib. 5. cap. 24. num. 9.*

*Quidam vir nobilis olim in quadam ſubhaſtatione, ſeu licitatione publica rogauit amicos, volentes emere, ne plus offerrent certa quantitate; & hoc vt ipſe poſteà, vt in facto contigit, emeret rem illam pretio infimo, ſecundùm illum modum vendendi: quæſiuit à me, an peccauerit contra iuſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem aliquam? Idem quæritur de illis, qui hoc pacto emerunt aliquod officium, vel vectigalia, aut prouentus?*

RESOLVT. LXXVI.

PEccare contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem putauit P. Megalo *in 2. 2. lib. 2. c. 6. q. 5. n. 146.* Et ratio eſt: quia, dum alij erant parati plus offerre, impeditur venditor, ne illud plus conſequatur.

At ego contrariam ſententiam in praxi ſemper conſului: & illam docent Reginaldus *in praxi, tom. 2. lib. 2. c. 22. n. 279.* Villalobos *in ſum. tom. 2. tract. 21. dub. 17. num. 4.* Vegha *in ſum. tom. 2. c. 43.* Bonacina *de contr. diſp. 3. quæſt. 2. punct. 5. num. 10.* Rodriquez *in ſum. tom. 2. cap. 84. numero 2.* Aragon. *in 2. 2. q. 77. art. 4.* Conradus *in reſponſ. caſ. conſc. p. 1. q. 159. in addit.* & antè illos Petrus à Nauarr. *de reſtit. lib. 2. c. 3. num. 84. & 85.* vbi ſic ait: [Non enim, meo iudicio, quodcunque monopolium mercatorum, vt non niſi certo pretio emant, eſt iniquum, ſi reuerà illud eſt iuſtum pretium. Atque idem eſt, dum quis in publica licitatione rogat amicum, vel amicos, ne plus dent certa quadam quantitate, vt ipſe iuſto pretio, infimo tamen, vel mediocri, rem habeat, iuxta illud forum; vel, cùm volens officium emere, rogat alios emptores, ne velint plus dare; quod in vectigalium, vel aliorum prouentuum emptione contingere ſolet: iſti enim caritatem non inducunt, ſed vtuntur induſtria, & diligentia, vt res ſibi iuſto pretio detur, timens in emendo augmentum magnum in pretio.] Hæc ille. Ex quibus patet reſponſio ad argumentum contrariæ ſententiæ: nam eſſet verum, quando vi, & metu impediret alios, ne augeant pretium; non autem in caſu noſtro, vbi ſolùm adeſt induſtria, & diligentia emptoris.

*Rectores cuiuſdam Eccleſiæ conceſſerunt aliqua bona in euidentem illius Eccleſiæ vtilitatem, ſaluo aſſenſu Sedis Apoſtolicæ, & ante aſſenſum tradiderunt poſſeſſionem. Inſtanter à me quæſierunt, an dicta alienatio ſit nulla, & an inciderint in excommunicationem Paulinæ,* Ambitioſæ?

RESOLVT. LXXVII.

SVppono ex Aloyſio Riccio, & aliis, in alienatione bonorum Hoſpitalis requiri aſſenſum apoſtolicum. Sic ille *in praxi, p. 1. reſol. 37. n. 1. & ſeq.* Hoc ſuppoſito; aſſero, circa præſentem quæſtionem duas eſſe opiniones. Prima aſſerit eſſe dictam alienationem nullam & inualidam: quia in alienatione rerum Eccleſiæ, duo copulatiuè requiruntur; nempe, ſolennitas, & cauſa; & vnum ſine alio non ſufficit. Ita Menochius *lib. 9. conſ. 872.* & alij DD. quos citat, & ſequitur Marius Antoninus Maceratenſis *lib. 1. var. reſol. reſol 5. num. 6. & 7. & reſol. 50. num. 43.* cum Aloyſio Riccio. *in praxi, par. 1. reſol. 7. 12. & 24.* & aliis: & ita in foro conſcientiæ docuit Suarez *de legib. lib. 5. c. 14. n. 6.* Vaſquez *Opuſ. de reddit. c. 2. §. 2. dub. 14.* Bonacina *de contr. vbi infra*, & alij. Et ratio eſt: quia ſine forma ſubſtantiali nihil ſubſiſtere poteſt; at prædicta ſolemnitas, nempe aſſenſus Apoſtolicus, à iure præſcripta eſt tanquam forma ſubſtantialis: ergo, &c.

Secunda opinio contrarium aſſerit, nempe, ſupradictam alienationem, quia eſt in euidentem Eccleſiæ vtilitatem, etiam ſine aſſenſu Apoſtolico celebratam, non eſſe inualidam. Ita Quaranta *in ſumma Bullar. verb. alienatio, num. 34.* qui citat Decium, Rebuffum, Nauarrum, & alios. Idem docuit Capic. *deciſ. 16. n. 4.* Berretta *conſ. 92.* Gabriel. *de rer. alien. concl. 1. lib 3.* Hier. Gabriel *conſ. 71. vol. 2. n. 11. & ſeq.* & Deciſiones nouiſſimæ Rotæ Romanæ *part. 3. lib. 2. deciſ. 223. n. 3. & 4. & lib. 3. deciſ. 261. num. 6. & 7.* Facit etiam pro hac ſententia Genuenſ. *in praxi. c. 88. num. 4.* vbi aſſerit, quòd ſi alienatio ſit facta ſaluo aſſenſu Pontificis, non licet à contractu ante impetratum aſſenſum recedere, cum aliis. Et in foro conſcientiæ hoc etiam tenet Azorius *p. 1. lib. 9. cap. . q. 8. dub. 2.* Reginaldus *in praxi, tom. 2. lib. 30. tract. 3. c. 6. ſect. 2. numero 69. & 70.* Naldus *in ſumma, ver. actus, n. 15. & ver. contractus num. 10.* Rodriquez *in quæſt. reg. tom. 1. q. 27. art. 9.* Sylueſter *verb. alienatio, n. 13.* Angelus *eod. verb. §. 14.* cum aliis. Et ratio eſt, quia, cùm talis contractus celebratus ſit in gratiam Eccleſiæ, & in illius vtilitatem

vtilitatem; quamuis legitima forma deficiat,& ſolennitas, validus tamen erit; quia forma requiritur ad fraudes euitandas:& propterea, quando fraus deficit, non adeò ſolennitas eſt neceſſaria in conſcientia, quòd ſine illa contractus non ſit validus. Vide Gutierrez *in quæſt. ciu. tom. 1. lib. 1. q. 3. n. 9.* qui conatur has opiniones concordare.

Sed hæc dicta ſufficiant circa nullitatem, ſeu validitatem contractus. Videamus modò, quid dicendũ ſit de excõmunicatione Pontificis: Martinus Bonac. *de contr. diſp. 3. q. 8. punct. 4. a. 11.* aſſerit, ſupradictos Rectores, alienantes bona Eccleſiæ ſine præuio conſenſu Pontificis, incurriſſe in dictam excommunicationem: ita etiam alii. Sed mihi placet opinio Reginaldi, *vb. ſupra*, & Filliucij *in quæſt. mor. tom. 1. tract. 14. c. 7. q. 6. n. 119. & tract. 16. cap. 9. num. 226.* aſſerentis, dictos Rectores, quia fecerunt conditionem Eccleſiæ meliorem, non incidere in illam cenſuram:& citat Quarantam *verb. alienatio, n. 50.*

Dices, Clementem VIII. apud Genuenſem *in praxi, c. 44.* declaraſſe, quendam Rectorem incurriſſe in pœnam dictæ Extrauag. quia alienauit bona Eccleſiæ, ſaluo aſſenſu Summi Pontificis. Reſpondeo, non conſtare illam alienationem fuiſſe factam in euidentem illius Eccleſiæ vtilitatem, vt conſtat in caſu noſtro: & ſic declaratio Pontificis non facit aduersùs opinionem Filliucij.

At, his non obſtantibus, conſului ſupradictis Rectoribus, vt pro validitate alienationis, aſſenſum Summi Pontificis obtinerent; & ad tollendos omnes ſcrupulos, virtute Bullæ Cruciatæ, beneficium abſolutionis à cenſura quærerent.

*De emptione Zuccharorum in hoc Regno Siciliæ fieri ſolita.*

RESOLVT. LXXVIII.

PVto probabiliter, dictam emptionem zuccharorum non eſſe iniuſtam, ex multis rationibus; ſed præcipuè ex modo vendendi: nam, quando venditor offert,& rogat emptorem, pretium rei decreſcit: quia merces vltroneæ vileſcunt. Ita communiter DD. Ioan. Medina *C. de rebus reſt. q. 31. numer. 3. § Deinde demus.* Azorius *part. 3. lib. 8. c. 21. quæſt. 6.* Bannez *de iuſt. q. 77. art. 1. dub. 1. concl. 1.* Ioan. de la Cruz *in direct. part. 1. præcep. 7. q. 3. dub. 1. concluſ. 1.* Ledeſma *in ſum. part. 2. tr. 8. c. 32. concl. 6.* Turrianus *tom. 2. diſp. 57. dub. 6. num. 5.* Nauarr. *lib. 2. cap. 2. dub. 5. n. 40.* Vaſquez *de reſt. c. 5. §. 1. dub. 10. n. 61.* Pitigianus *in 3. ſent. tom. 2. diſt. 15. q. 2. art. 2.* & Doctores *vbi infrà* citandi.

Difficultas eſt verò cognoſcere, quantò dictæ merces vltroneæ vileſcant & emptor rogatus à venditore, quantò minùs à pretio ordinario poſſit in emenda merce minuere. Multi DD. aſſerunt, merces vltroneas vileſcere pro tertia parte. Ita Caietanus *in 2. 2. q. 77. art. 1.* Leſſius *lib. 2. c. 21. dub. 4. n. 33.* Salas *tract. de empt. dub. 25. n. 4.* Fauſtus *in ſpec. Confeſſ. diſp. 6. q. 10. n. 9* Filliuc. *tom. 2. tract. 36. c. 4. n. 70.* Bonacina *de contr. diſp. 3. q. 2. punct. 4. num. 23.* quidquid in contrarium aſſerat Tannerus *in 2. 2. diſp. 4. q. 7. dub. 2. n. 29.* Sed, vt benè obſeruat Homobonus *de exam. Eccleſ. part. 3. tract. 9. c. 1. q. 1.* merces vltroneas vileſcere pro tertia parte, apud omnes in confeſſo eſt.

Imò aliqui aſſerunt, dictas vltroneas merces vileſcere pro medietate: ita docuit doctiſſimus Palatius *in ſummam Caietani. verb. emptio, c. 1.* quem poſteà ſequuti ſunt, Salas, *vbi ſuprà*, Rebellius *lib. 9. q. 1. n. 36.* Bartholomæus à S. Fauſto *de contr. diſp. 6. q. 10. n. 9.* Megala *in 2. 2. lib. 2. c. 6. q. 2. n. 47. & ſeq. 4. n. 138.* & fuſè *in conſ. 93. n. 3.* cum aliis.

Ex his patet, emptionem zuccharorum, fieri ſolitam, anticipata ſolutione, non eſſe vſurariam: quia dictæ merces minùs iuſto pretio emuntur, non propter ſolutionem anticipatam; hoc enim facere eſſet vſura; ſed emuntur minori pretio ex modo vendendi: nam, cùm venditor offerat;& roget emptorem; merces illæ efficiuntur vltroneæ; & eo ipſo, quòd vltroneæ ſunt, per conſequens vileſcunt.

Vnde patet reſponſio ad argumentum cuiuſdam Religioſi: dicebat etenim: Pretium iuſtum rei non eſt, quod valet tempore conuentionis, ſed tempore traditionis. Ergo illicita erit talis emptio zuccharorum: nam in tempore traditionis plùs valebunt. Reſpondeo maiorem argumenti eſſe veram regulariter, ac per ſe loquendo; non verò, quando per accidens, ratione circunſtantiarum concurrentium, neceſſe eſt pretium decreſcere, vel accreſcere. Iuſtum igitur pretium alicuius mercis erit, quanti ipſa valet tempore traditionis, niſi ex cauſis extrinſecis tempore contractus minoris æſtimetur. vt accidit in caſu noſtro ex modo vendendi.

Ex hac doctrina ſequitur, me olim rectè reſpondiſſe, poſſe aliquem emere rem viliùs ab illo qui vendit neceſſitate compulſus; non, quia illud plus cenſeatur venditor liberè donare; nam in hoc caſu non poſſe præſumi donationem, rectè cenſuerunt Angel Sylueſt. & alij: ſed, quia in hoc caſu ex modo vendendi minuitur pretium rei, & merces efficiuntur vltroneæ. Ergo poſſunt minoris emi. Ita Turrianus Nauarra, Bonacina, *vbi ſuprà*, cum Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 1. dub. 6. n. 10.*

*An, ſi in faſce herbarum, olerum, vel lignorum, quæ ad cibum hominum, vel ad pabulum animalium, vel ignem, venduntur, inueniatur herba aliqua magnæ virtutis ignoratæ, poßit emi pretio currenti?*

RESOLVT. LXXIX.

NEgatiuè reſpondet Turrianus *in 2. 2. tom. 2. diſp 58. dub. 4. n. 6.* Et rationem adducit: quia emens debet manifeſtare venditori ignoranti valorem rei venditæ: vt, ſi quis vili pretio lapidem pretioſum venderet, tenetur emptor manifeſtare valorem lapidis, quando illum agnoſcit. Ergo & in noſtro caſu idem dicendum erit: ignorantia enim vendentis non aufert pretium; quod res habet ſecundùm communem æſtimationem eorum, quorum iudicio in qualibet negotiatione aſſignandum eſt pretium.

Sed, his non obſtantibus, aduersùs Turrianum ſtant ferè omnes Doctores: & ita docet Molina *tom. 2. tract. 2. diſp. 353.* Leſſius *lib. 2. c. 81. dub. 11. n. 85.* & alij, Et ratio eſt: quia tota illa res, ad eum vſum, quo vendi ſolet, non pluris æſtimatur. Vndè ex his inferunt Doctores, quòd, qui ſciret, in alterius fundo latere theſaurum, vel venam pretioſi metalli, vel fontem deliteſcentem; poſſet illum emere, non maiori pretio, quàm ſecundùm externam ſuperficiem valet: quia, licèt pretium ſumatur ex communi æſtimatione; communiter tamen ager ille non æſtimatur ratione theſauri, vel venarum: ergo licitum eſt illum emere pretio currenti.

Et ita contra Armillam, Angelum,& alios tenent DD. citati, quibus adde Rebellium *par. 2. lib. 9. q. 5. n. 2.* & alios penes Salas *de empt. dub. 26. n. 5.* qui etiam *num. 8.* ex multis rectè notat, quòd ſi in aliqua regione res aliqua parui æſtimaretur, eámque ignorarent incolæ, poſſet paruo emi; ſicut fecerunt Hiſpani, ementes aurum apud Indos: & ſi lapidariis eſſet ignota virtus alicuius lapidis pretioſi, qui ſcit illius valorem, poteſt communi pretio illum emere.

*An, qui vendit vinum aqua dilutum; deſcendendo tamen in pretio, tantùm, quantùm cum eo vitio valet quod emptori non manifeſtat; an, inquam talis venditor peccet, & teneatur ad reſtitutionem?*

RESOTVL. LXXX.

NEgatiuè reſpondet Homobonus *de examine Eccleſiæ. tom. 2. tract. 9. c. 4 q. 8.* vbi ſic aſſerit: [Si emptor vinum illud ſtatim erat conſumpturus, & ob illud occultum vitium, quòd ſit aqua dilutum, ſubticuit, & in pretio deſcendit; tum à peccato ſaltem lethali,& à reſtituendi obligatione immunis erit, cùm iure ſuo vſus fuerit, nec vlla iniuſtitia interceſſerit. Secùs, ſi illud erat conſeruaturus, vel alteri venditurus; ita vt ſibi, vel ſecundo emptori damnum crearetur: tunc enim,& charitatem,& iuſtitiam læſiſſet, ſi emptorem de occulto vitio non admonuiſſet. Ita ille: & Salas *tract. de empt. dub. 34. n. 4.*

Alteram verò limitationem ſupradictæ opinionis apponit Turrianus *in 2. 2. diſp. 58. dub. 6. n. 1.* videlicet, ne talis venditio ſæpiùs efficiatur: quia ex tali modo vendendi poterit minui commune pretium iuſtum: nam, licèt vendendo dictum vinum aqua mixtum, non inferatur damnum emptori; fieri tamen poterit, vt pretium eius menſuræ vini, aqua non mixti, minuatur. Cùm enim ementes non agnoſcant mixtionem aquæ, exiſtimant minui pretium, atque adeò ab aliis venditoribus nolunt emere maiori pretio. Vnde ex his apparet, quòd ſæpiùs ita vendens inferret iniuſtitiam, & damnum.

*An contractus ille, qui vulgò dicitur* beneficiata, *ſeu* lotto, *ſit licitus?*

RESOLVT. LXXXI.

REſpondeo affirmatiuè; ſecluſis tamen fraudibus cum Filliucio *tom. 1. tract. 37. c. 3. n. 43.* qui citat Molinam. Idem etiam docet Delrius *in diſquiſ. mag. tom. 2. lib. 4. c. 4. q. 2.* Alcocer *de ludo cap. 49.* Lopez *de contract. lib. 2. c. 23.* Garſias *de contract. lib. 2. c. 44.* Bonacina etiam *de contract. diſp. 3. q. 2. punct. 2. n. 26.* Scaccia *tract. de commer. §. 1. q. 1. n. 110.* & alij.

Sed notandum eſt, quòd res, quæ ibi venduntur, non poſſunt vendi niſi iuſto pretio, quo res ipſæ valent, habita ratione operarum, quas miniſtri illius ludi adhibent: vnde peccarent mortaliter, & tenerentur ad reſtitutionem, ſi excederent in pretio, habita ratione debiti laboris, & rei. Ita DD. citati,& Sà *verb. vendit. num. 15.* vbi ita aſſerit: [In venditione, quæ vulgò dicitur, *lotto*, cùm, ſcilicet, multa venduntur innumeris, qui ſyngraphas dant cum paruo pretio, non poſſunt res omnes pluris vendi, quàm valent ipſæ, & opera miniſtrorum, quibus ſoluendum.] Ita Sà. Et reſtitutio fieri debet pauperibus, ſi veri domini neſciuntur. Deinde ſupradicti miniſtri licitè accipiunt dictum ſtipendium, ſi non excedat iuſtum rigoroſum, ſi non ſunt plures, quàm neceſſarij ſunt;& ſi non plus temporis in eo negotio inſumant, quàm neceſſe ſit. Cauendæ ſunt etiam fraudes venditorum, & dictorum miniſtrorum, ne ſortitionem facere morentur, poſtquam ſufficientes ſymbolæ ſunt collatæ: item, ne merces mutent, vel diminuant: item, ne quando ſimul facienda ſortitio, aliquas merces priùs patiantur ſortem ſubire, & ſimilia.

*An contractus, qui vulgò dicitur* Godere à godere, *ſit licitus?*

RESOLVT. LXXXII.

HIc contractus ſæpiſſimè in praxi frequentatur, & de illo *ſuperiùs* aliqua diximus. Antiqui, vt notat Homobonus de Bonis *de examine Eccleſ. par. 2. tract 9. c. 15. q. 42.* aſſerunt, contractum hunc validum eſſe, ſi illicita pacta non contineat, eò quòd in contractum innominatum reſoluitur: Do, vt des.

Sed, vt docet Molfeſ. *in ſum. tom. 2. tract. 12. c. 8. n. 47.* ad euitandam ſuſpicionem vſurarum efficitur talis contractus, ad inſtar contractus emptionis, vt dominus prædij illud vendat infra certum tempus, conuento pretio pacto adiecto, quòd poſſit emptor ſoluere pretium infra tot annos, cum pacto de retrouendendo,& adiiciatur pactum, vt per quinquenniũ, v. g. expelli nequeat ab illo prædio. Itaque, ſi fructus prædij ſint æquales cũ intereſſe, quod percipitur ex illa pecunia, vt ad rationem nouem,& infrà pro centenario; contractus continet iniuſtitiam: ſi adſit inæqualitas, contractus reducendus eſt ad æqualitatem. Ita ille. Vide Scacc. *de commer. §. 1. q. 1. n. 470. & ſeq.* Surdum *in conſ. 425.* Carroc. *de locat. & cond. p. 1. q. 4.* & alios. Vide etiam Couar. *lib. 3. var. reſol. c. 9. n. 3.* Conradum *de contr. q. 84.* Medinam *tract. de vſura, q, 15.* qui præbent alium modum pro iuſtificatione ſupradicti contractus, licèt Azor. *p. 3, lib. 9. c. 20.* contrarium videatur docere.

*An pater, ſeu mater, poßit aliquid plus vni filio relinquere, quàm aliis?*

RESOLVT. LXXXIII.

REſpondeo affirmatiuè, dummodo reliqui filij non priuentur legitima portione. Et ratio eſt: quia, cùm huiuſmodi bona ſint ipſius teſtatoris poteſt vni plus relinquere, quàm alteri. Et ita docet Megala *in p. 2. lib. 2. c. 23. q. 3. n. 113.* Homobonus *in tract. de ſtatibus, p. 2. cap. 10.* Emmanuel Sà *verb. teſtamentum, n. 27.* Beia *in ſuis reſponſ. part. 1. caſ. 57.* Bonacina *de contract. diſp. 3. q. vlt. punct. 3. n. 12.* & alij penes ipſos.

Sed non grauabor hìc apponere, in gratiam Confeſſariorum, verba doctiſſimi Philiarchi *de officio Sacerd. tom. 2. p. 2. lib. 4. c. 20.* vbi ſic aſſerit: [Quamuis pater non poſſit in vita donare filiis; in morte tamen poteſt relinquere plùs vni, quàm alteri: & licèt ex æquitate debeat maiorẽ partem hæreditatis relinquere filio meliori, quando non vult omnes in æquali parte ſuccedere; non tamen peccat, ſi maiorem relinquit minùs digno, vt tenet,& probat Couar. *in regul. peccatum, 2. p. relect. §. 7.* Addo, ſaltem mortaliter: quia non peccat contra iuſtitiam diſtributiuam: nam pater diſtribuens bona inter filios, non tenetur legibus iuſtitiæ diſtributiuæ, quæ ſolùm ligat eos qui publica poteſtate, publica,& communia bona,& officia diſtribuunt; & nulla eſt lex, quæ illi formam tribuat diſtribuendi illa, quæ ad libitum relinquere poteſt. Nec contra iuſtitiam commutatiuam: quia illis non tenetur relinquere, niſi legitimas; & quæ vltra legitimas habet, poteſt tanquam ſuorum bonorum dominus, ad libitum relinquere, & non ſunt propria dignioris, nec vt propria ei neceſſariò debentur;& in donatione ad liberalitatem pertinente, non eſt acceptio perſonarũ, nec violatur iuſtitia. Caueat pater, ne inæqualem diſtributionem faciat ex odio: & ſi mouetur ex inordinato amore erga aliquem, nõ propterea mortaliter peccat, cùm non faciat contra iuſtitiam, nec quilibet amor inordinatus ſit peccatum mortale. Recta autem ratio exigere videtur, quòd relictis illis, quæ vult ad pias cauſas, & filiis partibus iure debitis, reliquum æquis portionibus filiis relinquat. Recta etiam ratio ſuadere poteſt, quòd illud totum vni, vel aliquibus relinquat, & non aliis: nam, ſi vnus habet bona propria, vel nutritus fuit in ſtudiis, & eſt Doctor, & poteſt lucrari, & alij magis egent, & non ſunt ita ad lucrandum idonei; poteſt iſtis maiorem hæreditatis partem facere: ſimiliter & illis, qui non ſunt ad diſſipandum dediti, dummodo, vt diximus, alij nõ defraudentur parte eis iure debita. Id autem, quod aliqui dicunt, teſtatores, qui non habent liberos, aut parentes, qui ſint neceſſarij hæredes, teneri relinquere bona cognatis, niſi ſint mali;& indigni; limitandum eſt cum Nauarra, vt intelligantur de cognatis extremè egentibus, quibus nullus alius proximior cognatus eſt, qui eos alere poſſit,& velit: quia nulla eſt lex naturalis, diuina, vel humana, ad plus de præcepto obligans. Quòd ſi non ſint in hac extrema neceſſitate, de rigore nihil eis tenentur relinquere: imò pater totum id, quod ſupereſt vltra partes legitimas filiis de iure debitas, poteſt de rigore relinquere extraneo, & dicere filiis, vt quiſque tollat quod ſuum eſt, & vadat; nec ob id eſt illis deneganda abſolutio. Quòd ſi ex odio faciunt,& nolunt mutare teſtamentum, diſtinguat prudens Confeſſor peccatum à non peccato; & niſi odium depoſuerint, non abſoluat: ſi autem dicunt, ſe odium depoſuiſſe, & de habito pœnitere, ſed nolle mutare teſtamentũ, ſunt abſoluendi;& non poteſt ad hoc illos cogere, etiamſi in eo

venialiter peccarent: nam veniale non impedit effectum Sacramenti, nec tollit gratiam. Quod ideò diximus, quia inueniuntur Confeſſarij, qui cum infirmis, & in extremis laborantibus, conſanguineorum potiùs, quàm animæ cauſam tractant; & illos abſoluere nolunt, niſi teſtamentum mutauerint, & iuxta conſanguineorum voluntatem fecerint: vnde etiam illos ſæpè ad deſperationem inducunt, &c.] Hæc omnia Philiarchus.

*An pater, ſeu mater, peccet mortaliter, grauando legitimam filiorum gratuitis donationibus, vel minuendo oneroſis, ſed fictis contractibus?*

RESOLVT. LXXXIV.

RESPONDEO affirmatiuè: poſſunt tamen remuneratoriis, vt dicunt, donationibus, aut veris contractibus oneroſis illam minuere, quæ quidem remuneratio in indiuiſibili non conſiſtit, ſed potiùs vera gratitudo donum remunerationis excedit. Et ita docet Ortiz *in ſumm. cap. 17. n. 9.* Homobonus de Bonis *in tract. de ſtatibus, part. 2. cap. 20.* Fernandez *in exam. Theol. moral. part. 4 cap. 15. §. 4. num. 1.* Rodriquez *in ſumma, tom. 1. cap. 13. num. 2.* Sed audiamus noſtrum Megalam *in part. 2. lib. 2. c. 23. q. 4. num. 111.* vbi ſic aſſerit: [Pone patrem ſuperſtitem omnia bona ſua alienare velle ad hoc, vt à filiis legitimam auferat: quæritur, an ſine peccato iniuſtitiæ facere hoc poſſit. Et reſpondetur affirmatiuè. Et ratio eſt: nam filius non habet ius in hæreditatem patris, patre viuente; & ideò poteſt omnia bona ſua pater vendere, & pretium in mare proiicere, non obſtante filiorum præiudicio. Dixi, ſine peccato iniuſtitiæ: nam peccatum contra charitatem, & amorem filiis debitum euitare non poſſet pater, qui, vt legitimam filiis auferret, bona alienaret rationabili cauſa ceſſante.] Ita Megala.

*An in teſtamento poßit quis inſtituere extraneum in hæredem, & relinquere fratrem, conſobrinum?*

RESOLVT. LXXXV.

NON deſunt Doctores, vt obſeruat Homobonus, *vbi infrà*, qui aſſerant, charitatis, ac iuſtitiæ leges ab eo violari, qui omiſſis conſanguineis, extraneos hæredes inſtituit; proinde hæredes ſic inſtitutos, bona ſibi relicta, ſanguine coniunctis ipſius teſtatoris reſtituere debere, vt per Riccium *in deciſ. Archiep. 213.*

Sed contrariam ſententiam omninò amplectendam eſſe iudico, quam docet Homobonus de Bonis *in exam. Eccleſiæ. part. 2. tract. 9. cap. 10. q. 27.* Beia *in ſuis reſponſ. part. 1. caſ. 57.* Bonacina *de contract. diſp. 3. q. vlt. punct. 3. n. 13.* Emmanuel Sà *verb. hæreditas, n. 1.* Sylueſter *eod. verb. n. 2.* cum aliis.

Dico igitur, quòd ſi teſtator careat deſcendentibus, & habeat aſcendentes, tenetur inſtituere aſcendentes, cùm ipſi ſint conſanguinei in linea recta: ſi verò teſtator non habeat conſanguineos aſcendentes, vel deſcendentes, non tenetur inſtituere collaterales; ſed poteſt quemlibet extraneum inſtituere, nulla facta mentione conſanguineorum collateralium, dummodo non adſit ſcandalum, & obligatio, qua tenetur proximi neceſſitatem ſubleuare. Et ratio eſt: quia nullum ius, ſiue diuinum, ſiue naturale, ſiue humanum, ad id illum obligat, ſecluſo ſcandalo, & extrema, vel graui neceſſitate ſupradictorum: poteſt igitur in tali caſu ſubleuare eorum neceſſitatem, & reliqua extraneo relinquere.

Non grauabor etiam hîc apponere verba Ioan. Valer. *in differ. vtriuſque fori, verb. hæreditas, different. 9. n. 3.* vbi ſic aſſerit: [Quid dicendum, ſi non relinquat bona extraneo diuiti; ſed alicui Monaſterio, vel Hoſpitali? Exiſtimo, in tali caſu Monaſterium, ſecura cōſcientia, retinere poſſe ſupradicta bona. Ratio eſt: quia nullo iure cauetur, quòd teneatur ea relinquere conſanguineis, ſi illi extremè non indigeant; & ſic nulla in hoc iuſtitia violatur; & eligendo alios pauperes Chriſti meliores, ceſſat æquitatis ratio, & offenſa Dei. Non enim culpæ imputari poteſt quòd quis omittat carnem, & ſanguinem, & de iiſdem non curet, licèt in paupertate poſitis, & eligat, illis omiſſis, alios pauperes, vel meliores, vel in maiori neceſſitate conſtitutos. In pari quippe neceſſitate, bonitas præeminet conſanguinitati, atque præualet, præferendáque eſt. Cùm verò Hoſpitali relinquuntur, in maiori neceſſitate tales pauperes poſiti ſunt, (cùm ſint infirmi, & manibus ſuis ſe iuuare non poſſint,) quàm conſanguinei, ſi ſani ſint; & ideò non mirum, ſi eligi poſſint, & præferendi veniant meritò illis ſecundis.] Ita Valerus, *vbi ſuprà.* Vide etiam circa præſentem quæſtionem Layman *in Theol. mor. lib. 3. ſect. 5. tract. 5. c. 5. n. 17.* Molinam *tom. 1. tract. 2. diſp. 159.* & Bonacinam *de contr. diſp. 3. q. vlt. punct. 3. n. 13.*

*An domini teneantur præſtare ſalarium famulis infirmis.*

RESOLVT. LXXXVI.

AFFIRMATIUÈ reſpondent, Speculator *in tit. de locat. §. poſtquàm tam plenè. n. 20.* Marius Antoninus *var. reſol. lib. 1. reſol. 92. n. 7.* Homobonus *de ſtat. part. 2. cap. 23.* Graffius *deciſ. par. 1. lib. 3. c. 8. n. 7.* Nauarra *de reſt. lib. 2. c. 2. n. 213.* Genuenſis *in praxi, c. 47. n. 2.* & alij penes Monetam *tract. de diſtrib. p. 2. q. 6. n. 4. & 6.* & alij apud Couar. *lib. 3. var. reſol. c. 13. n. 8.* qui meritò contrariam ſententiam docet: & poſt illum tenet Molina *de iuſt. tom. 2. tr. 2. diſp. 493. num. 3.* Megala *in 2. 2. lib. 2. c. 8. q. 1. n. 16.* Flores de Mena *lib. 1. var. q. 8. §. 2. n. 17.* Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 5. c. 3. n. 7.* Barboſa *in ſuis collect. tom. 1. lib. 3. tit. 6. c. 1. n. 5.* vbi ex Guttierrez, & aliis aduersùs Azorium *p. 3. lib. 8. c. 14. q. 3.* docet, famulum teneri ſoluere expenſas domino, quas in ſua curatione fecit: quod etiam tenet Reginaldus *tom. 2. l. 25, c. 40. n. 517.*

Dico igitur, quòd dominus non tenetur ſoluere ſalarium famulo infirmo pro tempore infirmitatis, modò famulus non exiſtat in extrema, vel graui neceſſitate: tum enim certum eſt teneri; obligatione tamen charitatis, & modò non adſit conſuetudo gentis & prouinciæ in contrarium. Imò, ſi quos ſumptus in eo curando fecerit, poteſt illos ab eo exigere: quia iidem ſumptus non ad dominum, ſed ad famulum locantem ſe pertinent. Et ratio horum omnium eſt: quia verè ſtat per famulum quominùs operas ſuas non præſtet: & licèt in hoc culpam non habeat, tamen verè deficit in iis præſtandis. Et ideò hanc ſententiam docet etiam nouiſſimè, præter DD. citatos Filliucius *tom. 2. tract. 28. p. 2. c. 4. n. 84.* & Rebellius *par. 2. lib. 14. qu. 15. num. 1. & 2.* qui citat Sylueſtrum, Angelum, & Tabienam. Vide etiam Ioan. Valerum *in differ. vtriuſque fori, verb. alimenta, diff. 8. n. 2.*

*An debitor moroſus ſit monendus à creditore, antequàm accipiat pecuniam cum intereſſe, propter eius moram?*

RESOLVT. LXXXVII.

HIC caſus frequentiſſimus eſt in praxi: v.g. Petrus debitor non ſoluit tempore præfixo, & ob id Paulus creditor adſtrictus eſt cum intereſſe accipere tantùm, quantùm erat debitum: quæritur, an teneatur monere Petrum, ſe velle mutuum ab alio accipere ſub vſuris. Affirmatiuè reſpondet Azorius *p. 3. lib. 5. cap. 4. q. 3.* Et ratio eſt: quia fortaſſe Petrus debitor de hoc monitus, vel ſoluiſſet debitum, vel alio modo prouidiſſet, ne Paulus creditor damnum pateretur.

Sed contrariam ſententiam, & meritò, docent Petrus Nauarra *de reſtit. l. 13. c. 2. n. 281.* Malderus *2. 2. tract. 5. dub. 12.*



*dub. 12. §. dico 3. q. 2* & Scaccia *tract. de commerc. §. 1. q. 7. p. 2. ampliat. 8. n. 263. & 266.* Dico igitur, dictam monitionem, ſeu proteſtationem laudabiliter creditores efficere; ſed non eſſe neceſſariam: quia mora debitoris iam cauſauit obligationem; & damnum illud creditoris, quod ſequitur, non procedit à monitione, ſeu proteſtatione, quam faceret creditor; ſed procedit à mora ipſius debitoris, & damno inde ſequuto: & creditoris damni æſtimatio non magis debetur, quia fuerit proteſtatus, quàm ſi non fuerit proteſtatus. Cæteras rationes vide apud Scacciam *loco citato.*

*An ciues Panormitani poßint vendere vinum ex eorum prædiis collectum, vltra pretium à lege impoſitum, &, vt vulgò dicitur,* A cannatela?

RESOLVT. LXXXVIII.

RESPONDEO affirmatiuè, ex priuilegio meritò illis conceſſo, vt ſpe talis lucri allecti efficaciùs inuigilent ad vinearum cultiuationem, quæ in territorio dictæ ciuitatis exiſtunt.

Sed notandum eſt, non poſſe, niſi vinum, quod ex ſuis propriis vineis collegerunt, tali pacto vendere; non autem, ſi vinum ex aliis vineis emant: & contrarium facientes peccant, & tenentur ad reſtitutionem; quia priuilegium hoc illis non concedit, ſed tantùm loquitur de vino à propria vinea collecto; quod eſt valdè notandum: non enim defuerunt, qui contrariam ſententiam in praxi deducere volebant: ſed ego ſemper contrarium ſenſi; nec aliter dicendum eſt.

*De quodam locationis contractu in praxi frequentißimo.*

RESOLVT. LXXXIX.

AROMATARIUS quidam locauit omnia vaſa, & medicamenta ſuæ tabernæ, ad decem annos, illáque conductori tradidit certo pretio æſtimata, cum expreſſo pacto, vt teneatur conductor ſingulis annis ſoluere decem pro centenario pretij æſtimati, & in fine conductionis reſtituere vaſa, & medicamenta eodem pretio æſtimanda: quæritur, an talis contractus ſit licitus?

Hic caſus ponitur iiſdem verbis à noſtro P. Megala *in conſ. 85.* & illicitum eſſe, & vſurarium oſtendit: nam conductor contra iuſtitiam, & naturam contractus, etiam ad caſus fortuitos obligatur, grauatúrque ad ſubeunda omnia pericula rei locatæ: quod in contractibus iuſtitiæ non eſt admittendum, niſi ad rationem huius periculi penſio minuatur, cùm in eis æqualitas inter contrahentes ſeruanda ſit.

His tamen non obſtantibus, talem contractum licitum eſſe oſtendit Caualcanus *p. 2. deciſ. 13. n. 66.* & ita fuiſſe deciſum Papiæ, & Mediolani, anno 1582. de locatione facta per quendam Speciarium, de tota ſua apotheca cum vaſis, domo, & medicinis, & aliis rebus, quæ in dicta ſpeciaria aſſeruabantur, alteri Speciario cum æſtimatione rerum, & pacto, quòd finita locatione deberet præfatam apothecam cum dictis rebus æſtimatis, & inuentariatis, reſtituere. Et ratio eſt: quia in dicta locatione, (vnde patet reſponſio ad argumentum Megalæ,) licèt periculum rerum apothecæ ſit conductori ex vi æſtimationis, & numerationis ipſarum factarum, & ſic in hoc tranſcendat dictus contractus terminos locationis, cui proprium eſt, pertinere periculum rei locatæ ad ipſum locatorem; nihilominùs manet locatio, quia ſic actum eſt inter contrahentes, quemadmodum dominus habet dominium ſuper depoſito facto de pecunia non conſignata in ſacculo, ſed numerata. Quia, licèt dominium talis pecuniæ tranſierit in depoſitarium, vigore dictæ numerationis, vt patet *in l. Lucius & in l. dies ſponſaliorum. §. qui pecunia. ff. depoſit. & l. quòd ſi ab initio. ff. de reb. cred.* nihilominùs manet depoſitum. Vnde, cùm in dicto contractu manet locatio, de cuius natura eſt, vt ſoluatur aliquid pro locatione, meritò ibi ceſſat omnis vſura, quæ ſolummodo committitur in contractu mutui realis, vel virtualis. Et ideò hanc ſententiam, præter Caualcanum citatum, tenet Ioan. Valerus *in different. vtriuſque fori, verb. vſura, differ. 3. num. 9.*

# TRACTATVS IX.

## De Ieiunio.

*De quantitate, & qualitate collationis ſerotinæ.*

RESOLVT. I.

SVPPONO, tanquam certum, ex communi DD. ſententia, vnicam comeſtionem eſſe de eſſentia ieiunij; ſed collationem ſerotinam, in tali tempore, licitam eſſe ratione conſuetudinis, etiamſi ſumatur alendi cauſa. Videndum modò eſt, in qua quantitate, & qualitate dicta collatio facienda ſit.

Et quoad primum reſpondeo, quòd prima ſententia docet, quantitatem trium vnciarum licitam eſſe. Ita Iacob. de Graffiis *in deciſ. p. 1. lib. 2. cap. 37. num. 29.* Secunda ſententia extendit hanc quantitatem ad vncias quatuor. Ita Homobonus *in exam. Eccleſ. p. 1. tract. 6. c. 20. q. 90.* Victorellus *in Notis ad Man. Nauar. cap. 21. num. 13.* & alij. Tertia ſententia ſex vncias concedit. Ita Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 23. dub. 7. n. 4.* & alij. Quarta ſententia vncias octo permittit. Ita Fagundez *de præcept. Eccl. tract. 4. lib. 1. cap. 4. num. 13. & 19.* qui etiam aſſerit, ſic reſpondiſſe Suarez, cùm de tali quantitate interrogaretur. Et tandem quinta ſententia putat, quartam partem eorum, quæ ieiunanti ſufficerent ad ordinariam ſuam cœnam, non eſſe quantitatem notabilem. Ita Reginal. *in praxi, tom. 1. lib. 4. cap. 14. dub. 10. n. 185.* Layman *in Theol. mor. lib. 4. tract. 8. c. 1. n. 9.* & Filliucius *tom. 2. tract. 27. part. 2. c. 3. quæſt. 7, n. 33.* vbi ita in celebri Academia Theologorum definitum eſſe teſtatur.

Quid ego ſentiam, dicam breuiter. Primam, & ſecundam opinionem puto nimis rigidam. Tertiam & maximè quartam, tanquàm benigniorem, & probabilem, libenter amplector. Quintam verò ſententiam, nimis laxam exiſtimo. Nec valet dicere, quòd quarta pas in aliis rebus pro modica haberi ſolet: nam reſpōdetur primò, hoc non eſſe abſolutè verum: nam, ſi quis laboraret in die feſto per ſpatium ſex horarum, peccaret mortaliter, neque excuſaretur ratione paruitatis materiæ, quam in tali caſu puto eſſe duas horas; & tamen ſpatium ſex horarum eſt quarta pars diei feſti. Ergo, &c.

Secundò reſpondetur, collationem ſerotinam non tam eſſe licitam, quia ſumitur in parua materia, & quantitate; nam alioquin licitè ſumeretur à principio, quod eſt falſum: ſed licita eſt, quia conſuetudo illam introduxit. Sed nunquam per conſuetudinem introductum fuit, vt aliquis in dicta collatione ſumeret quartam partem cœnæ. Ergo talem quantitatem ſumere illicitum erit. Vnde ſemper mihi ſummoperè placuit ſentētia Leſſij *lib. 4. c. 2. dub. 2. n. 11.* Bonacinæ *de legib. diſp. vlt. q. 1. punct. 3. n. 2.* & aliorum aſſerentium, circa quantitatem collationis ſerotinæ ſtandum eſſe locorum conſuetudini: nam, vt ſæpè *ſuprà* dictum eſt, dicta collatio fuit per conſuetudinem introducta: ergo ſumenda erit iuxta limites receptæ conſuetudinis.

Verum eſt, quòd talis conſuetudo non eſt intelligenda de illa, quæ viget apud viros parum timoratos; ſed de illa, quæ viget apud viros bonos, conſcientiæ timoratæ, vt rectè notauit Fernandez *de exam. Theolog. p. 2. c. 8. §. 2. n. 9.* Toletus *lib. 6. c. 2. n. 4.* & alij. Hinc doctiſſimus Petrus Cenedo *in q. canon. q. 41. n. 4.* ſic aſſeruit: [Aduertendum

eſt. etiam circa quantitatem collationis ſerotinæ,ſeruandam eſſe tantùm conſuetudinem bonorum, ac timoratæ conſcientiæ virorum; non verò aliorum, etiamſi dicatur contrarium eſſe receptum à maiori parte populi.] Ita ille.

Sed,cùm quantitatem vnciarum octo in dicta collatione licitam eſſe *ſupr.* ex ſententia Fagundez, & Suarez ſtatutum ſit; in hoc puncto non multos habebimus aduerſarios: quia talem quantitatem ab omnibus cum acclamatione, & brachiis expanſis ſuſtinendam eſſe video, Difficultas ergo erit circa qualitatem ciborum dictæ collationis:nam multi peſſimè in illa ſumunt piſces, oua,& cætera lacticinia, quibus poſſunt ex priuilegio veſci. Ideò, quoad ſecundum punctum, de qualitate ciborum, aſſero, in dicta collatione, ſub onere peccati mortalis, quantitatem licitam non poſſe ſumi in piſcibus, ouis, & aliis lacticiniis, ſeu cibis ſubſtantialibus in cœna manducari ſolitis. Et ratio eſt manifeſta:quia vt dictum eſt, collatio eſt licita propter conſuetudinem:ſed conſuetudo, quæ introduxit dictam collationem, non ſolùm præſcripſit,& præſcribit quantitatem;ſed etiam qualitatem ciborum: nunquam verò per conſuetudinem in collatione introducti ſunt cibi,qui communiter ordinantur ad ſuſtentationem, & inter fercula apponuntur,vt piſces, oua,legumina, &c. ergo talia manducare illicitum, & peccatum erit. Verùm quia multi nolunt hanc veritatem intelligere, ponam per extenſum verba Doctorum.

Villalobos *in ſum.tom.1.tract.23.dub.7.n.3.* [No ſe puede hazer collacion con peſcado,ò hueuos,ni tan poco con legumbres,porque la materia de collacion es pan,conſeruas,frutas,y yeruas,&c.]

Azorius *p. 1.lib.7.c.8.q.9.* [In refectiuncula veſpertina ſolùm edi poſſunt, quæ ante, vel poſt prandium ſumi ſolent, quales ſunt, fructus arborum, herbæ, & alij quidam fructus leuiores ſumi ſoliti ea tantùm ratione, ne potus ſtomacho officiat: vt proinde ſit corruptela, ſi ij cibi ſumantur, qui potiſſimùm ad nutriendum valent, qualia ſunt legumina,& piſces.]

Reginaldus *in praxi,tom. 1. lib.4. diſp.14.dub.10.n. 185.* [In collatione ſerotina ſolùm edi poſſunt, quæ ante, vel poſt prandium, aut cœnam aliàs ſumi ſolent,qualia ſunt, electuaria,fructus arborum,putà ficus,vuæ,nuces,pyra,poma,herbæ, &c. Si enim ſecùs fiat,id eſt, ſumantur alij cibi, qui valent potiſſimum ad nutriendum, vt ſunt piſces, & legumina,non erit refectiuncula,ſed ieiunium ſoluetur.

Filliucius *tom.2.tract. 27.p.2.c.2.dub 6.n.* 30. [Cibi,qui communiter ordinantur ad ſuſtentandam naturam, & inter fercula apponuntur, videntur prohibiti eſſe:tales ſunt piſces, oua, item iuſcula ex leguminibus, amygdalato, & huiuſmodi: hæc enim omnia prohibentur; quia non ſolent numerari inter cibos ad ientacula, ſed inter cibos ad alendam, & ſuſtentandam naturam.]

Layman *in Theol.mor.lib.4.tract. 8.c.1.n.9.* [Qualitatem cibi in collatione ſumendi, aiunt DD. communiter eſſe fructus,aut herbas,adiuncto etiam pane,vel piſciculo paruo, ſecundùm Azorium:ſed ego puto eum loqui de piſciculo paruo, qui fumo ſiccatus, vel aceto maceratus ſit, qualis etiam inter leuiores cibos numerari ſolet, vti colligitur *ex cap. Preſbyter. diſt. 82. & c. 2. de homicidio.* nam poſteà ipſe Azor.corruptelam eſſe ait, ſi ij cibi ſumantur, qui potiſſimùm ad nutriendum valent, qualia ſunt legumina,& piſces.]

Stephanus Fagundez *de Præcep. Eccl. tract. 4.lib.1.c. 4. n.18.* [Conſuetudine vbique receptum eſt, vt in refectiuncula ſoli fructus cum modico panis capiantur: & hanc conſuetudinem excedere non eſt licitum.Et ſi aliqui nonnihil piſcis adhibere ſoleant, id quidem per corruptelam faciunt, non per conſuetudinem legitimam: communis enim conſuetudo eſt,vt fructus modici,& modicum panis in collatione adhibeatur, non piſciculi parui, nec tantillum magni piſcis:non enim quantitas materiæ, ſed materia prohibetur.]

Sancius *in Selectis,diſp.52.n.8.* [Nec ex cibis ad cœnam aptis, etiam in minori menſura, poterit accipi refectio: obſtat enim ad id conſuetudo contraria, qua ſi non excuſaretur collatiuncula de herbis, & fructibus, neutiquam etiam nequiret aſſumi.]

Ioſeph.Angles *de ieiunio,q.9.art.2.dub.4.* [In collatione ſerotina ne illa ſumantur, quæ per ſe ad nutriendum ordinantur, quales cibi ſunt piſces, oua, & cætera: nam in his, quanquam ſimilis quantitas non violaret ieiunium, ratione tamen qualitatis violaret.]

Viualdus *in candel.aur.p.vlt.c.11.n.25.* [In refectiuncula concedi poteſt fruſtulum panis cum pyro,pomóve,cum vua,vel paucis ficis,nucibus,velhis ſimilibus.]

Berarduc.*in ſum.cor.p.1.c.1.n.69.* [In collatione ſerotina concedi poſſunt aliqua electuaria, confectiones, vel panis dulciarius,fructus,herbæ, &c. quæ ad nutriendum principaliter ordinata non ſunt.]

Petrus Ledeſma *in ſum.tom.2.tract.17.c.2.diffic.5.concl.4.* [Vno puede hazer collacion con la cantidad de vn quarteron de pan, y tres, ò quatro azeytunas, è vn poco de conſerua, ò otra coſa ſemejante.] Et paulò pòſt fol. 691. [No ſe pueden comer en collacion hueuos, ni otras coſas ſemejantes,que ſiruen de cena.]

Iacobus de Graffeis *in deciſ. part.1. lib.2. c. 37. num. 29.* [Collatio de ſero fieri poteſt, vel ſumendo parum fructuum,vel ficuum, vel panis ſolius, vel vtriuſque, iuxta morem regionis.]

Vegha *in ſum.p.1.c.14.caſ.5.* [Es licito hazer la collacion,non ſolo con fruta, ò pan, ò yeruas disjunctiuè, ſino aun tambien coniunctim,& ſimul.]

Antonius de Litteratis *in ſum.p. 2.c.19.n.4.* [Ieiunans in ſero diei non debet ſumere aliquod comeſtibile, quod in prandio conſuetum eſt ſumere; ſed aliquid per modum medicinæ,ne potus illi noceat.]

Molfeſius *in ſum.tom.1.tr.10. c.3. n. 24.* [Nihil intereſt, ſi in pane, vel fructibus fiat huiuſmodi collatio,quamuis decentiùs fiat in fructibus.]

Syluius *in 2. 2.q.147.art. 6. Quæritur 2.* [Conſuetudini ſtandum eſt, quantùm ad qualitatem eius, quod pro collatione ſumitur.Modicum panis accipi poteſt,vel ſeorſim, vel vnà cum fructibus,herbis,aliiſque cibis leuioribus, cuiuſmodi ſunt ficus, vuæ, nuces,poma, vel alia ex ſaccharo condita:imò, & aliquid caſei, vel butyri vbi ita conſuetudo obtinuit,non eſt illicitum.

Vide etiam Lauorium *tract. de Iubilæo,par. 1.c.20.n. 10.* Beiam. *p.1.caſ.3.* Silueſt. *verb.ieiunium,q.3.n.* 10. Rodriquez *in ſumm. tom. 1. c. 23. num. 7.* Medinam. *in inſtruct. Confeſſ. lib. 1. cap.14.§.10.* Llamas *in ſum.part.3.c. 5 §. 24.* Ortiz *in ſum.c.19.n.10.*

Ex his omnibus apparet, ſine ratione, & fundamento, contra communem DD.ſententiam, loquutum fuiſſe Bonacinam *de legib. diſp. vlt. punct.3.q.1.n.3.* vbi aſſerit,in ſerotina collatione non tam cibi qualitatem, quàm quantitatem attendendam eſſe: nam, vt *ſuprà* ex ore omnium Theologorum probatum eſt, qualitas cibi in refectiuncula frangeret ieiunium. Et ita etiam ſentiunt plures Patres noſtræ Religionis, & ex Societate IESV, à me de hac re conſulti: vnde minimè dubitandum eſt contrarium facientes peccare mortaliter, & frangere ieiunium. Scripſi hæc ad comprimendam audaciam aliquorum, qui ex authoritate Bonacinæ, contrariam ſententiam in praxi conſulere audebant:quæ quidem ſententia non eſt probabilis; ſed falſa: quia eſt deſtituta rationibus, & eſt contra communem,vt viſum eſt.Ergo,&c.

Nota tamen hîc obiter, quòd ſi inaduertenter quis ſumat cibum pluries, non ob id frangit ieiunium, neque ob id à collatiuncula noctu ſumi ſolita abſtinere tenebitur, niſi nimis proximè ad horam refectionis nocturnæ eſſet cibus aſſumptus. Et ita docet Sancius *in Selectis, diſput. 52. num. 3.* qui etiam *num. 9.* notat, licere nobilioribus, ob adeptam conſuetudinem, aliquantulum plus, quàm plebeis, refectiunculam nocturnam accipere: ſolent enim eſſe debilioris valetudinis, & aſſueti delicatioribus



tibus,& pluribus epulis.Vide etiam Tannerum *in 2. 2. D. Thomæ,diſp.3.q.3. dub.5.n.91.*

*An peregrini, quorum præſentia ſolùm eſt in tranſitu per duos vel tres dies,teneantur ad ieiunia illius loci?*

RESOLVT. II.

SEntentiam affirmatiuam docuit Suarez *de Relig.tom.1. lib.2.cap.14.num 8.& de legib.lib.3. c.33. n.3.* Malderus *in p.2. q.96. art. 5. circa fin. fol. mihi* 409. Molfeſius *in ſum. tom.1. tract.10. c.4.n.17.* Salas *de legib.diſp.14.ſect.4.n.415.* Ortiz *in ſum.c.19. mandam 2. n.12. in fin.* Ioan.de la Cruz *in direct. conſ. par.1.præcept.3.art.4.diſp.9. concl.1.* Mexia *in pragmat. taxæ panis, concl.5.n.80.* Nauarrus *in Manu. c.13. n 5 & c.23.n.120.* Couarruuias *lib.4.var. cap.20.n.8.* Lopez *in inſtruct. part.1.cap.52.* Pontius *de matrim. lib.5.c.7. §.1.* Vaſquez *in 3. p.tom.3.diſp.184.c.3.n.18.*& alij: qui omnes aſſerunt, peregrinos teneri ad ieiunia, feſta, & mores locorum, per quos tranſeunt. Et ratio eſt: quia *in cap. illa. diſt.12.*& ex Auguſtino,ita habetur: [Ad quancunque Eccleſiam veneris, eius morem ſerua.] Vbi Gloſſa notat illud prouerbium: *Si fueris Romæ,Romano viuito more.* Item, *in cap.conſ.de obſer. ieiuniorum*, & in Gloſſ. ibi, dicitur, teneri peregrinos, ſe conformare conſuetudini locorum, in quibus ſunt;& poſſe Epiſcopos illos compellere ad huiuſmodi ieiunia, & conſuetudines obſeruandas. Vnde ex hac doctrina putat Leſſius *lib.4.c.2. dub.6. num.51.* peregrinum teneri ad ieiunium, & ad Miſſam audiendam, ſi integro die in aliquo loco permaneret. Hæc opinio eſt ſatis probabilis.

Sed non minùs probabilem contrariam exiſtimo, & in praxi tutam,vt notauit Villalobos *in ſumma,tom.1.tract.2. diffic.33.n.8.* & illam docet Fagundez *Præcept. 4. lib. 1. c.7. n.10.*qui multos alios citat. Idem docet Azorius *p. 1. l. 7. n.19.qu 4.* Reginaldus *tom.1. lib.4.cap.12.n.136.* Vegha *in ſum. tom.1. c.14. caſ.11.* cum aliis. Et ratio eſt: quia *in cap. illa diſt.12* reſpondet Ambroſius Auguſtino, conſuetudinem eſſe ſeruandam ad quancunque Eccleſiam quis acceſſerit, ne aliis offenſio præbeatur: ergo,excluſo ſcandalo, non tenetur peregrinus ſeruare ieiunium, vel dies feſtos alicuius loci,per quem tranſit. Cæteras rationes vide apud citatos Authores.

Imò ego puto,dictos peregrinos, ſecluſo ſcandalo, non teneri ad ieiunia, & dies feſtos, niſi habeant animum manendi per maiorem anni partem: & ita loquens de ieiunio docuit Bonacina *de legib. diſp.1. q.1. punct.6. n. 49. & diſp.vlt.q.1.punct.6.n.6.* ex doctrina,quam docet Granado *in p.2. D.Thomæ,contr.7. tract.3. p.1. diſp.6. ſect.4. n. 25.* & Sanch. *de matr.tom.1. lib.3. diſp.18. n.9. & in ſumm. tom.1. lib. 1. cap.12. n.38.* & alij. & hanc opinionem probabilem vocat Leſſius *lib.4.cap.2.dub.7.n.49.* licèt ipſe contrariam doceat, quam nouiſſimè tenet etiam Sancius *in Selectis, diſp.44.n.31.* Filliucius *tom.2.tract.27.cap.7.num.16.* & alij: quod probant ex vi conſuetudinis, quæ obligat peregrinos ad ieiunia,& feſta loci, ad quem diuertunt permanendo per aliquod breue tempus: vnde omnes fideles ita obſeruant ex apprehenſione, quòd ad id teneantur. Secundò, quia Epiſcopi puniunt eiuſmodi peregrinos, ieiunia, & dies feſtos, & alias conſuetudines loci non obſeruantes: ergo, &c.

Sed ad primum reſpondeo, negando, conſuetudinem illam obligare ſub mortali:& aliqui hoc facientes, faciunt ex conſilio, & quia obligatos ſe eſſe exiſtimant: vel id faciunt ex ignorantia, ſicut ad audiendam. Miſſam credunt ſe eſſe adſtrictos ex ſolo tranſitu,aut breui mora:vel,ſi ſunt viri docti,id faciunt; quia tenent contrariam ſententiam: & ideò noſtram tenentes, neque Miſſam audient, neque ieiunia obſeruabunt, ſine peccato.

Ad ſecundum reſpondeo, Epiſcopos punire dictos peregrinos in noſtro caſu, ratione ſcandali, quod præbent, ieiunia, & dies feſtos non obſeruando, vel dicendum eſt, Epiſcopos hoc efficere, quia amplectuntur contrariam ſententiam probabilem.

Reſtat modò reſpondere ad argumenta primæ ſententiæ Suarez, & aliorum. Ad primum dico, quòd Auguſtinus in illo canone loquitur de peregrinis habitantibus in aliquo loco pro maiori anni parte; vel loquitur de conſilio; vel ratione ſcandali. Ita Villalobos *in ſumma tom.1. tract.2.diffic.23.n.8.*

Ad ſecundum reſpondeo eodem modo; nempe, quòd concilium loquitur de his, qui cauſa habitandi in aliquo loco ſe transferunt; aut loquitur de vagabundis: de quibus eſt diuerſa ratio. Ita Fagundez *vbi ſuprà,n.12.*

Notandum verò eſt, quòd Clauis Regia *lib. 3. c.4. n. 8.* Sancius *in Selectis,diſp.44.n.34.* & Leſſius *lib.4. c. 2. dub.7. n.49.* admittunt noſtram ſententiam tanquam probabilem,non ſolùm in ordine ad viatores,& aduenas;ſed etiam quoad vagos. At hæc opinio aliquibus non placet: nam cùm vagi nullibi habeant domicilium, ſunt totius Orbis accolæ; & ideò tenentur ad ieiunia, & feſta, aliáſque leges, & conſuetudines locorum, in quibus reperiuntur: alioquin immunes eſſent ab omnibus legibus, & ſtatutis, quod dicere abſurdum eſt: & ita docet Azorius *p.1. lib.5. cap.11. q.13.* Suarez *de relig. tom.1. lib.2. cap.14. n.20* Lorca *in p. 2. tom.2. tract. de leg.diſp.25 memb.4. in fin.* Sanch. *de matr.tom.1. lib.3. diſp.18. num. 5.fol.mihi 4.diſp.15.quæſt.4. art.2.* & alii.

Notandum eſt etiam, quòd, licèt *ſuprà* docuerimus, aduenas accedentes ad aliquem locum abſque intentione ibi commorandi maiori anni parte, non obligari legibus illius loci:tamen excipiuntur aliqui caſus,in quibus aduena tenetur ſeruare leges locorum, quos quidem caſus,cùm non pertineant ad noſtram materiam, videbis apud citatos Doctores.

Et tandem nota,quòd Sancius *in Selectis diſp. 54. n. 35.* aduersùs Sanchez *in ſum.tom.1.lib. 1.cap.12. num.42.* docet quòd accedens ad aliquod oppidum,animo ibi habitandi, ſi poſtea decernat ſe breui diſceſſurum, lege ieiunij illius loci non tenetur.

*An, qui diſcedit manè ex loco, vbi eſt ieiunium, peruenturus ad locum, vbi non ieiunatur; poſſit ſumere ientaculum, & comedere in loco illo, vbi ieiunium ſeruatur?*

RESOLVT. III.

NEgatiuam ſententiam docet Granado *in p. 2. D. Thomæ,contr.7.tract.3.par.1. diſp.6.ſect. 4. n. 31.* Coninch *in 3. p.de Sacram.q.74. art.4. diſp.3. n.103.* Pontius *de matrim. lib.5.c 8.n.3.* Et ratio eſt: quia non refert, vt veſperi ſit ponenda cauſa excuſans à ieiunio: nam hæc nondum eſt poſita: aliàs poſſet manè comedere carnes; quia eadem cauſa, quæ à ieiunio excuſat, excuſabit etiam ex cauſa ab abſtinentia carnium; has enim veſperi licitè comedet.

At, his non obſtantibus contrariam ſententiam docuit Leſſius *lib 4.c.2. dub.8. n.88.* vbi ſic aſſerit: [Qui diſcedit manè ex oppido domicilij, vbi eſt ieiunium, peruenturus ad locum,vbi non eſt ieiunium;non poteſt quidem in loco domicilij veſci carnibus;poteſt tamen ſumere ientaculum, quia non tenetur illo die abſtinere à ſecunda refectione; cùm in loco, ad quem peruenturus eſt, poſſit ſecundò, & tertiò comedere: ergo poteſt primam refectionem ſumere manè, antequàm diſcedat.] Ita ille. Idem etiam docet Sanchez *de matrim. tom.1. lib.3. diſp.18. num.22.* Portel. *in addit. ad dubia regul. verb ieiun. n. 2.* Naldus *in ſum. verb. ieiunium, n.1.* Filliucius *tom.2. tract. 27. p. 2. c.6. num. 109.* Molfeſius *in ſum.tom.1 tract.10. c.4. n.21.* Imò cum Sancio *in Select.diſp.54.n.28.* & aliis, puto, hoc etiam eſſe verum; quamuis nocte ſit peruenturus ad proprium oppidum, à quo manè exiuit, & vbi ieiunium ſeruabatur: nam, cùm ipſe ferè per totã diem fuerit in loco,vbi non ieiunabatur; potuit

potuit licitè pluries comedere, cum quo ieiunium nequit ſeruari:erit tamen adſtrictus, ſerò in oppidum reuerſus, à carnibus abſtinere.

Ad argumentum verò Coninch, reſpondetur ex Sanchez, obligationem abſtinendi à carnibus eſſe diuiduam: vnde toties illis vtens in die vetito delinquit mortaliter: quare poteſt pro parte diei eiuſdem, dum in loco obligationis eſt, id præceptum ſeruare;& pro parte eiuſdem diei non ſeruare, dum eſt in alio loco,in quo non obligat:ſed obligatio ieiunandi indiuidua eſt: conſiſtens in vnica comeſtione quam ſemel violans ieiunium, comedendo,non tenetur ampliùs ea die à cibis abſtinere: cùm ergo ieiunium nocte obligaturum non ſit, non obligabit ſummo manè. Ita Sanchez, quem citat, & ſequitur Villalob. *in ſum. tom. 1. tract. 2.diff.34.n.3*.vbi.ſic ait:El que ſale de ſu lugar donde ſe ayuna, y llega la hora de la cena à otro adonde ſe come carne, la puede cenar alli, y aun podra, antes de ſalir de ſu lugar, ſi tiene por cierto, que ha de yr al lugar, donde no ſe ayuna, almorçar en ſu caſa por la mañana,con que no coma carne entonçes.Ita ille.

### *An, qui fecit votum de ieiunando tali die in pane, & aqua; toties peccabit mortaliter,quoties biberit vinum?*

Resolvt. IV.

REſpondeo, talem, ſi biberet vinum,peccare mortaliter: at eo bibito in ea quantitate notabili,vt frangat ieiunium, non eſt amplius peccatum id bibere, Attamen, ſi promiſit,ſe illa die nihil manducaturum, niſi panem, & aquam, tunc, quoties biberet vinum,peccaret mortaliter: quia toties frangeret votum negatiuum: & ita Sanchez *in ſum. tom. 1.lib.4.c.11.n.45*.& poſt illum Portel.*in addit.ad dubia regul. verb.ieiun.n.4*.Sed Barth.à S.Fauſto *in theſ.Relig. lib. 1. q. 141.* notauit,ita vouentem non frangere ieiunium,ſi ceruiſiam biberet:quia verum vinum non eſt.

### *An,ſi quis voueret ieiunare, teneatur abſtinere à lacticiniis extra Quadrageſimam?*

Resolvt. V.

NEgatiuè reſpondet Ortiz *in ſum. c.19.n.9*.vbi ſic ait: [Los hueuos no ſon contra la ſuſtantia del ayuno, ni ſe vedan,ſino en Quareſma, y aſſi los que prometieron de ayunar, pueden ayunar con hueuos. ]Sed Azorius *part. 1. lib. 3. c. 10. qu. 2*.ait,ita vouentem debere eo modo ſeruare hoc ieiunium,quomodo ciuitas ſeruat ieiunia Vigiliarum, & quatuor Temporum.Et *lib.11.c.20.qu.7*.aſſerit, ita vouentem teneri ſeruare hoc ieiunium iuxta patriæ conſuetudinem.

Sed talem conſuetudinem non extare putat Portel. *in addit. ad dub. regul. verb. ieiunium.n.7.* vbi ſic aſſerit:[Sanchez tenet, probabile eſſe,ſic vouentem ieiunium,abſque Bulla Cruciatæ, poſſe comedere lacticinia in illo die ieiunij;extra ieiunia tamen Quadrageſimæ: quia eſt probabilior opinio,nec de iure, neque de conſuetudine interdici in die ieiunij lacticinia extra Quadrageſimam. ] Ita Portel probabiliter quidem, vt *ſupra* dictum eſt,Et nouiſſimè hanc ſententiam docet Sancius *in ſelect. diſp. 51. n.19*.vbi ait, non adeſſe præceptum, neque conſuetudinem abſtinendi ab ouis, & lacticiniis in Vigiliis, & quatuor anni Temporibus, maximè in Regnis, vbi adeſt Bulla Cruciatæ,vt eſt in hoc Regno Siciliæ. Vide etiam Vaſqu. *in p. 2. tom.2.diſp.117.c.6.n.54*.

Itaque ita vouens ſatisfaceret voto, ſi in ieiuniis extra Quadrageſimam comederet ſine Bulla lacticinia, & oua: imo Sanchez *in ſumma.tom. 1. lib. 4. c. 11. n. 53.* cum Angles docet,promittentem ieiunare in Quadrageſima, dubium autem, an intenderit abſtinere à lacticiniis,non eſſe damnandum, tanquàm reum voti, ſi illis abſque Bulla veſcatur, licèt peccaret in præceptum Eccleſiæ interdicentis eo tempore lacticiniorum vſum.Rationes,quare id aſſerat videndæ ſunt apud ipſum.

### *An ieiunium indictum à Confeſſario,vel ab aliquo Iubileo,frangatur cum eſu ouorum,& lacticiniorum?*

Resolvt. VI.

QVoad primum de ieiunio per pœnitentiam iniuncto, negatiuè reſpondet Paludanus *in 4. diſt. qu. 4. art. 4. concl. 2*. Syluest. *verb. ieiunium q.5*.& Fagundez *Præcep. 4. lib. 1. c. 2. n.10*.qui etiam citat D.Antoninum:& Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 4. c. 11. num.50*.citat pro hac ſententia Ouandum *in 4.diſt.16.poſt propoſitionem 52.concl.1*.

Sed quoad ieiunia Iubilei, poſſe illa ſeruari cum eſu lacticiniorum, docet Henriquez *lib. 7.c. 10.n.4 & c.13.n. 13*. & Villalobos *in ſum. tom. 1.tract.26.diffic.24.n.4*.vbi ſic aſſerit: [Puedeſe ganar el Iubileo ayunando con hueuos, y lacticinios, ( fuera del ayuno de Quareſma. ) La razon es, porque en derecho no ſe prohiben los hueuos entre anno, y comiendo lacticinios, ſe guarda la ſuſtancia del ayuno, y lo declararon Pio V. Gregor.XIII. Greg.XIV. y Siſto V. en los Iubileos, que en ſu tiempo dieron, como refiere Henriquez, y el que tuuiere Bulla tambien en Quareſma, puede ganar el Iubileo comiendo lacticinios, porque con eſſo ayuna.]

Dices, hoc verum eſſe,ſecluſa conſuetudine,vt notauit ipſemet Henriquez. Homobonus *de exam. p.1.tract. 8.c.7. q.21*.& Alfonſus de Leone *tract. de Iubileo.p.2.q.14.ſect.3. n.142*. Reſpondent aliqui, talem conſuetudinem non extare,ideò ad alia tranſeamus.

### *An ſutores excuſentur à lege ieiunij?*

Resolvt. VII.

NEgatiuè reſpondet Toletus *lib.6.c.4.n.5*.

Sed Villalob. *in ſum.tom. 1.tract.23.diff.14.n.7*.putat,hoc remittendum eſſe ad arbitrium boni viri, qui malè citat Azorium *p.1. lib. 7. c. 17. q. 8*.hoc etiam aſſerentem: nam ipſe abſolutè in illo loco excuſat ſutores à ieiunio; neque id remittit arbitrio boni viri:nam dicta ars videtur laborioſa: & ita etiam docet contra Toletum, Leſſius *lib. 4. c. 2. dub.6.n.43*. Reginaldus *in praxi,tom.1.lib.4.c.17. ſect.2.n.16*. Bonacina *de leg diſp vlt.q 1 par.vlt.n.10*.& Laiman *in Theol.mor.lib.4. tract.8.c.3.n.3*.

### *An ſartores,& barbitonſores teneantur ieiunare?*

Resolvt. VIII.

COmmuniter DD. affirmatiuam ſententiam docent. Ita Filliucius, & Bonacina, *vbi infrà*, Raguccius *in vaſ. Eccleſ. diſcip. præcept. 7. qu. 30. n. 9*.Molfeſius *in ſum. tom. 1. tract. 10.cap.4.n.43*.Leſſius *lib.4. cap.2. dub.6. n.43*. Azorius *part. 2. lib. 7. cap. 17.q.8*.Villalobos *in ſum.tom.1. tract. 23. diff. 3. n. 7*.Layman *in Theol.mor.lib.4.tract.8.c.3. n. 3*. Tannerus *in 2.2.diſp. 3.quæſt.3 dub.5.n.102* Reginald. *tom. 1. lib. 4. c.17. n. 216*.Ioannes de la Cruz *in direct.conſcient. part. 1.præcept. 3.art. 4. dub.9.concl.2*.& alij:vbi docent, excuſari à ieiunio figulos, argentarios,textores,fullones,cæmentarios, piſtores,coriarios, & alios in labore ſimiles; non autem ſartores, pictores, & tonſores; quia huiuſmodi artes non ſunt ita laborioſæ: nam in his exercitationibus eſt paruus corporis motus, & per conſequens parua virium reſolutio,quæ ad reſtaurationem ſubſtantiæ exhauſtæ non requirat frequentem cibi ſumptionem, vt à ieiunio poſſint excuſari. Neque obſeruat Reginaldus in contrarium vrgere poſſe priuilegium Eugenij IV.quia ipſum nihil habet, per quod tales eos comprehendi cenſeri poſſit,vt patet conſideranti illius tenorem.

At, his non obſtantibus, Fagundez Theologus Societ. Iesv *Præcep. 4. lib.1.c.7.num.15. & 16. in fin.* ex Ledeſm. *2.part. quæſt.17.art.3.dub.9*.contrariam docet ſententiam, quam



quam adducunt,& non improbant,Filliuc. *tom.2.tr.27.p.2. c. 6. n. 117*.& Bonac.*de leg. diſp. vlt. q.1.punct. vlt num. 12*. Probat autem Fagundez hanc ſententiam;nempe ſartores & barbitonſores non teneri ad ieiunium ex dicto priuilegio Eugenij IV. vbi putat, Pontificem omnes artifices indiſcriminatim excuſare, ſiue eis concedendo priuilegium non ieiunandi, ſiue declarando eos non comprehendi in lege ieiunij.

### *An foſſores,ferrarij,& ſimiles,qui excuſantur à ieiunio, teneantur ieiunare vno, vel altero die, quo non laborant?*

Resolvt. IX.

ID arbitrio prudentis viri definiendum eſſe putat Medina *in ſumm.lib.1.c.14.§.10*.& Syluius *in 2.2. D. Thom. q.187.art.4*.& Villalob.*in ſumm.tom.1.tr.23.differ.4.n.9*.

Sed ego abſolutè cenſeo,dictos artifices non teneri illis diebus ieiunare: quia huiuſmodi viri non ſunt ita ieiunio aſſuefacti; & ideò maximè affligerentur, ſi ieiunare tenerentur. Deinde indigent viribus ad laborem ſequentium dierum,& laboribus præteritis admodum feſſi, & debilitati remanent. Et ita nobiſcum ſentit Ioann.de la Cruz *in director. conſcient part.1.præcep.3.art.4.dub.9.concluſ.2*. Azorius *tom. 1.lib. 7.c. 27.q.8*. Fagundez *præcept. 14.lib. 1.c. 8. num.16*.& alij.

### *An Prædicatores, & Magiſtri, qui publicè alios docent, teneantur ad ieiunium?*

Resolvt. X.

NEgatiuè reſpondet Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. p. 1.præcept.3.art.4.dub.9.concl.2*. vbi ſic aſſerit: [ Excuſantur, qui ob opera pietatis maiora non valent ieiunare, vt prædicando, docendo. Idem docet Tabiena *verb. ieiunium.n. 16*. Filliuc. *tom.2.tract.27.p.2.c. 6. n. 124*. Azor.*p.1.lib.7.c.28.q.1*.Graffius *part. 1.lib.2. cap. 37. n. 54*. Ant.de Litteratis *in ſum.p.1. c.39. n.9*. Fernandez *in exam. Theol.mor p.2.c.8.§.2.n.12*. Nauarrus *c.21. num 16*. Gabriel *in 4. diſt.16.q.3.art.1.reſolut.verb.ieiunium,n.21*. Reginaldus *tom.1.lib.4.c.17.n.219*.Syluius *in 2.2. D.Thomæ q.147.art. 4*. & alij.

Sed hoc intelligunt ſupradicti DD. quando commodè ieiunare non poſſent:nam, ſi poſſent,tenerentur: & ideò aſſerit Villalobos *in ſum. tom. 1.tract.23. differ.4. n. 15*.[ Se excuſan del ayuno los Predicatores, Maeſtros, y Doctores,que enſeñan à otros, quando no pueden hazer los tales oficios ayunando: mas de ordinario, creo que pueden eſto ayunar.]

Sed pro praxi Confeſſariorum, quid ego ſentiam, dicam breuiter. Prædicatores, qui in diebus quadrageſimalibus concionantur, puto omninò excuſandos eſſe à ieiunio: quia ſummoperè laborant. De Prædicatoribus verò, qui Dominicis diebus tantùm concionantur,puto,vt plurimùm, non eſſe à ieiunio excuſandos, niſi eſſent debiles & paruæ complexionis:& ideò hoc remittendum puto ad arbitrium boni viri. De Lectoribus verò puto cum Fagundez *Præcept. 4. lib.1.c.8 n. 19.* qui videtur etiam docere, non eſſe omnes excuſandos; ſed tantùm illos,quorum labor improbus eſt;vel qui ita debiles ſunt, vt ſufficienter ſtudere non poſſint,vt lectionem explicent,& legant cum ſatisfactione.

Notandum eſt verò ſupradictam doctrinam procedere, etiam quoad Confeſſarios, quos à ieiunio excuſant. DD. *ſuprà* citati, quando vt notat Fagundez, *vbi ſuprà*. & alij, aſſiduè pœnitentium Confeſſiones audirent; & ieiunium commodè obſeruare non poſſent; & id in cauſa ſit, vt à Confeſſionibus deſiſtant: ſecùs autem, ſi audiendo Confeſſiones,poſſent etiam commodè ieiunium ſeruare,quod arbitrium boni viri conſiderabit.

### *An Prædicatores,ſi ex mercede concionentur,teneantur ieiunare? & quid de Muſicis?*

Resolvt. XI.

AFfirmatiuam ſententiam docet ex Sylueſt. & Caiet. Binsfeldius *in Enchir. Theolog. p.3.c.33. concluſ. 9*. & illam videtur etiam docere Philiarchus *de off.Sac.tom.1.p.2. lib. 3. c.25*. Toletus *lib.6.c. 5*. Fernandez *in exam.Theolog. p.2. c.8.§.2.n.12*. Fagundez *Præcept.4.lib.1. cap.9. n.19*. vbi tunc excuſant Prædicatores à ieiunio, quando concionarentur ex officio, putà ex obedientia, vel ex voto; ſeu, ſi eorum conciones eſſent multùm vtiles populo.

Nauarrus verò *in Man.c.21.n.17*.& poſt illum Graffius *p.1.lib.2.c.37.n. 54*. & Reginaldus *in praxi, tom. 1. lib. 4. c. 17. n. 219*. putant, hanc ſententiam eſſe veram, quando talis Prædicator concionaretur principaliter propter lucrum:ſecùs, ſi minus principaliter, ob neceſſitatem ſe ſuſtentandi.

Sed ego puto, abſolutè dicendum eſſe, Prædicatores excuſari à ieiunio,etiamſi conciones ſuſcipiant ob mercedem:& ita docet Bonacina *tract.de legib.diſp.vlt.q.1.punct. vlt.n.13*.& Filliucius *in praxi,tom.2.tract.27.p.2. c.6.n.124*. & Leſſius *lib.4.c.2. dub. 6. num. 44.* putant contra Fagundez, & Philiarchum, quòd non eſt neceſſe, vt prædicatio efficiatur ex voto,vel officio.

Quoad Muſicos verò ita aſſerit Sancius *in Selectis,diſp.44. n. 18*. [ Cantores conductos ad canendum, ſiue ſalarium, aut præbendam ad id habentes, poſſunt non ſeruare ieiunium, ſi ad canendum redderentur inhabiles. Et Presbyteris,ouis in Quadrageſima veſci fas erit,cauſa vocis conſeruandæ:non enim cauſa ieiunij adſtrictus eſt aliquis diminutè ſuum exequi munus. ] Ita Sancius, qui in facti contingentia ita fuiſſe conſultum in Hiſpania teſtatur: quod ego vrgentiùs procedere exiſtimo in cantoribus ad ſolatium magni Principis in camera concinentibus.

### *An Aduocati,& Procuratores teneantur ieiunare?*

Resolvt. XII.

AFfirmatiuè reſpōdet Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. p.1.præcept.3.art.4 dub. 9. concl. 2*. & Ledeſma *in ſum. tom. 2. tract.17.c.2. concl. 5. dub. 3*. & Reginaldus *in praxi, tom.1 lib 4.c.17.n.216*.

Sed,quia Philiarchus *de offic.Sacerd.tom. 1. par. 2. lib.3. cap. 35.* & alij,agunt de illis,ſicut & de Concionatoribus, & Lectoribus: ideò, quod dictum eſt de talibus, dicendum eſt de Aduocatis; nempe, vt de Lectoribus aſſerit Fagundez *Præcept. 4. lib. 1.c.8.n.19*. non omnes eſſe excuſandos;ſed tantùm illos,quorum labor improbus: vel qui ita debiles ſunt,vt ſufficienter ſtudere non poſſint, vt poſteà cauſis clientum ſatisfaciant: ac proptereà dixit Ortiz *in ſumma, c. 19. mand. 2. n. 15*.[ No es obligado à ayunar el Iuriſta, que eſta ſu cabeza deſuanecida de eſtudiar. ] Idem, quod dictum eſt de Aduocatis, dicendum puto de Procuratoribus.

### *An quis teneatur eos ſolos operarios vocare, qui cum moderato labore poſſunt operari ſine fractione ieiunij?*

Resolvt. XIII.

AFfirmatiuè reſpondet Toletus *in ſumm. lib. 6. c. 5. n. 1. caſ. 1.* qui citat Paludanum *in 4. diſt. 14. q. 4. art. 1*. & Gabriel.*diſp.16.q.3.art.1.notab.4*

Sed ego puto,contrariam ſententiam veram eſſe:& ita obtinuit conſuetudo recepta ab omnibus timoratis,& religioſis viris,qui non propter ieiunium ſubtrahunt ſeruis de labore, neque operarios dimittunt: igitur non tenetur dominus eum ſolum laborem ſeruis imponere, & eos ſolos

ſolos operarios vocare, qui cum moderato labore poſſint ieiunare; ſed poterit eundem laborem ſeruis imponere, & operarios quoſcunque vocare, licèt ieiunium non ſint ſeruaturi: & ita docet contra Toletum Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 2. c. 8. §. 2. n. 15.* Imò Fagundez *Præcept. 4. lib. 1. c. 6. n. 16.* putat, poſse dominos conducere operarios hoc pacto: vt eo die, quo ſuo labori incumbunt, non ieiunent: quia, cùm dicti operarij non teneantur ieiunare, neque venialiter peccabit dominus illos cum conditione, vt non ieiunent, conducendo.

### *An prægnantes, & lactentes teneantur ad ieiunium?*

#### Resolvt. XIV.

NOn teneri reſpondet Leſſius *lib. 4. cap. 2. dub. 6. n. 39.* Vegha *in ſum. tom. 1. c. 14. caſ. 22.* Valentia *tom. 3. diſp. 9. q. 2. punct. 2.* Graſſius *p. 1. lib. 2. c. 37. n. 93.* Toletus *lib. 6. c. 3. n. 3.* Azorius *tom. 1. lib. 7. c. 17. q. 6.* Tannerus *in 2. 2. diſp. 3. q. 3. dub. 5. n. 100.* Syluius *in 2. 2. D. Thomæ, q. 147. art. 4.* Villalobos *in ſumm. to. 1. tract. 23. diff. 4. n. 2.* Filliuc. *tom. 2. tract. 27. p. 2. c. 6. n. 214.* Azor. *p. 1. lib. 6. c. 28. q. 6.* Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. p. 1. præc. 3. art. 4. dub. 9. concl. 2.* & alij.

Sed limitant hanc ſententiam Sylueſt. *verb. ieiunium, q. 9. verſ. 5.* Philiarchus *de offic. Sacerd. tom. 1. p. 2. lib. 3. c. 25.* Iacobus de Graſſiis *tom. 1. p. 1. lib. 2. cap. 37. n. 44.* niſi dictæ mulieres eſſent robuſtæ, & vnica refectione poſſent ſeipſas, & fœtum ſuſtentare.

Sed, quia tales mulieres communiter non ſunt tam robuſtæ naturæ, vt vnica refectione tantùm alimenti ſumere poſſint, vt pro ſe, & prole ſufficiat, & omnis lex adaptatur ad ea, quæ frequenter accidere ſolent; ideò non refert, ſi aliquæ ſint robuſtæ, & virilis naturæ, vt tradit ex noſtris Molfeſius *in ſum. tom. 1. tract. 10. c. 4. n. 40.* & Reginaldus *in praxi, tom. 1. lib. 4. c. 17. n. 210.*

Adde, quòd in dubio non teneatur ad ieiunium, vt notat Fagundez *Præcept. 4. lib. 1. c. 8. n. 14.* Caiet *in 2. 2. q. 147. art. 4.* & omnes DD. *ſuprà* citati. Deinde, tales mulieres appetunt ſæpè vehementer aliqua; & niſi deſiderio ſuo ſatisfaciant, periculum eſt, ne fœtus proiiciatur; & ideò Confeſſarij ſine ſcrupulo ſupradictas prægnantes, & lactentes excuſabunt à lege ieiunij.

### *Quid facere debeat dubitans an teneatur ad ieiunium?*

#### Resolvt. XV.

IN tali caſu debet recurrere ad Superiorem pro diſpenſatione, qui non debet eſſe nimiùm ſcrupuloſus, & ambiguus, remittens id petentium ſubditorum conſcientiis: nam ad ipſos ſpectat tunc diſpenſare: quando enim cauſa eſt dubia, tunc ipſi diſpenſando iuſtam efficiunt. Ita Caietanus *in 2. 2. qu. 147. art. 4.* Filliucius *tom. 2. tract. 27. p. 2. cap. 6. num. 129.* Ortiz *in ſum. cap. 19. mand. 2. n. 15.* Graſſiis *part. 1. lib. 2. cap. 37. n. 57.* Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 23. diffic. 22.* Ledeſma *in ſum. tom. 2. tr. 17. cap. 2. concl. 5.* & alij.

Notandum eſt etiam cum Ioan de la Cruz *in direct. conſcien. p. 1. præcep. 3. art. 4. dub. 9. concl. 3.* quòd ſi Prælatus dubitet de ſufficientia cauſæ, aut iudicet eam minus ſufficientem, tunc debet ieiunium in alia opera pia commutare. Et, ſicut ſupradicta poteſt circa ieiunium ſubditorum, poterit circa ſua, quia non debet eſſe peioris conditionis quàm ſubditi: quòd etiam procedit in caſibus reſeruatis. Ita Sanchez *de matr. tom. 3. lib. 8. diſp. 3. n. 9.* Azor *p. 1. lib. 7. c. 29. qu. 7.* & Villalobos *vbi ſupra*, qui citat Syluestrum, Caietanum, & Sotum.

Sed hæc omnia procedunt in ieiuniis à iure communi indictis: nam ieiunia ex voto poteſt Confeſſarius virtute Cruciatæ commutare; ſicut ieiunia à Confeſſario in pœnitentia impoſita, quilibet alius Confeſſarius, iuxta illa quæ in tali materia alibi diximus. Ita Villalobos *num. 24.* & alij.

### *An, ſi quis violet duo ieiunia ab Eccleſia indicta, in vnum diem incidentia; peccet dupliciter?*

#### Resolvt. XVI.

AFfirmatiuè reſpondet Nauarrus *in Manual. cap. 11. num. 4.* Lopez *in ſum. p. 1. cap. 39.* Rodriquez *in. ſum. tom. 1. c. 23. num. 3.* & ex neotericis Societatis Iesv Ægidius Coninch *de Sacr. diſp. 7. dub. 6. n. 47.* & alij: quia violat duplex præceptum: & ita ſentiunt de auditione Miſſæ, atque ceſſatione ab operibus ſeruilibus,

Hæc opinio eſt probabilis. Sed contrariam probabiliorem eſſe exiſtimo; & ita in terminis loquens de ieiunio docet Ledeſma *in ſum. tom. 1. tract. 17. cap. 2. concl. 5.* Filliucius *tom. 2. tract. 27. par. 2. cap. 5. num. 82.* Henriquez *lib. 5. cap. 5. num. 6.* Azorius *tom. 1. lib. 7. cap. 31. quæſt. 7.* Fagund. *præcep. 4. lib. 1. cap. 10. num. 7.* Sanchez *de matr. tom. 3. lib. 9. diſp. 15. num. 6.* Vaſquez *in p. 2. tom. 2. quæſt. 72. art. 6. diſp. 98. n. 8. & ſeq.* Suarez *in 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſect. 4. n. 22.* & alij. Et ratio eſt: quia peccata non multiplicantur numero ex diuerſitate præceptorum, quando illa præcepta pertinent ad vnam virtutem, vt eſt in caſu noſtro: ſecùs ſi pertinerent ad diuerſas virtutes, vt cùm concurreret ieiunium indictum ab Eccleſia, & ex voto. Et ita dicendum eſt de auditione Miſſæ, & abſtinentia ab operibus ſeruilibus.

Quæres, an ſaltem talis tranſgreſſio præceptorum ſit circunſtantia in Confeſſione aperienda? Affirmatiuè reſpondet Reginaldus *in praxi, tom. 1. lib. 4. cap. 17. n. 192.* & alij. Sed ego puto contrariam ſententiam probabiliorem, etiam ſtando in illa opinione, quòd circunſtantiæ aggrauantes ſint neceſſariò confitendæ. Et ita docet Vaſquez *in p. 2. tom. 2. diſp. 96. num. 10.* Sanchez *de matr. tom. 3. lib. 9. diſp. 15. n. 6.* cum aliis. Nam talis circunſtantia non ita notabiliter aggrauat, vt ſit in Confeſſione aperienda. Ex his apparet, Monachum D. Franciſci peccare dupliciter, ſi in diem Veneris coincidit Vigilia, & non ieiunet: quia obligatur ad illa ieiunia ex diuerſis virtutibus, temperantiæ, ſcilicet, & ex Præcepto Eccleſiæ, & Religionis: quia ex voto obedientiæ tenetur Regulam obſeruare: & ita docet Vaſquez *vbi ſuprà, n. 8. & 9.* Sanchez, Fagundez *Præcep. 1. lib. 2. c. 2. n. 9.* & alij.

Nota etiam, ſupradictum Religioſum D. Franciſci teneri ad Regulæ ieiunia, etiamſi annum vigeſimum primum non expleuerit: quidquid in contrarium aſſerat Medina *in ſumma, lib. 1. cap. 14. §. 10.* cum Graſſiis *part. 1. lib. 2. c. 37. n. 42.* nam noſtram ſententiam communiter docent DD. Ortiz *in ſumma, c. 19. mand. 2. punct. 21.* Portel. *vbi infrà.* Reginaldus *tom. 1. lib. 4. c. 17. n. 207.* Emmanuel Sà *verb. ieiunium, n. 3.* Tabiena *quæſt. 16. n. 17.* Syluest. *q. 6. diſt. 1.* Azorius *tom. 1. lib. 7. c. 2?. quæſt. 3.* Ledeſma *in ſumma, tom. 2. tract. 27. cap. 2. concluſ. 5. dub. 2.* Vegha *in ſumma, tom. 1. c. 14. caſ. 6.* Gabriel *in 4. diſt. 16. q. 5. art. 1.* Fagundez *Præcept. 4. lib. 1. c. 8. n. 6.* Villalobos *in ſumma, tom. 1. tract. 23. diff. 4. n. 5.* & alij.

Verùm Portel. *in dub. regul. verb. ieiunium, n. 2.* & Rodriquez *tom. 2. q. 100. art. 6.* obſeruat, & optimè, dictos Minoritas ante vigeſimum annum non teneri ieiunare Vigilias, & quatuor Tempora Eccleſiæ, & Sanctorum; quia ad ea non obligantur ex vi Regulæ: ergo non tenentur ex Præcepto Eccleſiæ.

Ex ſupradictis etiam apparet, teneri ad ieiunia Iubilei adoleſcentes, qui nondum vigeſimum primum annum attigerunt; aliàs Iubileum non obtinebunt. Ita docet ex noſtris P. Alphonſius de Leone *tract. de Iubil. p. 2. q. 14. ſect. 3. num. 144.* qui citat Azorium, Graſſium, Zanardum, Toletum, Bonacinam, & alios. Idem docet Fagundez *Præcep. 4. lib. 1. c. 8. n. 5.*





### *An licitum ſit in ieiuniis Iubilei, voti & impoſitis pro pœnitentia, comedere oua, & lacticinia cum Bulla Cruciatæ?*

#### Resolvt. XVII.

QVidquid aliqui contradicant, vt adnotaui *in tract. de Bullæ Cruciatæ*, reſpondeo affirmatiuè: & præter DD. quos ibi citaui, docet hanc ſententiam Molfeſius *in ſum. tom. 1. tract. 10. c. 4. n. 28.* Alfonſ. de Leone *tract. de Iubil. q. 14. ſect. 1. n. 142.* Et ratio eſt: quia, dum contrarium non conſtat de mente Summi Pontificis, vouentes in voto, & Confeſſarij in pœnitentia iniuncta, ſemper præſumuntur ſe conformare, vt in aliis ieiuniis eccleſiaſticis efficitur: ſed in aliis ieiuniis ab Eccleſia indictis licitum eſt cum Bulla comedere lacticinia: ergo licitum erit & in ieiuniis Iubilei, voti, & pœnitentiæ: quidquid, vt dixi, in contrarium ſentiant Nauarrus, & Graſſius.

### *An quis teneatur ad ieiunia ſui oppidi, dum abſens eſt?*

#### Resolvt. XVIII.

AFfirmatiuam ſententiam docet Paludanus *in 4. diſp. 15. quæſt. 4. art. 3.* quem poſtea ſequitur D. Antoninus *p. 2. tit. 7. c. 2. §. 2. in fin.* & Syluest. *verb ieiunium, n. 7.* Roſella *eod. verb. num. 16.* & alij. Et ratio eſt, quia aliter non teneretur ad leges loci, per quem tranſit, neque ad leges patriæ: ergo omninò exemptus eſſet; quod aſſerere eſt abſurdum.

Hæc ſententia eſt probabilis. Sed contrariam probabiliorem eſſe exiſtimo, quam docet Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 2. diff. 34. n. 1. & ſeq.* Filliucius *tom. 2. tract. 27. part. 2. cap. 6. num. 108.* Leſſius *lib. 4. c. 2. dub. 8. num. 54.* Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 3. diſp. 18. num. 18.* Reginaldus *tom. 1. lib. 4. cap. 12. num. 136.* & alij. Et ratio eſt quia ſtatuta, & conſuetudines locales affixæ ſunt loco, & obligãt tantùm exiſtentem in eo, vt conſtat *ex cap. illa, diſt. 12. & cap. 2. de quæſt. in 6.* ergo, &c. Et adeò, ſi quis noctu peruenit in loca, vbi ieiunium ſuæ patriæ non ſeruatur, poteſt ibi cœnare, & comedere carnes. Ita Leſſius, *vbi ſuprà* Et Luſitanus tranſiens per Caſtellam poteſt edere inteſtina animalium; quamuis in Luſitania id ſibi feria ſexta, & die Sabbati non liceret. Ita Saytus *in claui, lib. 7. cap. 3. n. 11.* Nauarrus *in ſumma, cap. 23. num. 120.* Couarruuias *lib. 4. var. c. 20. n. 8.* Et hæc doctrina procedit, etiamſi talia ieiunia eſſent iuris communis, & obligarent in patria peregrini; non autem in eo loco, in quo reperitur, ſi per diſſuetudinem fuiſſent abrogata: & ita Mediolani licitum erit peregrinis veſci carnibus primis quatuor diebus Quadrageſimæ: vt notauit Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 3. c. 18. num. 7. & 18.* & Leſſius *num. 59.* Fagundez *vt infrà, num. 3.* Secùs autem, ſi ieiunia domicilij ſui obſeruentur etiam in loco vbi tunc eſt: quia tunc nulla ratio excuſat, cùm talia ieiunia obligent in patria ſua, & in loco, vbi tunc per modum tranſitus moratur. Et ita docet Sanchez *de matrim. lib. 3. diſp. 18. num. 14.* Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 14.* Fagundez *Præcept. 4. lib. 1. c. 7. num. 7.* Granado *in p. 2. D. Thomæ, contr. 7. tr. 3. part. 1. diſp. 6. ſect. 4. n. 29.* & alij: licèt etiam probabiliter contrarium aſſerat Sancius *in Selectis, diſp. 54. num. 31.* vbi docet, non teneri peregrinum ieiunare in loco, vbi ſeruatur ieiunium, quando in ſuo loco etiam ſeruatur: quia talis peregrinus non tenetur ſeruare legem illam in loco, vbi eſt præſens, ex vi legis ſuæ patriæ: nam illa non poteſt obligare extra territorium: nec etiam obligatur ex vi legis illius oppidi, per quod peregrinus tranſit. Ergo, &c. Nec eſt reputandum inconueniens, in illo caſu peregrinum ad non ieiunandum eſſe liberum: nam vagi, qui certum domicilium non habent, nullis particularibus, legibus locorum, per quæ vagantur, vinciuntur. Ita Sanc. quod eſt valdè notandum.



### *An aliquis, vt effugiat obligationem Præcepti, poſſit tranſire ad alium locum propinquum, vt non ieiunet, ſi ieiunetur in ſuo?*

#### Resolvt. XI.

VIdetur negatiuè reſpondendum: quia malitia, & fraus non debet patrocinari authori, vt communiter aſſerunt Iuriſperiti, & ita docet Medina *in p. 2. quæſt. 66. art. 5.* Syluest. *verb. ieiunium, q. 2.* Roſell. *eod. verb. n. 26.* & nouiſſimè Leſſius *lib. 4. c. 2. dub. 8. n. 60.*

Sed contrariam ſententiam in praxi tutam eſſe, & probabilem exiſtimo: & illam docet nouiſsimè Fagundez *Præcept. 1. lib. 1. c. 7. n. 7.* etiam, vt dixi, ſi talis ea ſola intentione in alium locum ſe conferat, vt ieiunium patriæ effugiat: quia in tali caſu non datur propriè, & formaliter fraus: nam fraus datur propriè, vbi adeſt obligatio legis, quam quis per dolum, & fraudem vult euadere: ſed hîc nulla datur obligatio, vt *ſuperiori quæſtione* probatum eſt: ergo dicendum eſt, dari potiùs fugam quandam obligationis, quæ fuga de ſe non eſt bona, nec mala, & ita faciens vtitur iure ſuo, &c.

### *An ſenes ſexagenarij, licèt robuſti, & validi, teneantur ad ieiunium?*

#### Resolvt. XX.

LEuis fortaſſe hæc quæſtio alicui videbitur: ſed ita minimè eſt: nam cum paucis commilitonibus aduersùs plures huius militię fortiſsimos duces, aggredior pugnam.

Dico igitur, ferè omnes DD. aſſerere ſenes ſexagenarios viribus pollentes non excuſari à Præcepto ieiunij. Ita docet Layman *in Theol. mor lib. 4. tr. 8. c. 3. n. 1. & 2.* Syluius *in 2. 2. D. Thomæ, q. 147. art. 4.* Tannerus *in 2. 2. diſp. 3. q. 3. dub. 5. n. 191.* Leſsius *de iuſt. lib. 4. c. 2. dub. 6. n. 41.* Fagundez *de Præceptis Eccl. tract. 4. lib. 1. cap. 8. n. 10. & 11.* Filliucius *tom. 2. tract. 27. p. 2. c. 6. num. 112.* Reginaldus *tom. 1. lib. 4. c. 17. ſect. 1. n. 209.* Valentia *tom. 3. diſp. 9. q. 2. punct. 5.* Azor. *lib. 7. part. 1. c. 17. quæſt. 4.* Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. part. 2. præcept. 3. art. 4. dub. 9. concl. 2.* Villalobos *in ſumma, tom. 1. tr. 23. dub. 4. n. 6.* Campanili *in diuer. iur. can. rub. 7. cap. 6. n. 151.* Bonacina *de legib. diſp. 10. q. 1. punct. vlt. n. 4.* Vgolinus *de poteſt. Epiſc. c. 9. n. 6.* Ledeſma *in ſum. tom. 2. tract. 17. cap. 1. concl 5. dub. 3.* Fernandez *in exam. Theolog. moral. p 2. c. 8. §. 2. n. 20.* Victorellus *in Notis ad ſummam Tolet. lib. 6. c. 4. n. 1.* Et à fortiori docent hanc ſententiam DD. aſſerẽtes, ſenes tantùm ſeptuagenarios immunes eſse à lege ieiunij: ita Gabriel *in 4. diſt. 16. q. 3. art. 1. notab. 4.* Syluest. *verb. ieiun. q. 6. diſt. 2.* Tolet. *lib. 6. c. 4. n. 2.* Roſella *eod. verb. n. 15.* Tabiena *eod. verb. n. 18. q. 17.* cum aliis: & DD. aſserentes, vt excuſentur ſenes à lege ieiunij, attendendum eſse robur corporis, & complexionem naturæ, & iuxta eam iudicandum eſse; & ideò totum hoc arbitrio prudentis viri relinquendum eſse: & ita docet D. Antoninus *p. 2. tit. 6. c. 2. §. 7.* Palatius *in 4. diſt. 15. diſp. 8. concl. 4.* Graffiis *p. 1. lib. 2. cap. 17. n. 43.* Vegha *in ſum. tom. 1. cap. 14. caſ. 15.* Rodriquez *in expoſ. Bull. Cruc. § 7. n. 2.* Summa Corona *part. 1. c. 1. n. 80.* & alij.

Itaque ex mente horum DD. manifeſtè apparet, ſenes ſexagenarios, ſi ad ſuſtinendum ieiunium euidenter, & certò viribus polleant, debere ieiunare, non autem in dubio: quia ieiunando exponerent ſe periculo grauis incõmodi, ad quod Eccleſia non videtur obligare. Nec valet dicere, quòd, ſicut adoleſcentes robuſti, & validi nõ tenentur ieiunare ante annũ vigeſimum primũ; ita neque ſenes poſt annum ſexageſimum obligabuntur ad legem ieiunij: nam reſpondetur, non eſſe, vt benè obſeruat Valentia, *vbi ſuprà*, parem rationem in ſenibus, & adoleſcentibus, quia natura non ita determinatè præſtituit ſenibus tempus defectus, ſicut adoleſcẽtibus tempus profectus, atque augmẽti. Deinde ſunt aliqui ſexagenarij tam valida cõplexione, vt dubitare non poſſimus, eos abſque vlla corporis

& ſalutis læſione ieiunare poſſe : quare ergo non ieiunabunt? Facit etiam pro hac ſententia id, quod probat Ricciu *p.3. deciſ.233.n. 6.* & Nauarrus *in praxi, q. 18. ſect.1. n. 4.* ſenes ſexagenarios non eſſe damnandos ad triremes: ſecùs autem ſi ſint robuſti, & validi.

Attamen, his minimè obſtantibus, licèt ſupradictæ ſententiæ ſint omnes probabiles, ego nõ minùs probabilem illam exiſtimo, quæ docet, in ætate ſexegenaria ſenes, licet viribus polleant, certò, & infallibiliter excuſari à lege ieiunij. Vnde miror, Fagundez hanc opinionem vocare parum tutam : licèt addat, non omninò improbabilem : non enim deſunt validiſſimæ rationes ad illam confirmãdam; & Authores magni nominis illam mordicùs tenuêre. Hi ſunt, doctiſsimus Theologus Llamas *in ſum part. 3. c. 5. §. 20.* vbi aſſerit, quòd interrogatus de hac re Pius V. viua voce ita reſpondit. Idem docet Molfeſius *in ſumm. tom. 1. tract.10. c. 4. num. 27.* Ortiz *in ſum. cap. 19. num. 11.* Ioſeph Angles *in 4. ſent. part. 2. quæſt. 6. dub. 6.* Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. diſp. 32. num. 17.* & Portell. *in dub. regul. part. 1. verb. ieiunium, n. 5.* Vide etiam doctum Granadum *in p. 2. D. Thomæ, contr. 7. tract. 3. part. 1. diſp. 6. ſect. 5. num. 39.* & Ioannem Franciſcum Suarez *in Enchirid. caſ. conſcientiæ, lib. 7. verb. Ieiunium. §. Alij tamen.*

Probatur hæc opinio : quia, vt aſſerunt Medici, hæc ſenum roborata exiſtimatio eſt illuſiua : nam eſt ea ætas ex ſe adeò debilis, vt facili ex cauſa ab illo putato robore deturbetur; niſi cibi alimento ſibi ſubueniat : natura enim in illa ætate langueſcit, & ad interitum properat, & ſanitas dictorum ſenum non eſt firma, & conſtans; ſed fallax, & incerta, & media, & inter morbum, & perfectam ſanitatem, vt teſtatur Galenus *lib. 5. & 6. de ſan. tuen.* & licèt aliqui ſexagenarij validi, & fortes videantur; tamen, vt diximus, eorum natura prolabitur, & ad interitum tendit, atque adeò adminiculo cibi frequentiùs ſumpti indiget, vt non tam præſenti ſtatui, quàm futuro conſulatur. Deinde Pius V. & Pontifices ſubſequentes, denegantes Clericis, & Religioſis eſum lacticiniorum, virtute Bullæ Cruciatæ; exceperunt tamen ſenes ſexagenarios : quaſi rationi conſentaneum ſit, vt in ea ætate defectu naturæ conſulant. Ex his rationibus, & aliis, quas inuenies apud citatos Authores, apparet, ſupradictam noſtram ſententiam eſſe probabiliſsimam. Vnde ſæpiùs non dubitaui ego illam in praxi conſulere : & ita etiam ſentiunt multi PP. ex noſtra Religione, & Societate IESV, de hac re à me conſulti.

Notandum eſt etiam, Sanchez *in ſumma* excuſare à ieiunio ſex genarios, qui toto vitæ tempore vouerunt ieiunare certis diebus hebdomadæ, vel anni: contrarium verò docet Layman *in Theol. mor. lib. 4. tract. 8. c. 3. n. 2.*

### *An in hoc Siciliæ Regno diebus quadrageſimalibus, & alius ieiuniis, vſus ſaginimis ſit licitus habentibus Bullam Cruciatæ?*

RESOLVT. XXI.

LIcitum eſſe, ex conſuetudine, & authoritate DD. manifeſtè apparet. Poſſe verò conſuetudinem mitigare, & abrogare leges, & iura humana, communis refert DD. opinio. Id aſſerunt Theologi cum D. Thoma *in p. 2. q. 97. art. 3.* Canoniſtæ *in cap. vl. de conſuetud.* Legiſtæ *l. de quibus. ff. de legib.* & ita in terminis de ieiunio aſſerunt Leſſius *lib. 4. cap. 2. dub. 2. num. 8.* Bonacina *tract. de legib. diſp. vlt. quæſt. 1. punct. 2 num. 2.* Reginaldus *tom. 1. lib. 4. c. 13. ſect. 1. n. 147.* cum aliis : & ita in Belgio, exceptis paucis diebus, conſuetudo permitit lacticinia, etiam in Quadrageſima, & apud Caſtellanos in Hiſpania, vt notat Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 3. diſp 18. n. 19.* licitum eſt edere in Sabbatho inteſtina animalium.

Sed dices, in Belgio, & in Caſtella talem conſuetudinem eſſe licitam : quia licitis, & bonis actibus rationabiliter fuerit introducta propter aliquam neceſſitatem: non vt dicitur *in cap. fin. de conſuet.* longæua conſuetudo non præualet legi, niſi ſit rationabilis : quod quidem non conſtat de noſtra conſuetudine vtendi ſagimine.

Reſpondetur primò; negando aſſumptum : nam, vt probat Salas *de legib. tract. 14. diſp. 19. ſect. 5. num. 45.* ex D. Thom. Caiet. Medin. Conrad. Gerſon. Sot. Valent. Tab. & aliis, communis, & vera ſententia eſt, etiamſi conſuetudo cœperit, ſeu conſtet ex malis actibus, legem abrogare, vbi legitimè præſcripta fuerit; aliàs nunquam conſuetudo eam vim obtinere poſſet, cùm ſemper neceſſarium ſit, actus illos contra legem geſtos, initio illicitos eſſe, donec cõſuetudo illos excuſans iam inoleuerit, præſcriptáque ſit lege abrogata.

*Ad caput. v. fin. de conſuet.* dico, conſuetudinem non dici rationabilem, eò quòd licitis, & honeſtis actibus cœpta, aut continuata ſit; ſed alia ratione, in qua quidem aſſignanda variant Doctores, vt videre licet apud. Menoch. *de arbitr. lib. 2. centur. 1. toto caſu 82.* & apud Salas *vbi ſupr. n. 47.* At, ſi fides habenda ſit Gerſoni *part. 3. tract. de vita ſpiritali, ſect. 4. coroll. 13. alphab. 62. litera. p.* Gabr. *in 4. diſt. 41. q. 1. art. 3. dub. 6.* Nauarro *lib. 3. conſ. de cenſuris, in priori edit. conſ. 7. n. 3. in poſteriori autem conſ. 3. n. 3.* nunquam cenſetur conſuetudo rationi diſſonans, niſi iuri diuino, aut naturali refragetur : at noſtra conſuetudo in hoc euentu illis iuribus non opponitur, ſed ſoli pontificio : ergo non poteſt dici irrationabilis. Sed quidquid ſit de hac doctrina.

Reſpondetur ſecundò ad argumentum principale ex Caietano *in part. 2. quæſt. 97. art. 3.* Sanchez *lib. 7. diſp 4. n. 14. de matrim.* Suarez *de legib. lib. 7. cap. 18. n. 24.* Valent. *tom. 2. diſp. 7. quæſt. 5 punct. 8.* & aliis, fieri poſſe, vt conſuetudo contra legem humanam habuerit quidem ortum ab actibus malis, atque adeò non fuerit initio rationabilis; & nihilominùs tamen, ſuccedente tempore, excuſet poſteros, & vim habeat abrogandi legem: nam (vt rectè inquit Caietan.) non tenentur poſteri ſolliciti eſſe in inueſtiganda cauſa, ob quam ſui maiores cœperunt facere contra legem; quinimò verè poſſunt præſumere eos habuiſſe cauſam iuſtam. Ex his omnibus apparet, quomodo ſine ſcrupulo licitum ſit vti apud nos in diebus ieiuniorum lardo, & ſagimine, ratione inueteratæ conſuetudinis : & hoc etiam licitum erit aduenis, & peregrinis. Vnde Nauar. *in ſum. c. 23. n. 120.* Couarr. *l. b. 4. var. cap. 20. num. 8.* & Henriquez *lib. 9. de Miſſa, cap. 25. n. 2.* docent, Luſitanum tranſeuntem per Caſtellam poſſe edere Sabbatho inteſtina animalium, quamuis in Luſitania id ſibi non liceat.

Quòd verò vſus ſaginimis ſit licitus in hoc Regno non ſolùm ratione conſuetudinis, vt probatum eſt; ſed etiam ex authoritate multorum DD. patet : nam non ignobiles Authores probabiliter docent, quòd in illis diebus, quibus ex aliquo priuilegio licet comedere oua, caſeum, & cætera lacticinia, liceat etiam comedere lardum, & ſagimen. Ita affirmat Gloſſ. *in c. preſbyt. diſt. 82. in ver. ſagim.* Abbas *in c. conſului. de iudic.* Hoſtienſ. *in ſumm. rubr. de obſeruat. ieiunior.* Sylueſt. *verb. ieiun. quæſt. 6. num. 16.* Angelus *eodem verb. §. 5. fin.* Tabiena *eodem verb. §. 7.* Bertachius, Auiles, & alij, apud Henriquez *in ſum. lib. 7. cap. 13. n. 11. in gloſſa, litera H.* vbi etiam aſſerit, ita reſpondiſſe aliquos Archiepiſcopos Hiſpaniæ, qui de hac re conſulti fuerunt : & ex neotericis Societatis IESV docet hanc ſententiam nouiſſimè Fagundez *de Præcept. Eccl tract. 4. lib. 1. c. 2 n. 10.* & ante illum Graffius *in deciſ. part. 1. lib. 2. c. 57. num. 11.* Azorius *p. 1. lib. 7. c. 10. q. 18.* Vide etiam Layman *in Theol. mor. lib. 4. tract. 8. c. 1. n. 5.* Et ratio eſt: quia pinguedo non eſt caro, vt probat Ariſtot. *2. de generat.* finito enim naturali augmento augetur pinguedo. Scio, contrariam ſententiam probabilem docere Villalobos *in ſumma, part. 1. tract. 23. dub. 8 n. 16.* Filliucium *tom. 2. tract. 27 part 2. c. 3. n. 61.* & alios. Sed pro noſtra ſententia, vt viſum eſt, non deſunt patroni: & ideò, vt probatum eſt, ſatis conſtat vſum ſaginimis in hoc Regno iuſtificari ex conſuetudine, vt dicebamus, & ex DD. authoritate.





### *An, qui vouit ieiunare die Sabbathi, vel ſexta feria, teneatur ad id votum, ſi dies Natiuitatis venerit in his diebus?*

RESOLVT. XXII.

AFfirmatiuam ſententiam docet Suar. *de relig. tom. 2. lib. 4. c. 20. n. 7.* Portel. *in add. ad dub. reg. verb. ieiunium, n. 9.* Philiarch. *de off. Sacerd. tom. 1 p. 2. lib. 3. c. 25.* Sanch. *in ſum. tom. 1. lib. 4. c. 11. n. 61.* Villalobos *in ſum. tom. 1. tr. 23. diff. 3. n 6.* Barth. à S. Fauſto *in theſ. relig. lib. 1. q. 154. num. 2.* Vaſq. *in p. 2. diſp. 20. c. 4. n. 26.* Sylueſt. *verb. ieiunium, n. 27. quæſt. 10.* Ortiz *in ſum. c. 19. n. 21.* Reginald. *tom. 2. lib. 18. cap. 20. n. 290.* Bonacina *de legib. diſp. 4 p. 2. punct. 6. num. 9.* Paludanus *in 4. diſt. 38. quæſt. 3. art. 4. concl. 4.* Hieronymus Llamas *in ſumm. p. 3. cap. 5. §. 28.* Homobonus de Bonis *in exam. Eccl. p. 1. tr. 5. c. 9. q. 60.* Molfeſius *in ſum. tom. 1. tr. 11. cap. 14. n. 67.* Sayrus *in claui reg. lib. 6. c. 8. num. 11.* Et ratio eſt: quia ita clarè habetur *in c. fin. de obſer. ieiunij*, ibi : [ Qui nec voto, nec regulari obſeruantia ſunt adſtricti, in ſexta feria, ſi feſtum Natiuitatis Dominicæ die ipſo venire contigerit, carnibus propter feſti excellentiam veſci poſſunt, ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ generalis. ] Vbi vide etiam Gloſſ. Hoſtienſem, & Ancharanum.

Hæc ſententia eſt probabilis. Sed contrariam non minùs probabilem exiſtimo, quàm docet doctiſſimus Molina *tom. 2. diſp. 271. num. 3.* vbi ſic ait : [ Si Deo vouiſti omnes ſextas ferias anni ieiunare; eóque anno dies Natiuitatis Domini ſexta feria celebretur, in qua omnes fideles carnibus veſcuntur : ad iudicandum, an in ea die, nihil impediente voto poſſis carnibus veſci, & non ieiunare; interrogandus es, an, ſi dum votum emiſiſti, tibi occurriſſet, eo anno feſtũ Natiuitatis incidere in diem Veneris, eum diem excepiſſes : quòd ſi affirmanter reſponderes, certè non teneris ieiunare: ſi autem trepides, ſcrupuloſúſque, ac timoratæ conſcientiæ plùs iuſto ſis, arbitrio prudentis iudicandum eſt, non teneri ieiunare : neque enim credendum eſt, te eo die voluiſſe à carnibus abſtinere, & eſſe ſingularem, cum familiæ onere, in piſcibus tibi ſoli parandis. ] Ita Molin. Quem poſteà ſequutus eſt ex eadẽ Societate Azorius *tom. 1 lib. 2. c. 20. q. 3.* & nouiſſimè Fagundez *de Præc. Eccl. tr. 4. lib. 1. c. 6. n. 6.* qui tenet hanc ſententiam, non ex eo fundamento, vt volebat Molin. & Azor. quòd ſi cogitaſſet, non vouiſſet eo die ieiunare : ſed, quia, quando non conſtat de intentione expreſſa vouentis ieiunium, votum ipſius accipiendum eſt iuxta morem Eccleſiæ. Sed mos Eccleſiæ eſt, vt non ieiunetur, & vt carnes comedantur in die Natiuitatis Domini, etiamſi veniat in Sabbatho, vel in feria ſexta. Ergo, &c.

Et ideò hanc opinionem, etiam Authores contrarij probabilem vocant, vt Bartholom. à S. Fauſto *in theſ. relig. lib. 1. q. 154. n. 2.* Bonacin. *de leg. diſp. 4. q. 2. punct. 6. n. 9.* cum aliis : & poſt hæc inueni hanc opinionem etiam docuiſſe Rodriquez *in ſum. tom. 3. c. 25. n. 8.* vbi ſic aſſerit. [ A el que hizò voto ſimple de ayunar los viernes, ſe le deue preguntar, ſi tuuò intencion expreſſa de ayunar en eſte dia, aunque cayeſſe en viernes la Natiuidad, porque ſi no ſe acordò deſto, no eſtà obligado à ayunar, atẽto que ſi ſe acordara, veriſimilmente ſe ha de creer, que no hizierà voto de ayunar en dia de tanta Feſtiuidad. ] Hæc ille mutans opinionem contrariam, quam docuerat anteà *in quæſt. regul. tom. 3. quæſt 43. art. 3.*

Reſtat modò reſpondere ad argumentum contrarium *ex cap. fin. de obſer. ieiun.* Dico igitur, illum canonem intelligendum eſſe, quando vouens expreſsè includeret in ſuo voto diem Natiuitatis Domini, vt *ſuprà* dictum eſt, & omnes conſentiunt : non igitur loquitur in caſu, quo vouens nihil de tali die cogitaret : nam in iſto caſu ſuſtinenda eſt ſententia contraria. Et ita ego ſentio, & ſæpè in praxi conſului. Notandum eſt etiam contra alioquos DD. quos citato nomine carpit Sylueſt. *verb. ieiunium, n. 7.* eum qui votum emiſit non comedendi oua in ſexta feria, vel die Sabbathi, poſſe cõmedere carnes in die Natalis Domini. Vide Regin. *in praxi, tom. 1. lib. 4. c. 13. ſect. 1. n. 146.*



### *An in die ieiunij bibere vinum, ad ſuſtentationem, & famem ſedandam, ſit licitum?*

RESOLVT. XXIII.

NEgatiuam ſententiam ex neotericis mordicùs ſuſtentat Reginald. *in praxi, tom 1. lib. 4 c. 13. ſect 1. n. 153.* qui citat ex eademmet Societate Azorium *p. 1. lib. 7. c. 10. q. 4. in fin.* & ex veteribus id docuerat Riccard. *in 4. diſt. 15. art. 3. q. 7.* Antoninus *p. 2. ti. 6. c. 2. §. 9.* Reſol. *ver. ieiunium; n. 5.* & tandem hanc ſententiam docuit Vir doctus Medina Complutenſ. *C. de ieiun q. 11.* quam fateor eſſe probabilem.

Sed contrariam probabiliorem eſſe iudico, quam docet Vegha *in ſum. tom. 1. c. 14. caſ. 32.* Homobonus de Bonis *de exam. Eccl. p. 2. tract. 8. c. 7. qu. 20.* Filliucius *tom. 2. tract. 27. p. 2. q. 10. n 24.* Molfeſius *in ſum. tom. 1. tract. 10. c. 3. n. 25. lib 4. c. 2. dub. 11. n. 10.* vbi ſic ait: [Potus ordinatur potius ad cibi per corpus diſtributionẽ, & ſanguinis refrigerium, quàm, vt per ſe corpus alat : quòd ſi interdum alat, id per accidens eſt, & non tantùm alit, quantùm cibus. Vnde Eccleſia eius rationem habuit : quare, etiamſi quis eo fine vtatur, etiam immoderatè, non violabit præceptum Eccleſiæ de ieiunio, etſi contra temperantiam peccet. Ita ille, & nouiſſimè Fagundez *de Præcept. Eccleſiæ, tract. 4. lib. 1. c. 3. n. 19.* aſſerit, in more, & conſuetudine poſitum eſſe vinum non violare ieiunium, etſi ad famem ſedandam ſumatur: ſemper enim ſumitur per modum potus.

Ex his apparet, quàm parum Confeſſarios mouere debeat ſententia Alex. de Ales *p. 4. memb. 8. art 1. §. 3.* aſſerentis, vini potionem, præſertim ante prandium, ieiunium violare : nam eſt contra communem Theologorum ſententiam. Vide Villalob. *in ſum. tom. 1. tract. 23. diff 8. n. 14.* Homobonum *de exam. Eccl. p. 2. tract. 8. c. 7. quæſt. 20.* Ledeſm. *in ſum. tom. 1. tract. 17. c. 2. dub. 4.* & alios.

### *An ſine ieiunij fractione licitum ſit ſumere interdiu parum cibi, ne potus noceat?*

RESOLVT. XXIV.

REſpondeo affirmatiuè; veluti exiguam portionem alicuius electuarij; quinque, vel ſex amygdalas ſaccharo confectas, vel quid ſimile. Ita Villalobos *in ſum. tom. 1. tr. 23. diff. 8 n. 14.* & Homobonus *de exam. Eccl. p. 2. tract. 8. c. 7. q. 20.* Reginaldus *in praxi, tom. 1. lib. 4. c. 14. dub. 4. n. 17.* qui citat Sylueſt. Medin. Armillam.

Sed hanc ſententiam limitat Azorius *p. 1. lib. 7. c. 10. quæſt. 7.* dummodò non ſit panis, herba, arboris fructus; ſed exigua medicamenti portio, ſiue fruſtum. At fallitur vir doctus, iudicio Layman *in Theol. mor. lib. 4. tr. 8. c. 1. n. 7.* & Fagundez *de Præcept. Eccl. Præcept. 4. lib. 1. c. 2. n. 20.* quia iſta etiam per modum medicinæ ſumi poſſunt, ne potus noceat : ergo, &c. Et ita etiam videtur ſentire Emmanuël Sà *verb. ieiun. n. 8.* vbi ſine vlla limitatione ſic aſſerit : [ Ieiunium non violat potus aquæ, aut vini; neque etiam, ſi quid edatur, ne potus noceat. Vide Molfeſium *in ſumma, tom. 1. tract. 10. c. 5. n. 23.* & Philiarchum *de offic. Sacerdot. tom 1. p. 2. lib. 3. c. 25.* & hoc eſt intelligendum toties, quoties biberit; dummodo id non faciat in fraudem ieiunij, ſed ne potiùs noceat : & ita docet Fagundez *Præcept. 4. vbi ſuprà, lib. 1. c. 4. n. 14.* cum aliis.

### *An diſpenſatus in eſu carnium, cenſeatur diſpenſatus ad non ieiunandum?*

RESOLVT. XXV.

HIc caſus in praxi ſæpè poteſt contingere, & in hac ciuitate Medicus quidam doctiſſimus ita cum multis

in Quadrageſima diſpenſabat. Sed ad quæſtionem reſpondeo primam opinionem negare. Ita Iacobus de Graffiis in deciſ. part. 1. lib. 2. cap. 37. n. 58. cum Medina, Petraza, & aliis. Et ratio eſt: quia neceſſitas, & iuſta cauſa, quæ excuſat ab integro ieiunio, non excuſat ab omni parte illius: præceptum enim Eccleſiæ, licèt in totum ſeruari non poſſit: in parte, quæ ſeruari poteſt, ſeruandum eſt, ex cap. cùm dilecti. de dolo, & contum. & ibi Gloſſ. & DD.

Secunda opinio affirmat: & illam docet Caietanus in 2. 2. quæſt. 147. art. 8. Hieronymus Llamas in ſumm. part. 3. cap. 4. §. 26. Ledeſma in ſumma, tom. 2. tract. 17. c. 2. concl. 5. Ioan. de la Cruz in direct. conſc. p. 1. præcept. 4. art. 4. dub. 8. concl. 3. Gomez in Bulla Cruciatæ, clauſ. 7. n. 4. Medina in ſum. tom.... lib. 1. c. 14. §. 10. Henriquez lib. 7. cap. 13. n. 12. Filliucius tom. 2. tract. 27. part. 2. c. 3. n. 25. Azorius part. 1. lib. 8. cap. 10. quæſt. 3. Toletus lib. 7. cap. 3. num. 4. & alij. Et ratio eſt: quia abſtinentia ab eſu carnium eſt de ſubſtantia ieiunij: ergo, qui diſpenſatus eſt quoad comeſtionem carnis, eo ipſo diſpenſatus eſt in ieiunio.

Tertia opinio diſtinguit: vel enim diſpenſatus ad eſum carnis edit carnes, quia piſces nocere ſaluti ſolent; vel, vt vires amiſſas recuperet, quia eſt quaſi actualiter infirmus: priori modo diſpenſatus tenetur ad ieiunandum; aliter verò minimè, & ideò pluries edere poteſt: & ita docent Reginaldus tom. 1. lib. 4. cap. 14. n. 168. Leſſius lib. 4. cap. 2. dub. 6. n. 45. Bonacina de legib. diſp. 10. q. 1. punct. 2. n. 3. Fernandez in exam. Theol. mor. p. 3. c. 6. §. 5. n. 3. Petr. de Cenedo in qq. canon. 40. n. 6. & Ortiz in ſum. c. 19. n. 20. cum aliis. Omnes iſtæ tres opiniones ſunt probabiles: ſed ſecunda videtur mihi probabilior, & tuta in praxi, vt teſtatur Villalobos in ſum. tom. 1. tract. 24. dub. 8. n. 9. in fine.

### *An diſpenſatus, vt poſſit edere carnes, ſeu lacticinia; poſſit ſimul edere piſces.*

RESOLVT. XXVI.

NEgatiuam ſententiam docet doctus ſenex Nauarrus tom. 1. conſ. 5. de obſeruat. ieiun. quem poſteà ſequutus eſt Graffiis part. 1. lib. 2. cap. 37. num. 59. Et ratio eſt: quia piſcium eſus ei nocet, vel non nocet: ſi nocet, ergo comedendo illos peccat; ſi non nocet, ergo ſine iuſta cauſa cum ipſo diſpenſatur.

Sed contrariam ſententiam docent communiter DD. vt Reginaldus tom. 1. lib. 4. cap. 14. n. 168. Filliucius tom. 2. tract. 27. part. 2. cap. 3. num. 52. Nugnus in addit. ad 3. part. tom. 2. tract. de Bulla, §. 8. dub. 4. Sebaſtianus Acoſta in explicat. Bull. quæſt. 80. Fernandez in exam. Theol. mor. p. 3. c. 9. §. 5. n. 3. Azorius p. 1. lib. 7. c. 10. q. 5. Ortiz in ſum. cap. 19. n. 18. & 19. Fagundez Præcept. 4. lib. 1. cap. 2. n. 18. & Villalobos in ſum. tom. 1. tract. 24. dub. 8. n. 10. qui reſpondet ad argumenta Nauarri. Et ratio; eſt quia hoc ſine peccato fieri aliquando poteſt, vt ſi vnà cum carnibus non noceant piſces; vel quia parum de ipſis comedendo facultas appetitiua excitatur; vel, dato, quòd contra temperantiam peccetur; non tamen ieiunium frangitur, à quo ex iuſta cauſa diſpenſatio largita fuit. Circa præſentem quæſtionem vide Vegham in ſum. tom. 1. c. 4. caſ. 17.

### *An, qui in diebus ieiuniorum notabiliter anticipat horam comedendi, peccet mortaliter??*

RESOLVT. XXVII.

AFfirmatiuè reſpondet ex neotericis nouiſſimè Fagundez Præcept. 4. lib. 1. cap. 13. n. 4. & ex eadem Societate Reginaldus tom. 1. lib. 4. cap. 15. n. 191. Azorius p. 1. lib. 7. c. 11. q. 4. quod anteà docuerat Caietan. in 2. 2. q. 147. art. 7. Nauarrus in Man. c. 21. n. 27. Paludanus in 4. diſt. 15. q. 4. art. 4. concl. 1. Couar. lib. 4. var. reſol. c. 20. n. 14. Sylueſt. verb. ieiunium, num. 13. Homobonus de exam. Eccl. part. 1. tract. 6. cap. 20. q. 90. Ledeſma in ſum. tom. 2. tract. 17. cap. 2. dub. 4. ante 5. concl. Ioan. de la Cruz in direct. conſc. part. 1. præcept. 4. art. 4. dub. 8. concl. 2.

Hæc opinio eſt probabilis: ſed contrariam probabiliorem eſſe exiſtimo, & illam docet Leſſius lib. 4. c. 2. dub. 2. n. 13. Molfeſius in ſum. tom. 1. tract. 10. cap. 5. n. 16. Toletus in ſum. lib. 6. c. 2. n. 8. Villalobos in ſum. tom. 1. tr. 13. dub. 9. n. 2. Filliucius tom. 2. tract. 27. p. 2. cap. 4. n. 70. Bonacina de legib. diſp. vlt. q. 1. punct. 4. n. 3. Fernandez in exam. Theol. mor. p. 2. c. 8. §. 3. n. 6. Angelus verb. ieiunium, n. 1. Innocentius de Rubricis de obſeruat. ieiun. n. 3. Palat. in ſum. Caiet. verb. ieiun. Riccard. in 4. diſt. 15. art. 3. q. 8. in fin. Vide etiam Laym. in Theol. mor. lib. 4. tr. 8. c. 1. n. 11. Et ratio eſt: quia talis anticipatio eſt ſolùm mutatio accidentalis ieiunij: ergo non eſt peccatum mortale. Quòd verò ſit mutatio accidentalis, patet: nam hora comedendi ex ſucceſſu temporis magnam habuit varietatem in Eccleſia: ergo determinatio horæ in ieiunio, nunquam fuit de ipſius eſſentia; quia, quæ ſunt de eſſentia, immutari non poſſunt abſque immutatione eius, quod per eam conſtitutum eſt. Adde, quòd ſi per talem anticipationem violaretur ieiunium, non teneretur quis adhuc ampliùs ieiunare: ſed hoc aſſerere eſt abſurdum: ergo, &c.

Notandum eſt verò, quòd ſi ſine cauſa anticipetur notabiliter dicta hora comedendi, erit peccatū veniale: quòd ſi aliqua iuſta cauſa ſubſit, neque veniale peccatum erit; vt, ſi iter ineundum ſit, vel hoſpites dimittendi, concio habenda poſt meridiem, prælectio in Academia, vel alia grauis occupatio, quæ liberam mentē à cibo, & potu requirit.

Sed dices, ſtando in contraria opinione, quæ aſſerit hoc eſſe peccatum mortale, quantùm poſſit abſque dicto mortali peccato præueniri dicta hora comedendi? Molfeſius nimis laxè in ſum. tom. 1. tract. 10. cap. 5. n. 15. putat per horam circiter: nimis ſcrupuloſè Azorius p. 1. lib. 7. c. 11. q. 4. per quadrantem. Sed probabiliter, & ſine formidine Azorij, Filliucius tom. 2. tract. 27. p. 2. cap. 4. n. 73. putat per mediam horam: quia eiuſmodi anticipatio non eſt notabilis, quidquid in contrarium ſentiat Fagundez Præcept. 4. lib. 1. c. 3. num. 3. vbi putat ſemihoram eſſe tempus notabile: ergo, &c.

Sed in noſtra ſententia, quæ in hac anticipatione non agnoſcit culpam mortalem, dicta anticipatio mediæ horæ non eſſet, vt benè notat Filliucius, neque peccatum veniale: ſecùs, ſi vltra mediam horam anticipatio efficeretur; nam ita eſſet culpa tantò grauior venialiter, quantò ab eo longiùs recederetur: cùm verò Religioſi habeant priuilegium anticipandi prandium per horam, ſequitur, poſſe dictos Religioſos priuilegiatos per horam cum dimidia abſque vlla culpa prandium ante meridiem præuenire.

### *An pater, ſeu dominus, teneatur compellere filios, & ſeruos ad obſeruanda ieiunia, quæ frangere volunt?*

RESOLVT. XXVIII.

REſpondet affirmatiuè vir doctus Petrus de Ledeſma in ſum. tom. 1. tract. 27. c. 2. concluſ. 6.

Sed negatiuam ſententiam exiſtimo ſuſtinendam eſſe. Dico igitur, quòd patres, & domini tenentur monere, & curare, lege charitatis, vt ſubditi ieiunium ſeruent; non tamen tenetur illos compellere, aut cogere ad ieiunia ſeruanda: nam id durum nimis, & rigoroſum eſſet: & ita docet Filliucius tom. 2. tr. 27. p. 2. c. 6. n. 91. & Vegha in ſum. to. 1. c. 14. caſ. 27. Lo qual (ſubit ipſe) ſe ha de entender, quando los tales hijos, criados, y ſieruos de ſu caſa, y familia, no ayunaren, aunque ſe lo mande el padre de la familia, antes buſcaran à eſcondidas, ò pidiendo à los eſtraños el almuerzo, y la cena, deuenles empero negar la cena, aunque digan, que es auaro.] Et ita etiam docuit Rodr. in ſum. tom. 1. c. 23. concl. 4. n. 8. & Ortiz in ſum. cap. 19. mand. 2. n. 14.

Igitur in tali caſu paterfamilias tenetur ſupradictos monere, & corrigere; non autem compellere, ſeu ex domo eiicere: & poſt hæc ſcripta inueni hanc ſententiam etiam docere Homobónum de Bonis in exam. Eccleſ. p. 2.





tract. 8. c. 7. quæſt. 21. Comitolum in reſp. mor. l. b. 4. q. 56. Azor. p. 1. lib. 7. c. 37. q. 12. Nauar. c. 21. n. 26. Tolet. lib. 6. c. 5. & Reg. in praxi, tom. 1. l. 4. c.... n. 199. cum aliis.

### *An quis, ne inurbanus videatur, ſumendo modicum cibum ab amico rogatus, peccet, ſaltem venialiter?*

RESOLVT. XXIX.

AFfirmatiuè reſpondet Caiet. in 2. 2. quæſt. 147. art. 3. Sylueſt. verb. ieiun. q. 4. Nauarrrus in Man. c. 21. n. 13. Paludanus in 4. diſt. 15. q. 4. art. 2. & ibidem Riccardus q. 3. art. 4. D. Antoninus p. 2. tit. 6. c. 2. § 6. Et ex neotericis tenet etiam hanc ſententiam Ioan. de la Cruz in director. conſc. part. 1. præcep. 4. ar. 4. dub. 1. concl. 1. Villalobos in ſum. tom. 1. tract. 23. diff. 6. n. 4. Azor. part. 1. lib. 7. c. 9. q. 1. & ante illos Hieronymus Llamas in ſumm. part. 3. c. 5. §. 25. qui acriter inuehitur in contrarium ſentientes: & ideò ait: [Quòd quis ab amicis rogatus poſſit comedere, etiam ieiunans; licentia eſt Fratris Bartholomæi de Medina, ſed non noſtra neque doctiſſimorum virorum, imò neque Eccleſiæ, in totum fraudatiua ieiunij: inter Chriſtianos enim rogatus, vt comedat, ſi reſpondeat: Ieiuno hodie. neque inurbanus eſt, neque ampliùs rogatur ab aliquo, neque in minimo amicitia deperditur: & ſcio experientia ex hac Medinæ licentia multos toto die cum ieiunij irriſione ambulare de domo in domum, vt inuitentur.] Ita Llamas.

Sed non benè loquitur hic Author, licèt Vir doctus, contra Medinam: nam eius ſententiam puto probabiliſſimam, quam docet in ſum. lib. 1. c. 14. §. 10. & nouiſſimè tenet Petrus de Cenedo in quæſt. canon. q. 41. n. 7. & etiam poſt illum ex Societate P. Fagundez Præcep. 4. lib. 1. c. 4. n. 15. qui notat, immeritò Llamas carpere Medinā, cùm aſſerat, ex eius licētia multos tota die cum ieiunij irriſione diuerſuros de domo in domum, vt ab amicis inuitentur. At, quis non videt, hanc conſequentiam indignam eſſe Viro Theologo: nam Medina ita ait: [Però, ſi rogandole vn amigo deſpues de hauer hecho colacion, toma vn bocado para beuer por via de amiſtad, no es peccado alguno.] Vbi nec pluries hoc fieri poſſe aſſerit; nec quod vtatur hac cautela, vt ipſe amicos quæreret, qui ipſum inuitarent. Et ideò ſententiam Medinæ Fagundez vbi ſup. n. 3. etiam de culpa veniali excuſat propter quandam vrbanitatem. Vnde hoc etiam docuit Filliuc. tom. 1. tr. 27. p. 2. c. 2. n. 41. Sed circa præſentem quæſtionem vide etiam Emmanuël Sà verb. ieiun. n. 8. Vegham in ſumm. tom. 1. c. 14. caſ. 2. & Ledeſmam in ſum. tom. 2. tr. 27. c. 2. dub. 3.

### *An fœmina grauida, ad vincendas carnis tentationes, teneatur ieiunare, cum periculo prolis?*

RESOLVT. XXX.

HIc caſus curioſus eſt, & pauci de illo tractant. Affirmatiuam ſententiam docet Fernand. in exam. Theo. mor. p. 4. c. 12. §. 6. n. 1. vbi ſic aſſerit: [Euentus occurrit memoriæ à nemine hactenus agitatus; dignus tamen notatu, & explicatu. Patitur mater graues concupiſcentiæ tentationes, ad incontinentiam non ſolùm prouocantes, ſed potiùs cogentes: experimento didicit, nulla vi eas ſe ſuperaturam, niſi ieiuniorum macie, & debilitatione; veruntamen apertè videt, prolem, aut perituram, aut notabile ſalutis detrimentum paſſuram, propter lactis, ſeu matris virium defectum. Quid igitur? debétne propriam ſalutem ſpiritualem, & continentiam anteferre prolis ſaluti corporali? Arbitror, poſſe, & debere, iuxta charitatis ordinem, qua docemur ſpiritualia corporalibus anteponere, tum noſtra, tum aliena: atque ſubſequuta mors, vel debilitas prolis, per accidens ſubſequetur.] Ita ille.

Contra quem nouiſſimè inſurgit Homobonus de Bonis in Exam. Eccleſ. part. 2. tract. 8. cap. 7. quæſt. 17. vbi ita ait: [Non eſt audiendus Fernandez, qui dicere auſus eſt, fœminam grauidam, quæ carnis ſtimulis ad incontinentiam laceſſentibus vrgetur, teneri, etiam cum prolis, vel fœtus diſcrimine, & extinctione ieiunare, ſi exiſtimat, ſe eos non niſi abſtinentiæ macie, & debilitatione ſuperaturam: nam, cùm alia remedia, vt orationem, Sacramentorum frequentationem, pia conſilia, & alia huiuſmodi adhibere poſſit; non debet tantæ iacturæ ipſam prolem exponere.] Sic Homobonus, & ego.

### *An in Quadrageſima licitum ſit ſine Bulla Cruciata edere, quòd vulgò dicitur, vn Biſcotto?*

RESOLVT. XXXI.

NEgantem ſententiam amplexus eſt Vir doctiſſimus Ioan. de la Cruz in direct. conſc. p. 1. præc. 3. art. 4. dub 8. concl. 4. in fin. vbi ſic aſſerit. [Nota, eſſe peccatum mortale, comedere in Quadrageſima biſcochos ſine priuilegio. Nec valet, quòd ſubſtantia oui eſt verſa in aliam ſubſtantiam, aliàs liceret comedere cibum album ex carne confectum, cùm ibi ſubſtantia carnis verſa ſit in aliam ſubſtantiam.] Idem docet Vegha in ſum. tom. 1. c. 14. caſ. 9.

At, his non obſtantibus, affirmatiuam ſententiam tenet Pater Villalobos in ſum. tom. 2. tract. 23. dub. 7. n. 3. ita aſſerens: [Es materia de colacion vn biſcocho, no obſtante, que lleua hueuos, que moralmente ſe iuzga aquello por colacion, y anſi me parece, que eſta en vſo. Suele lleuar vn biſcocho la quarta parte de vn hueuo.] Et licèt dubius circa præſentem quæſtionem maneat Rodriquez in ſum. tom. 1. c. 23. ante 1. concl. tamen in fine ſic aſſerit: [Atento, que là ſubſtancia del hueuo es poca, no es materia de peccado mortal, porque los que hazen los biſcochos, affirman que cada vno dellos lleua muy poco de vn hueuo, y aſſi me lo han certificado.]

Igitur, & propter conſuetudinem, & propter paruitatem materiæ, hoc edulium comedentes excuſantur à peccato. Vnde, ſi magnam quantitatem ex ipſis comederent, peccarent etiam ſecundùm hos DD.

Sed poſt hæc ſcripta inueni, Ledeſmam docere etiam hanc ſententiam, in ſum. tom. 2. tract. 2. cap. 2. diffic. 5. fol. mihi 690 vbi ita aſſerit: [No tengo pecado mortal en la colacion comer vn biſcocho, ò dos. La razon es, porque aunque no ſea licito, comer hueuos en ſu propria forma, ni conuertidos en otra ſubſtancia, però la cantidad de hueuos que ſe halla en dos, ò tres biſcochos, es muy pequeña, como es coſa notoria y lo dizen los que hazen biſcochos, y anſi eſtà engañado Rodriquez en dezir, que cada biſcocho lleua vn hueuo. Lo que digo en la colacion, digo al comer por la miſma razon.] Ita ille. Qui tamen immeritò carpit Rodriguez: nam ipſe nunquam dixit, quòd tale edulium contineat vnum integrum ouum, vt ex ipſius verbis ſuprà apparet: & in hoc etiam fallitur Vegha, vbi ſup. tom. 1. c. 14. caſ. 9. qui etiam citat Rodriq. ita aſſerentem.

### *An, qui è medio prandio ſurgit, ad aliquid occurrens; poſſit poſteà redire ad continuandum prandium?*

RESOLVT. XXXII.

REſpondeo affirmatiuè cum Fagundez Præcept. 4. lib. 1. c. 4. n. 3. Fernandez in exam. Theol. mor. p. 1. c. 8. §. n. 8. Toleto lib. 6. c. 2. num 7. dummodo non habuerit animum ampliùs non comedendi, & interruptio ſit parua; quæ, quando talis ſit, remittitur ad arbitrium boni viri. Ita Reginaldus tom. 1. lib. 4. cap. 14. num. 177. Azorius part. 1. lib. 7. c. 11. q. 1. & alij: licèt Bonacina de legib. diſp. vlt. q. 1. punct. 3. n. 10. putet, hoc eſſe licitum, etiamſi longa tēporis mora interceſſerit; dummodo, vt diximus, ſurgat à prādio animo poſtea continuandi. Vnde putat Sancius in Selectis

*diſp.*52.*n.*4. hoc etiam eſſe licitum, quanuis ſpatium duarum horarum intercurrerit.

Notandum eſt tamen, quòd in hoc caſu probabiliter putat etiam Leſſius *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.*2.*n.*11. & Layman *in Theol. mor. lib.* 4. *tract.* 8. *c.* 1.*num.*9. quòd ſi quis ſurrexit à menſa animo non redeundi, ſi fortè prandium adhuc duraret, poſſet iterum mutata intentione ad conuiuas redire, à quibus receſſerat: quòd poſteà etiam docet Villalob. *in ſum.tom.*1.*tr.*23.*diffic.*6.*n.*2.qui etiam addit, quòd [ ſi el que tenia cogida ya la ſeruilletta, penſando que ſe hauia acabado la comida, ſi deſpues le traen otra coſa que comer, no quiebra el ayuno comiendola, porque nos es mas de vna comida, y ſi ſupiera, que hauia mas, eſperara.]

Sed plus addit Filliucius *tom.* 2.*tract.* 27. *p.*2.*c.* 2.*q.* 10. *num.* 41. nempe, quòd ſi etiam non adeſſet alius conuiua, ſi prandium inſtauraret intra breue tempus, vt quadrantem horæ, vel paulò magis, probabile eſt, non frangi ieiunium: quia reputatur vna comeſtio moraliter: quod etiam antea docuerat noſter Molfeſius *in ſumma, tract.* 10. *tom.* 1. *cap.*5.*n.*37.vbi ſic aſſerit:[Quando eſt modica interruptio, etiam ſine animo repetendi prandium, non iudicatur fractio ieiunij, vt ſi ſurgens à menſa accedat in aulam, vel aliò, vt comedat electuaria, ſiue res de ſaccharo, & ſic de aliis.] Ita Molfeſius.

Notandum eſt etiam, quòd Portel.*in addit. ad dub. reg. verb. ieiunium*,*n.* 10. putat, ſpatium mediæ horæ non eſſe magnam interruptionem, vt non poſſit quis redire ad cœnam, niſi (addit) quod manducauit, eſſet ſufficiens ad ſuſtentationem ieiunij: nam non poſſet iterum comedere abſque fractione ieiunij.

*An in die ieiunij licitum ſit collationem ſerotinam manè ſumere, & nocturno tempore cœnam capere?*

RESOLVT. XXXIII.

NEgatiuam ſententiam ſub onere peccati mortalis docuerunt Azorius *p.*1.*lib.* 7.*c.*8.*quæſt.* 6. Llamas *in ſumma, part.* 3.*c.*5.16.26.Fagundez *Præcep.*4.*lib.*1.*cap.*4.*num.*16. cum aliis, quia (ait ille) collatio ſerotina non à iure, ſed à conſuetudine introducta eſt: ergo ſerotina tantùm collatio licita erit, & non matutina, cùm adhuc matutina per conſuetudinem non ſit introducta.

Hæc ſententia eſt probabilis: ſed probabilorem eſſe contrariam exiſtimo. Dico igitur, ſine rationabili cauſa collationem ſerotinam manè ſumere, eſſe tantùm peccatum veniale. Et ita docet Layman *Theolog. moral. lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 1.*n.* 10. Fernandez *in exam. Theol.mor.p.*2.*c.*8. §. 3.*n.*7.Toletus *lib.*6.*cap.* 3. *n.* 8. Filliucius *tom.*2.*tract.* 27. *p.* 2.*c.* 2.*n.* 28. Leſſius *lib.*4.*cap.*3. *dub.* 2.*n.*11.Villalobos *in ſumma, tom.*1.*tract.*23.*diff.*7.*n.*2.& alij. Et ratio eſt: quia ita faciendo non violatur ſubſtantia ieiunij, ſed tantùm mutatur circunſtantia illius cœnulæ.

Notandum eſt tamen, quòd mutatio talis refectiunculæ, ſi efficiatur ex iuſta cauſa, vt, v. g. propter ſtudium, propter aliqua negotia agenda in die, propter iter, propter lectionem prælegendam, vel ſermonem faciendum, propter vigilias nocturnas, vel quid ſimile; tunc, inquam, talis mutatio non erit, neque peccatum veniale. Ita docent DD. citati, quibus adde Cenedum *in quæſt. canon. quæſt.* 45. *n.* 6. *in fin.* Beiam *p.* 1.*caſ.* 3. Naldum *in ſum verb. ieiunium, num.*8.Molfeſium.*in ſum.tom.*1.*tract.*10.*c.*5.*n.*37.

*An iuſculum ex pane cocto, vel pane cum amygdalis, in ſerotina collatione adhiberi poßit; etiamſi ſumatur in ea quantitate, quæ ſeparatim ſumi poſſet?*

RESOLVT. XXXIV.

NEgatiuè reſpondet Layman *in Theol. mor. lib.* 4. *tr.* 8. *cap.* 1.*n.*9.& Filliucius *tom.* 2.*tract.* 27.*p.*2.*c.*2.*n.* 31. quia, vt ipſe aſſerit, ſit aliud genus ferculi, quod nō ingredi ſolet ientaculum: ſed apponitur in menſis ad alendum. Agente enim igne ea, quæ ſeparatim cibi leuiores ſunt, euadunt cibi ad ſuſtentandam naturam, incraſſantur enim & fit quoddam artificiale diuerſum. Vnde aqua ipſa, quæ anteà erat potabilis, & ſumi poterat in qualibet quantitate, abſque fractione ieiunij; poſteà ſumitur per modum cibi, & certis limitibus tantùm ſumi poteſt, niſi frangendum ſit ieiunium. Vt omittam multò plus ponderare eiuſmodi iuſcula, quàm res ſeparatas, ex quibus confecta ſunt, atque adeò demendum eſſet ex his, quod ſuperat debitam menſuram.] Ita Filliucius.

Non reticebo tamen, Azorium *p.*1.*lib.*7.*c.*9.*q.*8 contrarium docere, vbi ſic aſſerit,[ Quæres, an liceat aliquid iurulenti ſorbendo ſumere loco refectiunculæ veſpertinæ. Reſpondeo, fas eſſe, dummodo iuſculum cum aliquo cibo in diebus ieiuniorum vetito coctum non ſit; ſed tantùm, vel cum pane, vel cum fructibus, aut herbis. Ita ille, quem poſteà ſequutus eſt Reginald. *in praxi*, *tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 14. *n.*185.& Bonac.*de legib.diſp.vlt.punct.*3.*q.*1.*n.*3.

*An collatio ſerotina, in Vigilia Natiuitatis, ſit ſumenda in magna quantitate, ratione conſuetudinis?*

RESOLVT. XXXV.

PRima opinio negat: Nauarrus *in Man. c.*21.*n.*15. reprobans contrariam conſuetudinem. Idem docet Rodriquez *in ſum. tom.*1.*c.*23.*num.* 10. Anton. Bernard. *in ſum. c.* 22. *n.* 23. Angles *in* 4. *tract. de ieiun. quæſt.* 9.*art.*2 *diff.*4. *dub.*2.& alij.

Secunda opinio affirmat, vbi talis conſuetudo adeſſet: & ſic docet Villalobos *in ſum.tom.*1.*tract.*23.*diff.* 7.*n.*5.Ledeſma, *vbi ſuprà*.Llamas Beia *par.*1.*caſ.*3.Medina *in inſtruct. Sac.part.*1.*c.*14.§.10.& alij.

Tertia opinio diſtinguit, & eſt Petri de Cenedo *in quæſt.canon q.*41.*num.*5.vbi ſic aſſerit: [ In Diœceſibus, & Prouinciis, vbi ſic vſu receptum eſt, vt in Vigilia Natiuitatis Domini aſſumi poſſit in collationem, quantùm libuerit ex variis fructibus, neque Prælati reclamant; ſed potiùs ipſi Confeſſores, & Prædicatores eam conſuetudinem ſequuntur; huiuſmodi certè conſuetudo excuſabit à tranſgreſſione præcepti ieiunij: & in hoc caſu procedit opinio affirmans. Si autem in aliquibus Prouinciis ab hac conſuetudine reclamant Prælati; neque viri timorati eam acceptant, non excuſatur a culpa: quia videtur potiùs corruptela, quàm conſuetudo rationabilis. Et in hoc caſu procedit opinio negans.] Ita Cenedus.

Quid ego ſentiam, dicam breuiter. Omnes iſtæ tres ſententiæ ſunt probabiles. ſed, quia Azorius *p.* 1.*lib.* 7.*c.* 8. *q.*8.affirmat, vbicunque in vigilia Natiuitatis fere eſſe cōſuetudine introductum, vt duplo maior ſolito collatio ſerotina efficiatur; ideò puto cum Fagundez *Præcep.* 4. *lib.* 1. *c.* 24. *n.* 19. in tali die poſſe ſumi pro refectiuncula vncias ſex decim plùs, minúſve ex pane, ex dulciaribus.

Sed, an talis extenſio militet etiam pro Religioſis difficultas eſt: nam Hieronymus Llamas *in ſum.p.* 3.*c.*5.§. 25. putat, talem conſuetudinem inualuiſſe apud Religioſos: ſed hoc mordicùs negat Villalobos, *vbi ſuprà*, *in ſumma, tom.* 1. *tract.* 23. *diff.* 7.*n.*5.Ledeſma *in ſum.tom.*2. *tract.* 27. *cap.*2.*concl.*4. *in fin.* vbi ait: [ Entre los Religioſos eſta coſtumbre no ha preualecido. ] Et in noſtra Religione certùm eſt non extare. Ideò negatiuè reſpondendum videtur.

Notandum eſt ex his, Curiales Romanos non frangere ieiunium, facientes collationem graſſam, ſecundum conſuetudinem Romanæ Curiæ: quia tales videntur generaliter diſpenſari, poſtquàm Papa ſciens eam tolerat, nec Confeſſores, & Prædicatores eam damnant; licèt, hoc, vt benè obſeruat Cenedo, *vbi ſuprà n.*4. non quia efficitur, & committitur Romæ, in aliis Prouinciis, & Regnis extendendum eſt. Vide Caiet. *verb* 5. *ieiunium iuxta fin.* Armil. *in ſum.verb.eod.n.*12.Toletum *lib.*7.*c.*8.*in fin.*& alios.





*An ieiunium indictum ab Epiſcopo pro certo die, vel fixa lege, & Conſtitutione, obliget Regulares?*

RESOLVT. XXXVI.

AFfirmatiuam ſententiam docet Villalobos *in ſumm. tom.* 1. *tract.* 23. *diff.* 5.*n.* 6. vbi ſic aſſerit; [ Tengo por cierto, que ſi el Obiſpo dieſſe vn dia de ayuno en vn lugar, tendrian los Religioſos, que alli viuen, obligacion de guardarle: porque, aunque el Obiſpo no es Superior, quoad vim coactiuam; tienen obligacion à conformarſe con los demas.] Vnde Regulares tenentur obſeruare dies feſtos indictos ab Epiſcopo: ergo & ieiunia.

Sed contrariam ſententiam ſecluſo ſcandalo meritò docet Suarez *de legib. lib.* 4. *c.* 20. *n.* 8.Azor. *p.*1.*lib.*7.*c.*30. *q.*2.Fagundez *Præcept.* 4. *lib.* 1.*c.*7.*n.*4.Llamas *in ſum.p.*1. *c.*5.§.28.*in fin.* vbi ait, [Ieiunia impoſita ab Epiſcopo Religioſos non obligant, vt patet argumento Concilij Tridentini, vbi Regulares obligans ad obſeruationem Feſtorum, quæ Epiſcopus in ſua Diœceſi ſtatuerit obſeruanda, non obligauit, neque mentionem fecit ieiuniorum. ] Vnde patet reſponſio ad contrarium argumentum. Notandum eſt tamen, quòd ſi in aliqua ciuitate, vel loco, recepta ſint generali conſuetudine nonnulla ieiunia, ea quoque obligant Regulares. Ita DD. citati.

*An qui vouit certa die ieiunare, toties peccet mortaliter, quoties carnes comedit?*

RESOLVT. XXXVII.

AFfirmatiuè reſpondet Azorius *part.* 1.*lib.* 7.*c.*10.*q.*8. nam in die ieiunij verum eſt, quòd pluries comedendo piſces, vel lacticinia, non peccetur toties mortaliter, ſed tantùm in ſecunda comeſtione, vt docet Durand. *in* 4.*diſt.*15.*q.*11.Palud. *ibid. q.*4. *art.*5. Gabr. *diſt.* 16. *q.* 3. *art.*3.*dub.*5. Caiet. 2.2.*q.*146.*n.*8. Angel. *v.ieiun, q.*22.Sylu. *eod.verb.q.*8.Roſell. *eod.verb.n.*4.Armil.*eod.verb.n.*14. Tabiena *eod.ver.q.*9. D.Antoninus *p.*2.*tit.*6.*c.*2.§.9. Nauarrus *in Man.c.*21.*n.*15.Regius *in ſuis reſol. caſ.* 9. *num.* 1. *& ſeq.* Binsfeldius *in Enchir. Theol. Paſtor. par.* 3. *c.*33.*conc.*5.Filliuc. *tom.*2.*tr.*27.*p.*2.*c.*2.*n.*23. Leſſius *lib.*4.*c.*2. *dub.*3.*n.*15. Reginald. *tom.*1 *lib.*4.*c.*14.*n.*179. Villalobos *in ſum.tom.*1. *tract.*23.*diff.*6.*n.*6.Ioan. de la Cruz *in direct. conſc.p.*1. *præcept.*4.*art.*4.*dub.*1.*concl.*1. Fernand. *in exam. Theol. mor.p.*2. *c.*8.§.3.*n.*10.Rodriq. *in ſum.tom.*1.*c.*23.*n.*1. Henriq. *lib.*7.*c.* 13.*n.*12.*in gloſſ. lit.* S. Coninch. *de Sacr.q.*74.*art.*4.*dub.*3.*n.* 103.& alij, quidquid in contrarium aſſerat Medina Complutenſis *q.*5.*de ieiunio*,& Couarruuias *lib.*4.*var c.*20.*n.*13.

Tamen aliter dicendum eſt, ſi quis comedat carnes: nam toties peccabit, quoties illas comederit, vt notat Filliucius *tom.*2.*tr.*27.*part.* 2.*c.*5. *n.*81. Toletus *lib.* 6. *c.* 3. Leſſius *vbi ſuprà n.*17. Ortiz *in ſum. c.* 19. *mand,* 2. *num.* 9. Homobonus *de exam. Eccleſ.p.*2.*tr.* 8.*cap.*7.*q.*20. Graff. *in deciſ.p.*1.*lib.*2.*c.*37.*n.*49. Fagundez *præcept.*4.*lib.*1.*c.*4.*n.*9. & Ledeſma *in ſum. tom.*2.*tr.*27.*c.*2.*fol. mihi.* 689. cum aliis communiter ex DD. citatis.

His ſuppoſitis, pro ſententia Azorij ſic argumentor. Votum ieiunij obligat inſtar Præcepti eccleſiaſtici de ieiunio: at Eccleſia, ieiunium præcipiendo, ita obſtinentiam à carnibus inducit, vt ſit peccatum mortale toties, quoties eduntur: ergo ita erit in ieiunio voti.

Hæc ſententia eſt probabilis: ſed non minùs probabilem contrariam exiſtimo, quam docet Barthol. à S. Fauſto *in theſ. Relig. lib.* 1.*q.*140.*n.*2. quia ſic vouens non promittit per ſe, & directè abſtinentiam carnium; ſed indirectè, & acceſſoriè, in quantum, ſcilicet, ieiunium abſque ipſa conſiſtere nequit. Quare, cùm ſemel violato ieiunio ceſſet obligatio principalis ieiunij, ceſſat quoque obligatio acceſſoria abſtinentiæ à carnibus: ſecùs autem eſſet, ſi hic expreſsè promitteret in die vnicam comeſtionem; tunc enim peccaret toties, quoties, præter vnicam comeſtionem, ederet carnes illa die. Sic Fauſtus, qui poſteà etiam aſſignat differentiam inter ieiunium ex præcepto Eccleſiæ, & ex vi voti. Vnde patet reſponſio ad argumentum in fauorem Azorij *ſuprà* poſitum.

*An licitum ſit, eum, qui paratus eſt cœnare, inuitare cauſa vrbanitatis ad cœnandum?*

RESOLVT. XXXVIII.

NEgatiuam ſententiam docet Leſſius *lib.* 4.*c.* 2.*dub.*3. *n.*20. cum Fagundez *Præc.*4.*lib.* 1.*c.*10.*n.*12. Et ratio eſt: quia nemo poteſt inuitari, aut incitari ad id, quod ſine peccato præſtare non poteſt: ſed hic non erit licitum illum ad cœnam inuitare.

Hæc ſententia eſt probabilis: ſed contrariam ſententiam probabiliorem eſſe puto cum Azorio *part.* 1. *lib.* 7. *c.* 31. *q.* 12.& Salas *de empt. dub.* 47. *num.* 10.qui citat Sà, & alios. Idem etiam docet Naldus *in ſum. verb. ieiunium, n.* 1. Nauarrus ex Caietano *in Man.c.* 21. *num.* 24. Idem docet Tannerus *in* 2. 2. *diſp.* 3. *q.* 3. *dub.* 5. *num.*94. Philiarchus *de offic. Sacerd tom.*1.*p.*2.*lib.* 3.*c.*25.*in fin.*& nouiſſimè Franciſcus Ortiz *in ſum.c.*19.*mand.*2.*n.* 10. vbi ſic aſſerit: [El que por cauſa de vrbanidad, ò de hoſpicio da comida al que eſta aparejado à no ayunar, no peca.]Et ratio eſt: quia in ea circunſtantia non inuitas illum ad cœnandum abſolutè, ſed ad cœnandum in domo tua, & non alibi; & ſic non offers cœnam, ſed offers locum, in quo cœna fieri poteſt. Probat hoc etiam Nauar. quia licitum eſt, ex iuſta cauſa, inuitare ad actum per ſe, & ſuo genere bonum, vel indifferentem, nullo modo conſentiendo in eum, quatenus ex malitia alterius efficitur malus. Cæteras rationes vide apud Philiarchum *vbi ſuprà*.

Poſt hæc ſcripta inueni, ſententiam Nauarri etiam docere Layman *in Theol. mor. lib.* 2.*tract.* 3. *c.* 13. *n.* 4.Filliucium *tom.* 2. *tract.*27. *p.*2.*c.*5.*n.*94. & Villalobos *in ſumm. tom.* 1.*tract.*23. *diff.* 3. *n.*2. vbi ſic aſſerit: [Si alguno conuida à cenar al que ſabe, que ſi no cena alli, ha de cenar en otra parte, no ſarà pecado conuidarle, ſegun Cayetano, y Nauarro: por que eſto no es conuidarle à que cene, que ya hauia de cenar, ſino à que cene alli, y no en otra parte, y como hauia de cenar à ſu coſta, cena a la del que le conuida.] Ita ille. Vnde apparet, ex authoritate tantorum virorum quàm probabilis ſit hæc opinio.

Ex his infertur primò, vendentes in diebus ieiuniorum cibos prohibitos, non peccare: quia tales bona fide vendunt, & non videntur cooperari peccato illorum, qui mala fide emunt; & in illis diebus multi ſunt, qui iis cibis indigent; nec venditores vlla lege tenentur explorare voluntatem, & cauſas emptorum: ergo, ſi venditor certò non nouerit emptorem in emendo peccare, non peccat vendendo, licèt vel publicè, vel ſecretò vendat. Ita Fagundez *Præcept.* 4. *lib.* 1. *cap.* 10.*n.*10.& alij aduerſùs Reginaldum *tom.* 1.*lib.*4.*cap.*16.*n.* 202. Secundò infertur, quòd ſeruus, & ancilla, qui condiunt, & porrigunt cibos, & menſam heris non ieiunantibus ſternunt, menſæque miniſtrant, nullius culpæ participes efficiuntur. Ita Azorius *p.*1.*lib.*7. *c.*31.*q.*11.*& p.* 2. *lib.*12.*cap. vlt. q.* 5. Villalobos *vbi ſuprà*: Caietanus *in* 2. 2. *q.* 147. *art.* 4. & alij. Sed ex ſupradictis oritur alia quæſtio: ideò quæritur.

*An caupones, ſeu tabernarij, proponentes cœnant in die ieiunij omnibus indifferenter, peccent mortaliter?*

RESOLVT. XXXIX.

QVando probabiliter credunt, illos excuſari à ieiunio, poſſe tales cibos miniſtrare putat Philiarchus *de off. Sacerd. tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3.*c.*25. & alij: imò, quandò dubitant; quia ſuum non eſt hoc diſcutere, & vnuſquiſque præſumitur bonus. Ita Reginaldus *in praxi*, *tom.* 1.

lib.4.c.16. n.200. Valentia tom.3. diſp.9.q.2. punct.3. Vnde non tenentur eos interrogare de hoc;an, ſcilicet, habeant cauſam: quidquid in contrarium aſſerat Leſſius lib. 4. c. 2. dub.4.n.24. & Filliucius tom.2. tr.27.part.2. cap.5. n.93. vt optimè contra illos notauit noſter Molfeſius in ſum.tom.1. tract.10.c.5.n.30.& Sanchez in ſumm. tom. 1.lib.1.c.7. n.34. cum Homobono, vbi infrà.

Tota igitur difficultas eſt, quando credunt, alterum à ieiunio non excuſari. Prima opinio affirmat,tales peccare mortaliter: ita Toletus in ſumm. lib. 6. cap. 5. Fernandez in exam. Theol.part 2.c.8.§.2.n. 22. Nauarrus in Man. cap. 21. n.26.Gabriel in 4.diſt.16.q.3. art.3. dub.6. Medina, & alij. Secunda opinio negat: ita Ledeſma in ſum. tom.2. tract.27. c.2.concl.6.diff.4.fol.mihi 698. vbi ſic aſſerit: [ Si ſabiendo, que algunos tienen determinacion de quebrar el ayuno, ò comer carne, no pecan los meſoneros, miniſtrandoles ſemejantes manjares: eſto enſeñan comunemente los Doctores. La razon es, porque en tal caſo los meſoneros no concurren al quebrantamiento de ayuno, pues ellos eſtan determinados de quebrantarle, ò comer manjar contrario. Aduiertaſe que en tal caſo, no tienen obligacion à negar à los hueſpedes lo comer, por via de correcion fraterna, porque de ordinario los meſoneros no pueden corregir à los hueſpedes que paſſan, particularmente ſiendo gente authorizada, y tambien, que ſi les niegan los manjares, los hallaran en otros meſones, ò en otras partes, por loqual no tienen ſemejante obligacion. ] Ita ille: & pro hac ſententia Sanchez citat Salonium, Martinum Ledeſmam, Rodriquez, & alios, & nouiſſimè illam docet Homobonus de exam. Eccl. p. 2. tract.8. cap.7. q.12.& Fauſtus in theſ.Relig.lib.1.q.118.n.1.

Tertia opinio diſtinguit. Vel caupo poteſt, ſine incommodo notabili, negare ſupradictis cœnam; vel non poteſt: ſi non poteſt, non tenetur; ſi poteſt, tenetur, quia ex charitate obligatur impedire offenſionem Dei, quantùm commodè poteſt. Sed etiam in tali caſu, ſi ſupradicti eſſent aliò ituri, & cœnaturi, poteſt præbere illis cœnam; quia peccatum non poteſt ſic impediri: & ita ſentit Filliucius tom.2.tract.27.part.2. c.5. n.93. Leſſius lib. 4. cap. 2. dub.4.n.24.Sanchez in ſum.tom.1.lib.1.c.7.n.35.& alij.

Omnes iſtæ tres ſententiæ ſunt probabiles: ſed ſecunda magis mihi placet, & in praxi quaſi ſemper ſuſtinenda videtur: quia, moraliter loquendo, vt idemmet Sanchez obſeruat, tabernarij, & caupones dicti nunquam ob hanc cauſam peccabunt mortaliter: quia, etiamſi tales cibos, & cœnam non miniſtrent, alibi hoſpites ſunt empturi, aut cœnaturi. Deinde, confluentes ad eos communiter ſunt viatores, operarij, aut pauperes; & ideò probabiliter poſſunt exiſtimare, hos habere cauſam frangendi ieiunium. Et licèt apud ipſos etiam confluant viri nobiles, & deperditæ vitæ; tamen non tenentur illis denegare cœnam: quia, cùm caupones ſint infimæ ſortis, & illi effrænatæ linguæ, iniuriis, & contumeliis eos afficient; &, quod magis, vim facient. Ad hæc, ſi tali pacto cum confluentibus ad eorum tabernas tractarent, pauci ad illas confluerent; & ſic notabile detrimentum in bonis ſuſtinerent. Igitur ex his Confeſſarius dictis tabernariis ſcrupulos non iniiciat; ſed illos abſoluat.

### *An defeſſus ex labore ſumpto ob recreationem, vt ex ludo pilæ, vel ob quærendam concubinam, teneatur ad ieiunium?*

RESOLVT. XL.

RESpondent aliqui diſtinguendo. Vel talis præuidit, ut præuidere debuit, quòd ex illo impedimento, voluntariè à ſe poſito, non valebit ieiunare; & ita peccabit mortaliter in ſua cauſa non ieiunando: vel non præuidit, aut expertus eſt ex illo impedimento ſequi neceſſitatem non ieiunandi, & in hoc caſu non peccabit poſteà non ieiunando, nec in ſe, nec in ſua cauſa: & ita ad hunc caſum reſpondet Ortiz in ſum. c. 19. n. 17. Homobonus de exam. Eccl.p.2.tract.7.c.7.q. 23 & tract.9.cap.4. q.74. Ioan. de la Cruz in director. conſc. p. 1. præcept. 3. art. 4. dub.9. concl. 3. Rodriquez in ſum.tom.1.c.23.n.6.& alij.

At, his minimè obſtantibus, contrariam ſententiam docuit Medina in ſum.lib.1. c.14. §. 10. vt notauit Ledeſm. in ſum.tom.2.tract.27.concl.6.c.2. diff.5. fol. mihi 699. vbi ſic aſſerit: [ No peca el, que pone impedimiento al ayuno: Eſto enſeña Medina en ſu ſuma, y pone exemplo en los caminantes de apie, aunque tomen el camino por ſu paſſatiempo, los quales no tienen obligation de ayunar llegando fatigados, trabajados, y dize que eſto tiene verdad, aunque el camino ſe hizieſſe por ver à ſu amiga, ſi deſpues quedan canſados, y fatigados, el tal pecara contra otro preceto de no fornicar, però no pecarà contra el preceto del ayuno, tambien ſe puedan traer otros exemplos. ] Ita Ledeſma, qui probabilem putat eſſe hanc opinionem: & paulò pòſt addit exemplum de ludo pilæ.

Hanc ſententiam docet abſolutè Filliucius Medinam ſequens tom.2.tr.27. p.2. c 6. n.123. & Villalobos in ſumm. tom.1, tract.23. diff 4. n.11. vbi ait: [ Eſta eſcuſado el, que hauiendo hecho alguna obra, ſe canſò en ella por ſu culpa, de ſuerte que no puede ya ayunar, come ſi jugò demaſiado la pelota, con que no lo aya hecho en fraude de la ley, y ſi lo hizo en fraude de la ley, pecò, quando lo hizo; mas ya deſpues de hecho, no peca en dexar de ayunar. ]

Notandum eſt etiam, quòd Ledeſ. vbi ſup. putat, talem non eſſe obligatum relinquere ludum pilæ propter ieiunij obſeruationem: quia ludus pilæ non eſt medium de ſe ordinatum ad complementum, & obſeruationem ieiunij, nec Eccleſia obligat ad abſtinentiam à ludo, vt ieiunio quis vacet: ergo, &c. Licèt contrarium aſſerant Villalobos, & alij. Sed circa præſentem quæſtionem vide infrà in Reſol. 46.

### *In quibus ieiuniis prohibeantur lacticinia?*

RESOLVT. XLI.

REſpondeo, de iure communi prohiberi tantùm in diebus quadrageſimalibus, vt patet in c. denique, diſt.4. & notat Ioan. de la Cruz in director. conſc. p. 1. præcept. 3. art. 4. dub. 8. concl.4. Villalobos in ſum.tom.1. tr.23. diff. 8. n. 1. Ledeſma in ſum.tom.2. tract.27.c.2.concl. 3. Reginald. in praxi, tom.1. lib.4. c.13. n.2. tract. 27. part.2. c.2. dub. 25. Ortiz in ſum. c. 19. mand. 2. n. 9. Fernandez in exam. Theol. mor.par.2.c. 8.§. 3. Sanchez in ſum. tom. 1. lib.4.c.11. n.50. & alij penes ipſos.

Difficultas eſt, an in diebus ieiuniorum extra Quadrageſimam prohibeantur, ſaltem ex conſuetudine. Aliqui aſſerunt, adeſſe talem conſuetudinem in multis locis; & ideò ſub mortali obſeruandam: ſed Filliucius tom.2. tr. 27. p.2. c.3. num.49. rectè obſeruat, non ſemper conſuetudinem obligare ſub peccato ad abſtinentiam ab ouis: quia non eſt cum exiſtimatione obligationis, ſed tantùm ex deuotione, ideóque admonendi populi, ne ex erronea conſcientia peccent. Et hæc doctrina procedit in locis, vbi Bulla Cruciatæ communiter ſumitur. Vnde Vaſquez in p.2.tom.2.diſp. 177. cap.6.n.13. putauit, conſuetudinem abſtinendi ab ouis in regno Caſtellæ non obligare: quod etiam docuit Villalobos in ſum.tom.1.tr.23. diff.2. n.7. vbi ſic aſſerit: [ No obliga la coſtumbre de no comer hueuos en todo el año, fuera de los ayunos de la Quareſma, porque no ſe puede probar, que aya tal coſtumbre, porque torna la mayor parte del pueblo de la bula de mas de cinquenta años à eſta parte, y comen con ella lacticinios, y para que ſe introduzga la mayor parte del pueblo voluntariamente con animo de obligarſe, lo qual me parece muy probable y que ſe puede ſeguir en pratica. ] Ita ille. & etiam ante illum Henriquez in ſumm. lib. 7. c.13. n.9. ſic aſſerens: Iſta conſuetudo debet eſſe præſcripta ſpatio quadraginta annorum, vt habeat vim legis, & ſponte inducta animo obligandi. Quare examinanda eſt conſuetudo regionis, aut vrbis: & multi viri docti negant obligare



gare in multis Hiſpaniæ locis, quaſi ea conſuetudo non ſit ſcienter, ſponte inducta, ſed ob frequentes Bullas, quas fere omnes capiunt, reputare ſimpliciores viros per errorem, ſe obligari. ] Ita Henriquez, quem poſteà ſequutus eſt Rodriquez in ſum.tom.1.c.23.concl.10.n.11. Vide omninò Salas de legib.tract.14.diſp.19.ſect.6.n.78.

Notandum eſt etiam cum Villalobos, vbi ſuprà, quòd ſi ſit dubium, an talis conſuetudo obliget ad mortale, necne, minimè obligat: & ideò propter tot circunſtantias, & conditiones neceſſarias, vt conſuetudo obliget ſub mortali, putat illam non adeſſe cum iſto onere; & ita docet Portel. in addit. ad dub. regul. ver. ieiunium, n. 7. & Sanchez in ſum. tom.1.lib.4. cap. 11. n. 25. vbi ſimpliciter & abſolutè negat, lacticinia in ieiuniis extra Quadrageſimam per conſuetudinem prohiberi. Et hæc ſunt eius verba. [ Exiſtimo ſatisfieri omnibus his ieiuniis extra Quadrageſimam factis, edendo lacticinia abſque Bulla: quia eſt probabilior opinio, nec iure neque conſuetudine interdici lacticinia in illis, vt in tractatu de ieiunio probauimus, ] Ita Sanchez, & nouiſſimè Sancius mutans opinionem in Select.diſp.51.n.19. Vide etiam ſuprà, Reſol.5.& 6.

### *An paruulis, ante expletum ſeptennium, licebit miniſtrare carnes in diebus ieiunij? & quid de Paganis, & perpetuò amentibus?*

RESOLVT. XLII.

PRo negatiua ſententia Syluius in 2.2. D. Thom. q. 147. art. 4. adducit Paludanum, & Toletum, ſed ipſe ait, quòd vbi adeſt conſuetudo, quòd tales cibi paruulis præbeantur, licet præbere.

Sed abſolutè affirmatiuam ſententiam ſuſtinendam eſſe puto cum Tannero in 2. 2. diſp.3.q. 3.dub.5.n. 99. Villalobos in ſum. tom. 1.tr.23.dub.4.n.4. Azorio tom. 1. lib. 7. c.17.q.3.Gomez in Bull. Cruc. clauſ. 7.n. 16. & 17. Emmanuele Sà verb. ieiunium, n. 17. Sanchez in ſum. tom. 1.lib. 1. c. 12. n. 9. & aliis communiter. Vnde contra Syluium vbi ſuprà, Corduba in ſum. q. 60. & Lopes p. 2. inſtruct. c. 212. dicendum eſt, hoc etiam eſſe licitum in locis, vbi adeſſet conſuetudo in contrarium: nam, cùm paruuli ante ſeptennium non ligentur legibus, à fortiori neque tenentur abſtinere à carnibus ratione conſuetudinis, quæ eſt lex non ſcripta. Et ita docet Sanchez vbi ſuprà & Sanc. in Select. diſp. 41.num. 31. Vbi etiam plus addit, quòd quanuis ante ſeptennium puer doli capax ſit, nullo præcepto poſitiuo obligatur, cùm leges poſitiui iuris ante illam ætatem, in qua communiter lumen rationis oriri eſt ſolitum, non intendant obligare, & per accidens in vno, vel alio puero rationis vſus acceleratur. Vnde, ſecundùm Sancium, in tali caſu puer non teneretur abſtinere à carnibus, & licitum erit eis illas miniſtrare. Sed contrarium docet Villalobos in ſum.tom.1.tract.23.dub.8.n.7.& alij.

Quoad Paganos verò fas erit miniſtrare illis carnes in diebus ieiuniorum: quia nulla lege eccleſiaſtica obligantur. Et ita etiam docet Sanc. vbi ſupr. num. 29. qui citat Sanch. Suarez, & Azorium: ſecùs verò dicendum erit de perpetuò amentibus, cùm ipſi ſub eccleſiaſticis legibus comprehendantur. Sed contra Sancium ego puto cum Sanchez n. 16.& Fagundez præcep. 4. lib. 1.c.8.n.8. licitum eſſe miniſtrare carnes, etiam perpetuò amentibus: & rationes huius ſententiæ adducit Sanchez.

### *An in die ieiunij paruitas materiæ excuſet in eſu carnium?*

RESOLVT. XLIII.

AD hanc quæſtionem reſpondet Tannerus in 2. 2. D.Thomæ.diſp. 3.q.3.dub.5.n.93. vbi ſic aſſerit: [ Dubium non eſt in die ieiunij peccari toties, quoties carnes comeduntur; & in hoc, ex ipſo fidelium ſenſu, non excuſare paruitatem materiæ: quod eatenus verum exiſtimo, quatenus eſus carnis, ſeu cibi vetiti, exiſtimatur aduerſari fidei profeſſioni. Aliàs non video, cur non æquè in hac, ac in aliis materiis à mortali excuſare poſſit materiæ paruitas. ] Ita Tannerus.

### *An in ieiunio ſecundò comedens, toties peccet poſteà, quoties eodem die comederit?*

RESOLVT. XLIV.

TOties peccare docet nouiſſimè Syluius in 2.2.D. Thomæ, q. 147.art.6. quæritur. 3. & ante illum Molanus in Theol. pract. tract.3.c.11.concl.4. Maior. in 4.diſt.15.q.6. Medina tract.de ieiunio, q.5.& Couarruuias var.reſol.lib.4.c.20. n.13.

Sed tu contrariam ſententiam tene, quam docent Doctores, quos citat, & ſequitur Fagundez Præcept. 4. lib. 1. c. 4. n. 5. quibus ego addo Fernandez in exam. Theol. mor. p. 1.c.8.§.2.n.10. Vegha in ſum. tom. 1.cap. 14.caſ. 9. Henriq. lib. 7.c.13. in Gloſſa, litt. S. Toletum lib. 6.c.3.n.5. Ioan. de la Cruz in direct. conſc. p.1. præcep. 3. art.4.dub.8.concl. 1. Tannerum in 2. 2. diſp. 3. q.3.dub.5. num.93. Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 8 c.1.n.13. Villalobos in ſum.tom.1. tr. 23. diffic.6.n 4 Suarez de Relig tom. 2.leg.4.c.7.num.12. Filliucium tom 2.tract.27.c.1.n.13. Reginaldum tom.1.lib.4.c.14. n.179. Leſſium lib.4.c.2. dub.3. n. 15. Salas de legib.diſp. 4. ſect. 5. n. 67. Valentiam tom.3. diſp.9.q.2.punct. 3 & alios communiter. Et ratio eſt: quia, vt apparet ex communi vſu fidelium, Eccleſia non prohibet vlteriorem comeſtionem, quomodocunque conſideratam; ſed ſolùm pro vt quis per illam tranſgreditur hunc quaſi ieiunij limitem, qui eſt vnica comeſtio.

Neque, vt aduertit Layman vbi ſuprà, hoc loco diſcrimen faciendum eſt, vtrùm quis ſcienter reficiendo ſe altera vice, ieiunium ſoluerit voluntariè, iuſta, vel iniuſta de cauſa; an verò ignoranter, & inuoluntariè, quia neſciebat, aut non recordabatur eſſe diem ieiunij: quando quidem etiam in hoc caſu ieiunium re ipſa, & materialiter violatum eſt, vt ſeruari deinceps non poſſit ſecundum modum, & formam Eccleſiæ. Ergo, &c. Sed Sancius in Selectis. diſp. 41. n. 2. contrarium docet, vbi ſic aſſerit: [ Si inaduertenter aliquis pluries cibum, etiam carnis ſumeret, ieiunium neutiquam frangeret, & ſeruare erit aſtrictus, cùm prorſus illa comeſtio ſit inuoluntaria reſpectu ieiunij; nec præceptum violatur, ſiue ſoluitur, niſi per actum voluntarium. ] Ita Sancius.

### *An toties peccetur mortaliter, quoties aliquis in die ieiunij carnes comedit?*

RESOLVT. XLV.

REſpondeo affirmatiuè. Ita DD. in ſuperiori reſol. citati Et ratio erit: quia hæc eſt mens Eccleſiæ, in die ieiunij, abſolutè interdicere carnes, vt ſenſus prohibitionis ſit: Ne carnes comedantur, id eſt, nunquam in die ieiunij comedantur: cuiuſmodi negatio diſtributionem tribuit prædicato, more aliarum negatiuarum propoſitionum, ſeu præceptorum. Idem dicendum eſt de prohibitione lacticiniorum. Vnde Sancius in Select. diſp. 41. n. 26. ſic aſſerit: [ Præceptum abſtinẽdi à lacticiniis, & ouis, negatiuum eſt, & habet diuiduam materiam: vnde frangeretur à Sacerdotibus, quoties in die oua, & lacticinia ederent, eo modo, quo toties delinquerent, quoties in die prohibito carnes comederent. Et duplici labe inquinaretur Sacerdos edens carnes, & oua in die quadrageſimali, abſque legitima cauſa, cùm ſit diſtinctum præceptum, quo Sacerdotibus lacticinia, & oua vetantur, ab eo, quo carnes. In quam duplicem fractionẽ etiam rueret laicus, edens carnes in Quadrageſima, abſque cauſa, & oua, & lacticinia ſine Bulla Cruciatæ; & tenebitur confiteri, quoties ſe applicauerit eſui carnium in die, & quoties comeſtioni ouorũ. ] Hæc omnia Sancius.

Notandum eſt tamen contra Azorium; & contra Suarez

Suarez *de Relig. tom.2.lib.4.cap.7.n.* 12.eum, qui vouit aliquo die ieiunare,nó toties peccare, quoties in illo die carnes comedit : & ita aduerſùs illos docet Sancius *in ſum. tom.2.lib.4.c.*11 *n.*41. & Layman *in Theol.mor.lib.*4 *tr.*4.*c.*3. *n.*3.Notandum eſt etiam cum Portel.*in addit. ad dubia regularia,verb. ieiunium, n.* 8. ex Sanchez,*vbi ſupr.n.*53. quòd qui in Quadrageſima ieiunauit, ſed comedit lacticinia abſque cauſa, & ſine bulla, vnum tantùm peccatum fecit edendo lacticinia tunc prohibita:non verò is peccauit cótra ieiunium,quia de intrinſeca ratione ieiunij,etiam quadrageſimalis,non eſt abſtinentia à lacticiniis;ſed eſt abſtinentia à carnibus. Sed de his omnibus nos *ſuprà* egimus.

*An, qui ad loca ſacra peregrinatur excuſetur à ieiunio?*

RESOLVT. XLVI.

SYluius *in* 2.2. *D.Thomæ,q.*147.*art.*4. Villalobos *in ſum. tom.* 1. *tract.*23. *dub.* 4.*n.* 16. Fernandez *in exam. Theol. mor.p.*2.*c.*8.§.2.*n.*12.& alij diſtinguunt:ſi enim peregrinatio poteſt ſine incommodo differri, non excuſatur: ſi non poteſt commodè,excuſatur.

Sed abſolutè talem peregrinantem non eſſe aſtrictum ieiunare,docet Sancius *in Select.diſp.*54.*n.*2. vnde ait:[Generaliter dicendum eſt,excuſari à ieiunio exequentem aliquod opus pium,etiam abſque neceſſitate, quod ſecum ieiunium non compatiatur : vnde flagellantes ſe in hebdomada ſancta excuſantur à ieiunio, ſi ob debilitatem experiantur, ſe ieiunium ſeruare non poſſe:non enim Eccleſia præcipit abſtinere à flagellis ob ieiunium;ſed tantùm ieiunium ſeruari à potentibus.]Ita Sancius.

Non reticebo tamen Ortiz *in ſum. c.* 19. *n.*12. abſolutè docere,peregrinantes non eſſe adſtrictos ad ieiunium : ſic enim ait : [ Los que van camino,aunque vayan a cauallo, y el camino no ſea forzoſo, no ſon obligados al ayuno.] Sed circa præſentem quæſtionem vide etiam Layman *in Theol.mor.l.*4.*tract.*8.c.3.*n.*5.& alios.

*An, qui ex licentia comedit carnes in die ieiunij poßit comedere lardum,aut alias carnes nociuas?*

RESOLVT. XLVII.

IOan. de la Cruz Vir doctiſſimus ex Dominicanorum Familia,*in ſuo direct.conſc.part.*1.*præcep.* 4. *art.* 8. *dub.* 8. *concl.*3. negatiuam ſententiam docet,vbi ſic aſſerit:[Nota, non licere diſpenſato ob infirmitatem in eſu carnis, comedere tocinum,aut alias carnes nociuas : quia aliàs eſus iſtorum erat vetitus in Quadrageſima. Et per Medicum non diſpenſatur in iſtis cibis nociuis. ]Ita ille:& citat pro hac ſententia Emmanuelem Rodriquez.

Sed contrariam opinionem ſuſtinendam eſſe puto, quam nouiſſimè docet Villalobos *in ſum.tom.* 1. *tract.* 23. *dub.* 8.*n.*11.vbi ſic ait : [ El que tiene licencia para comer carne, puede comer conejo,liebre, ò tocino, y ſi eſto le hiziere daño, ſerà pecado de gula, mas ò menos conforme al daño que le hiziere : mais no es contra el preceto del ayuno mayormente que el tocino, aunque es rezio de digerir, es de buen mantenimiento, come dizen los Medicos. ] Itaque habenti licentiam ad eſum carnium, licebit quodcunque genus comedere,ſcilicet,lardum, leporem, hœdum, bouem, & alia infirmis diſconuenientia; etiamſi tota refectio ex illo carnis genere fiat : nam in tali caſu edendo carnes ſaluti nociuas peccabit aduersùs præceptum naturale temperantiæ ; non autem aduersùs præceptum poſitiuum de abſtinendo à carnibus in die ieiuniorum. Notandum verò,quòd ſi ſupradicta ſumerentur in parua quantitate ad excitandum appetitum, tunc non frangeretur, neque præceptum poſitiuum abſtinentiæ, neque etiam præceptum naturale temperantiæ ſeruandæ. Et ita intelligendus eſt Henriquez *lib.*7.*c.*30.*n.*3.

*Vtrùm, qui ob iuſtam cauſam comederet hora octaua, aut nona,ob iter agendum, v. g. aut hoſpitibus inſeruiendum,teneatur illo die ad ieiunium?*

RESOLVT. XLVIII.

QVi aſſerunt, horam non eſſe de eſſentia ieiunij, vt nos *ſuperiùs* diximus, affirmatiuè reſpondebunt. Et ita docet Beia *p.*1.*deciſ.caſ.*45.Vegha *in ſum.p.*1.*c.*14.*caſ.*33. Moure *in ſum. p.* 2.*c* 8 §.2.*n.*5.Lopez *in inſtruct.p.* 2. *c.* 112. Rodriquez *in qq.Regular.tom.*2.*q.*100.*art.*2.& alij

Sed Sancius, qui nouiſſimè ſuas Selectas diſputationes edidit *in diſp.* 53. *n.* 5. contrarium docet : quia hora vndecima eſt de ſubſtantia ieiunij, vel ſaltem intrinſeca illi. Ergo ſoluitur ieiunium ex anteuerſione horæ. Nec putat diſtinguendum eſſe, quando ſoluatur ex iuſta cauſa, vel abſque illa : & citat plures Doctores. Vnde infert, non teneri ampliùs ieiunare, qui malitioſè comedit, anticipando notabiliter horam ieiunij. Item, qui putabat,ſe iter facturum, vel laboraturum, & ideò inculpatè ſummo manè comedit,animo non ieiunandi; & tamen poſteà cauſa aliqua impeditus eſt, ne iter ageret, vel laboraret; docet etiam in tali caſu, quòd non teneatur ieiunare : at contrarium docet Layman *in Theol. moral. lib.* 4. *tract.* 8.*c.*1.*n.* 4. qui citat Viualdum.

*An pro obligatione ieiunij vigeſimus primus annus ſit computandus de momento ad momentum?*

RESOLVT. XLIX.

AFfirmatiuam ſententiam docet Portel. *in addit.ad dubia regul. verb.ieiun.n.*1. & Sanchez *de matr. tom.*1. *lib.*2.*diſp.*24.*n.*23.Vnde infert,quòd ſi aliquis ante pũctum impletæ ætatis ieiunium minimè fregiſſet,tenebitur poſteà illud ſeruare:quia, tranſacto eo puncto iam præcepto ieiunij obligatur,& aliàs poteſt illud ſeruare:ergo,&c.

Sed contrariam ſententiam nouiſſimè docet alter Sanchez *in ſuis Select.diſp.*54.*n.*4. quia præceptũ ieiunij reſpicit totum diem integrum, vt indiuiduum obiectum : non enim præcipit mandatum ieiunij dimidium diei, vel quartam partem ieiunare;ſed totum diem.Igitur,qui exemptus fuerit à ieiunio per aliquam diei partem, totaliter liberatur illo die; cùm præceptum huiuſmodi, vel totum diem comprehendere debeat,vel nullam partem illius.

Notandum eſt etiam,quòd is, qui dubitat, an expleuerit vigeſimum primum annum;facta ſufficienti diligentia, ieiunio non eſt adſtrictus, cùm tunc non ſit poſſeſſio pro præcepto ieiunij.Ita Sanchez,*vbi ſuprà.*

*An proficiſcens à ciuitate, vbi non ſeruatur ieiunium, & accedens meridie ad locum domicilij, vbi ſeruatur; teneatur ſeruare ieiunium, ſi nondum violatum eſt?*

RESOLVT. L.

AFfirmatiuè reſpondet Sanchez *in ſum.tom.*1.*lib.*1.*c.*12. *n.*33.Leſſius *lib.*4.*cap.* 2.*dub.*8.*n.*57.& Baſilius Pontius *de matr.lib.*5.*c* 8.*n.*3.

Sed negatiuam ſententiam docet Sancius *in Select. diſp.* 54. *n.* 4. nam, vt *ſuprà* dictum eſt,mandatum ieiunij reſpicit integrum diem,vt indiuiduum obiectum:ſed, cùm ille potuerit licitè comedere in loco,à quo diſceſſit,meritò non tenetur ad ieiunium per integrum diem. Et ſupradicti Doctores,eo modo, quo fatentur proficiſcentem ab oppido domicilij,vbi ſeruatur ieiunium, & peruenientem nocte,vbi non ſeruatur,poſſe in domicilio ientaculum ſumere, eò quòd nocte cœnare licitè poſſit; item admittere erunt adſtricti, non teneri ſeruare ieiunium peruenientem ad domicilium,vbi ſeruatur,quando manè potuit ientaculum ſumere.

An



*An, qui,niſi cœna accepta, dormire non valet, teneatur manè collationem ſumere, cœnam ad noctem differendo?*

RESOLVT. LI.

NEgatiuè reſpondet Sancius *in ſuis Select. diſput.* 54. *n.* 13.quia non ſeruatur ieiunium ſumpta collatiuncula. Sed hoc mihi non placet. Alia ratio mihi arridet, quam etiam ipſe aſſerit,& eſt : quia non obligatur aliquis ordinem refectionum peruertere;ſed tutò poterit ſe communi hominum conſuetudini aptare. Igitur in tali caſu non tenetur quis ieiunare, docet Caietanus *verb. ieiunium.cap.*2. Lopez *in inſtruct.p.*2.*cap.*11. Filliucius *tom.*2. *tract.* 27.*c.* 6.*n.*130. Ludouicus de S.Iuan *in ſum.p.* 1.*tract. de ieiun.art.*6.& alij.

*An excuſetur à ieiunio, qui labore aliquo defatigatur, quamuis illud in alium diem commodè differre queat; & etiamſi, data opera vt non ieiunet, hoc ageret?*

RESOLVT. LII.

NOn eximi docet Azorius *tom.* 1. *lib,* 7.*c.*17. *quæſt.* 9. & alij penes ipſum.

Sed contrariam ſententiam docent aliqui iuniores Magiſtri : quia ius habet iſte ad illum laborem ſuſcipiendum, v. g. ad iter agendum,ad ludendum pila, ad venandum, &c. quo non priuatur ob ieiunium ſeruandum. Et hæc opinio procedit, etiamſi in fraudem ieiunij id ageret, nullius negotij cauſa itinerando; ſed ſolo deſiderio non ſeruandi ieiunium. Et ita docet Sancius *in ſuis Selectis,diſp.*4.*num.*14. loquens de ieiunio, & Suarez *de Relig. tom.* 1. *lib.*2. *c.*13. *n.*6. loquens de obſeruatione Feſtorum: nam in tali caſu puto, non interuenire propriam fraudem, aut dolum; ſed fugam quandam obligationis præcepti; quæ tamen contra præceptum non eſt; ſed bona, vel mala ratione finis, ob quem fit. Vide etiam Salas *de legib.diſp.*14.*ſect.*5.*n.*66.& Sanchez *in ſum.tom.*1.*lib.*1.*c.*12. *n.*35. & Fagundez *Præcept.*1.*lib.*1.*c* 7.*n.*7.

Vnde ex his infert Sancius *vbi ſupr.n.* 10. & nos *ſuprà* tetigimus,liberos eſſe à lege ieiunij, qui culpa ſua ita defatigati redduntur,vt ieiunare non valeant, vt qui defatigatus eſſet ludo pilæ, vel ex venatione, aut nimis eſſet deditus fœminarum commixtioni : nam tales die, quo præceptum obligat, impotentes ſunt ſeruare; die verò, quo ludunt nondum aduenit : ergo,&c. Quòd ſi in fraudem ieiunij ſe defatigarent, peccare deſiderio illo frangendi ieiunium,docent plures : ſed ex doctrina Sancij, & Suarez, *vbi ſuprà*, contrarium dicendum eſt : nam in tali caſu non interuenit fraus; ſed fuga quædam obligationis,quæ non ſufficit ad cauſandum peccatum. Aliud quidem eſt deſiderare aliquem frangere præceptum, quando adeſt obligatio; aliud deſiderare ſe reddi impotentem ad præceptum; hoc enim nihil aliud eſt, quàm optare excuſationem præcepti, quam, licet quis intendat via illicita, non operatur aduersùs tale præceptum, cùm non deſiderat illud infringere,quando obligat; ſed modum,quo non obliget, quærat. Et hæc opinio mihi non diſplicet. Secundùm Sancium igitur dicendum eſt, quod non tenentur ieiunio, qui labore aliquo defatigantur, etiamſi id agant in fraudem ieiunij : quia, dum defatigatio acquiritur; non adeſt ieiunij præceptum : dum verò iam acquiſita eſt,impoſſibilitas adeſt ad ieiunandum.Ergo,&c.Sed,his non obſtantibus,puto non eſſe recedendum à prima opinione Azorij.

*An, qui in die ieiunij tertia, vel quarta vice comedit, peccet ſaltem venialiter?*

RESOLVT. LIII.

AFfirmatiuè reſpondet Leſſius *lib.*4. *c.* 2. *dub.* 3. *n.* 15. cui fauere videtur Durandus *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 11. *n.* 9. *in fine*, & alij:quia ſecundariò videntur prohibitæ, & per illas magis receditur à fine intrinſeco ieiunij.

Sed mihi contraria ſententia placet. Dico igitur, tantùm illum peccaturum mortaliter contra ieiunij præceptum, qui ſecunda vice comedit; non autem venialiter, quia tertia,vel quarta. Et ita docet Villalobos *in ſum. tom.* 1. *tract.* 23.*diffic.*6. *n.* 5. & Sancius *in Select. diſp.* 54. *n.*42. Vnde non eſt audiendus Monteſinus *in p.* 2. *tom.* 2. *q.* 73. *art.*2.*q* 4.*n.*48. Couarruuias *var.lib.*4. *c* 2.*n.*13. & alij aſſerentes, quòd quia præceptum ieiunij obligat ad comedendum ſemel tantùm in die; qui pluries comedit, pluries agit contra præceptum : ergo plura committit numero peccata. Quod intelligit Monteſinus, ſi interrumpatur voluntas,vt nec formaliter, vel virtualiter maneat. Sed, cùm hoc præceptum indiuiduam habeat materiam, ſemel tranſgreſſa non vlteriùs remanet materia,quæ præcipiatur : & ideò Monteſini, & aliorum opinio non eſt tenenda. Vide *ſuprà*, *in Reſol.* 37. & 44.

# TRACTATVS X.

## De Legibus.

*An, vt leges humanæ, tam ciuiles, quàm pontificiæ obligent, requiratur conſenſus, & acceptatio populi?*

RESOLVT. I.

NEGATIVE' reſpondet Baſilius Pontius *de matr.lib* 5.*cap.*7.*num.*2 Berti *in expoſit. Bull.Clement. VIII. de largit. muner. part* 7.*principali.* Puteanus *in part.* 2. *D. Thomæ, quæſt.* 95. *art.*3. *dub. vnico, concl.* 2. Granado *in part.* 1.*contr.* 7. *tract.* 3. *part.* 1.*diſp.*7. *num.*3. Vaſquez *in p.*2.*tom.*2.*diſp.* 156. *c.* 5. *n.*36.Malderus *in p.*2.*q.* 90. *art.* 3. *dub.* 2. Suarez *de legibus lib.*3.*c.*19. & *lib* 4. *c.*16. Lorca *in p.*1. *tract.de legib.diſp.*20. *fol. mihi* 445. vbi ita ait : [ Hæc ſententia euidens eſt, nec oppoſita percipi poteſt : nam legiſlatores leges imponunt iure præfecturæ, & dominij, quod in ſubditos habent; & obligatio legis oritur ex ſubiectione, qua ſubditi Prælatis ſubſunt,& ex obedientia, quam illis præſtare tenentur : obedientiæ autem vis non oritur à ſubditi acceptatione;& ſi liberum eſſet populo, diſſentire, & leges reſpuere, non eſſent ſubditi : nam voluntate, & non neceſſitate parerent, & fieret quaſi conuentio quædam, & pactum inter ſubditos, & Prælatum de obſeruanda lege, nec vllum eſſet obedientiæ vinculum.

Confirmatur : quia, niſi lex cogeret ſubditos, & obligationem induceret abſque dependentia ab eorum approbatione, ſubditique poſſent diſſentire, eſſet bellum vtrinque iuſtum : nam Legiſlator iuſtè exigit obedientiam, & obſeruationem legis; ſubditus verò iuſtè reſiſtit, cùm acceptatio legis eius arbitrio commiſſa ſit. Confirmatur prætereà : quia præceptum actuale obligat nullo expectato aſſenſu eius, cui imponitur, nec aliquis oppoſitum vnquam mente concepit : ergo & lex : maior enim & non minor eſt legis, quàm ſimplicis præcepti vis. ita ille, ſatis quidem probabiliter.

Sed contrariam ſententiam docent non ignobiles Authores, vt Tannerus *in part.* 2. *D.Thomæ,diſp.*5.*q.*5. *dub.*4. *n.* 130. Cochier.*de iuriſd.tom.* 1. *q.*50.*n.* 8. Valentia *tom.*2. *diſp.*7.

*diſp.* 7.*q.*5.*punct.*2. Filliucius *tom.* 2.*tract.*21.*cap.vlt.n.* 429. Becanus *in ſumma theol. part.* 2. *tr.*3.*cap.*6. *q.*8.*n.*2. Sanctarellus *tract. de hæreſi,c.* 13. *n* 21. Leſſius *lib.* 2.*c.*22.*dub.* 13. *n.* 98. Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 13. *c.* 16. *n.*6. Homobonus *de exam. Eccl. part.* 2.*tract.* 11. *cap.* 7. *q.* 17. Nauarrus *in Man. cap.* 23.*n.*41.Emmanuel Sà *verb. lex,n.*1. Miranda *in Man. Prælat. tom.* 2.*q.*25.*art.* 21. *concl.* 1.& alij. Et ratio eſt : quia leges promulgantur ſub tacita conditione, ſi à populo acceptentur ; hoc enim videtur conforme benignæ Principum , & Legiſlatorum voluntati , ne nimis ſuis ſubditis oneroſi videantur. Et ita determinatum videtur *in l. de quibus. ff. de legib.* vbi illud habetur : [ Leges nulla alia ex cauſa nos tenent , quàm quòd iudicio populi receptæ ſunt. ] Quæ quidem ſententia non ſolùm procedit quoad leges Principum ſæcularium;ſed etiam , contra Duardum *in Bulla Cœnæ,lib.* 1.*c.*3.*q.* 6. *n.*9. & alios,quoad leges Pontificias,vt rectè notat Azorius *p.* 1. *lib.* 5. *c.*4. *q.*1. Becanus, & Reginaldus *loco cit.* Villalobos *in ſumm. tom.* 1. *tract.* 2. *dub.* 16. *n.*6. & alij:quia ita voluntas eius interpretatur, vt quandiu lex ipſius non eſt à populo recepta, velit obligationem eius ſuſpendi , ne detur peccandi occaſio. Et confirmatur ex verbis D.Pauli 2. ad Cor. 13.vbi aſſerit,Chriſtum dediſſe hanc poteſtatem Prælatis Eccleſiæ , non in deſtructionem, ſed in ædificationem : ergo præſumendum eſt , Prælatos non velle vti ſua poteſtate contra communem populorum conſenſum ; hoc enim eſſet vti in deſtructionem , non in ædificationem : quando autem lex non dicatur vſu recepta ; reſpondeo , quando maior pars populi proſequitur facere quod facere conſueuerat ante legis promulgationem Ita Doctores citati.

Vnde Puteanus *in p.*2.*D. Thomæ,q.* 11.*art.*4.*dub.*2. & Filliucius *tom.*1.*tract.*11.*c.*1.*q.*5.*num.*11.cum Sanchez,& Azorio , putant , Bullam Cœnæ vbi non eſt vſu recepta , non obligare in conſcientia. Idem etiam docuit Ioan. Valerus *in different. vtriuſque fori,verb. peccatum,differ.* 30.*num.* 2. & Becanus *in p.*2.*tract.*3.*c.*6.*q.*8.*n.*4.

Sed,his non obſtantibus , quoad leges Pontificias credo non eſſe recedendum à prima ſententia, cùm Pontifex iuriſdictionem accipiat immediatè à Deo , & non à populo;& ideò eius lex non pendet quoad obligationem à populi acceptatione,& per hoc peccant illam non acceptando, quamuis quæ per non vſum eſt abrogata, non obliget ampliùs.Sed,cùm Bulla Cœnæ quotannis publicetur,non poteſt per non vſum tolli.

*An peccent ſubditi , ſine cauſa non recipientes legem à Principe legitimè promulgatam ?*

RESOLVT. II.

RESpondent affirmatiuè , tam Doctores primæ , quàm ſecundæ ſententiæ *in ſuperiori Reſol.* adducti. Non reticebo tamen , quòd ſecundum Martinum Bonacinam *tract. de legib. diſp.* 1.*q.*1.*punct.*4.*n.* 39. in hac re videtur diſtinguendum : vel enim Legiſlator intendit obligare independenter ab acceptatione populi , vel dependenter : ſi independenter ab acceptatione intendit obligare, cenſeo, ſubditos peccare non acceptando;quia faciunt contra Superioris voluntatem obligantis ad legem acceptandam:ſi verò intendit obligare dependenter ab acceptatione, non videntur peccare ; quia nondum purificata eſt conditio, ſub qua Legiſlator intendit obligare.Ita Bonacina.

Gregorius verò de Valentia *tom.* 2. *diſp.* 7. *q.* 5. *punct.* 5. & alij putant , legem latam à Principe independenter ab acceptatione populi,& cum obligatione illum obligandi, non eſſe validam ; quia huiuſmodi lex magnam excitare poſſet in populo perturbationem : & ideò conſequenter non eſſet iuſta,nec lata propter bonum commune.Et hanc ſententiam probabilem putat Bonacina *vbi ſuprà , n.* 29. nam contrariam,quam ipſe cum multis aliis tenet , vocat tantùm probabiliorem.

Sed , quidquid ſit de hoc reſpondendo ad propoſitam quæſtionem , videtur , ſi contrarium coniecturis ſufficienter non conſtaret , Principes ſemper promulgare leges dependenter ab acceptatione ſubditorum , neque illos intendere obligare ; & ideò, eum,qui abſque ſufficienti cauſa legem non acceptat , aliquam culpam non incurrere , niſi graue incommodum Reipublicæ inde proueniat. Et ratio eſt:quia acceptatio eſt conditio requiſita ad legis obligationem : ergo, ſi lex non acceptetur,non obligat;& conſequenter non peccat , qui illam non acceptat; quia nondum purificata eſt conditio , ſub qua Legiſlator intendit obligare ; & Princeps intendit ſolùm obligare cum conditione , ſi lex acceptetur , niſi aliter expreſſerit; vel, vt dixi , ſi contrarium ex coniecturis ſufficienter non conſtaret. Ergo , &c. Et ita in terminis docet Megala *in* 2.2. *lib.*2,*c.*6. *q.*3. *n.*115. *&* 117.

Vnde non admitto ſententiam P.Suarez *de legib.lib.*13. *c.* 19. *num.*8. & aliorum aſſerentium , Legiſlatorem obligare independenter ab acceptatione populi,niſi aliter exprimat , aut aliter morali certitudine colligatur de ipſius mente;hoc,inquam,non admitto cum Martino Bonacina *loco citato* , *n.*29. quia hoc , vt *ſuprà* diximus , non videtur conforme benignæ Legiſlatorum voluntati, ne nimis ſuis ſubditis oneroſi videantur : & ideò leges humanæ, vt notant Doctores *ſuperiùs* citati , & in ſpecie Filliucius *tom.*2. *tract.* 21. *c.vlt. n.*49. feruntur cum ea tacita conditione , ſi populus recipiat. Ergo , &c. His tamen non obſtantibus, poſt hæc ſcripta , & edita , puto non eſſe recedendum à communi ſententia aſſerente , peccare ſubditos , ſi ſine cauſa non recipiunt legem legitimè promulgatam.

*An, quando dubium eſt , an lex ſit vſu recepta , nécne, præſumendum ſit eſſe acceptatam ?*

RESOLVT. III.

AFfirmatiuè reſpondent aliqui ; ſed mihi contraria ſententia probabilis etiam videtur, quam docet Salas *in p.*2.*q.*21.*tr.*8.*diſp. vnic. ſect.*18.*n.*169.licèt poſteà contrarium doceat *in tr.de leg.q* 96.*tract.*14.*diſp.*13 *ſect.*5 *n.*22.

Sed audiamus Azorium *p.*1. *lib.* 2. *c.*19. *q.*12. vbi ſic aſſerit : [ Quæritur,quid ſit dicendum,quando Titius dubio, & ancipiti animo eſt videlicet,an hæc,vel illa lex excommunicationem,ſuſpenſionem,irregularitatem imponens, ſit vſu recepta ? Reſpondeo , cùm materia ſit in odiis, vel pœnis, Titius in foro conſcientiæ poteſt eam partem amplecti , quæ negat legem vſu eſſe receptam ; & idem iuris eſt,ſi inter Authores ſint probabiles ſententiæ,quibuſdam affirmantibus eam eſſe receptam,aliis contrà negantibus: poteſt enim quis ſententiæ negantium adhærere, tuta, & ſalua conſcientia.] Ita ille.

Scio , contrariam ſententiam plures docuiſſe ; quia iudicandum eſt in fauorem legis,cùm poſſeſſio,& præſumptio ſtare videatur pro illa,quam conſtat,latam eſſe,& dubitatur de illius excuſatione : ſed , vt dixi , contraria ſententia eſt etiam probabilis : vnde , cùm aliqui dubitent Bullam Clem. VIII.de largitione munerum eſſe vſu receptam , ſtante ſupradicta dubitatione , qui contra illam aliquid efficerent,non incurrerent in pœnas ibi aduersùs contrauenientem latas.Idem dicendum videtur de Extrauag. *Ambitioſæ.* Pauli II. contra alienantes bona eccleſiaſtica : nam , vt Nauarrus apud Bonacinam *de legib. diſp.*1. *q.*2.*punct.*4.num.31.& aliqui putant , quoad pœnas dicta Bulla non videtur recepta : ſed,ſi in aliqua prouincia obſeruaretur , hoc equidem non militaret ; ſed illam ſubditi obſeruare tenerentur.

*An , vt lex non obliget , ſit neceſſarius conſenſus tacitus Principis , vt , v. g. noſcat vſu legem non recipi , & tamen toleret ?*

RESOLVT. IV.

ALiqui affirmatiuè reſpondent , vt Syluest. *verb. lex, quæſt.*6. Reginald.*in praxi. tom.*1. *lib.*13. *c.*16. *n.* 162. & Rodriquez



& Rodriquez apud Salas *de leg. diſp.* 13.*ſect.* 2. *num.* 12. cum aliis.

Sed mihi contraria ſententia omninò ſuſtinenda videtur. Dico igitur , ſatis eſſe non obſeruari legem , etiamſi Princeps hoc neſciat : quia , vt *ſuprà* dictum eſt , leges humanæ feruntur cum iſta tacita conditione:*Si populus recipiat.*Et ita docet Filliuc *tom.* 2. *tract.*21. *c.vlt.n.* 429. Azorius *p.*1.*lib.*5. *c.*4. *q.*2. Salas *vbi ſup.* & alij. Videtur tamen hæc ſententia limitanda quoad leges pontificias : quia multoties Pontifices , licet non prohibeant ea , quæ fiunt contra proprias leges , præcipuè in materia immunitatis eccleſiaſticæ;non tamen conſentiunt, ſed tacent;quia non poſſunt commodè remedium adhibere : quæ taciturnitas non excuſat non ſeruantes leges pontificias.

*An Epiſcopi , & Principes excuſentur , ſi non curant,vt leges pontificiæ promulgentur, & recipiantur ?*

RESOLVT. V.

AD hanc quæſtionem Becanus *in ſum. Theol. par.* 2. *tr.* 3. *c.*6.*q.*8.*n.*4. reſpondet cum diſtinctione : nam, ſi Pontifex expreſsè mandat Epiſcopis , & Principibus, vt promulgent , & recipiant aliquam legem ; tunc tenentur obedire niſi afferant legitimam cauſam , cur non obediant:ſi expreſsè non mandat,tunc Epiſcopi , & Principes perinde ſe habent, ſicut reliqua Communitas. Et hoc intelligendum eſt de illis Epiſcopis , & Principibus , qui viuunt eo tempore , quo lex Pontificis primùm promulgatur:nam, ſi illi tunc non promulgant , neque recipiunt legem,ſucceſſores eorum excuſantur. Hinc patet, Epiſcopos , & Principes , qui hoc tempore viuunt , & quorum anteceſſores non receperunt Concilium Tridentinum, aut Bullam Cœnæ Domini , liberos eſſe in conſcientia, multò magis eorum ſubditos.Ita Becanus.

*Vtrùm liceat ſupplicationem ſuper aliqua lege porrigere, & interim ſuſpendere eius obligationem, & illam minimè obſeruare ?*

RESOLVT. VI.

NEgatiuè reſpondet Ioan. de la Cruz *in direct.conſc.p.*1. *præcept.*7.*q.*6.*dub.*3. *concl.*2. & Vaſquez *in p.* 2. *tom.*2. *q.*94. *art.*3. *diſp.*156.*c.*5.*n.*43. quia appellatio , vel ſupplicatio,iure quidem conceſſa eſt contra ſententiam : at contra legem nuſquam conceſſa reperitur.

Sed contrariam communiter docent Doctores , vt Granado *in p.*2.*contr.* 7. *tract.*3. *p.*1. *diſp.*7. *n.*9. Malderus *in p.*2.*q.*20.*art.*3.*dub.*2.*fol.mihi* 341. *col.*2.Salas *de legib.diſp.*13. *ſect.* 4. *n.* 20. Suarez *de legib. lib.* 4. *cap.* 16.*n.* 6. & Villalobos *in ſum.tom.*1.*tr.*2.*dub.*16.*n.* 6. vbi ſic ait : [ Las leyes canonicas , ſi no ſe reciben , no obligan. De la qual concluſion ſe ſigue, que ſi ſe ſuplicaſſe de las leyes del Pontifice,tambien ſe ſuſpenderia ſu efeto , como dize Felino , y otros , y conſta de la coſtumbre , que ay en muchas Prouincias de la Ygleſia , que ſuplican al Pontifice , y el paſſa por ello. ] Et ratio eſt : quia talis præſumitur rationabilis voluntas Legiſlatoris : nam poſita aliqua iuſta cauſa, conſonum videtur , vt ſubditi habeant aditum ad Legiſlatorem pro reuocanda lege , & interim non obligentur illam ſeruare , donec Legiſlator mentem ſuam explicauerit: quidquid in contrarium aſſerat Lorca *in p.* 2. *tom.* 2. *de legib.diſp.*20.qui putat interim,dum ſupplicatur , & Legiſlator non reſpondet,legem obligare.

Ad argumentum Vaſquez reſpondeò cum Maldero, quòd quanuis propriè appellationes non fiant à legibus, ſed à ſententiis ; poteſt tamen allegari cauſa , & peti reformatio legum , vel ab ipſo facienda latore , vel ab eius ſuperiore. Notandum eſt tamen ; quòd ſi Summus Pontifex , audita communitatis ſupplicatione , taceat , & non reſpondeat dictæ ſupplicationi,præſumitur conſentire , & legis obligationem tollere : niſi aliter ex coniecturis conſtaret,Principem ſupplicationi non reſpondere;non, quia nolit obligationem legis tollere , vel ſuſpendere ; ſed , vt ſuauiter,& cum minori offenſione,& damno reiiciat ſupplicationem:tunc in hoc caſu non licebit ſuſpendere ampliùs legis executionem.



*An , vt lex per non vſum authoritate careat , requiratur certum tempus , & opus ſit aliqua præſcriptione ?*

RESOLVT. VII.

REquiri ſpatium decem annorum,putauit Azorius *p.*1. *lib.*5. *c.*4. *q.*4. & alij.

Sed mihi probatur opinio Henrici *tract.de Synodo,art.*2. *n.* 63. Felin. *in cap.* 1. *de treuga, & pace*, & Suarez *de legib. lib.* 4. *c.* 16. *n.*12. aſſerentium non requiri certum tempus, ſed ſolùm repugnantiam per actus contrarios , numero ſufficienti,arbitrio prudentium:quia nullum eſt ius , quod præſcribat illud tempus decem annorum , neque ex natura rei eſt neceſſarium ; & vſus videtur eſſe in contrarium; quia , vt lex cenſeatur non accepta , non ſolet expectari illud tempus, ſed ſolùm, quòd pro maiori parte per ſufficientem conſuetudinem repugnatum ſit:& hæc ſententia in conſcientia,& praxi videtur ſecura. Ita Suarez.

Imò ſciente Principe, & non puniente, cùm poſſit,aliqui ſentiunt ſufficere duos , vel tres actus factos contra legem. Ita Azorius *vbi ſuprà, p.* 1. *lib.*5. *c.*4.*quæſt.*6 Panormitanus *in c.*1. *de treuga, & pace*, Bartholus *in l.de quibus. num.*10. *ff.de legib.* & alij : quia ad inducendam conſuetudinem binus actus ſufficit , & frequentia actus contingit, quando bis ſit : nam , quando bis ſit , frequenter ſit. Et hanc ſententiam docet etiam Emmanuël Sà *verb.lex, n.*1. Reginaldus *tom.* 1. *lib.* 13. *cap* 16. *num.* 162. Rodriquez *qq. regul. tom.*1. *quæſt.*6.*art.*12. & Miranda *in Man.Præl.tom.*2. *quæſt.*24. *art.* 1. *concl.*3. Nec putat Rodriquez,eſſe neceſſarium , iſtos actus fieri in præſentia Principis Legiſlatoris, vel eo ſciente ; ſed ſatis eſſe fieri ſcientibus Auditoribus regiis,vel Epiſcopis : quod etiam docuit Burghos de Paz *in l.*1.*tauri, num.*232.*&* 233.

*An vt leges pontificiæ obligent , neceſſe ſit , vt promulgentur in ſingulis Diœceſibus, & Prouinciis ?*

RESOLVT. VIII.

NEgatiuam ſententiam docet Tannerus *in p.*2. *diſp.* 5. *q.*5.*dub.*3.*n.*118. Angu.*tract.de leg.tom.*1.*lib.*4.*contr.*1. *n.* 27. *&* 28. Pontius *de matr. lib.*5.*c.*7. *n.*2. Berti *in explicat. Bullæ Clementis VIII. de largit. muner. p.* 7. *principali*, Layman *vbi infra* , *n.*4. Caſtellinus *in tractat. de elect. can. præl.*1.§.10. Lorca *in p.*2.*tom.*2. *diſp.*18. *de legib.* Fernandez *in exam. Theol. mor.p.*2. *cap.*3. §.3. *num.*1. *in fin.* Rodriquez *qq. regul.tom.*1. *quæſt.*6. *art.*3. Graffius *in conſil. tom.*1. *lib.*3. *conſil.*9.*n.*4.*de regularibus.* Malderus *in* 2.2. *quæſt.* 90. *art.*4. *dub.* 3. Villalobos *in ſumma , tom.*1. *tract.*2. *dub.*12. *num.*5. Marius Antoninus *lib.*1. *reſol.*122. *caſ.* 1. Filliucius *tom.* 2. *tract.*21.*cap.*11. *num.*397. Sayrus *in claui regia , lib.* 3. *cap.* 5. *n.*7. Coriolanus *in Bulla Cœnæ*, vbi de abſolutione, *in fine, fol.mihi* 975. Granado *in p.*2.*contr.*7.*tr.*3.*p.*1. *diſp.*11.*ſect.*2. *num.* 17. Vgolinus contra Venetos *cap.*1. §. 1.*n.*4. Suarez *de legib.lib.*4.*cap.*15.*n.*2. Salas etiam *de legib diſp.*12.*ſect.*2. *num.*10.Valentia *tom.*3.*diſp.*7.*q.* 5. *punct.*5. Vaſquez *in p.* 2. *tom.*2. *diſp.*156.*c.*2. Azor. *p.*1.*lib.*5.*c.*5.*q.*3. Duard.*in explic. Bull.Cœnæ,lib.*3.§.1.*q.*1.*n.*17. Molfeſ. *in ſumm. tom.*1. *tract.*9. *c.*8. *n.*38. cum multis aliis.

Probatur hæc opinio. Primò, ex communi praxi : nam omnes cauſæ , quæ ex toto terrarum orbe deferuntur ad Romanam Curiam,non definiuntur , niſi iuxta Regulas Cancellariæ , & alias leges , quæ tantum Romæ promulgatæ

mulgatæ ſunt : ergo, &c. Secundò, Bulla Cœnæ Domini nuſquam, niſi Romæ, ſolet promulgari. Tertiò, quia Pius I V. in ſua Bulla, in qua confirmauit Conci. Trident. voluit, vt leges dicti Concilij, quæ pertinent ad reformationem, & ius canonicum, vbique inciperent obligare Cal. Maij an. 1564. poſt promulgationem Romæ factam; Quartò, quia, cùm Pontificibus expedire videtur, vt eorum Bullæ promulgentur in ſingulis Prouinciis, id ſpeciatim decernunt, vt patet in Bulla Sixti V. contra Aſtrologos. Ergo, cùm publicationem omittunt, non iubentes vt efficiatur ſignum eſt, eoſdem Pontifices velle, vt facta Romæ promulgatione, nulla alia opus ſit, vt eorum leges in ſingulis prouinciis obligent.

His tamen minimè ſuffragantibus, contrariam ſententiam docent viri doctiſſimi, vt Serarius *in ſuis Opuſcul. theol. tom. 3. diſput. de legib. num. 56. & ſeq.* Sà *verb. lex, n. 9.* Solerus *de poteſtate Confeſſ. cap. 9. quæſt. 5.* Medina *in p. 2. quæſt. 90. art. 3. dub. 1. poſt. 2. concl. & dub. vlt. concl. 5.* Angelus *verb. lex, num. 13.* Sotus *de iuſt. lib. 1. quæſt. 1. art. 4.* Ludouicus Carbo *de legib. lib. 3. diſp. 9.* Conradus *in p. 2. qu. 90. art. 4. ad 2.* Miranda *in Manual. Prælat. tom. 2. quæſt. 25. art. 4. concluſ. 5.* Victorellus *in notis ad Manual. Nauarri, cap. 23. num.* 40. Molina *de iuſtit. tom. 2. tract. 2. diſp. 395. num.* 4. vbi ſic ait: [Opinio illa, quod pontificiæ leges ſtatim poſt duos menſes à publicatione Romæ facta, totan obligent Eccleſiam, neque neceſſaria ſit publicatio in ſingulis Prouinciis, aut Diœceſibus ad effectum, quòd nullus præſumatur illas ignorare; profectò non eſt tam certa, quàm certa ſupponitur; quin potiùs contraria meo iudicio eſt probabilior.] Ita Molina : & hanc ſententiam probabilem, & tutam eſſe in conſcientia, putat Layman. *in Theol. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 3. num. 3.* Becanus *in ſumma Theol. p. 2. tract. 3. cap. 6. num. 5. & 6. in fin.* Homobonus *de exam. Eccleſ. par. 2. tract. 12. cap. 3. quæſt. 10 in fin.* Leſſius verò *de iuſt. lib. 2. c. 22. dub. 13. num* 28. & Vaſquez cum Granado *vbi ſuprà* eorum ſententiam vocant tantùm probabiliorem : ergo ſecundùm illos iſta erit probabilis.

Nec deſtituta videtur rationibus hæc ſententia : nam nimis durum eſſet, ſi ſtatim atque Romæ promulgatur aliqua lex pontificia, obligaret Chriſtianos per totum mundum diſſipatos. Secundò, in multis locis Concilij Tridentini leges non ſeruantur : quia ibidem non fuerunt promulgatæ. Tertiò, id colligitur *ex cap. cum infirmitas. de pœn. & remiſ.* vbi ſtatuitur, legem Concilij generalis, quæ circa Medicos lata eſt non priùs obligare Medicos, quàm fuerit à locorum Ordinariis promulgata. Ergo etiam Conſtitutio Papæ non ligat in Diœceſibus, vbi non fuerit promulgata. Reſtat modò reſpondere ad argumenta contrariæ ſententiæ. Ad primùm reſpondetur, Iudices Curiæ Romanæ iudicare ſecundùm opinionem probabiliorem, quæ aſſerit, Conſtitutiones pontificias tantùm Romæ publicatas obligare in foro interno, & conſcientiæ : ſed ex hoc non ſequitur, contrariam ſententiam eſſe falſam : & ita in ſimili caſu reſpondet Becanus *vbi ſuprà, quæſt. 7. n. 3. in fin.* & ita etiam in ſimili caſu de ſtylo Curiæ Romanæ reſpondet Fagundez *de Præcep. Eccleſ. tract. 2. lib. 8. cap. 8. num.* 138. & Granado *in part. 2. contract. 7. tract. 3. p. 1. diſput. 11. ſect. 2. num.* 15. Igitur dicendum eſt, quòd praxis illa, quam aſſerunt, fundatur in probabilitate contrariæ ſententiæ; non tamen tollit probabilitatem alterius. Ad ſecundum reſpondeo cum Reginaldo *tom. 1. lib. 13. cap. 16. num.* 155. Conſtitutiones pontificias vſu, atque conſuetudine receptas, (vt eſt Bulla Cœnæ, & ſimiles Conſtitutiones contentæ in Decreto,) & cæteras non indigere promulgatione facta in prouincia. Ad alia argumenta reſpondet Molina, *vbi ſuprà, num.* 6. Ego verò puto; non eſſe neceſſariam promulgationem, vt lex pontificia obliget : & ideò tene primam ſententiam.

***

*An leges pontificiæ non obligent, niſi poſt duos menſes à promulgatione facta?*

RESOLVT. IX.

Statim obligare facta promulgatione, & non poſt duos menſes, docet Tanner. *in p. 2. diſp. 5. quæſt. 6. dub. 1. num.* 7. Anguiano *tract. de leg. tom. 1. lib. 4 contr. 2. n.* 17. Vaſquez *in p. 2. diſp.* 156. *c. 3. n.* 14. Homobonus *de exam. Eccleſ. p. 2. tr. 9. c. 3. q. 3.* Suarez *de legib. lib. 3. c. 18. lib. 4. c. 15. n. 11. & cap. 17. n. 5.* Salas etiam *de legib. diſp. 12. ſect. 3. n. 20.* Molina *de iuſt. tract. 2. diſp. 395.* Malderus *in p. 2. q. 90. art. 4. dub.* 3. & Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 2. dub. 13. n.* 4. vbi ſic aſſerit : [ Las leyes del Pontifice, ſi no es que ſeñalan tiempo, en publicandoſe en Roma obligan, ſin eſperar à que paſſen dos meſes. El fundamento es, que la Autentica, *Vt nouæ factæ Conſtitutiones*, no eſta recebida en las leyes canonicas, como conſta del eſtilo.] Et ratio eſt: quia nulla lege ita ſtatuitur : & lex illa Authenticæ non obligat Pontificem, nec alios Regis non ſubditos imperio. Et licèt Pontifex *cap. nouerit. de ſententia excom.* aſſignet duos menſes pro monitione, vt qui fecerint ſtatuta contra libertatem eccleſiaſticam, illa reuocent intra duos menſes, alioquin in excommunicationem incurrerent, ex hoc non ſequitur, neceſſarium eſſe pro promulgatione tempus duorum menſium, vt omnis lex pontificia obliget : nam, ſunt aliquæ leges, quæ ex voluntate Principis, ſeu Pontificis, non incipiunt obligare, niſi poſt certum tempus facta promulgatione.

Hæc ſententia eſt probabilis, ſed etiam probabilem contrariam exiſtimo, quæ aſſerit, leges pontificis, in quibus non apponitur certum tempus obligationis, non obligare, niſi poſt duos menſes à promulgatione facta : & ita docet Martinus Becanus *in ſum. Theol. part. 2. n. 3. cap. 6. concluſ. 2. num.* 3. qui citat Sylueſtrum, Panormitanum, & Ioan. Andream. Idem docet Valentia *tom. 2. diſp. 7. quæſt. 5. punct.* 5. Nauarrus *in Man. c. 23. n.* 24. Emmanuel Sà *verb. lex, n.* 8. Miranda *in Man. Prælat. tom. 2. q. 25. art. 4. concl. 5.* Reginaldus *tom. 1. lib. 13. c. 16. n.* 152. Tabiena *verb. lex, n. 52. & verb. Conſtitutio, n.* 1. cum multis aliis : & hanc opinionem in foro conſcientiæ tutam eſſe, & ſeruari poſſe, affirmat etiam Azorius *p. 1. lib. 5. c. 3. q. 8. in fin.* Et ratio eſt. quia, vt leges non dedignantur ſacros Canones imitari; ita ſacrorum Canonum ſtatuta Principum Conſtitutionibus adiuuantur, *ex c. 1. de noui oper. nunciat.* cúmque illud iuri ciuili ſit conſentaneum, nec in iure canonico cautum ſit contrarium, ipſum ſanè ſeruari poteſt, præſertim cùm Papa, dum intendit ſtatim obligare, ſoleat in ſua Cõſtitutione id exprimere, vt videre eſt *in c. cùm ſingula de præben. in 6. & Clem. 2. de hære.* Sed, vt diximus, ex Auth. *Vt factæ nouæ Conſtit.* apparet; leges nõ obligare, niſi poſt duos menſes à facta promulgatione. Ergo, &c. Secũdo, dictum tempus duorum menſium, non ſolùm apponitur, vt ignorantes non ligentur; ſed etiam, vt lex incipiat obligare, & ita tollatur omnis confuſio, rixa, & imparitas ſubditorũ: vnde ex his inferunt ſupradicti Doctores, quòd ſi aliquis ſciret promulgatam eſſe legem; tamen non teneretur illam ſeruare ante duos menſes elapſos : quia alioquin, vt benè notant Becanus, Valentia, & alij, magna ſequeretur in Republica perturbatio : nam, qui ſcirent legem promulgatam, tenerentur eam ſeruare in vtroque foro; alij in neutro tenerentur. Dicendum eſt igitur, leges pontificias, & Principum ſæcularium non obligare; niſi poſt tempus duorum menſium à promulgatione facta.

Nec valet dicere, quòd ſtylus Curiæ Romanæ eſt in contrarium, & quòd ibi à Iudicibus paſſim puniuntur tranſgreſſores legum, etiam ante elapſum tempus duorum menſium: nam reſpondeo cum Salas, Becano, Miranda, & aliis, quòd ſtylus Curiæ, & Iudices ideò hoc faciunt, quia fundantur, & ſequuntur opinionem priorem; ſubditos verò poſſe tuta conſcientia ſequi oppoſitam, quia probabilis eſt : ſed caueant pœnas à Iudicibus infligendas. Igitur, ait Nauarrus, ſtylus Curiæ procedit in foro externo, & non in foro interiori. Notandum eſt verò cum Soto *lib. 2. de iuſt. quæſt. 1. art.* 4. Reginaldo, Valentia, & aliis, doctrinam *ſupra* dictam admittendam eſſe in legibus Principum ſupremorum; ſecùs autem, ſi lex feratur ab aliquo Magiſtratu, qui habet in ſua gubernatione Superiorem, vt Epiſcopus: nam tunc ſtatim ex ipſo tempore promulgationis obligat. Et ita etiam docet Suarez *de legib. lib. 3. c. 18. n. 9. & lib. 4. c. 15. n.* 15.

*An Princeps teneatur ſeruare ſuas leges?*

RESOLVT. X.

Reſpondeo, quòd Princeps, ſeu alius Legiſlator, qui non habet ſuperiorem, non tenetur legibus non obligantibus ex æquo, vt legibus veſtium, &c. benè tamen tenetur legibus obligantibus omnes, vt legibus taxantibus pretia mercium, &c. Sed ad hoc non tenetur vi coërcitiua, cùm à nullo puniri poſſit; ſed vi directiua : quia, ſicut ius naturæ præcipit, vt Superiores obſeruent leges proprias, & ſic ſe conforment ſubditis; turpe enim, caput, & membra non conformari : ergo eodem modo, quo ſubditi tenentur ſeruare leges Superiorum, Superiores ipſi tenentur ſeruare proprias, ac proinde vtrique legibus obligantur. Ita docet Granado *in p. 2. contr. 7. tract. 3. part. 1. diſp. 6. ſect. 1. n.* 6. Layman *in Theol. mor. tract. 4. c. 9. n.* 3. Suarez *de legib. lib. 3. c.* 35. Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 2. c. 6. §. 2.* Ioan de la Cruz *in direct. conſc. in proœmio, dub. 3. concl.* 2. Vaſquez *in p. 1. tom. 2. diſp* 167. *c. 3. n.* 17. Becanus *in ſumm. Theol. p. 2. tract. 4. c. 6 q. 22. per totam.* & alij penes ipſos.

Sed difficultas eſt, an ex vi directiua teneatur ita ſeruare ſuas leges, vt illas frangendo peccet mortaliter. Affirmant aliqui, vt Granado *vbi ſup. in p. 2. contr. 7. tract. 3. p. 2. diſp. 17. ſect. 3. n.* 24. Suarez *de legib. lib. 3. c. 35. num. 8. & 20.* Sayrus *in claui regia, lib. 2. c. 9. n.* 2. Malderus *in p. 2. q 96. tract. 5 fol. mihi* 405. *col.* 1. & alij: quia putant directè Principes teneri ſeruare leges.

Sed mihi contraria ſententia probabilis etiam videtur quam docet Filliucius *tom. 2. tract. 21. c. vlt. n.* 426. Azorius *p. 1. lib. 3. c. 11. q.* 1. Salas *de legib. diſp. 24. ſect. 2. n. 19. & 20. & diſp. 20. ſect. 12. n.* 104. Leſſius *lib. 2. c. 35. dub. 5. n.* 34. & alij: quia Princeps non tenetur ſeruare legem, niſi indirectè, & illo iure, quo ſe tenetur conformare ſubditis : & cùm lex non obliget vltra voluntatem Legiſlatoris, non cenſetur Legiſlator velle ſibi tantam obligationem imponere. Ergo, &c: Vnde ſemoto ſcandalo, & aliis circunſtantiis, aſſero, Pontificem non peccare mortaliter, ſi non communicet in Paſchate; ſi facit contractum; iure tantùm humano; ſimoniacum; & aliis ſimilibus. Peccaret tamen Princeps, ſi venderet aliquam rem vltra iuſtum pretium taxatum à lege: nam, vt benè obſeruat Lorca *in p. 2. tom. 2. tract. de legib. diſp. 26. membr.* 3. & alij, naturalis iuſtitia poſtulat, vt iuſto pretio contractus fiant : pretium autem fit iuſtum communi æſtimatione, quæ meliùs lege, quàm alio arbitrio declaratur.

Notandum eſt etiam, quòd Princeps tenetur ſtare contractibus à ſe celebratis cum ſuis ſubditis; & aliter faciendo peccat mortaliter: & ita docet Reginaldus *in praxi, tom. 1. lib. 24. c. 17. n* 168. Suarez *de legib. lib. 3. c. 35. num.* 23. Salas etiam *de legib. diſp. 14. ſect. 2. n* 27. Azorius *par. 1. lib. 5. c. 11. quæſt.* 1. Filliucius *vbi ſuprà*, & nouiſſimè Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 2. dub. 30. n.* 6. vbi ſic aſſerit : [ En todo contrato el Principe ſe obliga à aquel con que contrahe, aunque ſea ſu ſubdito, y queda obligado como el eſtà. Es comun ſentencia, y lo dicta la razon natural: porque el contrato ha de ſer ygual, y no ha de claudicar: y aſſi pues el ſubdito le queda obligado à el en el contrato; tambien el ha de quedar obligado.] Et ideò etiam docet Ioan. Valerus *in differ. vtriuſque fori, verb. lex, differ. 10. n.* 1. Principes non teneri, ſaltem (ait ipſe) ſub mortali, ſeruare leges, niſi tamen iuraſſent ſeruare eas, vt ſolet tale iuramentum exigi à Regibus, & Dominis terrarum, dum capiunt de nouo poſſeſſiones earum: quia Princeps naturaliter ſub peccato mortali poteſt ſe ſuis ſubditis obligare. Vide etiam, circa præſentem quæſtionem, Tannerum *in p. 2. diſp. 5. q. 6. dub. 2. n.* 22.

*An Regulares teneantur obſeruare leges ſynodales Epiſcoporum?*

RESOLVT. XI.

Affirmatiuam ſententiam docet Vaſquez *in p. 2. tom. 2. diſp.* 167. *c. 4. n.* 32. Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 4. c. 15. n.* 21. qui citat Rodriquez. Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 2. dub. 31. n.* 4. Becanus *in ſum. Theol. p. 2. tract. 3. c. 6. q. 11. n.* 3. & in hanc ſententiam videtur inclinare Malderus *in p. 2. q. 96. art. 5. fol. mihi* 409. *col.* 1 & alij, qui aſſerunt, Religioſos obligari iure naturæ, ſaltem quoad vim directiuam, ad eiuſmodi leges ſeruandas; quando illæ non derogant ſtatui religioſo, & ſpectant ad communem obſeruantiam, & deuotionem totius populi, & Cleri: pars enim debet conformari ſuo toti, ſaltem in iis, in quibus homogenea eſt.

Sed ego contrariam ſententiam exiſtimo probabiliorem; nempe, Religioſos ſolùm teneri ad eiuſmodi leges ex decentia, & ratione ſcandali vitandi; ideóque, ſi ſcandalum ceſſet, nunquam peccare, illas non obſeruando. Et ita docet P. Granado *in p. 2. contr. 7. tract. 3. p. 1. diſp. 6. ſect. 3. n.* 18. Lorca etiam *in p. 2 tom. 2. diſp. 25. membr. vlt.* Suarez *de legib. lib. 4. c. 20. n. 9.* & Salas *de legib. tract. 14. ſect. 4. n.* 43. & ex Prædicatorum familia Michaël Zanardus *in ſuo director. Theol. p. 2. præcep. 4. c. 12. in fin.* vbi ſic ait : [ Hinc pater, Regulares omnes priuilegiatos, eſſe exemptos ab omnibus ordinationibus ſynodalibus, & prouincialibus. ] Idem docet Pontius *de matr. lib. 5. c. 7. num.* 31. & Pottel. *in dub. reg. verb. lex. n.* 1. vbi ſic aſſerit: [Leges Epiſcoporum non ligãt Religioſos, niſi quoad feſtorum obſeruationes, interdicta, cæteráſque cenſuras obſeruandas, pro quibus ferendis licentiam habent à iure Tridentini. Et ideò rectè Llamas *in ſum. ſeu method. p. 3. c. 5. §. 28. in fin.* notauit, quòd ieiunia ab Epiſcopo impoſita non obligant Religioſos exemptos : quod etiam docuit Porrel. *vbi ſuprà, in dub. regul. verb. feſti dies, n.* 3. ſentiens, in conſcientia ad dicta ieiunia non teneri, niſi ratione ſcandali, & niſi in vſu, & conſuetudine illa Regulares acceptauerint: & citat Suarez, *vbi ſuprà.* Notandum eſt verò, quòd ſunt multi caſus, in quibus Religioſi, etiam exempti, tenentur legibus, & ſententiis Epiſcoporum; quia ſunt in iure expreſſi : quorum numerum inuenies adnotatum diligentiſſimè apud Malderum *in p 2. q. 96. art. 5. fol. mihi.* 408. & apud Cenedum *in q. canon. q. 26. per totam.* Vide etiam Barboſam *de poteſt. Epiſc. p. 3. alleg.* 105.

*An Clerici ſubiiciantur legibus Principum ſæcularium, quæ ſpectant ad Reipublicæ gubernationem, & pacem; nec cum ſacris Canonibus, & ſtatu Clericorum pugnant?*

RESOLVT. XII.

Ad hanc quæſtionem reſpondet Petrus Lorca *in p. 1. tom. 2. tract. de legib. diſp. 25. membr.* 4. vbi ſic ait : [ Eſt dubium, vtrum Clerici obligentur legibus ciuilibus, ſola æquitate naturali, ratione cõformitatis cum aliis hominibus; an ipſa vi, & efficacitate legum. Mihi apparet probabilius, obligari ſecundo modo : quoniam, licet quoad alia exempti ſunt; quoad leges non videntur exempti: quare non ſolùm virtuti directiuæ, vt aliqui opinantur; ſed virtuti etiam coactiuæ ſubiiciuntur : quamuis hæc coactio, punitio, & executio legum fieri non debeat per Principes ſæculares; ſed per Principes eccleſiaſticos : per eos autem compelli debent ad legum ciuilium obſeruationem. Ita Lorca.

Sed hæc ſententia eſt ſingularis; ideò non tenenda. Sed dicendum eſt cum cõmuni Theologorum ſententia, vt nos firmauimus *in tract. de immunit. Eccleſ.* quòd Clerici legibus ciuilibus, reſpicientibus bonum commune, & non repugnantibus Eccleſiæ libertati, tenentur tantùm ex vi directiua; non autem ex vi legis: imò aliqui, & probabiliter, docent, Clericos non teneri directè legibus ſecularibus; ſed ex ratione naturali dictante, ſeruandas eſſe leges ſæculares propter conformationem cum perſonis ſæcularibus eiuſdem Reipublicæ, quæ illis legibus directè ſubiiciuntur: ſicut Princeps non obligatur directè ſuis legibus; ſed indirectè: quia ratio naturalis dictat, vt oneribus, quæ ſubditis imponit, ipſe quoque ſe ſubiiciat. Et hanc ſententiam docet Layman *in Theol. mor. tract. 4. c. 13. n. 6.* Azorius *p. 1. lib. 5. cap. 12. quæſt. 3. & par. 2. lib. 9. c. 7. q. 8. &* 15. & alij.

Non reticebo tamen, quòd aliqui inferunt, ſecluſo ſcãdalo Clericos non peccare mortaliter, ſi dictas leges Principum ſæcularium non obſeruent: & ita docet Martinus Bonacina *tract. de legib. diſp. 1. q. 1. punct. 6. n. 53.* vbi ſic aſſerit: [Vtrùm Clerici grauiter peccent tranſgrediendo leges ciuiles, conſtat ex ſupradictis non grauiter peccare, poſito, quòd directè non teneantur legibus ciuilibus.] Idem docuit Ioan. de Salas *de legib. diſp. 14. ſect. 10. n. 11. in fin.* vbi ita ait: [Si verum eſſet, quòd Clerici non obligentur directè legibus ciuilibus, ſecluſo ſcandalo; non peccarent mortaliter eas violando.] Ita ille, qui *ſuprà. ſect. 8. n.* 103. ſententiam iſtam aſſerentem, Clericos non directè, ſed indirectè legibus ſæcularibus teneri, tanquam probabilem admittit, & ad argumenta contraria reſpondet.

*Solent plures aliquando in æſtate ſe transferre ad ciuitatem Montis Regalis: quæritur, an teneantur ad ieiunia, obſeruationem Feſtorum, &c. illius loci?*

RESOLVT. XIII.

ALiqui affirmatiuè reſpondent: & ita in terminis docet Molfeſius *in ſumm. tom. 1. tr. 9. cap. 8. num.* 34. *& tract.* 10. *num.* 17. *cap.* 4. Suarez *de relig. tom. 1. lib. 2 cap.* 14. Leſſius *lib. 4. cap. 2. dub. 8. n.* 10. Sayrus *in claui regia, lib. 7. cap. 3. num.* 1. & Fagundez *de Præcept. Eccleſ. tract. 1. lib. 1. cap. 8. num.* 20. Et ratio eſt, ait Molfeſius cum aliis: quia ciuis exiſtens extra ſuum locum eſt ſolutus à ieiuniis, & particularibus obligationibus ſui loci: ergo iuſtum eſt, vt ligetur conſuetudine, & legibus locorum, in quibus per aliquos dies manet: qui enim ſentit commodum, debet etiam onus ſentire, iuxta regulam iuris. Deinde, aiunt Suarez, & Leſſius, omnes fideles ita obſeruant leges, & conſuetudines locorum, in quibus manent: & licèt hæc conſuetudo ortum habuerit occaſione vitandi ſcandali, at ſemel inducta obligat in conſcientia, tanquàm valdè rationabilis.

At ego puto, contrariam ſententiam eſſe probabiliorem. Et ratio eſt: quia lex tantùm obligat ſubditos; & partes communitatis, pro qua fertur: ſed aduenæ, & peregrini non ſunt ſubditi, nec pars communitatis, in qua verſantur: ergo non tenentur legibus eius. Maior eſt certa. Minor probatur: nam aduenæ non habent intentionem, vt ſuppono, manendi in tali loco pro maiori anni parte: ergo non cenſentur in eo loco habitare; & conſequenter non ligantur talibus conſuetudinibus, & legibus. Deinde, Epiſcopus talis loci non poteſt dictis peregrinis aliqua Sacramenta miniſtrare, præter Confeſſionem, & Communionem; & hæc tacita proprij Epiſcopi licentia: nec poteſt cum illis diſpenſare. Ergo, nec iuriſdictione obligandi illos ſuis legibus, potietur. Et ita hanc ſententiam docet Granado *in p. 2. contr. 7. tract. 3. p. 1. diſp. 7. ſect. 4. num.* 25. Sanchez *de matr. tom. 1. lib. 3. diſp. 18. n. 4. & in opere moral. tom. 1. lib. 1. c. 12. n.* 38. Azorius *p. 1. lib. 7. c. 30. quæſt. vlt.* Vegha *in ſum. tom. 1. c. 24. caſ.* 11. & alij penes ipſos.

Ad argumentum Molfeſij reſpondetur, illam regulam iuris procedere, quando onus neceſſariò eſt annexum commodo vt percipiens beneficij fructus teneatur eius oneribus; ſecùs, vbi annexa non ſunt: & ſic Nouitius Religionis gaudet eius priuilegiis; non tamen tenetur eius oneribus, ac præceptis, ſecundùm veriorem ſententiam. Ad argumentum Suarij, & Leſſij, negatur ea conſuetudo obligans: quòd ſi aliqui ſe obligatos exiſtimant; aut id ex ignorantia prouenit; aut ſi ſint viri docti, id exiſtimant, quia tenent contrariam ſententiam: at oppoſitam tenent, qui noſtram amplectuntur. Dicendum eſt igitur, ſecluſo ſcandalo, (quod facile poteſt vitari admonitis adſtantibus, ſe non teneri ad eas leges, vel occultè tranſgrediendo;) Panormitanum in ciuitate Montis Regalis exiſtentem, cum animo ibi non manendi pro maiori anni parte, non teneri ad ieiunia, Feſtorum obſeruationes, & alias leges illius loci. Hæc tamen ſententia, & ſuperioris Reſolutionis, limitanda eſt primò, quoad contractuum ſolennitates: nam omnes aduenæ tenentur ſeruare ſolennitates in contractu requiſitas legibus, & conſuetudinibus loci, in quo contrahunt. Secundò, quando legum tranſgreſſio cederet in damnum illius loci, tunc enim peregrini tenentur: vt, ſi aliquod ſtatutum prohibeat aliquid extrahi ex illo loco. Tertiò, ſupradicta doctrina, ſecundùm aliquos, non eſt intelligenda de vagis, qui nullibi certam ſedem habent: hi enim tenentur ad leges illius oppidi, per quod obiter tranſeunt. Quartò, quando illæ leges obligant, etiam in loco domicilij, & non ſolùm in loco, vbi reperiuntur: nam in hoc caſu nulla ratio eſt excuſans. Vide Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 2. dub.* 33. Fagundez, Sanchez, & alios, *vbi ſuprà*. Sed huic aliam adiungamus non diſſimilem quæſtionem.

*An aliquis exiſtens in ciuitate Montis Regalis per aliquos dies, teneatur obſeruare Feſta, vel ieiunia, quæ hîc Panormi obſeruantur? Quod eſt quærere, An peregrinus teneatur ſeruare Feſta & ieiunia proprij domicilij, quæ non ſeruantur in loco, in quo reperitur?*

RESOLVT. XIV.

REſpondent affirmatiuè Syluester *verb. ieiunium, q. 3. diſt.* 12. Roſella *eod. verb. n.* 16. D. Antonin. *p. 3. tit. 6. c. 2.* §. 2. & Paludanus *in 4. diſt. 15. q. 15 art. 3.*

Sed ego contrariam ſententiam omninò ſuſtinendam eſſe exiſtimo, etiamſi ex induſtria quis hoc efficeret, vel laboraret in alio loco, vel ibi non ieiunaret; ſed carnes comederet. Et ita docet Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 1. c.* 12. *num.* 35. *& de matr. tom. 1. lib. 3. diſp. 18. n.* 29. Fagundez *de Præcep. Eccleſ. tract. 1. lib. 1. cap. 7. n.* 7. quia vtitur iure ſuo: & vt optimè aduertit Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 13. n. 8. in fin.* in tali caſu non interuenit propriè fraus, aut dolus; ſed fuga quædam obligationis præcepti, quæ tamen contra præceptum non eſt: & ita, licèt per ſe non ſit bona; non eſt tamen mala.

Scio contrariam ſententiam docere Leſſium *lib. 4. cap. 2. dub. 8. num.* 60. Rebellium *par. 2. lib. 2. quæſt. 7. ſect. 3. n.* 16. Sayrum *in claui regia, lib. 7. c. 3. num.* 14. Rodriquez *in ſum. tom. 2. cap. 219. n. 2.* & vtrunque Ledeſman apud Sanchez: ſed tu tene affirmatiuam ſententiam tanquam probabiliorem: quia, qui vtitur iure ſuo non poteſt dici fraudem committere. Et ita hanc ſententiam nouiſſimè tenet Villalobos *in ſum. tom. 1. tr. 2. dub. 34. n.* 3. vbi ita aſſerit, [Si vn Portugues eſtà en Caſtilla, puede comer menudos los Sabados, como ſe comen aca: y no peca el, que ſale de ſu lugar en dia de fieſta, à trabajar en otro lugar, donde no ſe guarde aquel dia; y el que ſale de ſu lugar, donde ſe ayuna, y llega la hora de la cena à otro adonde ſe come carne, la puede cenar alli, y aun podria antes de ſalir de ſu lugar, donde no ſe ayuna almorzar en ſu caſa por la mañana, conque no coma carne.] Ita ille. Notandum eſt tamen



tamen, quòd ille qui in die feſto patriæ ſe transfert ad alium locum, vbi dies feſtus non eſt, laborandi cauſa, non tenetur priùs Miſſam audire, ſi in ipſo manè diei feſti exit: quia talis homo non tenebatur audire Sacrum, niſi vſque ad meridiem. Ergo, ſi intra meridiem exeat, Sacro non audito, non peccat. Et docet Sanchez, *vbi ſupr. de matrim. tom. 1. lib. 3. diſp. 18. n.* 21. cuius ſententiam probabilem vocat Leſſius *lib. 4. c. 2. dub. 8. n.* 56. Malderus *in p. 2. q 96. art.* 5. & Fagundez *de Præcept. Eccleſ. tract. 1. lib. 1. c. 7. n.* 13. quidquid in contrarium aſſerat Emmanuël Sà *verb. feſtum, n.* 8. Naldus *in ſum. verb. feſtum, num.* 8. Sayrus *in claui regia, lib. 7. cap.* 12. Fernandez *in exam. Theolog. moral. part. 1. cap. 7. §. 1. n.* 14. Filliucius *tract. 27. c. 7. n.* 111. Suarez *de Religione, tom. 1. lib. 2. c. 15. num. penult.* & alij. Sed tu tene cum Sanchez, non ſolùm poſt factum, vt vult Naldus *in ſum. verb. Miſſa, n.* 17. & alij; ſed etiam ante factum.

Ex his omnibus infert Fagundez duo multùm notabilia. Primò, *vbi ſuprà, num* 8. poſſe aliquem laborare diebus feſtis, de præcepto Epiſcopi, & ieiunia eius non ſeruare intra eandem Diœceſim ipſius Epiſcopi, ſi ibi ſit locus exemptus ab illius iuriſdictione: cùm locus exemptus pro extraneo habeatur. Et ita aſſerunt Auila *de cenſuris, p. 2. c. 3. dub.* 5. Henriquez *lib. 3. c. 26. n.* 1. & alij, excommunicationem Epiſcopi pro tota Diœceſi non ligare eos ſubditos, qui commorantur in loco exempto intra eandem Diœceſim ipſius Epiſcopi, qui cenſuram fert. Secundò notat Fagundez, quòd ſi feſtum, vel ieiunium ſeruetur in patria, & in loco, per quem tranſit, ex præcepto Epiſcopi vtriuſque Diœceſis; tunc videtur, peregrinum ad neutrum obligari: quia peregrini non ſunt ſubditi Epiſcopo illius loci, vt eos obligare poſſit ſuo præcepto; & quia non tenentur abſentes ad leges patriæ: ergo, &c. & ideò hanc ſententiam putat probabilem, etiam quoad caſus reſeruatos. Sed contrariam, vt probabiliorẽ, confirmat. Vnde ex his apparet, me probabiliter olim dixiſſe, Panormitanos in diebus feſtiuis, à noſtro Archiepiſcopo indictis, poſſe laborare in Eccleſia Sancti Cataldi, quia eſt locus exemptus, & ſubiectus Archiepiſcopo Montis Regalis.

*An peregrini teneantur obſeruare leges locorum, in quibus reperiuntur?*

RESOLVT. XV.

PRima opinio aſſerit; tunc peregrinos teneri, quando ſedem figunt animo ibi perpetuò manendi. Ita docet Ioſeph Angles *in 4. q. 4. de ieiunio, ante dub. 1. difficult.* 2. & alij apud Fagundez *de Præcept Eccleſ. tract. 1. lib. 1. c. 8. n.* 1. & Sanchez *de matr. tom 1. lib. 3. diſp. 18. n.* 8.

Secunda opinio aſſerit, peregrinum, præciſo ſcandalo, non obligari legibus, & conſuetudinibus particularibus locorum, ad quæ diuertit, niſi habeat intentionem manendi ibi pro maiori anni parte; non autem pro minori. Et ita docet Sanchez *vbi ſupra, num.* 9. Granado *in par. 2. contr. 7. tract. 3. par. 1. diſp. 6. ſect. 4. n. 23. &* 25. Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 2. dub. 33. n* 8. Reginaldus *in praxi, tom. 1. lib. 13. c. 17. n.* 172. Azorius *par. 1. lib. 5. c. 11. q.* 3. Sanchez & alij. Vnde Regulares, virtute ſuorum priuilegiorum, poſſunt pro ſatisfactione Præcepti ſumendi Euchariſtiam ſemel in anno tempore Paſchatis, communicare dictos peregrinos, qui non habent animum commorandi in aliquo loco pro maiori anni parte: quia in tali caſu nulla efficitur iniuria Parochis, cùm huiuſmodi peregrini non ſint ſui parochiani, & propria parochia in illo loco careant. Et ita docet Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 3. diſp. 23. n.* 17. & Fagundez *loco citato, n.* 5.

Tertia opinio docet, indifferenter peregrinos obligari legibus, & conſuetudinibus loci, in quo ſunt. Ita Pontius *de matrim. lib. 5. cap. 7. §. 1. num.* 6. Nauarrus *in Man. cap. 13. num.* 5. Maior *in 4. diſt. 15. quæſt.* 5. Driedo *lib. 1. de libert. Chriſt. cap. 17. §. vna eſt.* Ledeſma 1. *part. 4. quæſt. 15. art.* 2. *dub.* 2. Lopez *inſtruct. p. 1. c. 52. §. vna quoque ciuitatis.* Couarr. *lib. 4. var. c. 20. n. 8. circa finem*, & alij.



Quarta opinio diſtinguit, duobus modis poſſe præcipuè peregrinos eſſe in aliquo loco: vno permanenter, per aliquos dies; alio tranſeunter, & per modum hoſpitij, & in tranſitu, prandendo, v. g. vel pernoctando. In primo caſu putant teneri peregrinos ſeruare leges illius loci: in ſecundo minimè. Et ita docet Leſſius *lib. 4. c. 2. dub. 8. n.* 51. Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 2. c. 14. n.* 8. Filliucius *tom. 1. tr. 27. c. 7. num.* 216. *& ſeq.* Fagundez *vbi ſupr. de Præcept. Eccl. tract. 2. lib. 1. c. 8. n. 15 &* 20. & alij.

Quid ego ſentiam, dicam breuiter. Prima ſententia eſt nimis laxa: tertia, & quarta ſunt nimis rigidæ: ſecunda eſt probabilior; cum limitationibus tamen poſitis à Sanchez, *vbi ſuprà*. Sed iterum de hac quæſtione redibit ſermo *in tractat. de ieiunio*, circa quem, præter DD. citatos, vide Layman *in Theol. moral. tract. 4. c. 12. per totum.* Coninck *de Sacrament. q. 74. art. 4. dub.* 2. Sayrum *in claui regia, lib. 3. cap* 4. Medinam Complutenſem *C. de ieiun. q.* 10. Medinam Salmanticenſem *in part. 2. q 96. art.* 5. Philiarchum *de off. Sacerd. tom. 1. par. 2. lib. 3. c. 23.* & alios penes ipſos.

*An vagi teneantur ſeruare leges locorum, in quibus reperiuntur?*

RESOLVT. XVI.

COmmuniter affirmatiuè reſpondent Doctores: Lorca *in p. 2. tom. 2. diſp. 25. memb. 4. de legib.* Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 3. diſp. 18. num.* 15. Fagundez *de Præcep. Eccleſ. tr. 1. lib. 1. cap. 8. num.* 4. Filliucius *tom. 2. tract. 27. cap. 7. num.* 185. Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 14. num.* 20. Salas *de legib. diſp. 14. ſect. 4. num.* 55. Reginaldus *in praxi, tom. 1. lib. 13. cap. 17. num.* 172. Azorius *part. 1. lib. 5. cap. 11. quæſt.* 13. Sotus *in 3. diſt. 18. quæſt. 4. art. 2.* & Villalobos *in ſumma, tom. 2. tract. 2. dub. 33. num. 1.* vbi ſic aſſerit: [Los foraſteros vagos, que ſon los, que non tienen caſa, ni lugar en parte ninguna, eſtos eſtan obligados à las leyes, y coſtumbres del lugar, por donde paſſan, aunque ſea de paſſo; porque, como eſtos tales no tienen domicilio en ninguna parte ſeguro, donde quiera, que allegan le adquieren; y de otra manera, diriamos que no tienen obligation a leyes, ni coſtumbres de lugar alcuno.] Dicendum eſt igitur vagos teneri obſeruare leges oppidi, in quo reperiuntur: quia, cùm nullum peculiare domicilium habeant, illud quoad omnia acquirunt, vbicunque reperiuntur; aliàs viderentur exempti ab omnibus ſtatutis, & conſuetudinibus; quod dicere, abſurdum videtur.

Non reticebo tamen, contrarium docere Gregorium Sayrum *in claui regia, lib. 4. cap. 4. num.* 8. & Leonardum Leſsium *lib. 4. cap. 2. dub. 7. num.* 49. vbi ita ait: [Hæc ſententia eſt probabilis; eáque non ſolùm de peregrinis, qui alibi fixum domicilium habent; ſed etiam de vagis, qui nuſquam firmam ſedem obtinent, intelligi poteſt: nam eadem ratio in illis locum habet nimirum, quia non ſunt incolæ, aut inhabitantes: & Doctores generaliter loquuntur, nec diſtinguunt hoc loco inter peregrinos, & vagos: ſed volunt, omnes alienigenas, qui veniunt animo non manendi, non teneri. Ita Paludanus, Antoninus, Syluester, & Medina: Nec obſtat, quòd poſſint percipere Sacramenta vbicunque inueniantur: quia illud eſt priuilegium, non obligatio: ad nullam enim in particulari aſtringuntur parœciam, niſi per maiorem anni partem aliquo loco conſiſtere decreuerint. Neque abſurdum videri debet, eum, qui numquam ſiſtit, nullis ſtatutis particularium locorum teneri.] Ita Leſsius & poſt illum docet etiam nouiſsimè hanc ſententiam Ioannes Sancius *in Selectis. diſp. 54. num.* 34. & Paulus Layman *in Theol. moral. tract. 4. cap. 12. num.* 6. Vnde apparet, hanc opinionem ſatis probabilem eſſe.

*An lex purè pœnalis in materia graui, obliget in conſcientia?*

RESOLVT. XVII.

AFfirmatiuè reſpondet Malderus in p. 2. q. 96. art. 4. memb. 3. Suarez de legib. lib. 3. c. 26. & lib. 5. c. 3. Salonius in 2. 2. tom. 2. q. 77. art. 1. contr. 8. Salas de legib. diſp. 10. ſect. 5. & diſp. 15. ſect. 1. n. 13. Azorius, & Filliucius, vbi infrà. Leſſius lib. 2. c. 33. dub. 8. n. 59. Medina in p. 2. q. 96. art. 4. dub. 3. Aragonius in 2. 2. q. 62. art. 3. Duardus in Bulla Cœnæ lib. 3. §. 8. q. 2. n. 32. Ioan Valerus in differ. vtriuſque fori, verb. lex, differ. 7. num. 3. & alij communiter: quia pœna ſupponit culpam, & lex continens præceptum obligat in conſcientia, quia continet præceptum. Deinde, ſi hæc ſententia non eſſet vera, ferè tota vis humanarum legum periret: nam magna pars legum fertur ſub tali forma. Et tandem, quando in re alioqui non præcepta, nec prohibita Legiſlator non vult ad culpam obligare, ſolet id exprimere in ipſa lege. Ergo, &c.

Hæc ſententia videtur ſuſtinenda. Sed, his non obſtantibus, contrariam ſententiam docet Nauarrus in Manuali, c. 23. n. 55. quem poſteà ex neotericis ſequitur Miranda in Manuali Prælat. tom. 2. q. 25. art. 18. concl. 2. Nicodemus de Florentia in ſpecul. Confeſſ. c. 53. Villalobos in ſum. tom. 1. tract. 2. dub. 22. n. 2. & Reginaldus in praxi, tom 1. lib. 15. c. 6. ſect. 5. n. 50. quia in dubio benignior interpretatio facienda eſt; & lex explicari debet de minori pœna, c. in pœnis. 49. de regulis iuris. n. 6. Item, qui ex duobus propoſitis alterùm tantùm affirmat, alterum negare videtur, ex l. cùm Prætor. ff. de iud. cap. nonne. de præſumpt. Ergo Legiſlator, qui ad pœnam tẽporalem, & æternam poteſt obligare, ſi ſolius temporalis meminit, non videtur intendiſſe obligare ad æternam. Deinde, Reges, & Principes, ſiue ſæculares Iudices nunquam expreſſerunt, neque interpretati ſunt in ſuis legibus pœnalibus, mentem, & intentionem ſuam eſſe, vel fuiſſe, per ipſas obligare ſibi ſubditos ad culpam; neque conſuetudo ipſa id vnquam fuit interpretata, niſi ſimul cum eis, ſeu ipſarũ aliqua eſſet lex diuina, naturalis, aut euangelica, aut conſtitutio canonica, ex qua id ipſum colligeretur. Signum igitur eſt conſuetudine ipſa ſupradictas leges interpretante, quòd per eas homines non obligentur ad culpam; ſed tantum ad pœnam in eiſdem appoſitam. Et tandem, lex, vt obliget, neceſſe eſt, vt ſit vſu recepta: ſed leges pœnales vt obligent ad culpam, huc vſque non eſt vſu receptum: ergo, &c.

Et ideò hanc ſententiam probabilem puto, & illam etiam probabilem vocauit Valentia tom. 2. diſp. 7. quæſt. 5. punct. 6. Azorius p. 1. lib. 5. c. 6. q. 4. & Filliucius tom. 2. tract. 21. c. 11. n. 420. Vnde valdè miror, Sotum de iuſt. lib. 1. q. 6. art. 5. hanc opinionem vocare errorem vulgi, putantis cum ſua pœna licere cuilibet legem tranſgredi: nam dicere, legem pœnalem non obligare in conſcientia, vulgi error non eſt; ſed opinio doctorum virorum, & probabilis etiam ex mente illorum, qui contrariam ſententiam docent, vt diximus: ſed, quia ex probabilitate huius opinionis oriuntur reſolutiones multorum caſuum, de duobùs faciam hîc tantùm mentionem, quia de ipſis ſæpiùs interrogatus fui.

*An Pragmatica, quæ in hoc regno prohibet ferre ſclopetum, vulgò dictum,* ſcopettoni, *ſub pœna capitis, obliget ſub reatu peccati mortalis? Quod eſt quærere, An lex prohibens aliquid ſub pœna mortis, mutilationis, perpetui carceris, damnationis ad triremes, confiſcationis bonorum, aut amiſſionis multorum bonorum, obliget ſub mortali?*

RESOLVT. XVIII.

COmmunis, & probabilior ſententia affirmat: & ita docet Lorca in p. 2. tom. 2. diſp. 22. de legib. regul. 2. Comitol. in reſponſ. moral. lib. 4. q. 17. n. 8. Sanchez in ſum. tom. 2. lib. 6. c. 4. num. 64. Vaſquez in p. 2. tom. 2. q. 96. art. 4. diſp. 159. c. 3. n. 23. Azor. p. 1. lib. 5. c. 6. q. 5. Suarez de leg. lib. 3. cap. 26. n. 4. Salas etiam de legib. diſp. 10. ſect. 9. num. 67. & alij apud Sanchez, vbi ſuprà.

At contrariam opinionem docet Nauarrus in Man. n. 55. & 56. & ex neotericis Societ. IESV Valerius Reginaldus in praxi, tom. 1. lib. 15. c. 1. ſect. 5. n. 50. & ſeq. vbi probat hanc ſententiam ex principio in ſuperiori Reſolutione poſito, nempe, legem pœnalem non obligare ad culpam. Sed dices: Mortale eſt obiicere ſe probabili periculo vitæ: ſed, qui tranſgreditur legem imponentem ſupplicium mortis, exponit ſe tali periculo: ergo peccat mortaliter. Reſpondetur, eſſe peccatum mortale exponere ſe periculo mortis; quia violatur quintum Decalogi præceptum: ſed tranſgredi legem, quæ mortis pœnam imponit, non eſt de ſe tali periculo ſe exponere; quia poteſt quis tanta cautela talem legem violare, vt non incurrat in probabile periculum pœnæ. Dicendum eſt igitur, ex pœna capitis, mutilationis, &c. quam lex humana imponit, non duci argumentum ſufficiens ad oſtendendum, in dubio obligationem illius eſſe ad peccatum mortale: niſi aliunde conſtet, ex aliquo certo ſigno, Legiſlatorem voluiſſe eiuſmodi legem pœnalem obligare ſubditos, non modò ad illam pœnam ſubeundam, ſed etiam ad reatum peccati mortalis. Hæc omnia Reginaldus: Quare Philiarchus de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 3. c. 2. dict. 4. negauit, ex pœna capitis colligi obligationem legis ciuilis ſub reatu culpæ mortalis. Sed ex iſta probabili opinione, quòd lex pœnalis non obliget in conſcientia, pendet etiam deciſio alterius caſus, de quo etiam ſæpiùs interrogatus fui.

*An fraudantes vectigalia iuſta, peccent, & teneantur ad reſtitutionem.*

RESOLVT. XIX.

COmmunis ſententia Doctorum, & rectè quidem, eſt affirmatiua: & ſic docet Ortiz in ſum. c. 3. num. 4. Homobonus de exam. Eccl. p. 1. tract. 7. cap. 29. q. 120. Vegha in ſum. p. 1. c. 15. caſ. 13. Rodriquez in ſum. p. 2. c. 76. n. 3. Graffius p. 1. lib. 2. c. 125. n. 93. Fernandez in exam. Theol. mor. p. 1. c. 15. §. 6. n. 18. Megala in p. 2. lib. 2. c. 1. n. 130. Molfeſius in ſum. tom. 2. tr. 12. c. 22. n. 126. Salas de legib. diſp. 15. ſect. 16. n. 116. Ledeſma in ſum. tom. 2. tr. 7. c. vlt. concl. 25. Suarez de legib. lib. 5. c. 18. n. 7. Gutierrez tr. de gabel. q. 3. n. 23. & 24. Nauarr. de reſtit lib. 3. c. 1. n. 266. Sanchez in ſum. tom. 2. lib. 6. c. 4. n. 62. Vaſquez, Leſſius, & alij, vbi ſuprà, aſſerentes, vectigalia deberi in conſcientia, vt lethaliter peccent ea defraudantes in materia notabili, quæ ſufficiat ad furtum mortale. Et ratio eſt apertiſſima: nam, ſicut Princeps Reipublicæ debet curam, & vigilantiam; ita Reſpublica debet Principi congruum dignitati ſubſidium: ergo, qui vectigalia defraudat, Principem iuſto ſtipendio defraudat: peccat igitur, & tenetur ad reſtitutionem. Secundò, talis defraudatio vectigalium tendit in præiudicium ementium talia tributa: ergo, &c.

Hæc opinio videtur ſuſtinenda. Sed contrariam non eſſe improbabilem, putauit Leſſius lib. 2. c. 33. dub. 8. n. 55. & Bonacina de contr. diſp. 2. q. 9. punct. 1. n. 3. nam affirmatiuam ſententiam, quam ipſi tenent, vocant tantùm probabiliorem. Ergo ſecundùm Leſſium, & Bonacinam negatiua ſententia eſt probabilis: & illam abſolutè docent Angelus in verb. pedagium n. 6. Nauar. in Man. c. 17. n. 200. & c. 23. n. 54. Beia in reſponſ. p. 1. caſ. 13. Duardus in comm Bull. Cœn. lib. 2. can. 15. q. 12. n. 9. vbi latiſſimè fundat hanc ſententiam, & reſpondet ad argumenta cõtraria. Et ratio eſt, quia probabilis eſt illa opinio, vt ſuprà notauimus, quæ aſſerit, leges humanas purè pœnales non obligare in cõſcientia: ſed tributa, & vectigalia ſunt veluti leges humanæ pœnam imponentes: ergo non obligant in conſcientia.

Ad primum argumentũ contrariæ ſententiæ reſpondet Beia & Duardus, quòd licèt de iure naturali debeantur Principibus



Principibus tributa; tamen fraudantes dicta vectigalia non intendunt legi naturali contrauenire: ſed cùm tractetur de lege purè pœnali, eorum arbitrio committitur, an velint ſoluere, vel tributa fraudare, & ſic exponere ſe periculo luendæ pœnæ cum notabili Principis emolumẽto.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd imputandum eſt emẽtibus prædictas gabellas, ſi fraudentur; ſi non inuigilent; nam ſub tali conditione illas emunt; & ſi cum vno amittunt, cum alio lucrantur propter pœnam contrauentionis. Hæc ſupracitati Authores. Vnde Emmanuël Sà, Societatis IESV, verb. gabella, n. 6. aſſerit, defraudantes vectigalia non eſſe à Confeſſariis vrgendos ad reſtitutionem: quod etiam docuit Epiſcopus Malderus in 2. 2. tract. 5. c. 6. dub. 15. in caſu, quo pœnitentes nollent reſtituere: nam, ſequendo hanc opinionem probabilem, poſſunt licitè à Confeſſariis abſolui.

*An lex pœnalis mixta obliget ſub reatu peccati mortalis?*

RESOLVT. XX.

DIxi, *lex pœnalis mixta*, quando, v. g. lex aliquid fieri iubet, aut prohibet, & deinde pœnam tranſgreſſoribus imponit: vt, ſi lex dicat, iubemus, vel prohibemus, ne quis arma portet ſub pœna tali; nam, ſi lex nihil præciperet, aut interdiceret; ſed ſolùm pœnam aliquid facientibus irrogaret: vt ſi diceret: Qui arma portauerit, ſubeat talem pœnam, hæc lex eſſet purè pœnalis, de qua iam ſuprà dictum eſt. Hoc ſuppoſito, affirmatiuè reſpondeo ad propoſitam quæſtionem cum Becano in ſum. Theol. p. 2. tract. 3. c. 7. q. 2. n. 4. Granado in p. 2. contr. 7. tract. 3. p. 1. diſp. 4. ſect. 2. n. 7. Maldero in p. . q. 96. art. 4. membr. 2. Sanch. in ſum tom. 2. lib. 6. c. 4. n. 60. Vaſquez in p. 2. tom. 2. diſp. 159. c. 2. & 3. & à fortiori cum DD. citatis, qui abſolutè docent, omnem legem pœnalem obligare in conſcientia.

Non deſunt tamen Doctores, qui contrariã ſententiam affirmant; nempe, omnes leges pœnales, ſiue purè pœnales ſint, ſiue mixtæ, non obligare in conſcientia. Sed ponam hîc verba Villalob. in ſum. tom. 1. tract. 2. dub. 22. n. 6. ita aſſerentis: [Las leyes humanas ciuiles mixtas, que ſon las, que no ſolo ponen pena, ſino tambien prohiben, que no ſe haga tal coſa, ò mandan que ſe haga, obligan à culpa. Lo contrario deſta concluſion tiene Nauarro, Gomez, Iuan Andreas, Mattheo, Mateſila, Sceuola, Decio, y otros: y eſta ſententia me parece muy probable, y porque fauorece à las animas, y la tienen tantos hombres doctos, ſe puede muy bien ſeguir en practica, y dize Azor p. 1. lib. 5. c. 6. q. 5. que el, que ſeguiere eſta opinion, non eſt omninò condemnandus.] Ita Villalob. Et ideò etiam hanc ſententiam probabilem vocauit Filliuc. tom. 2. tr. 21. c. 11. n. 418. & 420. & illam ex eademmet Societ. IESV cum Nauar. amplectitur Gregor. de Valent. tom. 2. diſp. 6. qu. 5. punct. 6. §. 3. in 6. ſigno, verſ. accedit, quòd Henricus.

Dicendum eſt igitur, eſſe opinionem probabilẽ illam, quæ aſſerit, omnem legem pœnalem, ſiuè purè pœnalem, ſiuè mixtam, non obligare in conſcientia. Notandum eſt etiam cum Valentia, & aliis, quòd cùm Legiſlatores eccleſiaſtici poſſint, & ſoleant comminari ſpiritualem pœnam, quando in conſcientia obligare volunt; ſi tantùm pœnam temporalem ſtatuant, indicium eſſe videtur, quòd ad eam tantùm obligare velint; præſertim, cùm odia ſint reſtringenda. Et ex his Confeſſarij poſſunt in multis caſibus occurrentibus, quamplures ſcrupulos tollere, prout prudentia illis dictabit.

*An lex pœnalis eccleſiaſtica, putà excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, & irregularitatis, obliget ſub mortali?*

RESOLVT. XXI.

AFfirmatiuè reſpondent communiter DD. ſed contrarium docet Valent. tom. 2. diſp. 7. q. 5. punct. 9. §. 13. in 4. ſign. ita aſſerens: [Signum eſt, quòd leges eccleſiaſticæ obligent ſub mortali, quando ſubiungitur pœna excommunicationis maioris latæ ſententiæ: non eſt autem eadem ratio, ſi ſubiungatur pœna ſuſpenſionis, vel interdicti, vel irregularitatis: quoniam hæc poſſunt etiam incurri propter peccatum veniale; imò irregularitas incurritur interdum abſque vllo peccato. Quanquam has etiam pœnas, Medina non ſatis, vt apparet, conſideratè dixit, eſſe indicium obligationis ſub mortali. Ita Valentia, & poſt illum doctiſſimus Salonius in 2. 2. tom. 2. q. 77. art. 1. contr. 8. n. 8. Et quoad pœnam ſupenſionis idem docuit Azorius p. 1. lib. 5. c. 6. q. 5. & quoad pœnam irregularitatis Sayrus in claui regia lib. 3. cap. 7. num. 25.

Notandum eſt etiam, Valentiam docere, tunc legem ſub pœna excommunicationis obligare ad culpam mortalem, quando excommunicatio eſt latæ ſententiæ; non autem, ſi excommunicatio ſit comminatoria: & citat Nauarrum, Caſtrum, & Caietanum. Et hæc ſententia probabilis eſt ſecundùm Salonium: nam contrariam, quam ipſe, & alij communiter tenent, vocat tantùm probabiliorem. Sed, an talis reuerà ſit, iudicent viri docti: quia mihi non placet.

*An decretum Cardinalium, editum contra Religioſos accedentes ad loquendum cum Monialibus obliget ad peccatum mortale?*

RESOLVT. XXII.

VBi tale Decretum eſt in vſu, obligare ad peccatum mortale, docet noſter Duard. in Bull. Cœn. lib. 3 §. 8. q. 2. num. 45. Bonacina tract. de clauſura, q. 3. punct. 4. num. 4. Peirinus in priuil. Minimor. tom. 2. conſtit. 6. Pij V. §. 10. n. 36. & Salas in p. 2. diſp 15. ſect. 1. concl. 2. n. 16. vbi ait: [Decretum Cardinalium, editum contra Religioſos accedentes ad Monaſteria Monialium; vbi eſt in vſu, obligat ad mortale: quia ponit pœnam priuationis officij, vocíſque actiuæ, & paſſiuæ.] Sed non defuêre contrarium probabiliter ſentientes: qui, propterea quòd dictum Decretum ſit lex pœnalis ex probabili Doctorum ſententia, aſſerebant non obligare ad culpam mortalem. Vnde Illuſtriſſimi Domini Cardinales, vt tollerent omnem difficultatem, declararunt ſub die 1. Iulij, 1606. ſupradictum Decretum obligare etiã ad peccatum mortale: quorum verba inuenies apud Duardum, vbi ſuprà, num. 47. quæ iſta ſunt: [Sacra Congregatio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, negotiis Regularium præpoſita, cenſuit, & declarauit, Regulares accedentes ad Monaſteria Monialium, contra formam Decreti, quo huiuſmodi acceſſus per Sacram Congregationem prohibetur, vltra pœnas priuationis officiorum, & vocis actiuæ, & paſſiuæ incurrere etiam pœnam peccati mortalis.] Ita Sacra Congregatio.

*An lex pœnalis ipſo facto pœnam inferens, ita obliget, vt delinquens, etiam in conſcientia, teneatur illam pœnam perſoluere ante Iudicis ſententiam?*

RESOLVT. XXIII.

SVppono, duplicem eſſe pœnam: vnam, quæ aliquam actiuam hominis executionem requirit: alteram, quæ non requirit talem executionem; ſed in ſola paſſione, vel priuatione conſiſtit, qualis eſt pœna inhabilitatis, excommunicationis, priuationis vocis actiuæ, &c. Hoc ſuppoſito, dico, reum non teneri, ante ſententiam declaratoriam, ſoluere pœnam, quæ non poteſt mandari executioni abſque hominis declaratione, & ſententia, niſi clarè appareat talem eſſe Legiſlatoris intentionem, vt velit, reum pœnam illam ſubire ante Iudicis ſententiam. Ita communiter Doctores, Layman in Theol. mor. tract. 4. c. 15. n. 3. & alij penes ipſum cum Maldero in part. 2. q. 96. art. 4 membr. 4.

membr. 4. ex quibus reſoluam multos caſus: ſed, quia non ſunt ita in praxi occurrentes, paucos de illis tantùm attingam, qui ſæpiùs occurrere ſolent.

Ideò quæro, an, qui eſt cauſa, ne quis condemnetur ad pœnam iuſtam impoſitam à lege, teneatur pœnam reſtituere ei, cui eſſet applicanda: vt, ſi fiſcus non accuſet; vel, ſi Iudex non condemnet ad pœnam lege præſcriptam; ſi cuſtodes ſyluarum ciuitatum non manifeſtēt crimina, propter quæ eſſet imponenda pœna pecuniaria: ſi teſtis, vel reus iuridicè interrogatus crimen neget, ex cuius manifeſtatione condemnatur ad mulctam pecuniariam, &c. Reſpondeo negatiuè: & ita docet Granado *in p. 2. contr. 7. tract. 3. p. 1. diſp. 13. ſect. 2. n. 8.* Vaſquez *in p. 2. tom. 2. diſp. 168. c. 4. n. 30.* Salas *de legib. diſp. 13. ſect. 8. n. 105.* Leſſius *lib. 2. c. 13. dub. 10. n. 72. & 73.* Emmanuel Sà *verb. reſtitutio, n. 46. & verb. pœna. n. 14.* & alij penes ipſos: quia pœna non debetur ante Iudicis condemnationem. Quæ quidem opinio eſt multùm notanda: nam ex illa excuſabuntur non pauci ab onere reſtitutionis; quia, vt dixi, non deſunt viri docti, qui contrariam ſententiam amplexi ſunt, & onus reſtitutionis ſupradictis imponunt: ſed noſtra opinio probabilis eſt, & tuta in praxi. Notandum eſt tamen, ſupradictam doctrinam non procedere in pœnis, quæ in teſtamētis apponuntur: & ſic fœmina, cui relictum eſt legatum, ſi caſtè viuat; non poteſt legatum recipere, ſi vitam turpiter traducat: nam huiuſmodi pœnæ potiùs dicuntur legati conditiones, quàm pœnæ. Ita Doctores citati.

Secundò quæro, an pœna conuentionalis appoſita in aliquo contractu, ſit ante Iudicis ſententiam ſoluenda? Negatiuè reſpondeo cum Leſſio *lib. 2. c. 20. dub. 15. n. 136.* Sanchez *de matr. tom. 1. lib. 1. cap. 24. n. 4.* Vaſquez *in p. 2. tom. 2. diſp. 173. c. 1. n. 2. & 3.* & alij apud ipſos, quidquid in contrarium aſſerat Molina *tom. 2. tract. 2. diſp. 317. n. 3.* Reginal. *tom. 2. lib. 25. c. 12. n. 228.* Rebell. *part. 2. lib. 8. q. 9. n. 6.* & alij.

*An, qui per legem pœnalem priuatur ipſo facto voce actiua, & paſſiua, teneatur in conſcientia hanc pœnam ſubire ante Iudicis condemnationem?*

RESOLVT. XXIV.

AFfirmatiuè reſpondent, Salas *de legib. diſp. 15. ſect. 2. n. 29.* Vaſquez *in p. 2. diſp. 168. cap. 2. n. 12.* Becanus *in ſumma Theol. p. 2. tract. 3. c. 7. q. 3. concl. 1. n. 5.* Suarez *de leg. lib. 5. c. 9. n. 5.* Villalobos *in ſumm. tom. 1. tract. 2. dub. 25. n. 4.* vbi ſic aſſerit: [La pena de priuacion de voz actiua, y paſſiua, qual es la inhabilidad para dar el voto en la elecion, ò para poder ſer elegido, quando la ley lo declara ſuficientemente, obliga en concientia, antes de la ſentencia del Iuez. Aſſi lo dizen todos los Doctores, y infiereſe claramente de lo dicho, que corre aqui la miſma razon, que en las cenſuras, ſolo hallo, que Soto *lib. 1. de iuſt. q. 6. art. 6. & lib. 4. q. 6. art. 3.* tiene lo contrario, hablando de la voz actiua, y inhabilidad para dar el voto, y haze diferentia entre las demas penas priuatiuas, y eſta: porque las demas ſolo priuan de los bienes comunes, y eſta priua de los proprios. Mas eſto ya queda impugnado, y el derecho de eligir tan poco es coſa propria, ſino comun de la Igleſia, ò Vniuerſitad, y aſſi como por la deſcomunion queda vno priuado para poder elegir, por ſola la ley tambien quedara inhabil para votar en la catedra por los eſtudios, y no hallo Doctores ningunos, que en eſto ſigan Soto.] Ita ille.

Sed fallitur aſſerendo, Sotum neminem fuiſſe ſequutum: nam eius ſententiam amplexi ſunt aliqui, & inter alios, ex Societ. IESV Granado *in p. 2. contr. 7. tract. 3. p. 1. diſp. 13. ſect. 2. num. 15.* Ledeſma *in ſum. q. 19. art. 2.* Souſa *in explic. Bullæ Clem. 8. de largit. mun. §. 9.* Molina *de iuſt. tom. 1. tract. 2. diſp. 96. n. 8.* vbi ita ait: [Idem dicendum eſt, quando quis ipſo iure ob crimen aliquod priuatus eſt iure eligendi, aut iure ſuffragium ferendi, vt Scholaſtici ob ambitum in cathedris; niſi enim ſententia ſequatur, eligere poſſunt ſuffragiúmque ferre, ídque habet conſuetudo Vniuerſitatum, vt affirmat Sotus. Ita Molina, & Epiſcopus Antuerpienſis Malder. *in part. 2. q. 96. art. 4. memb. 4. fol. mihi 401. col. 1.* loquens de hac quæſtione, ita aſſerit: [Probabiliter quidam dicunt, ſuffragio actiuo neminem priuari per legem pœnalem ante ſententiam Iudicis, ne omnes electiones reddantur incertæ; ſecùs de ſuffragio paſſiuo.] Sic ille. Et ideò etiam hanc ſententiam, quoad vocem actiuam, docuit nouiſſimè Caſtellinus *in tr. de elect. can. præl. 1. §. 6. num. 20.* & alij penes ipſum. Vide etiam Layman *in Theol. moral. tract. 4. cap. 15. num. 5.* & Sanchez *de matrim. lib. 9. diſp. 30. num. 2.*

Et notandum eſt etiam, ſtando in prima opinione, eum, qui in priuationem vocis actiuæ, & paſſiuæ incidit; non teneri priuare ſe voce actiua, vel paſſiua, quoties hoc nequit facere ſine infamia; etiamſi in lege habeatur, delinquentem incurrere in talem pœnam, non expectata vlla ſententia. Et ita docet Bonacina *de legib. diſp. 1. q. 1. punct. 7. num. 10.* & alij. Et ratio eſt: quia ius ad propriam famam conſeruandam præponderat iuri humano, indicenti, v. g. priuationem officij, beneficij, vocis actiuæ, &c. Tenetur tamen in tali caſu delinquens, diligenter inquirere diſpenſationem.

*An, quando dubitatur, an lex obliget ad mortale, vel ad veniale, iudicandum ſit obligare ſub mortali?*

RESOLVT. XXV.

AFfirmatiuè reſpondet Layman *in Theol. mor. tract. 4. cap. 3. num. 6.* Salas *de legib. diſp. 10. ſect. 2. n. 12. in fin.* Valentia *tom. 2. diſp. 7. q. 5. punct. 6. §. 3.* Sayrus *in claui regia, lib. 3. c. 7. n. 29.* & alij.

Sed ego puto cum Nauarro *in Manuali, cap. 23. n. 50.* & aliis, probabiliter ſuſtineri poſſe, obligare tantùm ſub veniali; ſi dubitetur, omnibus benè perpenſis, an lex obliget ſub mortali: quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem. Et ideò probabilem puto opinionem Molinæ *tom. 3. diſp. 674. num. 6. & 7.* Aragonij *in 2. 2. q. 62. art. 3.* Caietani, Salonij, & aliorum aſſerentium, quòd quando quis dubitat de iuſtitia alicuius tributi, non tenetur illud ſoluere: quia melior eſt conditio poſſidentis, licèt Leſſius *lib. 2. c. 37. dub. 8. n. 64.* Salas *de legib. diſp. 15. ſect. 10. n. 110.* & alij contrarium aſſerant.

*An lex pœnalis ex identitate rationis ſit extendenda ad alios caſus?*

RESOLVT. XXVI.

AFfirmatiuè videtur reſpondendum, maximè ſi in ea ſit ratio illa expreſſa, & ſi lex illa ſit lata in animæ fauorem ad vitanda peccata: & ita ex multis notauit Sanchez *de matrim. lib. 3. diſp. 42. num. 4.* & ex parte Sà *verb. lex, num. 9.* & alij.

Sed contrariam ſententiam ſuſtinendam eſſe puto, quam docet Salas *de legib. tract. 14. diſp. 21. ſect. 13. num. 29. in fin.* Portell. *in addit. ad dubia regul. verb. lex. n. 13.* vbi ſic aſſerit. [Iuxta communiorem ſententiam nunquam pœna vnius legis, & vnius caſus eſt extendenda ad caſum alium, etiamſi in hoc ſecundo caſu concurrat eadem ratio, vel maior ratio, ſeu maior malitia ipſius actus.] Ita ille: & ita etiam docet Ioan. Valèrus *in differ. vtriuſque fori, verb. lex. differ. 5. n. 2.* Bonacina *de leg. lib. 1. q. 1. punct. 8. num. 23.* qui citat Sayrum, Suarez, & alios.

Vnde ex his apparet, quòd ante Bullam Gregorij XV. ſi Confeſſarius ſollicitaret puerum, non erat denunciandus: quia Bullæ aliorum Pontificum erant latæ contra ſollicitantes fœminas. Item, Bulla Gregorij XIII. contra Clericos Sodomitas, non extenditur contra Clericum

abutentem



abutentem fœmina in vaſe præpoſtero. Limitatur hæc ſententia à Bonacina, & Valero, in correlatiuis: & ideò in caſum reſeruatum ſodomiæ incurrit, tam agens, quàm patiens.

*Vtrùm lex fundata in præſumptione, obliget in conſcientia, ſi præſumptio in aliquo caſu particulari deficiat?*

RESOLVT. XXVII.

REſpondeo negatiuè cum Homobono *in exam. Eccleſ. p. 1. tract. 5. cap. 8. q. 53.* & præter Doctores, quos ipſe citat, ſequitur etiam hanc ſententiam Ioan. Valerus *in differ. vtriuſque fori, ver. lex, differ. 15. n. 1.* Layman *in Theol. mor. tract. 4. cap. 21. n. 4.* Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 2. c. 4. §. 3. v. 4.* Megala *in 2. 2. lib. 2. c. 7. q. 2. n. 55.* quidquid aliqui aſſerant. Et hanc ſententiam probabilem in foro conſcientiæ putant etiam Authores, qui contrariam docent: & ita Becanus *in ſum. Theol. mor. p. 2. tra. 3. c. 6. q. 9. concl. 4. n. 5.* ſic aſſerit: [Tametſi leges humanæ, quæ irritant contractum, fundentur in præſumptione; tamen validæ ſunt, & obligant in vtroque foro, tam interno, quàm externo, etiamſi contingat, præſumptionem in aliquo caſu falſam eſſe. Hæc concluſio eſt certa in foro externo, dubia in interno: nam multi probabiliter contrarium tenent.] Ita Becanus.

Cùm igitur hæc ſententia ſit probabilis, dicendum eſt contra Reginaldum *tom. 2. lib. 25. c. 52. n. 627.* & Molinam *tom. 1. tract. 2. diſp. 217. n. 12.* & alios, quòd hæres, qui non confecit inuentarium, teneatur in foro conſcientiæ ſoluere legata, vel debita defuncti, ſi legata, & debita excedant vires hæreditatis: & ita docet Salonius *in 2. 2. q. 77. ar. 4. dub. 10.* Sanchez *in ſum. lib. 4. cap. 15. n. 37.* Sayrus *in claui regia, lib. 4. cap. 7. n. 7.* Suarez *de legib. lib. 3. cap. 23. n. 9.* Syluester *verb. lex, q. 9.* Angelus *eod. verb.* Nauarra *de reſtit. lib. 3. cap. 4. dub. 9. num. 137.*

Item, Decretum Concilij Tridentini *ſeſſ. 25. cap. 19.* denegans audientiam profeſſis, qui tranſacto quinquennio reclamare volunt allegantes, nullam fuiſſe profeſſionem; cum innitatur præſumptioni ratificationis inductæ per illud quinquennium prioris irritæ profeſſionis, veram in foro conſcientiæ diſpoſitionem nō inducet: ſicut etiam Bulla Sixti V. quoad annullationem profeſſionis, ob illum iuris defectum, quòd de Profeſſi vita, & moribus inquiſitio non ſit anteà facta, ipſi præſumptioni innititur, ita vt in foro interiori non liget, ſi ex parte rei nullum ſubſit vitium: & ita tenet Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. diſp. 37. n. 9.* Gratianus *in diſcep. forenſ. cap. 413.* Rodriquez *qq. regul. quæſt. 54. art. 4.* Beia *part. 4. caſ. 18.*

Item, prohibitio Clementis VIII. *in Bull. de largit. muner.* proceſſit ex præſumpta cauſa ambitionis: vnde ſi ea ceſſet, ceſſabit etiam illa prohibitio in foro conſcientiæ: Valerus *in differ. vtriuſque fori, verb. munera, differ. 1. n. 82.* Et Bulla Sixti V. quia fundatur in præſumptione, vt chiromantici, &c. habeant pactum cum Dæmone, ſi aliquis certò ſciat, tales pactum vllum cum Dæmone non habere, non tenetur denunciare, vt notat idem Valerus *verb. hæreſis, diff. 1. n. 4.* & poſt illum Riccius *p. 3. deciſ. 278. n. 6.* Sed hoc vltimum mihi non placet.

Hinc etiam docent, hæredem ex teſtamento minùs ſolenni, ſi ei conſtat euidenter, vt facilè poteſt conſtare, nullam vim, nullam fraudem, nullúmve alium defectum naturalem in illo contigiſſe, poſſe accipere ſibi, ac retinere bona teſtatoris. Ita Sayrus *in claui regia, lib. 3. cap. 7. num. 9.* Syluester *verb. hæreditas, 3. quæſt. 7.* Medina *C. de reſtit. quæſt. 23.* & alij.

Hæc omnia probabiliter dicta ſunt: nam ſcio aliquos contrarium docere, & quandam diſtinctionem facere de duplici præſumptione, quam præſumit Legiſlator. Sed ad maiorem huius quæſtionis dilucidationem, ponam hîc ſubſequentem dubitationem.

*Vtrum, quando ceſſat finis adæquatus legis in aliquo caſu particulari, ceſſet obligatio legis.*

RESOLVT. XXVIII.

REm difficillimam explanandam aggredior: quia pro negatiua ſententia ſtant ferè omnes Doctores: & ita docet Layman *in Theol. mor. lib. 1. tract. 4. c. 21. n. 3.* Vaſquez *in p. 2. tom. 2. di. 163. c. 3. n. 19. & Opuſc. de teſt. c. 1. dub. 1. n. 2. & Opuſc. de redd. c. 2. §. 2. dub. 14. n. 5.* Suarez *de legib. lib. 6. cap. 7. lib. 3. cap. 23. lib. 5. c. 25.* Salas etiam *de legib. tract. 14. diſp. 10. ſect. 4. n. 19. diſp. 5. ſect. 7. n. 4. & tract. de cenſuris, dub. 8. n. 19.* Molina *tom. 1. diſp. 81. ad 3. arg. ſecundæ ſent. in fin.* Reginaldus *tom. 1. lib. 13. cap. 18. q. 3. n. 180.* Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 4. c. 15. n. 37. & de matr. tom. 1. lib. 3. diſp. 3. n. 7. & 9.* Rebellius *p. 2. li. 11. q. 13. n. 7.* Coninch *de Sacram. diſp. 7. dub. 9. n. 86. & diſp. 14. du. 14. n. 144.* Becanus *in ſum. Theol. p. 2. tr. 3. cap. 6. concl. 4. n. 5. in fi.* Villalobos *in ſum. tom. 1. tr. 2. dub. 36. n. 6.* Miranda *in Man. Præl. tom. 2. q. 25. art. 23. concl. 2.* Sotus *de inſtit. lib. 1. q. 6. art. 2.* Lorca *in p. 2. tom. 2. diſp. 26. de leg.* Aragonius *in 2. 2. q. 62. art. 4. de domin.* Medina *in part. 2. q. 98. art. 6.* Anguianus *de leg. lib. 1. contr. 3.* Salonius *in 2. 2. tom. 1. q. 5. art. 4. concl. 5. ad 1. arg. de domin.* Felicianus *de cenſib. tom. 2. lib. 1. c. 8. num. 6.* Sarmiento *ſelect. inter. lib. 3. c. 12. n. 8.* Couarruuias *in 2. p. decr. c. 6. §. 9. num. 8.* Malderus *in p. 2. q. 96. art. 5. & 6.* Sayrus *in claui regia, lib. 3. c. 2. n. 6. & c. 7. n. 11. in fin. & n. 13. in fin.* Bonacina *de legib. diſp. 10. q. 2. punct. 8. §. incidens. n. 13. & de rect. diſp. 5. q. 1. punct. 3. n. 2.* Naldus *in ſum. verb. lex, n. 3.* Pontius *tract. de impedim. matr. cauſa 31. q. 2. § 5.* Pitigianus *in 4. ſent. tom. 2. diſp. 15. q. 2. art. 3.* Portell. *in addit. ad dubia reg. verb. lex, n. 4.* Moneta *de commun. vlt. volunt. c. 4. q. 5. concl. 2. n. 150.* Vegha *in ſum. to. 2. c. 23. caſ. 13.* Pontius *de matr. lib. 5. c. 5. n. 7. & 8.* & alij. Aſſerunt hi Doctores, vt obligatio legis ceſſet, requiri vt eius ratio, & finis adæquatus ceſſet in communi, & vniuerſaliter; & non ſufficit, quòd ceſſet in caſu particulari, quia lex conditur propter bonum commune. Ergo, licèt in caſu particulari ceſſet, retinebit adhuc vim obligandi.

Sed, vt verum fatear, ego nunquam potui intelligere hanc diſtinctionem, nempe, legem tunc non obligare; quando finis eius ceſſat in generali: ſecùs autem in particulari: nam, vt benè obſeruat Scaccia *tract. de commerc. §. 1. q. 1. n. 511.* quando lex ceſſat in ſua generalitate, tunc lex non ſolùm ceſſaret in vno, ſed etiam ceſſaret in omnibus; ſicque illa lex reduceretur ad non legem; quaſi tunc eſſet correcta ratio legis, & ſic ipſa lex. Itaque dicendum eſt, quòd ſi in aliquo particulari caſu ceſſat finis adæquatus, & totalis, & ratio legis; ceſſabit quoque eius obligatio: & ita docet Nauarr. *tom. 4. comment. in rubr. de. iudiciis, n. 74.* Mexia *in prag. taxæ panis, concl. 2. à n. 29. vſq. ad n. 36.* Henriquez *lib. 11. cap. 17. n. 2. in Gloſſa, lit. O, & lib. 10. c. 15. n. 8. in Gloſſ. lit. R.* Comitolus *in reſponſ. mor. lib. 7. q. . num. 10.* Abbas *in ca. quia in inſulis. de Regularib.* Angelus *ver. lex. num. 4. caſ. 7.* Souſa *in Bull. Clem. VIII. de largit. muner. fundam. 3.* Sà *verb. lex, n. 1. & verb. ludus, num. 1.* Megala *in 2. 2. lib. 2. c. 7. q. n. 55.* Granado *in p. 2. cont. 7. tr. 3. p. 1. diſp. 15. ſect. 2.* vbi diffusè, & ad partes probat, & docet hanc ſententiam. Et ratio eſt: quia valet argumentum de toto ad partem: ſed, quando ratio legis ceſſat in totum, ceſſat etiam lex: ergo, quando ratio legis ceſſat in partem, in partem etiam ceſſabit lex, ex authoritate legis, *quæ de tota, ff. de rei vendit.* & ideò ita pro hac ſententia argumentatur Granado, *vbi ſuprà*, ſic aſſerens: [Cùm ratio adæquata legis ceſſat in generali, ſeu comparatiuè, reſpectu omnium perſonarum, ac temporum, ceſſat in generali obligatio legis: ergo, cùm ratio adæquata legis ceſſat in aliquo caſu ſpeciali, ſeu comparatione alicuius perſonæ, & temporis, ceſſabit obligatio legis in particulari. Probatur conſequentia: quia ita ſe habet lex in vniuerſali ad rationem acceptam in generali, ſicut lex in particulari ad rationem

acceptam

acceptam in caſu ſpeciali: ſed quando ratio legis ceſſat comparationē omnium, ceſſat obligatio legis reſpectu omnium: ergo, quando ceſſat comparatione vnius, ceſſabit obligatio legis comparatione illius. Deinde, lex non ſolùm obligat omnes in generali, ſed ſingulos in ſpeciali: ergo, ſicut deficiente ratione apud omnes, manent omnes deobligati; ita deficiente apud vnum, manebit vnus deobligatus.

Ad argumentum verò in contrarium, quod *ſuprà* poſitum eſt, reſpondeo, quòd, licèt leges condantur propter bonum commune; adhuc tamen obligant etiam ſingulos ſubditos in particulari, & in ſingulis habet vim ea ratio, propter quam conduntur: ergo, quando in aliquo particulari ceſſat, ceſſabit quoque legum obligatio. Et ex iſta reſolutione Confeſſarij, & reſponſores caſuum conſcientiæ, poterunt multos ſcrupulos, & difficultates tollere in praxi quotidie.

### *An Declarationes Illuſtriſſimorum Cardinalium habeant vim legis?*

RESOLVT. XXIX.

AFfirmatiuam ſententiā docent aliqui, & ita aſſerunt, quòd dictæ Declarationes non ſolùm habendæ ſunt, vt probabiles, & doctrinales; ſed etiam vt auctoritatiuæ, & neceſſariæ, tanquàm ſi ab ipſo Papa editæ fuiſſent; ita vt habeant vim obligandi in vtroque foro, non ſolùm pro illis perſonis, ad quarum inſtantiam fiunt, ſeu in illo caſu ſpeciali, cui Congregatio reſpōdet; ſed, vt leges generales in ſimilibus omnibus: & ita tenet Salas *de legib. tract.* 14. *diſp.* 21 *ſect.* 12. Cochier. *tr. de permutat. benef. p.* 2. *c.* 30. Zipæus *in anal. iur can. Epiſt. ad Lector.* Leon. *tr. de Iubil. p.* 1. *q.* 5. *n.* 207. Bellochius *de caſ. reſer. q.* 2. *n.* 82. Rodriq. *qq. reg. tom.* 1. *q.* 11. *art.* 1. *&* 2. Gambarupta *de caſ. reſer. c.* 3. *n.* 6. Lazarius *tr. de blaſp. q.* 10. *n.* 39. Miranda *in Man. Prælat. tom.* 2. *q.* 26. *art.* 11. Homobon. *de exam Eccl. p.* 1. *tr.* 1. *c.* 16. *q.* 29. Narbona *de appell. à Vicar. ad Epiſc. p.* 1. *n.* 189. Cochier. *de permut. benef. p.* 2. *c.* 30. Garſias *de benef. tom.* 1. *in præfat.* vbi ſic aſſerit: [Quod attinet ad Declarationes Sacræ Cōgregationis, certum eſt eas non eſſe Declarationes doctrinales, ſicut latas à Doctoribus, & Iuriſperitis, vt aliqui Theologi perperam dicunt: ſed eſſe Declarationes definitiuas, ſeu deciſiuas, vim legis habentes, vt leges recipiendas, vtpote latas ex commiſſione Papæ, & à perſonis habentibus interpretandi, & reſpondendi facultatem à Principe, vt apparet ex Bulla Sixti V. quæ eſt *in p.* 2. *Bullary, ſeptima in ordine*, vbi habetur facultas dictæ Congregationis; & eadem Sacra Congregatio cuidam Abbatiſſæ Meſſanenſi ſic reſpondit. Eadem ratio habenda eſt de his, quæ ſcribuntur à Cardinalibus Sacræ Congregationis Concilij Tridentini, nomine ipſius Cōgregationis, ac ſi à Papa ſcripta eſſent; & aliàs ſic cenſuit. Decreta, & litteræ Congregationis Concilij ſemotis litibus ſunt executioni demandanda, nec ſuper his ſententia, nec decretum aliquod eſt faciendum; & ita ſuper Declarationibus ſacræ Congregationis Papa ſtatim dat Breue, & Auditor Cameræ monitorium in earum executionem, & Rota eas abſque vlla controuerſia, & diſpenſatione amplectitur, ſuſcipit, & obſeruat, vt praxis oſtendit: & quanuis declaratio ſit facta ad inſtantiam alicuius, ſeu in caſu particulari; tamen facit ius quoad omnes, & in vniuerſum.] Ita Garſias.

At, his non obſtantibus, non deſunt præſtantiſſimi Theologi, qui contrariam ſententiam docent, vt Petrus de Ledeſma ex Dominicanorum Familia *in ſum. tom.* 1. *de Sacram. Pœnit. c.* 13. *diffic.* 7. *fol. mihi* 285. vbi ſic aſſerit: [Las determinationes de los Señores Cardenales no hazen derecho, como es coſa cierta, y aueriguada, tan ſolamente tienen fuerza en el caſo particular que les preguntan, y es argumento grande en fauor de aquella ſentencia, que parece que aprueuan.] Idem docuit Sanchez ex Societate IESV *de matrim. tom.* 3. *lib.* 8. *diſp.* 2. *n.* 10. dicens: [Nec obſtat Declaratio Cardinalium: quia de ea nō conſtat authenticè, neque illi neceſſariò ſtandū eſt; quanuis magnam habeat auctoritatem.] Ita ille, & poſt illum Ioan. Valerus *in differ. vtriuſque fori, verb. abſolutio, differ.* 1. *n.* 20. *& verb. nullitas, differ.* 5. *n.* 2. Pontius *de matr. lib.* 5. *c.* 13. §. 2. *n.* 7. Zipæus *in nouo iure pontificio, lib.* 5. *tit. de pæn. & remiſſ. num.* 9. Serarius *in Prolegom. Bibliacis, cap.* 19. *q.* 11. & Delrius *in diſq. mag. p.* 3. *lib.* 6. *c.* 1. *ſect.* 3. Bonacin. *de legib. diſp.* 1. *q.* 1. *punct.* 8. *n.* 4. Vegha *in ſum. tom.* 1. *c.* 62. *caſ.* 41. & hanc ſententiam probabilem putat Villalobos *in ſum. tom.* 1. *tract.* 2. *dub.* 7. *n.* 5. vbi ita aſſerit: [Otros dizen, que las Declaraciones de los Cardenales no obligan, haſta que el Papa las promulgue: porque es de razon de la ley, que ſe promulgue en eſpecial, y haſta agora no ha permitido ſu Santidad, que ſe promulguen à la Ygleſia en ſu nombre, y pareceme probable.] Vide etiam Portel. *in dub. reg. verb. Cardinalium Declarationes.* Et ratio huius opinionis eſt: quia, vt aſſerunt ſupradicti Doctores, vt lex obliget, neceſſe eſt, vt promulgetur: ſed dictæ declarationes non promulgantur: ergo non obligant. Nec valet dicere cum Rodriquez, *vbi ſuprà*, id procedere in legibus, quæ nouū ius condunt; non autem, quæ antiquum ius declarant: Declarationes enim cum ipſa lege à principio inſunt: nam reſpondetur, quòd, licèt in manifeſtis Declarationes legibus inſunt, & ex ſe ſine alia promulgatione obligationem afferant; ſecùs tamen militat in dubiis: quia tales Declarationes ſunt veluti nouæ leges, vnde noua publicatione egent: & ideò niſi aliter per Sedem Apoſtolicam declaretur, cenſeo cum ſupradictis Doctoribus, Declarationes Cardinalium maximi quidem ponderis eſſe, & ab iis nulla ratione recedendum ſine firmiſſimo fundamento: attamen vim legis non habere exiſtimo, neque ſtandum illis neceſſariò.

### *Vtrùm, quando dubitatur, an conſuetudo fuerit inducta ex animo deuotionis, vel ex animo ſe obligandi, ſit præſumendum inductam fuiſſe animo obligandi?*

RESOLVT. XXX.

SVppono, quòd ad inducendam conſuetudinem, quæ vim legis habeat, & obligationem pariat, requiritur, vt id, quòd inducitur per conſuetudinem, introducatur, & obſeruetur per modum præcepti, & obligationis: vnde, quod frequenter efficitur ex ſola deuotione, vel conſilio, non inducit obligationem, ſicut quando efficitur aliquid cum ignorantia, putantes ad illud teneri: & ideò ait Villalobos *in ſum. tom.* 1. *tract.* 2. *dub.* 38. *n.* 5. [Para introduzir coſtumbre ſe requiere, que los que la introduzen, tengan voluntad de obligarſe, y lo hagan de cierta ſciencia, y no por ignorancia, penſando, que eſtan obligados: y aſſi pienſo, que es la coſtumbre de no comer hueuos entre año los viernes, porque los actos, que introduze la coſtumbre, han de ſer voluntarios, y no ay coſa tan contraria à la voluntad, como el error.] Vnde apparet, non eſſe ita clarum, vt aliqui putant, an conſuetudo, quæ in aliquibus locis viget nō comedendi lacticinia in diebus ieiuniorum infra annum, obliget ad mortale. Sed de hoc alibi. Nūc ad propoſitam quæſtionem reſpōdendo aſſero contra Reginald. *in praxi, tom.* 1. *lib.* 13. *c.* 23. *ſect.* 1. *n.* 244. & Azor. *p.* 1. *lib.* 5. *c.* 18. *q.* 5. quòd quādo dubitatur, an conſuetudo fuerit inducta ex animo deuotionis, vel animo ſe obligandi, præſumendum ſit, non inductam fuiſſe tanquam obligatoriam: & ita docet Suarez *de legib. lib.* 7. *c.* 15. *n.* 13.

### *An licitè poſſit Prælatus diſpenſare, quando dubitat, vtrùm cauſa diſpenſationis ſit iuſta?*

RESOLVT. XXXI.

NEgatiuè reſpondet Bonacin *de legib diſp.* 1. *q* 2. *punct.* 3. *n.* 7. quia fieri poteſt, vt cauſa re ipſa nō ſit ſufficiens:

ſed,



ſed, qui periculo ſe exponit diſpenſandi ſine iuſta cauſa, peccat: ergo, &c.

Hæc opinio eſt probabilis: ſed contrariam probabiliter docet Sanchez *in ſum. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 45. *n.* 10. quia in benigniorem partem eſt in dubio inclinandum; & credendum eſt, facultatem Superiorum eſſe in hoc dubiam: id enim petit bonum, & ſuaue Eccleſiæ regimen: eſſet enim multis ſcrupulorum occaſionibus expoſita poteſtas, ſi ad cauſas ſolas certas extenderetur, & vix auderent Superiores diſpenſare. Ita ille. Et hanc opinionem docuit etiam doctiſſimus Syluester *verb. diſpenſat. q.* 14. *n.* 10. vbi agens de Prælatis Regularibus, quibus permittitur diſpenſare in Regulis, ſic aſſerit: [Diſpenſare poſſunt quando eis conſtat de cauſa legitima, & etiamſi dubitent: quia ad clementiorem partem declinandum eſt.] Hæc doctrina eſt valdè attendenda: quia multi ſcrupuli ex illa tolli poſſunt.

### *An diſpenſatio ſine cauſa in lege propria, vel inferioris, ſit valida; & an diſpenſans ſine cauſa, peccet mortaliter?*

RESOLVT. XXXII.

NEgatiuè reſpondent aliqui, quos nouiſſimè ſequitur Vaſquez *in p.* 2. *tom.* 2. *diſp.* 178. *c.* 4. *per tot.*

Sed contrariam ſententiam communiter docent Doctores, quorū nomina inuenies apud Salas *de legib. diſp.* 20. *ſect.* 4. *n.* 37. & Suarez etiam *de legib. lib.* 6. *c.* 19. *num.* 6. & ex neotericis docet etiam hanc ſententiam Pontius *de matr. lib.* 8. *cap.* 14. *n.* 7. Lorca *in p.* 2. *tom.* 2. *diſp.* 27. & Villalobos *in ſum. tom.* 1. *tract.* 2. *dub.* 41. *num.* 5. vbi ſic ait: [Quando diſpenſa el Papa en ſu propria ley, aunque ſea ſine cauſa, es valida la diſpenſacion. Eſta concluſion es comun: el fundamento es, porque aquella ley era propria, y pende de ſu voluntad, la quad puede mudar. Lo miſmo ſe ha de dezir del Obiſpo, y de qualquiera Prelado, que diſpenſa en ſu propria ley.] Ita ille.

Nota tamen hîc obiter contra Suar. *de legib. lib.* 6. *c.* 18. *n.* 9. Valentiam *tom.* 2. *diſp.* 7. *q.* 5. *punct.* 9. & alios, Superiorem diſpenſantem in propria lege, ſine iuſta cauſa, non peccare mortaliter, ſed tantùm venialiter; ſecluſo tamen ſcandalo, & graui alterius damno. Et ita docet Layman *in Theol. mor. lib.* 1. *tract.* 4. *c.* 22. *n.* 13. & alij penes ipſum, quibus adde Tannerum *in p.* 2. *diſp.* 5. *q.* 7. *dub.* 2. *n.* 29. quod etiam verū eſt in petente diſpenſationem: nam tantùm venialiter peccat; licèt poſteà in vſu dictæ diſpenſationis ſine iuſta cauſa obtentæ, nullam culpam, etiā venialem, cōmittat. Et ita ego ſentio contra Laym. & Sanch. *de matr. lib.* 8. *diſp.* 18. *n.* 12. *&* 13. fretus authoritate Mald. *in p.* 2. *q.* 97. *art.* 4. *dub.* 2. Suar. *de ll. lib.* 6. *n.* 14. Azor. *p.* 1. *lib.* 5. *c.* 15. *q.* 3. & aliorum.

### *An valida ſit diſpenſatio, Prælato inferiori bona fide diſpenſante in cauſa non iuſta?*

RESOLVT. XXXIII.

NEgatiuè reſpondet Salas *de legib. diſp.* 20. *ſect.* 4. *n.* 35. & alij penes ipſum: quia bona fides non ſolet acta alioqui nulla reddere: & ideò cognita inſufficientia cauſæ non poteſt quis in foro conſcientiæ huiuſmodi diſpenſatione gaudere.

Sed opinio contraria probabilis etiam mihi videtur, quam docet Sanchez *de matr. tom.* 3. *lib.* 8. *diſput.* 17. *num.* 8. vbi ſic aſſerit: [Non valet diſpenſatio inferioris in lege ſuperioris, licèt ſit aliqualis cauſa; ſi tamen eam illegitimam eſſe conſtet: hoc tamen limitarem, niſi prudenter, ac bona fide iudicaret Prælatus cauſam eſſe iuſtam; tunc enim credo valere diſpenſationem, licèt verè non fuerit cauſa ſufficiens: quia non eſt credendum, aliam eſſe Pontificis intentionem circa ſuas leges, & Dei circa ſuas; in quibus permittitur inferiori diſpenſare.] Quod clarè ſignificat Azorius *part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 29. *quæſt.* 9. vbi hæc ait: [Si Prælatus aliquis bona fide lege ieiunij aliquem liberet putans cauſam eſſe iuſtam, relaxatio prodeſt: quia bona fide facta eſt.] Ita ille. Et ideò tutus erit ſubditus in tali caſu, quanuis poſteà conſtet, cauſam non fuiſſe ſufficientem.

### *An ſit valida diſpenſatio facta ab inferiori in lege Superioris non præcognita priùs cauſa, quando reuerà cauſa erat iuſta, & legitima?*

RESOLVT. XXXIV.

NEgatiuam ſententiam docet Azorius *p.* 1. *lib.* 5. *c.* 15. *quæſt.* 9. *&* 10. aſſerens, in neutro foro valere dictam diſpenſationem: quia facultas diſpenſandi cenſetur commiſſa præmiſsâ cauſæ cognitione.

Sed contraria ſententia probabilior mihi videtur: nempe, huiuſmodi diſpenſationem validam eſſe in foro conſcientiæ, donec in foro exteriori reuocetur: & præter Doctores, quos citat, & ſequitur Sanch. *de matr. tom.* 3. *lib.* 8. *diſp.* 17. *n.* 11. Salas *de legib. diſp.* 20. *ſect.* 9. *n.* 79. docet etiam hanc ſententiam Villalob. *in ſum. tom.* 1. *tract.* 2. *dub.* 41. *n.* 4. vbi ita ait: [Quādo de hecho de verdad ay juſta cauſa, mas el Prelado diſpensò en conocimiento della, vale la diſpenſacion en el fuero interior haſta tanto, que la reuoque en el fuero exterior, y es la razon, porque no ay derecho, en que ſe irrite la diſpenſacion, y como en ella ſe guarda el fin, baſta eſſo aunque falte la ſolennidad de derecho.] Vnde contra Azor. putat, & benè, Sala, *vbi ſupra, n.* 81. ſi ſubditus vtatur tali diſpenſatione, neque venialiter peccare.

### *An, ſi Superior diſpenſet in propria lege ſine cauſa, peccet mortaliter? Et idem quæritur de Subdito diſpenſationem petente?*

RESOLVT. XXXV.

ALiqui reſpondent eſſe poſſe ex genere ſuo peccatum mortale: & pro hac ſententia Sanchez *de matr. tom.* 3. *diſp.* 18. *n.* 6. citat Caieran. Armillam, Ledeſmam, Vegham, Rodriquez, & alios. Idem etiam docet Granado *contr.* 7. *tract.* 3. *p.* 2. *diſp.* 17. *ſect.* 3. *n.* 24.

Sed tu tene contrariam ſententiam, quam docet citatus Sanchez *n.* 7. Valentia *tom.* 2. *diſput.* 7. *q.* 5. *punct.* 5. & alij, quos citat, & ſequitur Salas *de legib. diſput.* 20. *ſect.* 5. *n.* 54. *&* 55. quibus ego addo Villalobos *in ſum. tom.* 1. *tr.* 2. *dub.* 4. *num.* 6. ita aſſerentem: [Duda es entre los Doctores, que pecado ſea el diſpenſar ſin cauſa en la propria ley. Couarruuias dize, que por ventura muchas vezes es pecado mortal: mas yo tengo por mas probable, que de ordinario no es mas, que pecado venial, ſi no es en caſo, que huuieſſe graue daño de otros, ò eſcandalo.] Ita ille. Itaque, ſecluſo ſcandalo, & graui aliorum damno, non eſt peccatum mortale diſpenſare, ſeu petere diſpenſationem, & illa vti ſine iuſta cauſa: imò ego puto probabiliter, non peccare neque venialiter, ſi aliquis vtatur diſpenſatione obtenta ſine iuſta cauſa: quia, cùm talis diſpenſatio ſit valida, nulla ampliùs legis obligatio remanet, cuius tranſgreſſio ad culpam venialem obligare poſſit. Ergo, &c. Et hanc opinionem probabilem vocat Sanchez *n.* 10. & Salas *vbi ſuprà*, & nouiſſimè Malderus *in p.* 2. *q.* 97. *art.* 4. qui citat Suarez, & alios.

### *An ſit valida diſpenſatio, quando erratur in nomine Diœceſis: vt, ſi Petrus ſit Diœceſis Panormitanæ, dicatur eſſe Diœceſis Meſſanenſis?*

RESOLVT. XXXVI.

NEgatiuè reſpondet Sanchez *de matrim. tom.* 3. *diſp.* 21. *n.* 39. & poſt illum Moneta *de commut. vlt. vol. cap.* 12. *concl.* 9. *n.* 206. & Villalobos *in ſum. tom.* 1. *tract.* 2. *dub.* 43. *num.* 11. vbi ſic ait: [Quando ſe hierra en el nombre, y

no

no en la perſona, no es la diſpenſacion ſubrepticia, mas no es lo miſmo, quando la diſpenſacion viene errada en el Obiſpado, come ſi ſe comete al Prouiſor de Zamora, y el que ha de ſer diſpenſado, es del Obiſpado de Salamanca: porque como no ſe comete al de Salamanca, no puede diſpenſar, y aſſi eſto no es error en el nombre, ſino en la perſona: aſſi lo tiene Innocentio, y Abad.] ita ille.

Sed ego non ſolùm puto eſſe validam diſpenſationem, quando erratur in nomine perſonæ: vt, quando nomen Petri exprimitur nomine Pauli, vt docet Pontius *de matr. lib.* 8. *c.* 15. §. *vlt.n.* 43. Moneta *vbi ſuprà.n.*205. Layman *in Theol. mor.lib.* 1.*tract.*4.*c.*32.*n.*27. ſed etiam, quando erratur in Diœceſi: vt, ſi Petrus, cum quo diſpenſatur, dicatur eſſe Diœceſis Panormitanæ; cùm tamen ſit Meſſanenſis: quia conſtat, intentionem Papæ eſſe, vt ſolus proprius petentis Ordinarius cum illo diſpenſet: & ſi Ordinarius poteſt diſpenſare, quando erratur in nomine petentis; ſic etiam poterit, quando erratur in nomine ipſius Epiſcopi, Et ita aduersùs Sanchez docuit Salas *de legib. diſp.* 20. *ſect.* 16.*num.*223. Sanctarellus *var.reſol.p.*1.*q.*63. *per tot.* Et hæc opinio bis, me conſulente poſita eſt in praxi.

Nota etiam ſecundùm Laymã *in Theol.mor.lib.*1.*tract.*4. *c.*52.*n.*26. quòd reſcriptum non ita vitiatur, vt à Commiſſario executioni mandari non poſſit, ſi error aliquis incuria ſcriptoris irrepſerit: vt, ſi, v.g. Papa commiſit Officiali, quòd ſi preces veritate niti cognouerit, cum Titio, & Caïa apoſtolica auctoritate diſpenſet: ſed erratum fuit in Bulla pontificia; nam pro tertio gradu affinitatis, poſitus fuit tertius gradus conſanguinitatis.

*An Epiſcopus poßit diſpenſare, non admonito Summo Pontifice, quem in caſu pauperum ſuis ſumptibus admonere poteſt?*

RESOLVT. XXXVII.

Negatiuè reſpondet Vaſquez *in p.*2.*tom.*2.*diſp.* 178.*c.*2. *n.*16. quia in tali caſu non apparet neceſſitas diſpenſandi, cùm periculum non ſit in mora, & ad Pontificem recurri poſſit per litteras Epiſcopi, qui poteſt, & tenetur pauperum neceſſitati ſubuenire. Ergo, &c. Et hanc opinionem poſt Vaſquez amplexus eſt etiam Bonacina *de legib. diſp.* 1. *q.*2.*punct.*1.*n.* 19. & ideò ſecundùm hos Doctores, Epiſcopus non poteſt diſpenſare, quoties ipſe poteſt Summum Pontificem per litteras certiorem facere, & paupertati partium, cum quibus diſpenſandum eſt, ſuis expenſis, & redditibus occurrere.

Sed hæc opinio nimis oneroſa videtur pro Epiſcopis: ideò contrariam ſuſtinendam eſſe cenſeo: & illam docet Sanch *in ſum.tom.*1.*lib.*4.*c.*40.*n.*39. & Salas *de legib. diſp.* 20. *ſect.* 3. *n.* 27. vbi ſic aſſerit: [ Aduertit Vaſquez, quoties Epiſcopus poteſt certiorem facere Pontificem, & paupertatem eorum, cum quibus diſpenſandum eſt, ſupplere, vt negotium ad Pontificem deferatur, diſpenſare non poſſe: nam, ſi hoc modo Pontifex conſuli poteſt, qua ratione Epiſcopus in lege pontificia diſpenſabit? Ego verò credo, Epiſcopum non teneri in impetrandis his diſpenſationibus redditus ſuos conſumere: poterit ergo diſpenſare ob paupertatem partium, etiam cùm ipſe eam paupertatem ſupplere poteſt: & ita habet praxis, & ſentiunt Doctores: nam ſine illa limitatione docent licitum Epiſcopo eſſe diſpenſare in neceſſitate, quando propter paupertatem partium difficilis eſt ad Pontificem aditus.] Ita Salas.

*An valida ſit diſpenſatio circa irregularitatem homicidij, ſi non fuit explicata circunſtantia ſacerdotij, ſi occiſus, erat Sacerdos?*

RESOLVT. XXVIII.

Non eſſe validam, docet Suarez *de legib. lib.* 6. *cap.* 24. *n.* 12. Rodriquez *in ſum.tom.*1.*c.*179. *n.* 10. *concluſ.* 5. & Auila *de cenſur.part.*7. *diſp.*10.*dub.*8. vbi ſic ait: [Qui voluntariè occidit Preſbyterum, & in petenda diſpenſatione ſolùm dicit, ſe occidiſſe hominem; non manet tutus, nec diſpenſatio eſt valida.]

Sed contrariam ſententiam puto probabiliorem eſſe, & illam docuit Sanchez *de matr.tom.*3.*lib.*8.*diſp.*21 *num.*22. & poſt illum Salas *de leg.diſp.* 20.*ſect.*15.*n.*122. & nouiſſimè Sanctarellus *var.reſol p.*1.*q.*62.*n.*2. Pontius *de matrim.lib.*8. *cap.* 15.§.4.*n.*24. & Layman *in Theol. mor.tract.*4.*c.*32.*n.* 21. Et ratio eſt: quia talis circunſtantia, nec iure, nec ſtylo Curiæ, nec conſuetudine exprimenda apparet: ergo, &c. Et hoc puto adhuc verum eſſe, etiamſi Pontifex non eſſet diſpenſationem conceſſurus, ſi ſciret dictam circunſtantiam ſacerdotij, ex his, quæ tradit idem Salas *loco cit.n.*148.

*An poßit peti diſpenſatio ſuper aliquo impedimento matrimonij, tacito alio in poſterum diſpenſando?*

RESOLVT. XXXIX.

Negatiuè reſpondet Suarez *de legib. lib.* 6. *cap.*24.*n.* 6. Guttierrez *de matrim.c.* 123. *n.* 21. Sanch. *de matrim. tom.* 3. *lib.* 8. *diſp.*23.*num.*2. Sanctarellus *var.reſol.p.*1.*q.*65. Layman *in Theol. mor.lib.* 1.*tract.*4.*c.*21.*n.*19. Garſias *de benef.tom.*2.*p.*8.*cap.*3.*num.*54. & alij. Et ratio eſt: quia ſic decipitur Pontifex: nam putat, petentem vno ſolo impedimento laborare.

Sed contrariam ſententiam docet Emmanuel Sà *verb. diſpenſatio, n,*16. Henriquez *lib.*12.*c.*3.*n.* 6.*in gloſſa, litt. N.* Salas *de legib. diſp.* 20.*ſect.*15.*n.* 122. *in fin.* & alij, vt Nauarrus, Rodriquez, Vegha, Genuenſis apud Garſiam *vbi ſupr. n.* 53. Vnde, ſi qui ſint ſimul conſanguinei, & affines, poterunt in quibuſdam litteris conſanguinitatem proponere, tacita affinitate; & in aliis affinitatem, tacita conſanguinitate: & vtraque diſpenſatio valida erit quoad ſuum impedimentum. Rationes pro hac ſententia, inuenies apud Sanchez, *vbi ſuprà, num.* 1. qui in fine ſic aſſerit: [Et cùm hæc ſententia tot patronos habeat, & rationes non parui momenti eſt probabilis; nec poteſt iuſtè damnari, qui illam amplecteretur. Et hanc opinionem probabilem eſſe docet etiam Villalobos *in ſum. tom.*1.*tract.*14.*diffic.*27. *num.*7. At his non obſtantibus, hæc opinio eſt contra praxim, & vſum Romanæ Curiæ, ex quo infringitur eius probabilitas.

*An, ſi quis obtinuit diſpenſationem ad contrahendum cum affine, vel conſanguinea, ſed èa minimè ſit vſus; poſteà petens aliam diſpenſationem cum alia conſanguinea, vel affine, teneatur in hac ſecunda petenda mentionem prioris diſpenſationis facere?*

RESOLVT. XL.

Hic caſus in praxi hoc anno mihi propoſitus fuit: Affirmatiuam ſententiam docet Suarez *de legib. li.*6. *c.*23.*n.*10. vbi ſic aſſerit: [Cenſeo in iſto caſu, poſteriorem diſpenſationem eſſe ſurreptitiam, & neceſſarium eſſe exprimere priorem diſpenſationem, vt vel Pontifex eius renunciatorem acceptet, vel illam irritet, vel vtranque ſimul validam eſſe concedat: alioqui enim veriſſimum eſſe cenſeo, ſine ſcientia, & conſenſu Pontificis non poſſe illas duas diſpenſationes validas ſimul permanere; quia eſt indulgentia quædam nimis extraordinaria, & parum rationi conſentanea; & longè veriſimilius eſt, non fuiſſe Põtificem eam conceſſurum, ſi proponeretur.] Ita Suarez.

At ego contrariam ſententiam probabiliorem eſſe puto: & illam docet Sanch. *de matr. tom.* 3. *lib.* 8.*diſp.*21.*n.*13. & poſt illum Layman *in Theol.mor.lib.*1.*tract.* 4.*c.*32.*n.* 20. Guttierrez *tract.de mat.c.*123.*n.*20. vbi ſic ait: Dubitari forſan poſſet de alia ampliatione eiuſdem Authoris; nempe,





vt idem ſit dicendum, licèt fœmina reſiliat nolens priori conſanguineo nubere, ac impetret poſteriorem diſpenſationem ad nubendum aliis: credit enim, in vtroque caſu mentionem prioris diſpenſationis neceſſariam non eſſe, eò quòd ſint ſuper diuerſis matrimoniis, & neutra habet connexionem cum altera. Et licèt hæc ratio concludat in præcedentibus dictis: at in hoc poſteriori de fœmina reſiliente à prima diſpenſatione, nolente priori conſanguineo nubere, ac impetrante poſteriorem diſpenſationem, non videtur ſufficiens: ſiquidem ſecunda diſpenſatio eſt noua gratia in derogationem prioris. Sed nihilominùs adhuc credo, hanc ampliationem quoque eſſe veram ex eo, quòd nihil intereſſe videatur quoad irritationem poſterioris, quòd fœmina hæc nubat illi conſanguineo priori, vel huic ſecundo, iuxta mentem, & intentionem Papæ concedentis, de quo ſi ei fuiſſet facta mentio, eum non remoueret à conceſſione ſecundæ gratiæ: ſiquidem hæc non fuit ſubreptitia in cauſſa finali, nec impulſiua.] Ita Guttierez. Ad argumentum verò Suarez reſpondetur, quòd, licèt vtraque diſpenſatio ſtare nequeat; tamen in vſu illarum datur optio; vel dic, quod per impetrationem poſterioris diſpenſationis impetrans renunciauit priori in manu Pontificis, à quo poſteriorem impetrauit; & ita ea ampliùs vti nequibit, ſed ſola poſteriori.

*An, ceſſante cauſſa diſpenſationis, ceſſet ipſa diſpenſatio?*

RESOLVT. XLI.

Affirmatiuam ſententiam ſuſtinet Sanchez *de matr. tom.*3.*lib.*8.*diſp.*30. *num.*14. & alij penes ipſum. Et ratio eſt: quia faciliùs tollitur priuilegium, quale eſt diſpenſatio, quàm ius commune; at ius commune ceſſat, ceſſante eius cauſſa finali: ergo à fortiori ius ſpeciale. Multas alias rationes adducit Sanchez.

Sed, licèt hæc ſententia ſit probabilis; contrariam probabiliorem eſſe iudico, quam tuentur Pontius *de matr. lib.*8.*c.*20.*num.*4. Salas *de legib.diſp* 20.*ſect.*5.*n.*64. *& ſeq.* Granado *in part.*2.*contr.*7.*tract.*3.*p.*2.*diſp.*17.*ſect.*4. *n.* 36. Guttierrez *canon.qq.lib.*2.*c.*15.*num.*30.*&* 132. & nouiſſimè *tract.de matr.c.* 126.*num.*2. cum Sà *verb.gratia, n.*6. & alij penes ipſos; & ideò aſſero, quòd ſi quis à principio obtinuit diſpenſationem cum cauſſa rationabili, & ſufficienti; poſteà tamen decurſu temporis ceſſauit totaliter illa cauſſa, non peccat vtens tali diſpenſatione. Et ratio eſt; quia per illam diſpenſationem verè relaxata eſt illa lex, ac eius obligatio extincta: ergo non poteſt reuiuiſcere, eò quòd cauſſa ceſſarit. Cæteras rationes vide apud Sanchez, qui licèt contrariam opinionem teneat, vt diximus; tamen *in fin.num.*13. ſic aſſerit: [ Qui hanc ſententiam amplecteretur, damnari non poſſet, cùm graues per ſe Authores habeat, nec rationibus deſtituta ſit; nec oppoſitæ ita concludant, quin ſolui poſſint.] Vnde ex his infertur cum Suarez *de legib.lib.*6.*c.*20.*num.*15. quòd irregularis diſpenſatus ad Ordinem propter paupertatem propriam, vel propter indigentiam miniſtrorum Eccleſiæ, licèt poſteà ceſſet illa cauſſa ante ſuſceptos Ordines; nihilominùs poteſt licitè ordinari ex vi illius diſpenſationis. Item, ſi quis eſſet diſpenſatus ad non ieiunandum per totam vitam, ſi illæ cauſſæ poſteà omninò ceſſarent; nihilominùs poſſet vti illa diſpenſatione. Vnde aſſerit Salas *vbi ſuprà, num.*65.*in fin.* [ Abſurdum aliquibus videtur, diſpenſatum in perpetuum ad eſum carnium propter infirmitatem, ea ceſſante illis veſci. Sed reſpondeo, nõ peccare mortaliter; ſed ad ſummum venialiter: quia diſpenſatio retinet ſuum valorem, donec reuocetur. Dices: In omni diſpenſatione intelligitur conditio, modò cauſſa permaneat: ergo cauſſa ceſſante ceſſabit diſpenſatio; aliàs iniquus eſſet diſpenſans, quia vellet diſpenſationem ſine cauſſa manere. Reſpondetur, talem diſpenſationem eſſe abſolutam, nec iniquum eſſe diſpenſatorem; quia probabiliter putauit, cauſſam fore perpetuam, & ideò diſpenſauit, vel limitauit, ſeu reſtrinxit: ſed ſciens poſteà cauſſam ceſſaſſe, debet diſpenſationem reuocare. Dicendum eſt igitur abſolutè, quòd ſi valida fuit diſpenſatio in lege propria, vel inferioris, vel in iis, quæ pertinent ad ius diuinum, vt in votis, vel iuramentis; vſus talis diſpenſationis contingens poſt ceſſationem cauſſæ, non eſt ex genere ſuo peccatum mortale, & probabile eſt nec eſſe veniale; ſed rem omninò licitam.]

*An taciturnitas veri reddat ſubreptitiam diſpenſationem, quando tacetur aliquid, quod ſecundùm ſtylum Curiæ eſt neceſſariò declarandum?*

RESOLVT. XLII.

Affirmatiuè reſpondet Sanchez *tom.*2. *lib.*8. *diſp.* 21. *quæſt.*1. Layman *in Theolog.mor.lib.*1.*tract.*4. *cap.* 22. *num.* 18. Et ratio eſt: quia ſtylus Curiæ facit ius, vt ex multis probat Barboſa *in collect.tom.*1.*lib.*1.*tit.*2.*c.*11.*n.* 3. Ergo, &c.

Sed Granado *in par.*2.*contr.*7.*tract.*3.*p.*2.*diſp.*17.*ſect.*6. *n.*46. docet, tunc ſtylum Curię facere ius, quando conſtat eum eſſe talem, vt prudentis arbitrio inducat obligationem etiam in foro conſcientiæ; quod non ſemper conſtat: imò Henriq. *lib.*12. *c.* 3. *num.*7. aſſerit, taciturnitatem veri non vitiare diſpenſationem in foro conſcientiæ, ſed ſolùm in externo; licèt ſtylus Curiæ petat, vt non taceatur: & Ceuallos *in qq. pract.q.*737.*àn.* 20. ait, eiuſmodi ſtylum non obligare extra Curiam; quod idem ſentiunt alij Doctores; & prætereà ſtylum Curiæ variari, variato Pontifice, & non obligare, niſi ſit ſcriptus, & à Papa approbatus. Quod quidem deſeruiet, vt non reputetur ſubreptitia diſpenſatio, in qua tacetur verum contra ſtylum Curiæ; niſi certò conſtiterit, talem eſſe ſtylum, vt in foro animæ obliget, & in eo loco, in quo traditur diſpenſatio. Hæc Granado, licèt contrarium ſentiat Salas *de legib. q.* 97.*tract.*14.*diſp.*20.*ſect.*15.*n.*117. & Sanctarellus *var. reſol.p.*1.*q.*50.*n.*17. vbi docent ſententiam Sanchez, & impugnant Henriquez, & Ceuallos, quorum ſententia tutiſſima eſt, cùm oppoſita ſit periculoſa, quando taciturnitas reddit diſpenſationem difficiliorem.

*An Regulæ Cancellariæ obligent in foro interiori?*

RESOLVT. XLIII.

Reſpondeo negatiuè: vnde donationem inter viuos factam per Epiſcopum intra viginti dies ante eius obitum, exiſtimo eſſe validam in foro conſcientiæ, licèt per Regulam Cancellariæ de viginti in foro exteriori ſit nulla. Et ita docet Ioan. Valer. *in diff.vtriuſque fori, verb. donatio, diff.*6.*n.*2 vbi ſic ait: [ In foro verò interiori prædictæ donationes inter viuos irreuocabiliter factæ validæ ſunt, & tenẽt: quia prædicta Regula de viginti, & aliæ Regulæ Cancellariæ, ſunt tantùm pro foro exteriori, ſunt etenim iudiciales, per notata per Gomez *de Reg. Cancell. in princ.* & trademus *verb.poſſeſſio, diff. r.*1. Quod maximè procedit, cùm donatio facta fuit extra infirmitatem, cùm, ſcilicet, ſanus eſſet Epiſcopus; adeò vt dicat Henriq. *in ſum. tit. de Indulg.c.*30.§.7.*in Gloſſ.lit.R.* prædictas donationes, factas etiam prope, vel circa mortem, validas eſſe in vtroque foro; vt multi in vtroque Iure periti, Salmanticæ conſulti reſponderunt; ſed præfati collectores generales nequaquam admittent: nihilominùs tamen quoad forum conſcientiæ tutus eſt donatarius; vnde poterit obſurdeſcere, ſi fortè publicetur excommunicatio contra non reuelantes bona Epiſcopi defuncti: quod nota, quia eſt quotidianum.] Ita Valerus.

*An diſpenſatio inter conſanguineos, vel affines, ſit ſubreptitia, non facta mentione de copula habita inter eos?*

RESOLVT. XLIV.

HIc caſus frequenter ſolet accidere: & talem diſpenſationem eſſe ſubreptitiam docuit nouiſſimè Layman *in Theol. mor. lib. 1. trac. 4. c. 22. n. 18.* Rebellius *lib. 3. q. 5. ſect. 4. n. 24.* Riccius *part. 4. deciſ.* 308. Garſias *de benef. tom. 2. part. 8. c. 3. n. 32.* Sanctarellus *part. 1. var. reſol. q. 52.* & ante illum Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 8. diſp. 25. n. 8.* & alij penes ipſos. Et ratio potiſſima eſt: quia id exigit ſtylus Curiæ.

Non reticebo tamen, contrariam ſententiam eſſe probabiliſſimam, & tutam in praxi: & præter Nauarrum, Vegham, Ouandum, Salzedum, Bernardum Diaz, Hẽriquez, Coſta, Guttierrez, Cenallos, & Rodriquez; docet etiam hanc ſententiam abſolutè ante, & poſt contractum matrimonium, Baſilius Pontius *de matr. lib. 8. c. 17. §. 6. n. 32.* & poſt contractum matrimonium, Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 14. diff. 27. n. 7.* quia copula illa carnalis, ſi fuiſſet expreſſa, faciliorem reddidiſſet Pontificem ad diſpenſandum. Ergo, &c. Et ideò in tali caſu non tenentur, qui diſpenſationem petunt, ad interrogationem Ordinarij de copula reſpondere; ſed poſſunt ſine peccato negare, reticendo in mente: Vt tibi dicam. Imò, & quanuis in reſcripto dicatur: *Si copula non fuerit.* ſi ea diſpenſatio ſit obtenta pro foro externo, adhuc valet, quanuis negetur: dummodo ea copula non probetur in externo foro; quia illa clauſula intelligenda eſt, iuxta naturam eius diſpenſationis. Et ita hanc ſententiam probabilem etiam vocat Sanch. *vbi ſuprà, n. 12.* Ad argumentum contrariæ ſententiæ ita reſpondet Villalobos: [ Al eſtilo de la Curia digo, que no es derecho, ni haze irrita la diſpenſacion en el fuero interior, el callar la qualidad, que conforme à el ſe deuia explicar. ] Et de tali ſtylo Curiæ valdè dubitat Pontius, *vbi ſup.* Notentur hæc omnia: quia paſſim erunt obuia.

# TRACTATVS XI.

## De Bulla Cruciatæ.

*An gratiis, & indultis Bullæ Cruciatæ poſsit quis frui extra Regna, vbi Bulla non publicatur?*

RESOLVT. I.

RESPONDEO affirmatiuè: & ita, accipiens Bullam in Sicilia, ſi poſteà Romam ſe transferat; poteſt ibi eligere Confeſſarium ad obtinendam abſolutionem à reſeruatis, & aliis cenſuris conceſſis in dicta Bulla, & frui aliis indultis. Ita ex Rodriquez docuit Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 3. c. 9. §. 2. n. 3.* & Vegha *in ſum. tom. 1. c. 43. caſ. 8. & tom. 2. c. 7. caſ. 17. in fin. & tom. 1. c. 14. caſ. 15.*

Notandum eſt tamen, hanc doctrinam non extendi ad eſum carnium, & lacticiniorum: nam hoc indultum, vt apparet ex verbis Bullæ, conceditur tantùm commorantibus in Regnis Hiſpaniarum, & non extra. Ita Villalob. *in ſum. tom. 1. tract. 27. in titulo, n. 3. & clauſ. 6. n. 4.* Henriquez *lib. 1. c. 14. n. 1. in Gloſſa, lit. D.* & alij communiter.

*An tempore interdicti, ſi quis habeat Bullam, teneatur audire Sacrum?*

RESOLVT. II.

AFfirmatiuè reſpondet Villalob. *in ſum. tom. 1. tract. 19. dub. 5. n. 14.* Tannerus *in 2. 2. diſp. 5. q. 6. dub. 2. n. 25.* Sancius *in Selectis. diſp. 15. num. 2.* Barboſa *in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 33. cap. 25. n. 7.* Bonacina *de cenſ. diſp. 5. punct. 4. n. 2.* Acoſta *in explic. Bull. quæſt. 28.* Cenedo *in ſuis qq. canonicis, quæſt. 44. per tot.* Fernandez *in exam. Theol. mor. part. 3. cap. 9. §. 3. num. 1.* Nugnus *in 3. part. tom. 2. quæſt. 83. art. 6.* & alij.

Sed mihi contraria ſententia probabilis etiam videtur, quam docet Auila *de cenſ. part. 5. diſp. 4. ſect. 2. dub. 4.* vbi aſſerit, Victoriam, & Canum idem docuiſſe; & idem tenuiſſe multos Doctores Salmanticenſes teſtatur Henriq. *in ſum. lib. 3. c. 48. n. 5. in Gloſſa, litt. D. & lib. 7. de Indulg. c. 13. n. 3.* & hoc etiam docet Llamas *in ſumm. p. 3. c. 5. §. 12.* Altherius *de cenſ. tom. 2. diſp. 2. de interd. c. 3. in fin. fol. 319.* Coninch *de Sacr. diſp. 17. n. 28.* & Ledeſm. *in ſum. p. 1. tract. de Euchar. c. 27.* cum aliis. Et ratio eſt: quia nemo tenetur vti priuilegio ſibi conceſſo: nam, ſi priuilegium obligationem induceret, gratia non eſſet, ſed onus. Deinde, ſi quis habeat priuilegium audiendi Miſſam in Oratorio domus, quacunque ratione cogitur domi manere, non tenetur ſub pœna peccati vti ſuo priuilegio in diebus feſtiuis, ergo, &c. Et ita docet Suarez *in 3. par. tom. 3. diſp. 88. ſect. 6.* Cæteras rationes vide apud citatos Doctores.

Hoc vnum addam, quòd, ſtando in prima opinione, qui audiunt Sacrum tempore interdicti virtute Bullæ, tenentur aliquas preces Deo pro vnione Principum Chriſtianorum contra infideles, eorúmque contra eoſdem victoria emittere: quod præceptum ad mortale non obligat, ſed tantùm ad veniale, vt aduertit Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 4. n. 23.* qui citat Henriquez, & multos Iuriſtas, & Theologos Salmanticenſes, cum quodam Commiſſario Cruciatæ.

*An Bulla Cruciatæ det priuilegium illam ſumentibus, vt in ieiuniis alicuius Iubilei poſsint edere lacticinia?*

RESOLVT. III.

NEgatiuè reſpondet Nauarrus *lib. 3. de obſeruat. ieiun. conſ. 4. vel 5. in 2. editione,* cum Iacobo de Graffeis *in deciſ. tom. 1. part. 1. lib. 2. c. 37. num. 60.* Et idem aſſerunt in ieiuniis ex voto, vel ex pœnitentia à Confeſſario iniuncta prouenientibus.

Sed affirmatiuam ſententiam ſuſtinendam eſſe puto: & præter Doctores, quos citat, & ſequitur Sanchez *in ſumma, tom. 1. lib. 4. c. 11. num. 49.* docet hanc ſententiam Nugnus *in 3. part. tom. 2. tract. de Bull. Cruc. §. 8. dub. 3.* Fernandez *in examine Theolog. moral. par. 3. cap. 9. §. 5. num. 2.* Leone *de Iubil.* Vegha *in ſumma, tom. 1. c. 14. caſ. 31. par. 2. quæſt. 13. ſect. 3. n. 151.* Portel. *in addit. in dubia regul. verb. ieiun. num. 7.* Villalobos *in ſumma, tom. 1. tract. 27. clauſ. 6. num. 5.* & Filliucius *tom. 2. tract. 27. c. 3. num. 59.* qui benè addit, ſupradicta ieiunia Iubilei, vbi non adeſt conſuetudo abſtinendi à lacticiniis extra Quadrageſimam, poſſe fieri edendo illa, etiam abſque Bulla Cruciatæ: quod etiam docuerat Villalobos, *vbi ſuprà & tract. 23. dub. 8. num. 12.* & Henriquez *lib. 7. cap. 11. num. 4. & in Gloſſa, litt. K, & cap. 13. num. 13.* quia iure communi non prohibentur oua per annum, niſi eſſet conſuetudo quadraginta annorum præſcripta.

Sed Sancius *in Selectis, diſput. 4. num. 19.* Sanchez *in ſumma, vbi ſuprà, tom. 1. lib. 4. cap. 11. num. 52.* quem poſteà ſequutus eſt Portel. *in addit. ad dubia regul. verb. ieiunium, num. 7.* putant, non ſolùm de iure, ſed neque de conſuetudine interdici in die ieiunij, lacticinia extra Quadrageſimam. Sed, quidquid ſit de hoc, certum eſt, quòd ex priuilegio Bullæ impleri poſſunt ieiunia Iubilei cum eſu lacticiniorum. Et ratio eſt: quia Iubileus non requirit ſtrictius ieiunium, quam eſt ieiunium Quadrageſimæ: ſed ieiunium Quadrageſimæ impletur in noſtro caſu cum eſu lacticiniorum: ergo, &c.





*An per priuilegium Bullæ diſpenſatus in eſu carnium cenſeatur diſpenſatus ad ieiunandum?*

RESOLVT. IV.

PRima opinio negat. Ita Iacobus de Graffeis *in deciſ. part. 1. lib. 2. c. 37. n. 58.* cum Medina, Pedraza, & aliis. Et ratio eſt: quia neceſſitas, & iuſta cauſa, quæ excuſant ab integro ieiunio, non excuſant ab omni parte illius: Præceptum enim Eccleſiæ, licèt in totum ſeruari non poſſit, in parte, quæ ſeruari poteſt, ſeruandum eſt *ex cap. cùm dilecti.* & ibi Gloſſa, & DD. *de dolo, & contum.*

Secunda opinio affirmat: & illam docet Caietanus *in 2. 2. q. 147. art. 8.* Llamas *in ſum. p. 3. cap. 5. §. 26.* Henriquez *lib. 7. c. 13. n. 12.* Filliucius *tom. 2. tract. 27. part. 2. c. 3. n. 52.* Azorius *part. 1. lib. 7. c. 10. quæſt. 3.* Toletus *lib. 7. cap. 3. n. 4.* cum aliis. Et ratio eſt: quia abſtinentia ab eſu carnium eſt de ſubſtantia ieiunij: ergo, qui ex priuilegio Bullæ diſpenſatus eſt quoad comeſtionem carnis, eo ipſo diſpenſatus videtur in præcepto ieiunij.

Tertia opinio diſtinguit: Vel enim diſpenſatus ad eſum carnis, edit carnes, quia piſces nocere ſaluti ſolent; vel vt vires amiſſas recuperet: priori modo diſpenſatus tenetur ad ieiunandum; alterò verò minimè, & ideò pluries edere poteſt: & ita docet Cenedo *in ſuis qq. canonicis, q. 40. n. 6.* Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 3. cap. 9. §. 5. num. 3.* Bonacina *de legib. diſp. 10. quæſt. 1. punct. 2. num. 3.* Reginaldus *in praxi, tom. 1. lib. 4. cap. 14. num. 168.* Leſſius *de iuſt. lib. 4. c. 2. dub. 6. n. 45.* & alij.

Omnes iſtæ tres opiniones ſunt probabiles: ſed ſecunda videtur mihi probabilior. Notandum eſt etiam, quòd quando per Bullam quis diſpenſatus eſt, vt comedat carnes, & lacticinia, poteſt ſimul comedere piſces. Ita Reginaldus, Filliucius, Fernandez, *vbi ſupra.* Nugnus *in 3. part. tom. 2. tract. de Bullæ, §. 8. dub. 4. ſect. 6.* Acoſta *in explic. Bull. q. 80.* quidquid in contrarium aſſerat Nauarrus: quia hoc ſine peccato fieri aliquando poteſt; vt ſi vnà cum carnibus non noceant; vel quia parum de piſcibus comedendo facultas appetitiua excitetur; vel dato, quòd contra temperantiam peccetur, non tamen ieiunium frangitur, à quo ex iuſta cauſa diſpenſatio largita fuit. Et ita etiam docet Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 23. dub. 8. num. 10.* qui citat Azorium, & reſpondet ad argumentum Nauarri.

*An Regulares, & Presbyteri ſæculares, ſumendo Bullam, poſsint diebus Dominicis Quadrageſimæ vti lacticiniis?*

RESOLVT. V.

NEgatiuè reſpondendum videtur cum Henriquez *lib. 7. c. 13. n. 10.* Vegha *in ſumma, tom. 1. c. 14. caſ. 29.* qui citat Angles, & Lopez. Idem etiam docet Ortiz *in ſumma, c. 19. num. 8.* Et ita reſpondiſſe Summum Pontificem interrogatum de hoc à quodam Commiſſario Cruciatæ teſtatur Rodriquez. Et ratio eſt: quia per Bullam prohibetur, ne ſupradicti poſſint vti lacticiniis in diebus quadrageſimalibus: ſed dies Dominici ſunt dies quadrageſimales: ergo, &c.

Hæc opinio eſt probabilis: ſed contrariam etiam probabilem iudico, & in praxi tutam, vt notauit Nugnus *in 3. par. tom. 2. tract. de Bulla Cruciatæ, §. 8. dub. 5.* Villalobos *in ſumma, tom. 1. tract. 27. clauſ. 5. num. 11.* Fernandez *in examine Theolog. moral. part. 3. cap. 9. §. 5. num. 5.* Llamas *in ſumma, part. 3. cap. 5. §. 26.* cum aliis. Et ratio eſt: quia ſecundùm ius commune dies Dominici non appellantur dies quadrageſimales. Vide Cordubam *in ſumm. caſ. 168.* & Palatium *in 4. diſt. 15. diſput. 8.* Ad reſponſionem verò Summi Pontificis reſpondetur, de illa authenticè non conſtare.

*Vtrùm, quandò quis ſuſcipit Bullam, debeat eſſe in gratia?*

RESOLVT. VI.

IN ordine ad Priuilegia Bullæ, videlicet, vt quis eligat Confeſſarium, vtatur lacticiniis, &c. negatiuè reſpondendum eſt. Difficultas verò manet in ordine ad conſequendas Indulgentias. Caietanus *tract. 1. de Indulg. q. 2.* tenet ſententiam affirmatiuam, & dubius Sotus eſt in hoc *in 4. diſt. 21. q. 2. art. 3.*

Sed omninò dicendum eſt contrarium, cum Villalob. *in ſum. tom. 1. tr. 27. in tit. n. 5.* Henriq. *in ſum. lib. 7. c. 9. n. 7.* Acoſta *in Bull. Cruc. q. 15. per tot.* & alij. Et ratio eſt: quia Bulla non dicit, vt ſuſcipientes ſint in gratia, nec illud verbum, *contritis,* refertur ad tempus ſuſceptionis Bullæ; ſed ad inſtans conſequẽdæ Indulgentiæ, completis omnibus requiſitis. Vnde, ſi quis in aliquo Iubileo feria quarta, ſexta, & Sabbatho ieiunaret in peccato mortali, & die Dominica per Sacramentum Confeſſionis reponeretur in gratia, is Indulgentiam conſequeretur. Ergo, &c. Vide Filliucium *tom. 1. tract. 8. c. 6. n. 138.* & alios.

*An per Bullam Cruciatæ Confeſſor approbatus ab Ordinario in vna Diœceſi, poſsit in alia in Confeſſorem ſine noua Ordinarij loci approbatione eligi?*

RESOLVT. VII.

NEgatiuè reſpondet Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 11. n. 8.* Villalob. *in ſum. tom. 1. tract. 9. dub. 15. n. 3.* Beia *p. 4. caſ. 20.* Zerola *in praxi pœn. cap. 16. q. 8.* Valſquez *in 2. p. tom. 4. q. 93. art. 3. dub. 4. n. 3.* Leone *de Iubileo, p. 2. q. 9. n. 19.* Campanili *in diuer. iur. canon. rubr. 12. c. 13. n. 77.* Acoſta *in Bullam Cruciatæ, q. 38. per tot.* Guttierrez *in qq. canonicis, lib. 1. c. 27. num. 6.* & alij.

Sed contrariam ſententiam probabilem etiam eſſe iudico, cum Henriq. *lib. 3. de Pœnit. c. 6. n. 7. & in Gloſſa, lit. A: & lib. 7. de Indulg. c. 12. n. 4.* quem poſteà, relictis aliis, ſequitur Valerus *in diff. vtriuſque fori, verb. abſol. diff. 1. n. 7. & ſeq.* qui doctè, & fusè probat hanc ſententiam.

Dico igitur: Quiſquis per Bullam Cruciatæ, ( & idem dicendum eſt de tempore Iubilei) poteſt in Confeſſarium eligere quencũque approbatũ à ſuo Ordinario Epiſcopo, ſiue ille Epiſcopus ſit originis, ſiue beneficij, ſiue domicilij, & ſiue ſit Epiſcopus pœnitentis, ſiue Confeſſarij, quia Bulla non requirit aliud, niſi quòd Confeſſarius ſit approbatus ab Ordinario: ſed, qui in aliquo loco eſt ab aliquo Ordinario approbatus, verè dicitur approbatus ab Ordinario: ergo per Bullam vbique erit eligibilis.

Et hanc opinionẽ docet etiã Fay *in diſp. de Pœnit. in addit. ad 3. p. q. 8. a. 5. diſp. 3. concl. 4.* Llamas *in ſum. p. 1. c. 6. §. 6.* Portel. *in dub. regul. ver. Confeſſ. regul. eiúſque præſentatio, n. 4.* Ledeſ. *in ſum. tom. 1. tr. de Sacr. Pœn. c. 13. dub. 7.* Fernand. *in exam. Theol. mor. p. 3. cap. 9. §. 8. n. 4. & 5.* Nugnus *in 3. p. tom. 2. q. 8. a. 5. dub. 9.* Coninch. *de Sacr. diſp. 8. dub. 7. n. 53.* Reginald. *in praxi, tom. 1. lib. 6. c. 16. q. 4. n. 188.* Ioan de la Cruz *in direct. conſc. p. 2. tr. de pœn. q. 5. dub. 9. conc. 2.* & Filliuc. *tom. 1. tract. 7. c. 9. n. 262.* & ita docuiſſe teſtatur Henriquez, *vbi ſuprà,* Archiepiſcopum Blancho S. Iacobi, & Guerrero Granatenſem, qui Concilio adfuerunt cum Magiſtris Mancio, Gallo, Gueuara, & Medina, & aliis Magiſtris Religionum Diui Dominici, Franciſci, & Auguſtini, cum Theologis, & Iuriſtis Salmanticenſibus.

Ad quandam verò reſponſionem Cardinalium, quam aſſerunt Doctores cõtrariæ ſententiæ, reſpondetur, de illa authenticè non conſtare: imò Valerus, & Suarez afferunt pro noſtra ſententia alias Cardinaliũ Declarationes. Notandum eſt verò, quòd ſub nomine Ordinarij non includuntur Abbates vel Prælati Religionis, ſeu Epiſcopus titularis; & ideò Confeſſarij à ſupradictis approbati non poſſunt eligi per Bullam, vt notat Nugnus *vbi ſuprà.*

*An per Bullam Cruciatæ poſſit quis eligere in Confeſſarium habentem beneficium curatum?*

RESOLVT. VIII.

NOn poſſe docuit Nugnus *in addit. ad 3. part. tom. 2. quæſt. 8. art. 5. dub. 9. in fin.* & Guttierez *in qq. canon. lib. 1. c. 27. n. 21.* quia in Bulla ſolùm Pontifex facit mentionem de Confeſſario approbato ab Ordinario, & ne verbum quidem de illo, qui obtinet beneficium parochiale.

At, his minimè obſtantibus, communiter contrarium docent DD. vt Valer. *in diff. vtriuſque fori, verb. abſol. diff. 1. n. 16.* qui citat Blancho Archiepiſc. Compoſtellanum, & multos Magiſtros Salmanticenſes cum Viualdo. Idem docuit Villalobos *in ſumm. tom. 1. tract. 9. dub. 56. n. 4.* Homobon. *in exam. Eccleſ. p. 1. tract. 5. cap. 3. q. 15.* Syluius *in addit. ad 3. p. q. 8. art. 1. dub. 6. concl. 1.* Suarez *in 3. p. tom. 4. diſp. 28. ſect. 4. n. 18.* Reginald. *tom. 1. lib. 1. c. 16. q. 3. n. 189.* Cruz *vbi ſupra.* Fagundez *de Præcept. Eccleſ. tract. 2. lib. 7. cap. 2. num. 35.* Filliuc. *tom. 1. tract. 7. c. 9. n. 257.* cum aliis. Et ratio eſt: quia per Concilium Trident. talis abſolutè approbatur, nec Concilium exprimit, vt ab hoc, vel illo Epiſcopo reputetur idoneus: eſt igitur talis vbique proximè capax iuriſdictionis, ſi aliunde conferatur ab eo, qui poteſt delegare, vel mediante Bulla, vel ſimili priuilegio eligendi Confeſſorem.

Ad argumentum verò Nugni reſpondeo, quòd licèt in Bulla efficiatur tantùm mentio de Confeſſario ab Ordinario approbato; tamen quod dicitur de vno æquiparatorum, debet dici de alio, *ex reg. iuris, & qua per Gloſſ. in l. ſi quis ſeruum. C. de furtis, & in cap. ſi poſtquàm. verb. mente. de elect. lib. 6.* & per Bartolum *in l. in tantum. §. pen. ff. de ſeru. corrupt.* Ex his apparet, me rectè olim reſpondiſſe, quendam Parochum noſtræ Ciuitatis ritè abſoluiſſe Drepani pœnitentem, qui virtute Bullæ Cruciatæ abſolutionem ab illo flagitauit.

Notandum eſt tamen, dictam ſententiam affirmatiuam procedere quoad illos, qui actu beneficium parochiale retinent; non autem ſi habuerunt, ſed renuntiarunt, vt patet ex illis verbis Concilij, *Niſi aut parochiale beneficium habeat.* Ita notat Leone *de Iubil. p. 2. q. 9. n. 21.* Suar. *diſp. 18. ſect. 4. n. 20.* Fagund. *tract. 2. lib. 7. c. 2. n. 38* Reginald. *tom. 1. lib. 1. c. 16. n. 190.* Filliucius *vbi infrà.* Henriquez *lib. 3. de Pœn. cap. 6. num. 3.* & alij, licèt contrariam opinionem doceat Rodriquez *in addit. ad Bull. §. 9. num. 4.* Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 9. §. 1. num. 4.* & Ioan de la Cruz. *in direct. conſcient. p. 2. de Pœn. quæſt. 5. dub. 7. concl. 4.* vbi eam probabilem vocat.

Notandum eſt etiam, quòd ſub nomine beneficij parochialis includuntur ſuperiora beneficia, vt Abbates, Archipresbyteri, & huiuſmodi habentes curam animarum & iuriſdictionem in hoc foro. Ita Filliucius *tom. 1. tract. 7. c. 9. n. 257.* Fagundez *vbi ſupr. n. 41.* & Suarez *n. 21.* Reginaldus *num. 190.* & alij.

*An approbatus ab Epiſcopo cum limitatione ex defectu ætatis, vt hîc Panormi efficitur, ad Confeſſiones virorum, & non mulierum, ſit eligibilis per Bullam Cruciatæ, non ſolùm à viris, ſed etiam à fœminis?*

RESOLVT. IX.

NEgatiuè reſpondet Homobonus *de caſ. reſer. p. 1. c. 5.* Ioan. de la Crux *in direct. conſc. p. 2. tract. de Pœn. q. 5. dub. 8. concl. 3.* Villalob. *in ſum. tom. 1. tr. 27. clauſ. 9. §. 1. n. 3.* Rodriq. *in ſum. tom. 1. c. 60. n. 4.* & alij. Hoc etiam tenere videtur Suarez *in 3. p. tom. 3. diſp. 28. ſect. 7. n. 3.*

Hæc opinio eſt probabilis: ſed non minùs probabilem contrariam eſſe exiſtimo, quam docet Fay *in addit. ad 3. p. q. 8. art. 5. diſp. 3. concl. 5. ad 4. arg.* Henriquez *lib. 3. c. 6. n. 8.* & Nugnus *in addit. ad 3. p. q. 8. art. 5. dub. 9.* qui malè tamen putat, ſupradictum Confeſſarium peccare contra obedientiam: quia, vt rectè notat Fagundez, hanc affirmatiuam ſententiam etiam docens *de Præcept. Eccl. tr. 2. lib. 7. cap. 2. n. 45.* in noſtro caſu Epiſcopus interpretandus eſt rationabiliter, vt illa reſtrictio locum habeat, quantùm ad iuriſdictionem ab eodem Epiſcopo ei commiſſam, & delegatam; non verò quantùm ad delegatam per Bullam, ſeu priuilegium Summi Pontificis. Et ideò noſtram ſententiam probabilem, & tutam in praxi vocant, Ledeſma *in ſum. tom. 1. tr. de Sacram. Pœnit. c. 13. dub. 8. in fin.* & Sanchez *de matr. tom. 2. lib. 8. diſp. 36. n. 16.* cum aliis. Et ratio eſt: quia ſupradictus Confeſſarius eſt ab Epiſcopo approbatus ſimpliciter; & illa limitatio approbationis, *ad viros tantùm*, non fuit appoſita ex defectu ſcientiæ, ſed ætatis: ſicut è contra, ſi aliquis fuiſſet approbatus cum limitatione, vt non audiat Confeſſiones perſonarum habentium difficilia negotia; non eſt approbatus ſimpliciter ex defectu ſcientiæ, & ideò per Bullam non eſſet eligibilis. Ita Ledeſma *vbi ſuprà, dub. 9. in fin.* & Nugnus *loco cit.*

*An Sacerdos approbatus ab Ordinario pro vno oppido, ſit eligibilis per Bullam Cruciatæ?*

RESOLVT. X.

PRima opinio negat: ita Leone *tract. de Iubil. p. 2. q. 9. n. 28.* Filliuc. *tom. 1. tr. 7. c. 9. n. 262.* & Nugnus *in addit. ad 3. p. tom. 2. q. 8. art. 4. dub. 9. in reſponſ. ad 9.* cum aliis.

Secunda opinio affirmat: ita Acoſta *q. 39.* & Henriq. & Medina apud Fagund. *de Præcept. Eccleſ. tract. 2. lib. 7. c. 2. n. 18 & 22.* Et ratio eſt, quia Summus Pontifex non exprimit, quòd Sacerdos eligibilis per Bullam ſit approbatus illimitatè pro tota Diœceſi; ſed tantùm petit, quòd ſit approbatus ab Ordinario: ergo ſufficit, quòd pro vno tantùm loco approbatus ſit, maximè cùm verſemur in materia fauorabili, non reſtringenda, ſed amplianda.

Tertia opinio diſtinguit. Vel talis Sacerdos eſt approbatus in illo tantùm oppido ex defectu ſcientiæ, vel non: ſi primo modo, non eſt per Bullam eligibilis; ſi ſecundò, vtique. Ita Fay *in addit. ad 3. p. q. 8. art. 5. diſp. 3. concl. 4. ad 4. arg.* Ledeſma *in ſumm. tom. 1. tract. de Pœn. c. 13. dub. 9. in fi.* Rodriquez *in exp. Bull. Cruc. dub. 5.* & alij.

Sed poſt hæc ſcripta inueni Fernandez *in exam. Theol. moral. p. 3. c. 9. §. 8. n. 6.* docere ſecundam opinionem, cuius verba hæc ſunt: [ Eſt quidam approbatus pro audiendis Confeſſionibus certi loci, & non aliorum: potéſtne virtute Cruciatæ eligi in Confeſſarium à quouis totius Epiſcopatus? Reſpondeo poſſe. Ratio eſt: quia talis eſt approbatus ab Ordinario; hoc autem ſolùm requiritur à Bulla: ergo, vbi ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Addo præterea poſſe eligi à quouis, licèt verſetur, vt hoſpes, in illo Epiſcopatu. ] Ita Fernandez.

Omnes iſtæ tres ſententiæ ſunt probabiles. Sed tertia videtur mihi probabilior: nam, vt benè notat Ioan. Valerus *in diff. vtriuſque fori, verb. abſol. diff 1. n. 15.* quando ex defectu ſcientiæ quis approbatur pro aliquo oppido, non eſt ſimpliciter, & abſolutè habilitatus; ſed cum limitatione, & reſtrictione, propter eius ſufficientiam: & ideò conſtat de mente exponentis, ſeu approbantis, quòd ſcilicet, illum non aliter, nec aliàs approbarit, niſi pr[illegible] paruo oppido: & ideò puto, Confeſſarium approb[illegible] ad audiendas Confeſſiones puerorum, ruſticorum, &c. non eſſe eligibilem ab aliis per Bullam: quia talis non fuit ſimpliciter approbatus, nec cenſetur idoneus in forma iuris abſolutè niſi reſpectu certi generis perſonarum propter ipſius inſufficientiam: & ita docet Acoſta *in expoſ. Bull. q. 39.* licèt anteà dixiſſet, Confeſſarium approbatum pro vno loco tantùm, eſſe tamen per Bullam eligibilem ab aliis in loco non commorantibus.

Vtrùm



*Vtrùm Confeſſarius, qui pro determinato tempore fuit approbatus, & expoſitus, ſit tranſacto illo tempore per Bullam eligibilis?*

RESOLVT. XI.

NEgatiuè reſpondet Ledeſma *in ſum. tom. 1. tract. de Confeſſ. c. 13. dub. 10.* Et ratio eſt: quia, licèt talis Confeſſarius fuerit olim ab Ordinario approbatus; non eſt tamen, quando eligitur per Bullam.

Sed contrariam ſententiam docuit Acoſta *in expl. Bull. q. 39. in fin.* quia expoſitus ad tempus eſt approbatus ab Ordinario ſimpliciter, niſi poſteà ex cauſſa reprobetur; & ideò reputatus fuit idoneus ad audiendas Confeſſiones: & Bulla non videtur requirere, vt Confeſſarius actu ſit approbatus, quando eligitur; ſed ſufficit, vt olim habuerit approbationem: nam ita poteſt dici approbatus ab Ordinario. Et ita etiam docet Fay *in addit. ad 3. p. q. 8. art. 5. diſp. 3. concl. 4. ad 3. arg.* ſi ſolo ductu voluntatis, & abſque cauſa limitetur approbatio ab Ordinario, cum qua limitatione admitti poteſt opinio Acoſtæ.

*An Confeſſarium olim approbatum, ſed poſteà ab Ordinario ſine cauſa, & illegitimè reprobatum poſſit, virtute Bullæ, aliquis eligere ad ſuam Confeſſionem audiendam?*

RESOLVT. XII.

NEgatiuè reſpondet Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. p. 2. tract. de Pœn. q. 5. dub. 8. concl. 4.* Et ratio eſt: quia nunc iſte non eſt approbatus: & hoc videtur inſinuari in Bulla plumbea: dum dicitur, licere eligere per Bullam Confeſſorem ſæcularem, aut regularem, ab Ordinario approbatum, & de Regularibus ſemel tantùm approbatum: ergo de aliis Sacerdotibus non eſt eligibilis, qui aliquando fuit approbatus; ſed modò non eſt approbatus, cùm illud ſpecialiter concedatur ſolis Religioſis.

At, his non obſtantibus, contrariam ſententiam docet Sebaſtianus Acoſta *in explic. Bull. q. 40. per tot.* vbi ait: [ Si non ex culpa propria, vel ex crimine inducente infamiam, aut indecentiam ad audiendas Confeſſiones; ſed ex maleuolentia Ordinarij, ſeu Officialis; aut in pœnam alicuius inobedientiæ prohibetur ab exercitio Confeſſionum aliquis Sacerdos; tunc crediderim abſque dubio virtute Cruciatæ, ſi id conſtiterit, illum eſſe eligibilem. Dixi, ſi id conſtiterit: quoniam in dubio præſumendum erit pro iudicio Ordinarij. ] Ita Acoſta, cuius ſententiam probabilem putat Ioan. de la Cruz *vbi ſuprà,* licèt ipſe, vt viſum eſt contrariam amplexus ſit.

*An Confeſſarius regularis ab Epiſcopo approbatus; ſed prohibitus à Prælato Religionis, ſit, hoc non obſtante, per Bullam ad Confeſſiones audiendas eligibilis?*

RESOLVT. XIII.

REſolutio huius caſus, vt benè notat Ledeſma, *vbi infrà,* pendet ex illa quæſtione, An Religioſus, qui obtinuit ab Epiſcopo licentiam audiendi Confeſſiones, poſſit ſine licentia ſui Prælati Confeſſiones audire.

Aliqui negatiuè reſpondent: ita Angelus, quem refert Adr. *q. 1. de Confeſſ. dub. 1.* & alij neoterici. Et inter alias rationes, quas adducunt, præcipuè eſt iſta: quia Epiſcopi conferunt talem poteſtatem dependenter à propriis Prælatis præſentantibus Religioſos ipſos Epiſcopis: ergo ſine tali præſentatione nulla erit expoſitio.

Sed affirmatiuam ſententiam ſemper ego conſului. Dico igitur cũ Pitigiano *in 4. ſent. tom. 2. diſt. 17. q. vnic. art. 4. dub. 1.* Nugno *in addit. ad 3. p. tom. 2. q. 8. art. 5. dub. 8.* Salas *de leg. diſp. 16. ſect. 10. n. 43.* Angles *in 4. q. de Confeſſ. art. 8. diff. 1.* Ioan. de la Cruz *de ſtat. relig. lib. 2. c. 6. dub. 2. concl. 2.* Homob. *de exam. Eccl. p. 1 tract. 5. c. 2. q. 13.* Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 9. dub. 50. n. 4.* Miranda *in Man. Prel. tom. 2. q. 45. art. 11. & 12.* & aliis, Regularem non inſtitutum Confeſſarium à ſuo Prælato, ſola Epiſcopi authoritate poſſe audire Confeſſiones, & validum conficere Sacramentum: quia talis Sacerdos habet poteſtatem Ordinis, & iuriſdictionis: ergo valida erit abſolutio.

Reſtat modo videre, an peccet mortaliter, quia ſine licentia ſui Prælati Confeſſiones excipit. Aliqui ex ſupracitatis, quos nouiſſimè ſequitur Peregrin. *in comm. ad noſtras Conſtit. p. 1. cap. 5. §. 5.* affirmatiuè reſpondent. Sed rectiùs Molfeſ. *in ſum. tom. 1. tract. 7. c. 14. n. 87.* & Megala *in 1. p. lib. 1. c. 15. n. 8.* cum aliis, putant, hoc determinandum eſſe ex vi ſuarum Conſtitutionum, quæ, ſi ad mortale obligant, mortaliter talis Confeſſarius peccabit; ſi ad veniale, tantùm venialiter: ideò in illa Religione, vt eſt Societ. IESV, & noſtra, & aliæ, in quibus Conſtitutiones non obligant ad culpam, Sacerdos ſic abſoluens non committeret peccatum mortale.

Notandum eſt verò, dictos Confeſſarios non poſſe abſoluere pœnitẽtes ab illis caſibus, à quibus abſoluere poſſunt ex vi priuilegiorum Religionis: quia non habent licentiã audiendi Confeſſiones à Prælatis dictæ Religionis. Supereſt modò reſpondere ad argumentũ contrariæ ſententiæ. Dico igitur, quòd, cùm Epiſcopus poſſit, ſimpliciter loquendo, talem poteſtatẽ conferre, non eſt intelligendus, quòd conferat cũ illa limitatione, niſi expreſsè illud ſignificet: nam, ſi Epiſcopus conferat facultatem ſecundùm diſpoſitionem propriæ Religionis, dicens, quòd tantùm valet, ſicut in Regulis Religionis, ſancitum eſt; & Religioſus excipiat Confeſſiones præter ordinẽ ſuæ Regulæ; nulla eſt abſolutio. Sed Epiſcopi non ſolent in dimiſſoriis hanc limitationem ponere. Ergo, &c. Circa præſentem quæſtionem vide Fagund. *tract. 2. lib. 7. c. 3. n. 32.*

His ſuppoſitis, reſpondeo ad quæſtionem principalem, Confeſſarium approbatum ab Epiſcopo, & non à ſuo Prælato, vel à ſuo Prælato ſuſpenſum, eſſe eligibilem per Bullam Cruciatæ, quando non habeat alios defectus: & ita docet Ledeſma *in ſumm. tom. 1. tract. de Pœn. c. 13. dub. 12.* Acoſta *in expoſ. Bull. q. 41. per tot.* & alij.

*An Regulares, ſine licentia ſuorum Prælatorum, virtute Bullæ Cruciatæ poſſint eligere Confeſſarium, vt illos à peccatis, & caſibus reſeruatis, ſeu cenſuris abſoluat?*

RESOLVT. XIV.

NEgatiuè reſpondetur communiter. Ita Llamas *in ſum. p. 1. c. 5. §. 8. & ſeq.* Vecch. *in praxi Nouitiorum, diſp. 9. dub. 3. n. 7.* Coriol. *de caſ. reſer. p. 1. ſect. 3. art. 14.* Portel. *in dubiis regul. verb. Bull. Cruc. n. 1.* Acoſta *in explic. Bull. q. 107. per tot.* Miranda *in Man. Prel. p. 2. q. 34. art. 15. concl. 2.* Reginal. *in praxi, tom. 1. lib. 8. c. 5. ſect. 3. n. 37.* Suar. *de Relig. tom. 4. tr. 9. lib. 2. c. 16. n. 3.* qui citat Garſiam, Ledeſmam, Cordubam, & Paſſarellum, & maximè poſt Breue Clem. VIII. datum Romæ apud Sanctum Petrum, die 23. Nouembris.

Sed, his non obſtantibus, tres inuenio ſententias circa præſentem quæſtionem. Prima eſt Emmanuelis Rodriq. *in ſum. tom. 3. c. 7. n. 2. in fin.* vbi aſſerit, Regulares per Bullã Cruciatæ poſſe abſolui à peccatis mortalibus non reſeruatis: & ita ſenſiſſe multos DD. Salmanticenſes teſtatur: ſed, quia codex rarus eſt, ponam eius verba: [ Ha ſe de aduertir, que en Salamanca ſe firmò por loe muy doctos della, que la Bula de Clem. VIII. ſolamente impide à los Religioſos elegir Confeſſor, por virtud de la Bula de la Cruzada, para que los abſoluã de caſos reſeruados, emperò no los impide, que los elegã para peccanos mortales no reſeruados, lo qual ſe prueua del proemio del dicho Breue de Clem. VIII. conforme el ſegun derecho, ſe ha de limitar ſu determinacion. ] Ita ille, & rectè quidem: nam ex proemio

mio colligitur animus,& intentio Legiſlatoris,& intellectus totius decreti, illúdque limitatur, vt docet Tiraquell. *tract. de ceſſante cauſſa, limit.1.n.65.* Neuo *conſ.3.n.5.* Riminaldus *vol.1. conſ.540. n.78.* Paz *conſ.53. n. 6.* Molina *de primog. Hiſp. lib.1.c.5.n.3.* Guttierrez *pract.qq.lib.3.q.17.n. 60.& 91.* Ceuallos *com. contra com.tom.3.q.838. n.114.* & Salas *de legib. diſp.17.ſect.9.n.13.* cum aliis.

Ex quibus apparet, ſecundùm opinionem Rodriquez, & Doctorum Salmanticenſium, poſſe Regulares, & Moniales, virtute Bullæ Cruciatæ, eligere Confeſſarium,& ab illo obtinere abſolutionem à peccatis mortalibus non reſeruatis ; & hoc toties quoties voluerint.

Secunda ſententia eſt Henrici de Villalobos *in ſumm. tom.1.tract.23.clauſ.9.§.2.n.12.* aſſerẽtis, Regulares poſſe, virtute Cruciatæ, abſolui etiam à peccatis reſeruatis, dummodo Confeſſarij, quos per Bullam eligunt, ſint ex deputatis,& approbatis ab eorum Prælatis, ad eorum Confeſſiones audiendas. Et ita ſenſiſſe ait viros doctiſſimos, Alphonſum Curielem, Antolinez Auguſtinianum, Cornejo Carmelitanum, & Hernandez de Campo Franciſcanum, omnes primarios Lectores S. Theologiæ in Academia Salmantina:& idem aſſerit ſenſiſſe Patres Collegij Societatis Iesv eiuſdem Ciuitatis. Et ratio, quam adducit, eſt: quia Bulla Clem. VIII. prohibet tantùm eligere Confeſſarios extra Religionem, vt Regulares à reſeruatis abſolutionem obtineant, vt conſtat ex petitione in prooemio facta his verbis : [ Et illorum prætextu eligunt Confeſſorem aliquando præter eos, qui à ſuis Prælatis eorum Confeſſionibus deputati ſunt : quod aliquando in ſpeciale eorum vergit detrimentum. ]

Tertia ſententia eſt Ioan. de la Cruz *de ſtat. Relig. lib.1. c.6.dub.11.* vbi aſſerit, probabilem eſſe illam opinionem, quæ docet abſolutè, poſſe Regulares eligere quoſcunque Confeſſarios, etiam extra Religionem, propter abſolutionem etiam caſuum reſeruatorum. Et hanc ſententiam, etiam tanquàm probabilem, admittit Sancius *in Selectis, diſp.44.n.10. circa fin. & n.13.* & inſinuat Pontius *de matr. lib.5.cap.20.n.7.* & magis clarè *in lib.8. c.19. §. 2. num. 13. & 14.* Et ratio eſt : quia Clemens VIII. in illa Bulla ſolùm declarauit ſuam intentionem, vt patet ex contextu, pro Bullis, ſcilicet, & indultis particularibus à ſe conceſſis, & concedendis, non tamen eſt abſoluta, & generalis declaratio pro concedendis, etiam à ſuis ſucceſſoribus, quidquid alij dicant.

Adde, quòd Ioan. Valerus *diff.1.concl.5.& verb. nullitas, diff.5.n.2.in fin.* teſtatur, ſe audiuiſſe, Religioſos indiſtinctè vti Bulla Cruciatæ, ſicque practicari, quamuis in foro externo poſſent per Prælatos puniri, ſi aliis, quàm à ſe expoſitis, confiteantur. Sed, neque hoc audent facere Prælati : intellexi enim, quoſdam Prælatos à Commiſſario Bullæ reprehenſos fuiſſe ſuper hoc. Ita Valerus, qui etiam aſſerit, neque dictam declarationem, ſeu Breue Clem. VIII. obligare, ſi non fuerit publicatum in Conuentibus ab ipſis Prælatis, cùm ſit factum ad inſtantiam tantùm Procuratoris Generalis Ordinis Carmelitarum ; & non motu proprio Papæ,& ſic non publicatum, vt ipſe probat *verb. Abſolutio, diff.1. n.20.* Dum ergo non publicatur, poſſunt Religioſi vti Bulla Cruciatæ. Addit etiam idem Valerus, licitum eſſe Religioſo, ſine licentia ſui Prælati procurare pecuniam pro Bulla ſumenda, dummodo non tranſeat in eius poteſtatem ; ſed, vt amicus, qui dat pecuniam, ſumat illam ſuo nomine,& faciat in ea ponere nomen Religioſi, & eam eidem det. Et ratio eſt : quia in tali caſu nulla proprietas interuenit, cùm pecunia non tranſeat in poteſtatem Religioſi,& accipere Bullam dicto modo procuratam, vel ſponte oblatam ab amico, non eſt quid temporale, in quo verſatur proprietas; ſed quid ſpirituale ad bonum animæ eius, extra eſum ouorum. Ita ille,& adducit Cordubam,& Ioan. Salas Societatis Iesv, in quadam lectura Bullæ. Et dato, quòd dictus Regularis ita faciendo peccaret; valebit tamen ſumptio Bullæ, & poterit ea frui : quia multa fieri prohibentur, quæ facta tenent.

Quid ego ſentiam, dicam breuiter. Opinio negatiua ex ſupradictis eſt communis, & probabilior, & illam ego conſulo,& teneo. Prima,& ſecunda ſententia Rodriquez, & Villalobos eſt probabilis, & tuta in praxi. Tertia verò Ioan. de la Cruz, videant viri docti, an ſit probabilis: nam ego illam non approbo ; & ſi eſſet probabilis, corrueret diſciplina regularis. Vide etiam Fernandez *in exam. Theol. mor. p.3.c.9.§.8.num.8.* & Ledeſmam *in ſum. tom.1. tract. de Pœn.c.13.diff.13.* & alios.

*An Nouitij Regularium poſſint ſumere Bullam, & virtute ipſius à caſibus reſeruatis abſolui?*

Resolvt. XV.

Reſpondeo affirmatiuè, quidquid in contrarium aſſerat Vecchius *in praxi Nouitiorum, diſp.9.dub.5. n.7.* & ita docet Suar. *de Relig. tom.4.tract.9.lib.2.c.16.n.10.* Fernand. *in exam. Theol. mor. p.3.c.9.§.8.n.9.* & Ledeſma *in ſum. tom. 1.tract. de Pœn.c.13.dub.14.* vbi etiam aſſerit, [ que quando los Prelados de las Religiones huuieſſen traido algun Breue, ò indulto, para que los Religioſos no pudieſſen elegir Confeſſor por virtud de la Bula ; eſto no ſe ha de entender de los Nouicios, porque los Nouicios en las coſas odioſas, no entran de baxo de nombre de Religioſos. Por lo qual, quanto à eſto, queda como ſeglar, y puede elegir Confeſſor por virtud de la Bula de la Cruzada.] Ita ille. Idem etiam docet Acoſta *in explicat. Bullæ, q.107.* Villalob. *in ſum. tom.1.tract.9.c.56.n.6.* qui benè notat, dictos Nouitios, etiam ſine Bulla Cruciatæ, à caſibus reſeruatis in Religione poſſe abſolutionem obtinere à quocunque Sacerdote. Sed de hoc alibi.

Notandum eſt etiam, Nouitios, ſumendo Bullam, poſſe edere lacticinia, ſicut cæteri ſæculares, propter rationem dictam : non enim cenſentur Religioſi quoad onera. Ita Fernandez *vbi ſuprà, §. 5.* & alij.

*An, qui peccat ob ſpem abſolutionis Bullæ, gaudeat ipſius priuilegio? Et idem quæritur de Iubileo.*

Resolvt. XVI.

Negatiuè multi reſpondent, vt Couarruuias *lib.2.var. c.2.n.26.* & alij penes Acoſtam *in explic. Bull. q.33.* Sed ipſe,& rectè, contrarium docet; cui ego addo Leonem *tract. de Iubil. p.2.q.8.n.13.* Molfeſ. *in ſum. tom.1.tr.7. c.16.n.47.* Filliuc. *tom.1.tr.8.c.10.n.262.* Sanctarellum *de Iubil.c.8.dub.10.* Sanchez *in ſum. tom.1.lib.4.c.54.n.18.* Ledeſmã *in ſum. tom.1. tract. de Pœn.c.13.dub.10.* vbi aſſerit: [Eſta reſolucion tienen todos los Doctores, y ſe prueua lo primero, porque el Papa en eſte priuilegio de la Bula no pone excepcion ninguna, ni reſtricion, de la qual ſe entienda, que el que peca con la tal confiança, no puede ſer abſuelto de los peccados. Luego por virtud de la Bula de la Cruzada puede ſer abſuelto dellos, porque eſte priuilegio es fauorable, y no es razon reſtringirlo.] Idem etiam docet Villalobos *in ſum. tom.1.tract.27. clauſ.9. §. 2.n. 19.* Bonacina *de leg. diſp.4.q.2.punct.6.§.3.n.12.* & alij.

*An quis per Bullam poſſit abſolui à reſeruatis, & cenſuris, non ſolùm ante, ſed etiam poſt ipſius ſuſceptionem incurſis? Et idem quæritur de commutatione votorum, &c.*

Resolvt. XVII.

Reſpondeo affirmatiuè, quidquid aſſerat Sotus *de iuſt. lib.8.q.4.art.3.* cum aliis. Et ita aduersùs illum docet decem Doctores, quos citat, & ſequitur Sanchez *in ſum. tom.1.lib.4. cap. 53.n.26.* quibus ego addo Leonem *tr. de Iubil.p.2.q.8.n.11.* Floronum *de caſ. reſer. p.1. c.4.§.3.n.22.* Sanctarellum *tr. de Iubil. c.8.dub.9.* qui citat quatuordecim Doctores pro hac ſententia. Fernand. *in exam. Theol. mor. p.3.c.9.§.17.ſect.2. n.3.* Bonacina *de leg. diſp.4.q.2.punct.6. §.3.n.12:* Villalobos *in ſum. tom.1.tract.27. clauſ.9.§.2.n.6.* Ledeſmam *in ſum. tom.1.tract. de Pœnit.c.13.concl.2.dub.6.* Barthol. à S. Fauſto *in theſ. Relig. lib.4.q.50.n.2.* Molfeſ. *in ſum. tom.1.tr.11.c.15.n.264.* & alios. Et ratio eſt: quia verba Bullæ ſunt generalia : ergo non ſunt reſtringenda ad peccata, ſeu vota emiſſa ante, & non poſt publicationem Bullæ, vt etiam in Iubileo aſſerunt Doctores: & verba indefinitè, & generaliter expreſſa in priuilegiis extenduntur ad futura, vt notat Gloſſa *in c. quia circa. de Priuileg.* Cæteras rationes vide apud citatos Doctores.

Notandum eſt verò, ſupradictam doctrinam non ſolùm procedere quoad commutationem votorum ; ſed etiam quoad diſpenſationem, contra Lopez, Rodriquez & Sotum: quia, vt benè notat Henriquez *in ſum. lib.7.cap. 30.n.5.* cum Suarez, & Sanchez, *vbi ſuprà, n.28.* eadem eſt ratio, quoad hoc, inter poteſtatem diſpenſandi, & commutandi. Notandum eſt etiam, quòd quis virtute Bullæ poteſt ex libito ab vno Confeſſario abſolutionem à reſeruatis,& cenſuris obtinere, & ab alio poſteà votorum commutationem. Ita Fauſtus *vbi ſuprà, n.4.* Et hæc omnia procedunt etiam tempore Iubilei: nam eadem eſt ratio, vt de Bulla.

*Quis per Bullam ſeu virtute Iubilei, eligit Confeſſarium, & facit cum illo Confeſſionem inualidam,& irritam; vel ex defectu doloris, ſeu examinis; vel ex alio capite, obtinendo abſolutionem à reſeruatis : quæritur, an dicta peccata non ſint ampliùs reſeruata, ita vt poſtea poſſit à quocunque Confeſſario ab illis abſolui?*

Resolvt. XVIII.

Negatiuè reſpondet Ledeſma *in ſum. tom. 1.tract. de Pœn.c.13. concl.2.dub. 7.* Villalobos *in ſum. tom.1. tr. 27.clauſ.9.§.2.n. 16.* qui citat Acoſtam *in explic. Bull. q.45.* quando, videlicet, pœnitens ſcit, illam Confeſſionem eſſe irritam : ſecùs, ſi talis nullitatem Confeſſionis non aduerteret : nam in ſecundo caſu putant manere liberum à reſeruatione. Et ratio eſt : quia Summus Pontifex concedit facultatem abſoluendi à reſeruatis in ordine ad ſuſceptionem Indulgentiarum : ſed, qui ſcienter facit confeſſionem irritam, Indulgentias minimè conſequi poteſt: ergo,&c.

Non reticebo tamen, multos Doctores contrarium aſſerere probabiliter, quos adducit,& ſequitur Comitolus *in reſponſ. mor. lib.1.q.30.n.2.* vbi ſic ait:[Num, qui tempore Iubilei, (& adde tu per Bullam Cruciatæ) fictè confeſſus eſt de caſu reſeruato, nec quidquam ei profuit confeſſio ad ſalutem, poſt Iubileum meliore mente quærere poſſit quemlibet Confeſſarium, qui tum ab aliis caſibus, tum à reſeruatis eum poſſit abſoluere? Caietanus *in ſum. verb. caſus reſeruatio, in calce* : Armilla *eodem verb. n.4.* Sylueſter *ver. confeſſio, 1.q.19.in extremo, ſeu n.21.* à quo Paludanus,& D. Antoninus nominantur opinionis Authores; aiunt, eum, qui fictè confeſſus eſt reſeruatum caſum, poſſe à quouis Confeſſario abſolui : propterea quòd legi eccleſiaſticæ reſeruationis iam ſatisfecit, quamuis legi diuinæ confeſſionis nulla ratione ſatisfecit. Quare iure diuino debebit iterum Sacerdoti illud ipſum peccatum, & reliqua omnia declarare ] Ita Comitolus.

Sed hanc Comitoli ſententiam non admittunt aliqui Doctores in Confeſſione facta vigore Iubilei : quia talis abſolutio confertur in ordine ad lucrandas Indulgentias, & verè pœnitentibus; ſecùs autem, ſi abſolutio à reſeruatis, vel à Superiore Ordinario, vel à delegato daretur ſine vllo ordine ad Indulgentias lucrandas. Vnde patet, me olim rectè reſpondiſſe, quòd quando Prælatus tribuit facultatem in aliqua feſtiuitate abſoluendi à reſeruatis, ſi aliquis Religioſus tunc efficeret Confeſſionem irritam,& reſeruata confiteretur, poſteà à quocunque Confeſſario poſſet abſolutionem ab illis obtinere : quia talia peccata non remanſerunt ampliùs reſeruata. Et ita docet Nugnus *in addit. ad 3.p.tom.2.q.9. art.2.part.2.dub.4.* Floronus *de caſ. reſer. p.1.c.4.§.9. n. 3.* Reginaldus *in praxi, tom.1.lib.8. c.6.ſect.2.n.61.* Homobonus *tr. de caſ. reſer. p.1.* Coninch *de Sacram. diſp.8.dub.12.n.91.* Henriqu. *lib.6.c.16.§.5. in Gloſ. litt. B, & C:* Suarez *in 3.p.tom.4.diſp.31.ſect.4.n.22.* Poſſeuinus *de off. Cur. cap.27.n.29.* cum aliis. Et ita ex hac doctrina infert Acoſta, *vbi ſuprà*, quòd qui virtute Bullæ Cruciatæ confitetur caſus epiſcopales fictè, & ſine contritione, poſteà poteſt à quocunque Confeſſario de illis, etiam ſine Bulla, abſolutionem obtinere. Sed opinio Comitoli videtur etiam probabilis.

*An, qui fuit abſolutus virtute Bullæ Cruciatæ, ſine vlla mentione, & intentione reſeruatorum, tam ex parte ſui, quàm ex parte Confeſſarij; licèt remaneat abſolutus à peccatis reſeruatis oblitis, remaneat etiam liber ab obligatione poſteà confitendi illa peccata reſeruata legitimo Superiori, ſi ampliùs non habeat Bullam Cruciatæ, vel an poterit abſolui à quocunque Confeſſario?*

Resolvt. XIX.

Reſpondent aliqui negatiuè : putant enim, reſeruationem non tolli per quamcunque abſolutionem collatam à legitimo Confeſſario, facultatem reſeruatorum habente; ſed per abſolutionem datam à Confeſſario, qui cognitionem habuit peccati reſeruati, vel qui habuit intentionem auferendi quamcunque reſeruationem. Et ratio eſt: quia, quando Superior, qui habebat facultatem ſuper reſeruata, non habuit intentionem aliam, quàm communem, miniſtrandi Sacramentum, nihil aliud efficit, quàm alius Sacerdos, qui non intendit auferre reſeruationem. Aliàs ex oppoſita ſententia ſequeretur, quòd qui Pœnitentiariis, aut Religioſis mendicantibus, habentibus multa priuilegia, aut ſuperiori in ſua Religione, vel Confeſſario electo priuilegio noſtræ Bullæ Cruciatæ, confiteretur peccata communia,& non confiteretur peccatum reſeruatum, quod habebat, ex obliuione, iam maneret liber ab obligatione illius, vt deinceps iam eſſet commune peccatum, ſine obligatione confitendi legitimo Confeſſario habente poteſtatem ſuper reſeruata. Sed hoc videtur abſurdum. Ergo,&c. Et ita docet Vaſqu. *in 3.p.tom.4. quæſt.91.art.3. dub.5.* Suarez etiam *in 3.p.tom.3.diſput. 31. ſect.4.num.18.* Bonacina *de Sacram. diſp.5.q.7.punct.5.§. 5. n.5.* & alij.

At, his minimè ſuffragantibus, puto contrariam ſententiam eſſe probabilem, & tutam in praxi. Et ita docet Coninch *de Sacram. diſp.8.dub.11.num.98.* vbi ſic aſſerit: [Licèt talis pœnitens explicitè non petat abſolutionem reſeruatorum ; cenſetur tamen interpretatiuè petere: quia venit ad Confeſſionem, vt quantùm fieri poteſt, à peccatis omnibus liberetur, & ſi ei occurreret ſe habere aliqua peccata reſeruata, omninò peteret reſeruationem tolli: quare Confeſſarius cenſetur hîc, & nunc velle eum abſoluere à peccatis, quantùm licitè poteſt,& conſequenter tollere reſeruationem.] Ita Coninch. Et idem etiam docet Molfeſius *in ſum. tom.1 tract.7.c.21.num.15.* & ſpecialiter contra Suarez idem affirmat Nugnus *in add. ad 3.p.tom.2. q.9.art.2.p.2.dub. 4.* cum Reginaldo *in praxi, tom.1.lib.8. c.7.n.99.* vbi ait : [Quòd Suarez vult, peccata oblita non manere reſeruata, non procedit in Confeſſionibus ordinariis, quaſi in eis ſine vlla cogitatione caſuum reſeruatorum,& inferior confiteatur,& ſuperior det abſolutionem; quod non puto neceſſariò tenendum in praxi, quæ ordinariè habet, vt pœnitens, ſi non diſtinctè, ſaltem confusè, de reſeruatione cogitet, eo animo confitens, vt per Sacerdotis abſolutionem, quantùm fieri poteſt, liberetur ab omni vinculo ſuorum peccatorum, eadémque intentione

Confeſſarius cum illo procedat, vt indicio eſt abſolutio à cenſuris, quam ſolet ſacramentali abſolutioni præmittere. ] Ita ille.

Et hanc ſententiam ex parte docuit etiam Megala in p.1. lib. 1.c.14.n.7. quando, videlicet, pœnitens confeſſus eſt coram illo Confeſſario, qui habebat poteſtatem ſuper reſeruata ex priuilegio conceſſo in fauorem ipſius pœnitentis, prout fit in Iubileis, & Bulla Cruciatæ. Secus autem, quando confeſſus eſt coram illo Confeſſario, qui delegatam ſupra ipſa reſeruata iuriſdictionem habebat, non ex priuilegio in fauorem ſui ipſius principaliter conceſſo; ſed in fauorem Confeſſarij; vel quia Summus Pontifex, vel Epiſcopus Pœnitentiarios deſtinarunt, qui à reſeruatis abſoluere poſſunt.

Sed ſine vlla diſtinctione dicendum eſt, ſupradicta peccata oblita non remanere ampliùs reſeruata. Et certè, vt bene obſeruat Nugnus contra Suarez, ipſe ſolus poſuit illam diſtinctionem: nam veteres Theologi omnes abſolutè, & ſimpliciter docent, à confitente peccata Confeſſario habenti poteſtatem ab omnibus abſoluendi, tolli omnem reſeruationem eorum, quæ bona fide omiſit. Et ita docent Sylueſt. verb. confeſſio, 1.q. 4. Adrianus q.4. de Confeſſ. §. ſi petas circa dicta Gabriel in 4. diſt. 17. q.1. art.3. dub. 2. ſub fin. Angelus verb. confeſſio, 1. n.11. Roſella eod. verb. 2.n.9. Hoc etiam docuerunt Nauarrus c.26.n. 13. Sà verb. confeſſ. n.7. Henriquez lib.6.c.16.n.5. & alij.

Notandum eſt tamen, quod aduertit Auila de cenſ. p.2. c.7. diſp.3. dub.9. concl.2. in fin. quòd ſi aliquis excommunicatus excommunicatione exigente ſatisfactionem partis, oblitus eſt confiteri hanc cenſuram; per generalem abſolutionem, quæ datur ad cautelam, non manet abſolutus à tali cenſura: quia non eſt præſumendum, Confeſſorem velle abſoluere hanc excommunicationem, quæ, ſi à pœnitente manifeſtaretur, & abſolueret ab ea ſine ſatisfactione, peccaret mortaliter. Sed ipſe Auila contrariam ſententiam putat etiam probabilem.

*An per Bullam Cruciatæ detur facultas recipiendi Euchariſtiam, præterquàm in die Paſchatis, de manu ſimplicis Sacerdotis, ſine licentia Parochi, ſiue Epiſcopi? Et idem quæritur de Sacramento extremæ Vnctionis?*

### Resolvt. XX.

NEgatiuam ſententiam docet Suarez in 3. par. tom. 3. diſp.72. ſect.4. quia, ait ille, ex clauſula Bullæ Cruciatæ, in qua conceditur facultas ad eligendum Confeſſorem, non intelligitur eſſe conceſſa facultas ad recipiendam Euchariſtiam à tali Confeſſore, vel ab alio ſimplici Sacerdote electo ad hoc munus per ipſummet pœnitentem; quod idem dicendum eſt de Sacramento extremæ Vnctionis. Et licèt Nugnus ſemper Suarez aduerſetur; tamen ita amplexus eſt hanc opinionem, vt contrariam prorſus improbabilem vocet, vt videre eſt apud ipſum in 3.p.tom.1.q.82.art.3 fol mihi 457.

Sed, pace tantorum Virorum, probabiliſſima, & tuta in praxi eſt contraria ſententia, quam docet Vaſquez in 3.p. tom.3. diſp.219.c.5.n.47. vbi aſſerit, per Bullam Cruciatæ concedi facultatem, vt quis poſſit à quocunque Sacerdote Euchariſtiam recipere; non, quia in ea concedatur, vt poſſit eligere ſibi Confeſſarium, nam in tali facultate non intelligitur licentia ad recipiendum hoc Sacramentum, vt poſt Suarez notauit etiam Filliucius tom.1. tract.4. c.9. n.163. aduersùs Caietanum verb. excommunicatio, cap.63. ſed, quia expreſsè licentia ad Euchariſtiam accipiendam in ipſa Bulla conceditur, vt patet ex verbis ipſius Bullæ, quæ ipſe adducit. Et idem, quod de Euchariſtia docet, etiam de extrema Vnctione admittit.

Ex his patet reſponſio ad argumentum Suarez. Accipiens igitur Bullam Cruciatæ habet facultatem à Summo Pontifice eligendi Sacerdotem, vt poſſit ab ipſo ſine licentia Parochi accipere hæc tria Sacramenta, Pœnitentiam, Euchariſtiam, & extremam Vnctionem. Notentur hæc: quia paſſim non ſunt obuia.

*An, quando commutantur vota per Bullam Cruciatæ, non ſolùm vota diuitum, ſed etiam vota pauperum commutanda ſint in temporale aliquod belli ſubſidium per eleemoſynam?*

### Resolvt. XXI.

MVlti aſſerunt, totam commutationem debere fieri in belli ſubſidium, Ita Ledeſma in ſum. tom.2. tract. 10.c.8. fol. mihi 565. vbi abſolutè aſſerit: [ Quando la comutacion ſe haze en virtud de la Bula, ha ſe de hazer en coſa, que ayuda à la guerra contra los infideles, que es la cauſa de la expedicion de la Bula, y no en otras obras de virtud. ] Sic etiam alij.

Sed mihi magis placet opinio Sanchez in ſum. tom. 1. dub.4.c.54.n.58. & aliorum. Puto igitur, non eſſe neceſſarium, iſtam commutationem fieri totaliter in ſubſidium temporale; ſed ſufficere, ſi ſecundùm partem fiat in illud; & ſecundùm aliam partem in alia virtutum opera. Quare prudentis Confeſſarij arbitrio hoc relinquendum eſt, qui conſiderabit voti qualitatem.

An verò hæc doctrina procedat in pauperibus, nó parua difficultas eſt: nam multi aſſerunt, pauperem, voti commutationem petentem, debere eleemoſynam exiguam in id ſubſidium contribuere, quæ ſuæ paupertati æqualis ſit. Ita Sanchez, vbi ſuprà & præter Doctores, quos ipſe citat, tenet etiam hanc ſententiam Rodriquez, non tantùm in locis ab ipſo citatis, ſed nouiſſimè in ſum. tom.4. cap.188.n. 11. & Raphaël de la Torre in 2.2. tom.1.q. 88. art.12. dub. 6.n.3. vbi ait: [ De intentione Bullæ dubitari non poteſt, eſſe intelligendam de ſubſidio temporali. Et cùm ex alia parte conſtet, nullum eſſe ita indigentem, etiam ex oſtiatim mendicantibus, qui aliquid temporale non poſſideat; non exiſtimo tutam commutationem factam in ſubſidium ſolum ſpirituale ] Sic ille ſatis probabiliter.

Non reticebo tamen, contrariam ſententiam eſſe etiam probabilem, quam docet Leſſius de iuſt. lib.2.c.40. dub.11. n.95. & Suarez de relig. tom.2. lib.6. cap.19.n.18. vbi ſic ait; [ Viualdus in candel. p.3.c.14.n.39. citãs Alphonſum Deza (qui fuit Vir doctiſſimus Societatis IESV) in publicis Lectionibus Compluti, dicit, ſufficere ſubſidium ſpirituale: quia Bulla ſolùm dicit ſubſidium: ſed reuera Bullæ intentio eſt de ſubſidio temporali. Tamen in pauperibus haberet illa interpretatio locum. ] Ita Suarez, quem poſteà ſequutus eſt ex Prædicatorum Familia Ioan. de la Cruz in director. conſc. p.1. præcep.2. art.2. dub.11. concl.5. cuius hæc ſunt verba: [ Nota, quòd commutatio virtute Bullæ ſub excommunicatione lata à Commiſſario, fiet in eleemoſynam pro ſubſidio belli contra infideles, ſaltem ſecundùm partem, vt ait Suarez. Imò pro pauperibus erit vera Viualdi intelligentia: quod ſat erit, ſi commutatio fit in ſubſidium ſpirituale. ] Ita ille, & ego. Vnde, ſi aliquis Confeſſarius virtute Cruciatæ commutaret vota pauperum, non in tenue ſubſidium temporale ipſius Bullæ; ſed in aliquas orationes, ſcrupulos illi non iniicerem: nam hæc opinio eſt probabilis; magnos enim habet patronos: & ipſemet Sanchez, qui contrariam tenet, etiam illam vbi ſuprà, n. 56. tanquam probabilem admittit.

*An, qui vigore Bullæ Cruciatæ fuit abſolutus ab excommunicatione ſine ſatisfactione partis, teneatur iterum confiteri, tanquam non legitimè, ſed nulliter abſolutus?*

### Resolvt. XXII.

AFfirmatiuam ſententiam docuit Coninch. de Sacr. diſp.14. dub.16. num. 211. Suarez in 3.p. tom.5. diſp.7. ſect.5. n.41. Filliucius tom. 1. tract. 11.c.9.n. 295. Sayrus de cenſ. lib.2.c.18.n.10. Henriquez in ſum. lib.7. de Indul. c.13. n.2. Sylueſter, Caietanus, Armilla, Corduba cum aliis. Et ratio eſt: quia Bulla per illam clauſulam, priùs ſatisfacta parte; reſtringit poteſtatem Confeſſario, & illi præbet ſub hac forma.

Sed mihi opinio contraria magis arridet, quam tuentur Sanchez de matr. tom.1. lib.3. diſp.33. num.3. Barboſa in collect. tom.2. tit.40.c.23.n. 3. Valerus in diff. vtriuſque fori, verb. Abſolutio, diff.5.n.5. Auila de cenſur. par.2.c.7. diſp. 3. dub.9. concl.2 qui citat Magiſtros, Pegna, & Sanch. & Doctorem Acoſta: quia, vt ex multis notat Sanchez, Summus Pontifex per illam clauſulam non intelligit, vt malè ſupponunt aduerſarij, inducere nouam formam, nec limitare poteſtatem; ſed tantùm admonere Confeſſarium de ſua obligatione; nempe vt non abſoluat excommunicatum, niſi priùs ſatisfecerit realiter; vel, ſi non poteſt, dederit cautionem ſatisfaciendi, vt requirit ius commune. Vnde ſequitur, ſupradictum excommunicatum iniuſtè, & cum peccato mortali abſolutum, ſed tamen validè, vt diximus, poſſe licitè abſolui à peccatis ab alio Confeſſore, qui poteſt ſe gerere cum illo tanquàm cum non excommunicato: & quantùm ad ſatisfactionem obſeruet regulas generales circa debitores.

Notandum eſt verò pro praxi, ſtantibus verbis Bullæ, priùs ſatisfacta parte; quòd nomine partis intelligitur ille, cui facta eſt iniuria per illud delictum, per quod inflicta fuit excommunicatio, ſiue ſit perſona publica, ſiue priuata. Ita Henriquez lib.13. c.28.n.1. Bonacina de cenſ. diſp.1. q.3. punct.9. Vnde ſub nomine partis non intelligitur Iudex, cui ipſo iure applicatur pœna pecuniaria, ſed tertius inter partes; vnde per Bullam Cruciatæ poteſt abſolui, antequàm ſoluat iura Iudici, ſeu Tabellioni. Ita Sot. in 4. diſt. 22.q.2.a.3. poſt 3. conc. Nomine verò ſatisfactionis intelligitur reſtitutio honoris, vel famæ, vel aliorum bonorum, vt aduertit Suarez in 3.p. tom.5. diſp.7. ſect.5.n.47 Quòd ſi talis ſatisfactio realiter dari non poſſit, tunc debet dare cautionem ſufficientem, ſcilicet, pignoratitiam, vel fideiuſſoriam: quòd ſi nec hanc poteſt præſtare, det iuratoriam ſatisfaciendi, cùm potuerit. Ita Nauarrus c.26.n.7. & alij. Sed circa præſentem quæſtionem in particulari diſcutienda ſunt aliqua dubia.

*An Confeſſarius electus per Bullam Cruciatæ poſſit abſoluere pœnitentem, qui ſolùm ſatisfecit Clerico, vel Monacho percuſſo?*

### Resolvt. XXIII.

REſpondent negatiuè Riccius in deciſion. Curiæ Arch. Neap. p.1. deciſ.85.n.4. & p.2. deciſ.34.n.3. Bonacina tract. de cenſ. diſp.2.q.4. punct.5.n.5. Et ita fuiſſe reſolutum in Curia Archiepiſcopali Neapolitana teſtatur Riccius in caſu cuiuſdam, qui percuſſit Conuerſum certi Monaſterij, vbi fuit deciſum, talem debuiſſe ſatisfacere Abbati, & Monaſterio: quia iniuria facta Monacho cenſetur facta Abbati, & Monaſterio ex leg. in perſonam. ff. de pactis. & ibi ſcribentes cum Gomeſio tom.2. variar. reſol. c.6. num.5. & aliis. Et idem aſſerit de Clerico Bonacina, vbi ſuprà, qui addit modum ſatisfaciendi.

Hæc opinio eſt probabilis, ſed etiam probabilem contrariam eſſe iudico, quam docet doctus Auila tract. de cenſ. p.2.c.7. diſp.3. dub.11. concl.2. vbi ſic ait: [ Notandum eſt, quòd licèt percutiens Clericum, vel Monachum faciat etiam iniuriam Eccleſiæ, vel Monaſterio; tamen ſatisfacto percuſſo, vel remittente iniuriam, cenſetur pars ſatisfacta, & conſequenter poteſt abſolui: quia, quando damnum infamiæ, vt notat Nauarr. c. inter verba. correl. vlt. n.376. & in Man. c.18.n.46. tangit principaliter infamatum, & minùs principaliter bonum publicum, ſufficit condonatio eius, ad quem principaliter pertinet ex cap. quanuis pactum, iuxta Gloſſ. de pactis, in 6. ] Ita Auila ſatis probabiliter.



*An Confeſſarius electus virtute Bullæ poſſit abſoluere pœnitentem, qui non poteſt parti ſatisfacere?*

### Resolvt. XXIV.

NEgatiuè reſpondet Corduba tract. de Indul. qu.43. & Ledeſma in ſum. tom.1. trac. de excom. c.8. dub.3. Gutierrez qq. canon. lib.1.c.5. n.29. Sotus in 4. diſt.22. q.2. poſt 2. concl. quem ſequuntur nonnulli moderni: & ſi de facto abſoluatur, putat abſolutionem eſſe nullam.

Sed contrariam ſententiam probabiliorem eſſe iudico cum Barboſ. in collect. tom.2. tit.40.c.23.n. 3. Coninch de Sacr. diſp.14. dub.16.n.206. Vaſq. in 3.p. tom.4. tr. de excom. dub.20.n.2. Villalobos in ſum. tom.1. tract.27. clauſ.9.§. 2. num.22. Vegha in ſum. tom.1.c.6. caſ.28. Ioan de la Cruz in direct. conſc. p.2. tract. de excom. dub.5. concl.3. Fernandez in exam. Theol. p.3.c.9.§.12.n.10. Filliucio tom.1. tract.11.c.9. n.295. Auila de cenſ. p.2.c.7. diſp.3. dub.8. & aliis. Et ratio eſt: quia non credendum, Pontificem per illam clauſulam, ſatisfacta parte, voluiſſe excludere à beneficio abſolutionis eum, qui non poteſt ſatisfacere: non enim veriſimile eſt, poſtulari conditionem impoſſibilem. Facit Clem. multorum. & Clem. nolentes. de Hæreticis, in quibus ſimiles conditiones ita intelliguntur.

Quæ ſupradicta ſunt adeò vera, vt docuerit Sanchez in ſum.1. lib.2. cap.20. num.19. quòd etiamſi in priuilegio ſolus mortis articulus excipiatur, vt quis abſoluatur, non ſatisfacta parte; attamen poſita impotentia, putat etiam extra mortis articulum, talem eſſe abſoluendum; licèt contrariam ſententiam doceat Suarez in 3. p. tom. 5. diſp. 23. ſect.5.n.27.

Ideò ex ſupradictis dicendum eſt, quòd ſi pœnitens non poſſit ſatisfacere in totum, ſatisfaciat in partem; & ſi non poteſt ſatisfacere ſine graui iactura, & detrimento famæ, vel ſtatus, vel ſuorum bonorum, vendendo ea, ſcilicet notabiliter viliùs; licitè poteſt abſolui, dummodo creditor non patiatur æquale detrimentum. Et in his, & ſimilibus caſibus, in quibus non poteſt ſatisfacere, non ſufficit præſtare cautionem iuratoriam: ſed pignoratitiam, ſeu fideiuſſoriam det. Sufficeret tamen contra Caietanum verb. excom. c.77. præſtare fideiuſſoriam; quanuis poſſit dare pignoratitiam. Ita Henriquez lib.15.c.28.n.1. & Auila de cenſ. par.2. cap.7. diſp.3. dub.5. concl. 1. quod eſt valdè notandum.

Sed circa præſentem materiam vide Sylueſtrum verb. abſol.3. n.3. Armillam eodem verb. n.48. & 51. Caietanum eod. verb. c.4. Villalobum in ſum. tom.1. tract.6. dub.20.n. 8. Nauarrum in Man. c.26.n.7. Reginaldum in praxi, tom. 1. lib.9.c.4.n.65. Suarez in 3.p. tom.5. diſp.7. ſect.5.n. 41. Ioan. Valerum in differ. vtriuſque fori, verb. abſol. differ.5. num. 4. & alios.

*Vtrùm virtute Bullæ poſſit quis extra Confeſſionem abſolui à cenſuris? Et idem quæritur de Iubileo?*

### Resolvt. XXV.

NEgatiuè reſpondet Filliucius tom.1. tract.11. cap.9. n. 294. Vaſquez in 3.p. tom.4. tr. de excom. dub.20. n.9. Sanctarellus tr. de Iubileo, 8. dub.8. Acoſta in expoſ. Bull. q.50. in fin. Fernandez in exam. Theol. mor. p.3.c.9.§.12.n. 4. qui citat Couar. Nauarrum, & Cordubam. Idem docet Suarez in 3.p. tom.5. diſp.7. ſect.1.n.35. Rodriquez in Bulla, §.9.n.54. dict.5. & alij. Primò, quia ita declarauit Pius V. in Bulla Iubilei, ann.1568. Secundò, quia in Bulla apponitur clauſula, auditis Confeſſionibus: & licèt non apponatur; habetur tamen alia æquiualens, videlicet, quòd poſſint eligere Confeſſarium, qui poſſit illos abſoluere à peccatis, & cenſuris.

Sed contrariam ſententiam, tanquàm probabiliorem, amplectendam eſſe exiſtimo, quam tuentur Auila de cenſ. p.2. cap.7. diſp.2. dub.13. Villalobos in ſum. tom.1. tract.27.

clauſ. 9.§.2.n. 23.Sanch. de matr.tom.3.lib.8.diſp.34. n. 30. Vegha in ſum.tom.1.c.6. caſ.3.Ledeſma in ſum.tom.1.tract. de exam.c.8.dub.3.Coninch.de Sacr.diſp.14.dub.16.n.253. & Victoria, Pegna,Medina, Sancius,& Guerrero,Archiepiſcop.Granatenſis,Vir doctiſſimus, & alij Theologi Salmanticenſes apud Henriq.in ſum. lib.8. c.13.n.2.in Gloſſa, litt.O.& tandem ex Dominicanorum Familia Vir doctus Ioan.de la Cruz in direct.conſc.p.2.tr.de excom.dub. 5. concluſ. 3. vbi ſic ait:[Nota,quòd in Bullis Cruciatæ non petitur, quòd abſolutio excommunicationis fiat in Sacramento Pœnitentiæ:ſed, quia confeſſio eſt præuia ad abſolutionem peccatorum,conceditur ibi,vt poſſit eligi Confeſſor approbatus, qui etiam poſſit abſoluere ab excommunicatione, & aliis cenſuris.] Ita ille. Et ita declaraſſe Commiſſarium Cruciatæ,teſtatur Auila, *vbi ſuprà*,& maximè hodie, quia non adeſt in Bulla clauſula illa, *audita Confeſſione*:& etiamſi adeſſet, puto ſententiam noſtrã eſſe probabiliorem,& tutam in praxi, vt ego ſæpiùs conſului, & practicaui. Et ratio eſt:quia nulla neceſſaria eſt connexio inter abſolutionem à cenſuris. Secundò,quia ſæpe expedit,vt ita fiat: vt ſi reus non ſit paratus, quomodo frequenter ſolet accidere in praxi, vt ſtatim confiteatur, & adſint cauſæ,ob quas expediat eum ſtatim abſolui.

Ad argumenta in contrarium adducta reſpondetur: & ad primum dico cum Villalobos, *vbi ſuprà*, quòd illa declaratio Pontificis habuit locum pro illo Iubileo, in quo conceſſa fuit illa facultas tali pacto, & conditione. Ad ſecundum reſpondeo cum Auila, & aliis,quòd illa verba, *audita Confeſſione*, referenda ſunt ad abſolutionem à peccatis, non autem ad abſolutionem à cenſuris, referenda ſunt enim ſingula ſingulis,& reſpectiuè intelligenda, reſpectu poteſtatis abſoluendi ab omnibus peccatis, quæ ſimul cum alia facultate ſolet concedi. Ad illud verò, quod dicitur,in Bulla adeſſe illa verba, quòd quis poſſit eligere Confeſſarium,vt eum abſoluat à peccatis,& cenſuris: ergo, &c. Reſpondetur ex iſtis verbis non ſequi vtranque abſolutionem ſimul, aut ab eodem debere dari.

*Vtrùm virtute Bullæ Cruciatæ liceat abſoluere excommunicatos nominatim, vel publicos percuſſores Clericorum, vel alium, cuius excommunicatio deducta eſt ad forum contentioſum,& lis non eſt finita?*

RESOLVT. XXVI.

NEgatiuam ſententiam docuerunt Doctores, quos citat,& ſequitur Auila de cenſ.par.2.c.7.diſp.3.dub.10. concl 1. Et ratio eſt:quia talis abſolutio eſſet ſcandaloſa,& perturbaret iuriſdictionem Iudicis, coram quo lis penderet. Idem docuit Ægidius Coninch de Sacr. diſp. 14. dub. 16.n.207.Vaſquez in 3.p.tom.4.tract.de excom.dub.20.n. 8. Vegha in ſum. tom.1.c.6.caſ. 52.& alij.

Sed probabiliorem contrariam ſententiam puto,quam docet Sanchez in ſum.tom.2.lib.6.c. 17.n.49.Acoſta q.50. Sayrus de cenſ.lib.2.c.20.n.29. & Henriqu. lib.8.c.60.n.4. vbi ſic ait:[Nominatim denunciatus poteſt, ſatisfacta parte, abſolui per Bullam Cruciatæ; quod pro occulto foro conſcientiæ prodeſt: & ſi ita abſolutus petat communionem in loco,vbi ceſſat omninò periculum ſcandali, licebit miniſtrare.] Ita ille.Et idem procedit,ſi quis abſolueretur virtute priuilegiorum Mendicantium. Et ratio eſt: quia in Bulla Cruciatæ conceditur abſolutè facultas abſoluendi à cenſuris, ſine vlla reſtrictione,aut limitatione: ergo non eſt à nobis reſtringenda,& limitanda.

Nec obſtat ratio in contrarium adducta: nam,cùm talis abſolutio valeat tantùm pro foro interiori, non perturbatur exterior iuriſdictio: nam Iudex poteſt procedere contra talem, ac ſi nunquam eſſet abſolutus; licèt aliqui aſſerant ſupradictam abſolutionem valere etiam in foro exteriori, & iudiciali. Et ita docet Medina in ſum.lib.1.c. 12.Rodriquez in Bulla,§.9.n.55.in fin. & nouiſſimè Ioan. de la Cruz in direct.conſc.p. 2.trac.de excom dub.5.concl.3. cum aliis;& volunt,quòd in tali caſu Confeſſor abſoluens det ſchedulam abſolutionis, vt per eam reus ſe defendat in foro exteriori:vel,vt notauit Nauarrus apud Acoſtam, *vbi infrà*, poſtquàm Confeſſarius abſoluerit excommunicatum,tradat pœnitenti coram Notario, & teſtibus,ſchedulam abſolutionis, in qua affirmet, illum eſſe virtute Bullæ, & ſatisfacta parte, à cenſuris abſolutum: & quòd Notarius in fine ſchedulæ teſtetur, à Confeſſore prædicto excommunicato tali tempore, die, & loco, illam abſolutionis ſchedulam datam fuiſſe.

Sed, his minimè ſuffragantibus, communiter docent Doctores,abſolutionem Bullæ non prodeſſe in foro exteriori; & ita abſolutum debere ſe gerere in publico, tanquam excommunicatum, ad euitandum ſcandalum; poſſe tamen ſecretò,& ſine ſcandalo Miſſam audire,Sacramenta recipere,& cum aliis colloqui,manifeſtando,ſe eſſe per Bullam abſolutum.Et ita hanc ſententiam,contra Doctores citatos,docet Auila de cenſ.p.2.c.7.diſp.3.dub.12.Acoſta in expl.Bull.q.50.per tot. Villalobos in ſum.tom.1. tract. 27.clauſ.9.§.2.n.24.qui citat Henriquez,Lopez,Guttierrez,Couarruuiam,& alios.

Aduertunt tamen, quòd Iudex contra ita abſolutum per Bullam,non tenetur procedere: vnde,ſi velit eſſe benignus, poteſt acceptare hanc abſolutionem, etiam pro foro exteriori, & repellere accuſationem Fiſcalis accuſantis illud,quòd,v.g. celebrauit; vel in ferenda ſententia contra illum temperare rigorem, & pœnam. Et ita docent Auila, & Acoſta, *vbi ſuprà*,cum Henriquez lib.13.cap.17. n.5.circa fin.

Notandum eſt verò cum Acoſta, omnia ſupradicta procedere, quoad abſolutionem cenſurarum ab homine, non quoad abſolutionem cenſurarum à iure. Vnde abſolutio virtute Cruciatæ à cenſura lata à iure, valebit etiam in foro exteriori,& iudiciali: nam Summus Pontifex in Bulla aſſerit, ſuper cenſuras ab homine latas non cadere abſolutionem virtute Bullæ in foro exteriori: ergo cadet ſuper cenſuras iure latas. Et ideò abſolutus per Bullam à cenſuris iure latis debet poſtulare ſchedulam iuxta Conſilium Nauarri, vt in foro exteriori,ſi opus fuerit, probet ſe abſolutionem obtinuiſſe ab illa cenſura:& ſi ita aliquis Presbyter percuteret alium Presbyterum, & poſteà abſolutus per Bullam in altari miniſtrauerit; ſi ſchedulam de tali abſolutione demonſtrauerit, puto, non poſſe illum Fiſcalem Curiæ Archiepiſcopalis, vel alium in foro exteriori accuſare, & pœnas excommunicationis exigere: nam per illam abſolutionem Bullæ liberatus etiam fuit à foro exteriori: nam, vt diximus, abſolutio Bullæ quoad cenſuras à iure latas, non ſolùm prodeſt in foro animæ, ſed etiam in foro iudiciali: quod eſt valdè notandum. Et hæc dicta ſufficiant quoad præſentem quæſtionem, circa quam etiam, ſi libet, vide Filliucium tom.1.tract. 11.cap. 9.num.291.

*An per Bullam Cruciatæ ſit diſpenſabilis omnis irregularitas,quæ eſt pœna?*

RESOLVT. XXVII.

PRima ſententia negat:ita Fabrus de Sacr.Ordin. diſput. 25.q.1.diſp.3.n.35.Homobon.de exam. Eccl.p.1. tract. 5.c.6.q.36.qui citat. Caietanum,Nauarrum,Maiolum,Sotum, Viualdum,& Sayrum. Idem docet Auila de cenſ.p.7. diſp.10.dub.4.concl.2 qui citat Villadiego,Lopez,& Martinum Ledeſma.Hoc etiam docuit Villalob.in ſum.tom.1. tract.16.dub.2.n.2.& tract.21. dub 9.n.23.Acoſta in Bull. q.48. Antonuc. in Catechiſ. Neap. lib.1.c.25.n.15. Sanch. in ſum.tom.2.lib.6.c.17.n.43.Miranda in Man.Pral.tom.2. q.33.art.11.concl.3.Pariſius de reſign.benef.lib.8.q.7.n.213. Zerola in praxi Epiſc.p.1. verb.irreg.n.13. & p.2.eod.verb. n.7.Llamas in ſum. p.1.c.12.§.55. Beia p.1.caſ.17.Zechius de caſ.reſer. caſ.1.de irreg.n.40. Graſſius de caſ.reſer. lib. 2.

cap.17.



cap.17.n.35.Sanctarellus de Iubil.c.7.dub.5. Chapeuilla de caſ.reſer.p.1.c.4.dub. 5. Toletus lib.1.c.85.n.7.Suarez in 3. p.tom.5.diſp.40.ſect.3.n.3. Filliucius tom.1.tract. 11.c.1.n. 9 Reginaldus tom.2.lib.30.tract.2.c.3.ſect.3.n.24. Molina de iuſt.tom.4.tract.3.diſp.80.Henriquez lib.14.cap.17.n.4. in Gloſſ.litt.L.

Et ratio eſt primò:quia irregularitas non eſt cenſura,vt patet ex cap.quærenti.de verb.ſignific. Ergo non includitur ſub nomine cenſuræ in noſtra Bulla. Secundò,quia Bulla vtitur his verbis: *Vt poſſint abſoluere à cenſuris*, &c. ſed irregularitas non abſoluitur,ſed diſpenſatur: ergo,&c. Tertiò,quia ita habet ſtylus Curiæ,qui nunquàm ſub nomine cenſurarum includit irregularitatem.Cæteras rationes vide apud citatos D D.

Secunda opinio affirmat, & docet, Confeſſarium per Bullam Cruciatæ poſſe diſpenſare in omnibus irregularitatibus prouenientibus ex delicto. Hæc ſententia, vt obſeruat Ioann.de la Cruz, *vbi infrà*.eſt communis in ſchola Diui Thomæ: & illam docuit in Academia Salmantina, Canus, & Orellana, Viri eminentiſſimi, vt obſeruat Vegha, *vbi infrà*, & poſteà illam etiam docuerunt Salonius, Aragon,& Bañes in 2.2.q.64. art.8.Medina in p.2.q. 98. art.4. Ledeſma in ſum.tom.1.tr.de cenſ.c. 1. concl. 3. Corduba de Indulg.lib.5.q.43.dub.4.Fernandez in exam.Theol. moral.p.3.c.9.§.14. n.1.Vegha in ſpec.Curator.tom.2.c.12. n.323.& in ſum.tom.2.c.15.caſ.8.Conradus in reſp.caſ.conſ. p.1.q.355.Ludouicus Carbo de legib.lib.8.diſp. 5. Carrillo in itin.ordinan. ſect.4.c.4.n.8.Guttierez in qq.canon. lib. 1. c.37.n.6.Naldus in ſum.verb.irregularis,n.25. & ex Societate IESV Ioan. Salas de legib.tract.15.ſect.1.concl.2.n. 16. cum Soto in 4.diſt.22.q. 3. art.1. Nugno in 3. p. tom. 2. tr.de Bulla,§.vlt.

Et ratio eſt: quia aliquæ irregularitates, prouenientes ex delicto, dicuntur verè pœnæ, & cenſuræ: velut illa, quam contrahit celebrans, vel ſuſcipiens Ordines in excommunicatione maiori,& ſimiles. Patet hoc ex verbis, quæ habentur in multis Bullis, vt videre eſt in Bulla Pij IV. anno 1561. in qua conceditur Confeſſario facultas abſoluendi ab excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto;& ſubditur; [Y de todas las cenſuras,y penas eclefiaſticas.] Diſtinguunt igitur ſupradicti Doctores inter irregularitates: nam vel irregularitas, vt dictum eſt, imponitur pro delicto, vel imponitur propter ſignificationem, & indecentiam, qualis eſt illa, quæ ex bigamia,vel ex ſanguinis effuſione incurritur. Primam irregularitatem per Bullam putant eſſe diſpenſabilem; ſecundam minimè.

Quid ego ſentiam,dicam breuiter. Prima opinio negatiua eſt probabilior.Secunda affirmatiua eſt probabilis:& ita illam vocauit nouiſſimè Vir doctiſſimus, Ioann.de la Cruz in direct conſc. p.2. tr.de irregul.dub. 15.concluſ.2. & Rodriquez in Bulla, §.9.n. 29. aſſerit, quòd ſine ſcrupulo [puede ſer conſejada,y ſeguida.]Vnde, ſi aliquis illam tenere vellet,poſſet ad argumenta contraria ſic reſpondere.

Ad primum,diſtinguendo: nam, ſi loquitur de irregularitatibus propter indecentiam incurſis, verum eſt,quòd non includuntur ſub nomine cenſurarum: ſecùs autem,ſi loquitur de irregularitatibus ex delicto prouenientibus: nam ſunt veræ cenſuræ,vt dictum eſt.

Ad ſecundum reſpondet Vegha in ſpeculo,vbi ſuprà, ſic aſſerens: [A cerca de la irregularidad,que propriamente es pena pro culpa,bien puede el Confeſſor vſar deſte verbo, *Abſoluo*, y de ſuerte que diga: *Ego te abſoluo ab omni cenſura irregularitatis*, imò quedaria neciamente: *Diſpenſo tecum ſuper irregularitate*. ſi no es que à caſo por eſpecial comiſſion del Prelado,le aya ſido cometida diſpenſacion, como lo dizen Bañez,y Orellana.] Aliam ſolutionem huius argumenti inuenies apud Salonium.

Ad tertium reſpondet idem Salonius, non repugnare noſtræ ſententiæ ſtylum Curiæ Romanæ; quia Bullæ valent, quod ſonant; alioquin deciperentur fideles à Papa, quod nefas eſt ſuſpicari; & irregularitates, de quibus loquimur,ſunt cenſuræ, & pœnæ eccleſiaſticæ. Vel meliùs reſpondendum eſt, vt in ſimili caſu reſpondet Fagundez Societatis IESV Theologus de Præc.Eccl.tract.2.lib.8.c.8. n. 38.quòd ſtylus Curiæ Romanæ fundatur in probabilitate contrariæ ſententiæ;non autem tollit probabilitatem alterius.

Notandum eſt verò cum Salonio, *vbi ſuprà*,concl. vlt. ad arg. 6. quòd talis ſententia procedit etiam quoad alias Bullas, in quibus ſolùm dicitur, vt poſſit Confeſſarius abſoluere à cenſuris;& non additur vox illa: *A pœnis eccleſiaſticis*. Nam, vt conſtat,huiuſmodi irregularitates reuerà ſunt cenſuræ,cùm Pius IV.vt *ſuprà* diximus, in ſua Bulla aſſeruerit,poſſe Confeſſarium abſoluere à cenſuris,ſuſpenſionibus,& interdicto; [y de otras qualeſquier cenſuras, y penas,] nec poſſit reperiri,præter excommunicationem, ſuſpenſionem,& interdictum,aliqua alia cenſura,quàm irregularitas; nullo modo negari poteſt irregularitates aliquas eſſe cenſuras.

*An Confeſſarius poſſit abſoluere pœnitentem, ex vi Bullæ,pluries à caſibus Summo Pontifici reſeruatis?*

RESOLVT. XXVIII.

NEgatiuè reſpondetur communiter:ita Fernandez in exam.Theol.mor.p.3.c.9.§.9.n.1. Villalobos in ſumm. tom.1.tract.17.clauſ.9.§.2.n.5. Ledeſma in ſum.tom.2.trac. de Pœnit.c.13.concl.2.dub.1.& alij.

Non reticebo tamen hìc celebrem ſententiam doctiſſimi Theologi Thomæ Sanchez in ſum.tom. 1. lib.4.c. 54. n.2.aſſerentis, caſus Summo Pontifici reſeruatos,occultos tamen, poſſe à Confeſſariis abſolui, non ſemel tantùm, ſed toties, quoties. Et ratio eſt:quia Bulla caſus Pontifici reſeruatos excipit, ne liceat ab illis abſoluere toties,quoties: ſed quando hi caſus ſunt occulti, iam non ſunt caſus reſeruati Summo Pontifici:ſed iure ordinario,& non ſpeciali competunt Epiſcopis,& annexi ſunt dignitati epiſcopali: cùm ergo Bulla concedat abſolutionem à reſeruatis Epiſcopo toties, quoties; largitur etiam abſolutionem ab his reſeruatis occultis; quia per Concilium Tridentinum iam ampliùs non ſunt papales,ſed epiſcopales, quia,licèt caſus papales non deſinant eſſe tales,eò quòd Pontifex illos aliquoties concedat Epiſcopo; imò etſi ſemper concedat eos Epiſcopo ſpeciali;at deſinerent eſſe papales per generalem Conſtitutionem, concedentem eos in perpetuum cuilibet Epiſcopo. Sed totum hoc accidit in caſu noſtro.Ergo,&c.

Hæc doctrina eſt valdè notanda: quia celebris, & non paſſim obuia. Itaque ex ſententia Sanchez Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poteſt abſoluere quoſcunque caſus Summo Pontifici reſeruatos,non ſemel,ſed toties,quoties, dummodo tamen ſint occulti;quia,vt tales, deſinunt eſſe papales,& ſunt epiſcopales,licèt contrarium aſſerat Henriquez lib. 6. c. 14. n.7. in fin. Bañes in 2.2. quæſt.64. art. vlt.ad finem.

*Quoniam Confeſſarij virtute Bullæ Cruciatæ poſſunt abſoluere à caſibus Bullæ Cœnæ, hæreſi excepta,ſemel in vita, & ſemel in morte; quærendum eſt breuiter de aliquibus caſibus incluſis in dicta Bulla: ideò quæritur, quid dicendum de aliis caſibus poſitis in primo canone Bullæ Cœnæ, an includantur ſub nomine hæreſis, ita vt per Bullam Cruciatæ minimè poſſint abſolui.*

RESOLVT. XXIX.

NOn poſſe abſolui docet Fernandez in exam. Theolog. moral.p.3.c.9.§.16.ſect.1.n.1.Turrianus in 2.2. tom.1. diſp.56.dub.2.Altherius de cenſ.tom.1.lib.8.c. 19. quæſt.2.

Azorius

Azorius tom.1.lib.8.c.19.qu.2. & Ledeſma in ſumm.tom.2. tract.1.c.6.in fin. vbi ſic aſſerit: [ Haſe de aduertir, que debaxo de nombre de heregia, ſe comprehenden los que fauorecen, ò encubren los hereges, y los que ſe apartan de la obediencia de los Pontifices Romanos, ò tienen libros prohibidos, ò los leen. Porque todos eſtos caſos eſtan reſeruados en Eſpaña à los Inquiſidores, y ningun Sacerdote los puede abſoluer por la Bula, ò Iubileo.] Putant igitur ſupradicti Authores, omnes caſus contentos in primo Canone Bullæ Cœnæ, incluſos eſſe ſub nomine hæreſis: ſed, cùm virtute Bullæ Cruciatæ hæreſis non poſſit abſolui; neque poterunt & illi.

Hęc opinio eſt probabilis; ſed contraria non caret etiam probabilitate: & illam docent Sanchez in ſumma, tom.1. lib.2.c.12.n.12. Portel. in addit. ad dubia regul. verb. libri prohibiti, num. 14. Riccius in addit. ad Bullam Cruciatæ. Rodriquez par.1.§.9.ſect.3.n.95. Duardus in Bulla Cœnæ, lib.3.§.2.q.8.n.8. & ſeqq.11.n.47. Henriquez lib.6.c.17.n.2.in Gloſſa, litt.I. Farinacius de hæreſi, quæſt.180. n.8. Suarez tract. de fide, diſp.24. ſect.1.n.11. & alij: hi omnes docent, ſi ſupradicti verè Hæretici non ſint, poſſe per Bullam Cruciatæ abſolui; nam ſolùm excipitur hæreſis formalis. Ergo, &c.

*Quænam paruitas materiæ excuſet ab excommunicatione, legendo libros hæreticos? & an legentes ſint abſoluendi per Bullam Cruciatæ?*

RESOLVT. XXX.

Pater Sanchez in ſumma, tom.1.lib.2.cap.10.num.31. de hac materia loquens ſic ait: [ Ego credo, vnam ſolam paginam, quanuis liber ſit ex voluminibus maioribus, non ſufficere: ſed maior quantitas ex pagina voluminis maioris, vulgò, de marca mayor, ſufficiens erit.] Hanc opinionem non poteſt probare Suarez tract. de fide, diſp. 20.ſect.2.n.20. Bonacina de cenſ. diſp.2.quæſt.5.punct.4.n.13. cum Molfeſio in 3.p.lib.3.c.1.n.49. quia in ea lectione multùm poteſt eſſe periculi. Oportet ergo, vt nimis breuis, nec multarum linearum ſit lectio, vt excuſationem paruitatis materiæ admittat. Sed ſupradicta Sanchez opinio approbatur à noſtro Duardo in explic. Bullæ Cœn.lib.2. canon.1. quæſt.46.n.4. Filliucio tom.2.tract.22.c.7.n.204. & nouiſſimè à Laurentio Portel. in addit. ad dub. regul. verb. libri prohibiti, num.7. in fin. & in hanc ſententiam inclinat Layman lib.2.tract.1.c.16.n.5.

Sed, etiamſi talis incurreret in excommunicationem dictæ Bullæ Cœnæ, latam contra legentes libros Hæreticorum, puto per Bullam Cruciatæ abſolui poſſe; dummodo hæretico animo id non faciat: & ita in terminis, præter DD. citatos in ſuperiori Reſol. docet Acoſta in expl. Bull. Cruc.qu.53.concl.4. Portel. in addit. ad dub.reg.verb. libri prohibiti, n.14. Riccius in addit. ad Bull.Cruc. Rodriquez p.1.§.9.ſect.3.n.100. quidquid in contrarium aſſerat Rodriquez, & alij.

Sed de libris magicis non eſt dubitandum, vt docet Delrius in diſq.p.3.lib.5.ſect.17. & Raphaël de la Torre in 2.2.tom.2.q.96.art.4.diff.5.in fin. quia, ſicut chiromantici, & magi non comprehenduntur ſub nomine Hæreticorum; ſic eorum libri, hæretici iudicandi non ſunt, vt notauit Souſa in Bulla Cœn.c.2.diſp.13.concl.1. Bonacina de cenſur.diſp.2.punct.3.n.4. Alther. de cenſ.tom.1.lib.5.diſp.2.c.7. fol.472.caſ.2. & alij.

Notandum eſt etiam, quòd paruitas materiæ non ſolùm datur, vt diximus, in legentibus; ſed ętiam in retinentibus libros Hæreticorum. Et ita, ſi aliquis per duos dies non conſignaret Inquiſitoribus dictos libros, non incurreret in excommunicationem. Ita Sanchez in ſum.lib.2.c.10.n.55. & Duardus in expl. Bull.Cœn.lib.2.can.1.quæſt.51. num.33. & alij.

*An, qui legit librum Hæretici, qui non tractat de religione ex profeſſo, neque continet multas hæreſes, ſed vnam tantùm, incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ, ita vt per Cruciatam ſit abſoluendus?*

RESOLVT. XXXI.

Non incidere in cenſuram Bullæ Cœnæ, putauit Sayrus de cenſur.lib.3.c.5.n.12. & Graffius in deciſ. p.1.lib.4.c.18.n.40. & 42. quia, vt incurratur excommunicatio Bullæ, neceſſe eſt, vt liber ex profeſſo de religione tractet, aut de hæreſi; non autem ſi tractet de aliis rebus, & obiter dicat aliquam hæreſim.

Hanc autem ſententiam reprobat Sanchez in ſum. tom.1.lib.2.c.10.n.34. qui citat Suarez: & idem docet Bonacina de cenſ.diſp.2. q.5.punct.4.n.19. cum Altherio in Bulla Cœn.tom.1.diſp.2.lib.5.c.6. fol.470.in fin. & Portel. in add. ad dub.regul.verb.libri prohibiti, n. 8. quia Bulla ſolùm requirit, vt liber hæreſim contineat: quod quidem verificatur, ſi vnicam tantùm cõtineat. Et ideò, ſtãte hac opinione taliter legentes non ſunt per Bullam Cruciatæ abſoluendi.

Non reticebo tamen Filliucium tom.2.tr.22.c.7.n.204. & etiam Souſa ex Prædicatorum Familia, primam opinionem contra Suarez, & Sanchez docere, & ideò in expoſ. Bull.Cœn.diſp.13.c.2.concl.2. ſic aſſerit: [ Qui legit, licèt abſque Sedis apoſtolicæ licentia, Hæreticorum libros, qui ex profeſſo hæreſim non continent, vel de religione non tractant; quanuis hæreſim aliquam contineant; per hanc Bullam non excõmunicatur.] Ita ille. Et probat hanc ſententiam multis rationibus, quę apud ipſum videri poſſunt. Hæc ſententia videtur probabilis, licèt contraria ſit probabilior.

*An, qui legit aliquem librum Authoris Catholici, ſed cum Scholiis, & Commentariis Hæreticorum tam copioſis, vt liber potiùs ex eis, quàm ex textu conſtare cenſeatur, incidat in Bullam Cœnæ, & per Cruciatam ſit abſoluendus?*

RESOLVT. XXXII.

Affirmatiuam ſententiam docuit P. Suarez in 3. part. tom.5.diſp.21.ſect.2.n.10. Sed nimis ſcrupuloſè in hoc loquitur, & ideò non ſequendus: vnde meritò illum reprobant Souſa in expoſ.Bull.Cœn.c.2.diſp.13.concl.3.n.7. & alij: nam reuerà liber Auctoris Catholici, licèt Commentarios copioſos alicuius Hęretici habeat, ſemper nuncupatur liber Authoris Catholici, à quo in lucem editus eſt; & non liber Hæretici commentantis.

*An, qui non per ſe ipſum, ſed per alios legit aliquem librum Hæretici, hæreſim continentem, ſeu ex profeſſo de religione tractantem; incurrat in excommunicationem Bullæ, ita vt per Cruciatam ſit abſoluendus?*

RESOLVT. XXXIII.

Incurrere in dictam excommunicationem putat Altherius de cenſ.tom.1.diſp.2.lib.5.cap.6.fol.mihi 470.col.2. quia in noſtro caſu putat ſpecialiter per ſeipſum legere, qui per alium legit. Idem docet Sayrus de cenſ.lib.3.c.5.n.14. & Graffius in deciſ.p.1.lib.4.c.18.num.34. & Azorius p.1.lib.88.c.6.qu.4. & nouiſſimè Layman lib.2.tract.1.c.15.n.6. Megala in 3.p.lib.3.c.1.n.37. Reginaldus in praxi, tom.1.lib.9.c.14.n.250. & 251. & Suarez tract. de fide, diſp.20.ſect.2.n.19.

Sed contrariam ſententiam docet Filliucius tom.1.tr.16.c.3.n.45. & tom.2.tr.22.c.7.n.207, Souſa in Bull.Cœn.c.2.diſp.14.n.4. Sanctarellus tract. de hæreſi, cap.13. dub. vnico,



vnico, num.8. Scorcia in Bull. Pontif. epitome 166. theorem.410. Vgolinus in Bull.Cœn.canon.1.verb. ac eorundem libros.§.1.num.4. Duardus in expoſ. Bull. Cœn.lib.2. can.1. quæſt.48.num.5. Sanchez in ſumm. tom.1.lib.2.c.10.n.48. Bonacina de cenſ.diſp.2.quæſt.5.punct.4.num.11. qui malè pro hac ſententia citat Reginaldum; nam contrariam docet.

Sed hanc ſententiam tenet etiam Portell. in addit. ad dubia reg.verb.libri prohibiti, n.11. vbi ſic aſſerit: [ Non incurrit cenſuram Bullæ, qui audit legere librum hæreticum: audire enim, non eſt legere; & verba legis pœnalis ſunt accipienda in ſignificatione propria, & ſtricta. Et hoc verum cenſeo, etiamſi is, qui audit legere, induxerit legentem, vt legeret: nam inducere, vt aliquis legat, non eſt legere. Et cenſura poſita contra facientem, non ligat conſulentem, niſi id exprimatur in iſta Bulla, contra conſulentem, vt tales libri legantur. Incurret verò cenſuram famulus legens ex mandato heri, niſi ignorantia excuſetur.] Ita Portell. At ego puto, his non obſtantibus, non eſſe recedendum à prima ſententia affirmatiua.

Nota verò, quòd ſi dictus famulus fuerit compulſus ad legendum librum hæreticum in contemptum fidei, & hoc faceret, ſecundùm Bonacinam, vbi ſuprà, & alios, non ſolùm peccaret mortaliter, ſed in excommunicationem Bullæ incideret. Sed quoad excommunicationem negat noſter Duardus loco cit.num.15.

*Vtrùm, qui legeret epiſtolam, ſeu literam miſſiuam alicuius Hæretici, in qua aliquam hæreſim doceret, in hanc excommunicationem incurreret, vnde virtute Cruciatæ abſoluendus ſit?*

RESOLVT. XXXIV.

Incurrere talem epiſtolam legentem, excommunicationem Bullæ Cœnæ, mordicùs defendit noſter Megala in 3.part.lib.3.c.1.n.55.

Sed contrarium docet Sanchez in ſumma, tom.1. lib.2. cap.10.num.29. vbi ait: [ Credo, non incurrere excommunicationem, legentem, aut retinentem, aut imprimentem epiſtolam, concionem, aut aliam papyrum Hæretici ſolutam, nec in tractatus formam redactam; quòd hæc, in communi & vſitato loquendi modo, minimè dicantur libri: nec militat eadem ratio, quæ in libris: hi enim multò ampliùs extenduntur, atque diutiùs permanent.] Ita Sanchez, quem poſteà ſequuti ſunt Portel. in addit. ad dub.regul.verb.libri prohibiti, n.7. & Souſa in expl. Bullæ Cœn.cap.2.diſp.13.concl.1.num.5. Duardus in expl. Bullæ Cœn. lib.2.can.1.q.55.num.11. Layman in Theolog. moral. lib.2.tract.1.cap.15.n.3. & alij. Sed cenſeo in priori ſententia perſiſtendum eſſe.

*An, qui legerit librum hæreticum in Gallia, Anglia, & aliis Prouinciis, vbi Bulla Cœnæ non eſt recepta, incidat, hoc non obſtante, in excommunicationem, & egeat Bulla Cruciatæ propter abſolutionem?*

RESOLVT. XXXV.

Affirmatiuè reſpondet Megala in 3.part. lib.3. cap.1. num.60.

At contrarium docet Sanchez in ſumma, tom.1. lib.2. cap.10.num.4. qui citat Azorium: & contra rationem Megalæ vide Becanum in ſumm. Theol.tract.3.c.6.quæſt.8. n.4. in fin. vbi docet ex communi Doctorum ſententia, in Germania excuſari multos, & non incidere in excommunicationes Bullæ Cœnæ, quia in multis locis vſu recepta non eſt.

*Vtrùm idiota legens librum hæreticum Latina lingua compoſitum, quam ipſe nullo modo intelligit, incidat in excommunicationem Bullæ, ita vt per Cruciatam ſit abſoluendus?*

RESOLVT. XXXVI.

Affirmatiuè reſpondet Megala in 3.part.lib.3.cap.1. n.45. quia Bulla non ſpectat finem, ſed factũ ipſum.

Sed negatiuam ſententiam docet Sanchez in ſumma, tom.1.lib.2.c.10.num.51. quia hic caſus à principio non fuit incluſus in lege. Laurentius verò Portel. in addit. ad dub.regul.verb.libri prohibiti, num.11. non audet hoc conſulere: ſed addit, quòd qui id fecerit, habebit Authorem Sanchez: in quibus verbis demonſtrat, hanc ſententiam eſſe probabilem, ſicuti reuerà probabiliſſima eſt & tuta in praxi; & illam, præter Sanchez, docet etiam Filliucius tom.2.tract.22.c.7.num.207. & Suarez tract. de fide, diſp.20.ſect.2.num.18. vbi ſic aſſerit: [ In primis, circa qualitatem neceſſarium eſt, vt non tantùm ſit exterior lectio, ſed cum intelligentia verborum: nam, ſi quis ignorans prorſus linguam Latinam, vel eam, in qua liber ſcriptus eſt, illum legat; non incurret cenſuram, nec per ſe loquendo, mortaliter peccabit: quia illa non eſt formalis, nec vera lectio; ſed tantùm materialis: & præterea ibi ceſſat ratio legis; quia neque periculum inde imminet, nec eſt communicatio cum Hæretico in doctrina: & in hoc omnes conueniunt.] Ita Suarez. Vnde negandum eſt id, quod dicit Megala; nempe, Bullam non ſpectare finem, ſed factum.

*An, qui intelligens, aliquem librum eſſe hæreticum comburit illum, & non Inquiſitoribus tradit, incurrat in excommunicationem huius Canonis?*

RESOLVT. XXXVII.

Reſpondeo, quòd communiter Doctores docent, quem non poſſe propria authoritate libros tales comburere, ſed teneri illos deferre ad Inquiſitores. Ita Suarez tract. de fide, diſp.20.ſect.2.num.23. Azorius tom.1. lib.8.c.16.q.11. Delrius diſquiſ.magic. tom.3. lib.5. ſect.17. Farinacius de hæreſi, q.180.n.40. Barboſa de poteſt. Epiſcop. p.3.alleg.90.n.5. Souſa in Bull. Cœn.cap.2.diſp.15. concl.3. n.4. Homobonus de exam. Eccl.p.1.tract.7. cap.2.q.12. & p.2.tract.11.cap.7.quæſt.15. ſeſ.2. Duardus in Bull. Cœn. lib.2.can.1.quæſt.52.num.1. Cherubinus in compen. Bullar. tom.2. conſt.79. Pij V. ſchol. 2. Riccius p.4. deciſ.255.n.4. & deciſ.260.n.7. Altherius de cenſ.tom.1.diſp.2.lib.5.cap.7. & alij. Et fundantur in quadam Conſtitutione Iulij III. qui hoc videtur præcipere.

Sed non reticebo, contrariam ſententiam docere Zanchinum in tr. de Hæreticis, c.7.n.7. & Repertor. Inquiſitorum, verb. libri, Filliucium tom.2.tr.22.c.7.n.208. vbi excuſat comburentes propria authoritate; aut tradentes illis, qui dictos libros legere poſſunt: quod anteà etiam docuerat in tom.1.tract.16.c.3.n.45. & hanc opinionem referens Bonacina de cenſ. diſp.2.q.5.punct.4.n.20. in noua editione non improbat, & ideò videtur illam admittere: & multi ex Authoribus citatis, vt Altherius, & Riccius, & Antonius Ricciulus in tract. de iure perſonarum, lib.5.c.24. n.2. & Campegius in addit. ad Zanchinum, de Hæret.c.7. n.7. contrariam ſententiam quam ipſi tenent, vocant tantùm veriorem, & tutiorem. Ergo ſecundùm dictos Authores ſententia Filliucij eſt probabilis.

Sed, quidquid ſit de peccato, vt benè notat Portell. in add. ad dubia regul. verb. libri prohibiti, n.13. certum eſt, illos, qui libros hæreticos comburunt propria auctoritate, non incurrere in excommunicationem Bullæ Cœnæ: qui tales libros comburendo, illos non retinent. Et ita etiam docet Sanchez in ſum.tom.1.lib.2.c.10.n.57. & Suarez vbi ſupr. tract. de fide, diſp.20.ſect.2.n.23. & alij.

*An imponentes gabellas ſuper rebus, quæ ad proprium vſum, vel familiæ, emuntur, incidant in excommunicationem Bullæ, & per Cruciatam ſint abſoluendi?*

RESOLVT. XXXVIII.

PRima opinio affirmat: & ita docet Toletus *lib. 5. c. 74.* quia dictæ gabellæ ſunt iniuſtæ, vt notat Caietanus *in ſumma, verb. vectigal.* Tabiena *eod. verb. num. 4.* Angelus *verb. pedagium, num. 2.* Armila *verb. gabella, n. 2.* Ledeſma *2. p. quæſt. 18. art. 3.* Medina *in p. 2. quæſt. 86. art.* Beia *p. 1. caſ. 13.* Gabriel *in 4. dist. 15. quæſt. 5. concl. 2. lit. Z.* cum aliis. Probatur *ex l. vniuerſi. C. de vectigalib.* vbi pœna capitis imponitur his, qui de rebus ad proprium vſum neceſſariis vectigalia exigunt. Et *in l. omnium. C. de vectigalib.* determinatur, vt gabellæ tantùm imponantur, vel exigantur pro rebus, vel ex rebus mercimonij, & negotiationis cauſſa aſportatis, vel delatis.

Deinde, ſupradictas gabellas iniuſtas eſſe patet: quia in illis pauperiores ita onerantur, ſicut diuites: quod eſt contra iuſtam formam tributi, quæ efficit, vt vnuſquiſque ſoluat iuxta proportionem ſuarum facultatum. Imò plus ſoluunt pauperes, quàm diuites: nam panem, vinum, oleum, &c. frequentiùs emunt pauperes: ergo plus perſoluunt, quàm diuites. Et tandem ex iſtis tributis æquè grauantur peregrini, ac incolæ; cùm tamen cauſa tributi ad peregrinos non pertineat.

At, his non obſtantibus, placet mihi ſententia Suarez *de legib. lib. 5. cap. 16.* Turriani *in 2. 2. tom. 2. diſp. 44. dub. 3. num. 4.* qui multos alios citat, & Ioan. de la Cruz *in direct. conſ. p. 1. præcept. 7. art. 3. dub. 1. concl. 1.* & aliorum aſſerentium, dictam gabellam eſſe iuſtam: quia ſeruatur in illa, quantùm fieri poteſt, æqualitas: nam, licèt pauperes plures habeant aliquando filios; tamen communiter, quia pauperes ſunt, minùs emunt ex his rebus, quæ ad vitæ vſum ſunt neceſſariè, quàm diuites. Deinde, vt notat Malderus *in 2. 2. tract. 5. c. 6. dub 6.* licèt pauperes in his gabellis æquè contribuant, ac diuites, aut etiam ampliùs; hoc ipſum tamen à dijtioribus compenſatur: quò enim cariora ſunt, quæ ad communem victum pertinent, eò ſolent cariùs vendi operæ, quas pauperiores in Republica præſtãt.

Adde, quòd, vt optimè notat Molina, & alij, vectigalia, quæ ex mercibus ſoluere coguntur mercatores; non tam redundant in grauamen, ac ſumptus ipſorum, quàm in grauamen eorum, qui illas ex ipſis ſunt empturi: mercatores quippe, quò carius emunt merces, quas aſportant, & quò plura tributa ex eis ſoluunt, eò cariùs eas vendunt. Quò fit, vt grauamen eiuſmodi magna ex parte redundet in populos, ſeu in emptores earum mercium, & non in mercatores, licèt emptores, & populus id non conſideret. Quò fit, vt quæ inæqualitas obiicitur ex eo, quòd tributum ſoluatur ex his rebus, quæ aſportantur, emuntur, aut venduntur ad ſubleuandam propriam neceſſitatem; cernatur, & accidat ſimiliter in eo, quòd mercatores vectigalia ſoluant ex rebus, quas aſportant, emunt, aut vendunt negotiationis cauſa; quandoquidem hæc ipſa tributa tandem ſoluunt, qui eas res emunt ad ſubleuandam propriam neceſſitatem.

Et tandem ex impoſitione dictarum gabellarum minora ſunt murmura, quàm eſſent in cenſu patrimonij, aut capitis: in æſtimando enim cuiuſque patrimonio multùm odij, multùm etiam deprauati iudicij incurritur: deinde oportet multos eſſe Officiarios ad exigendum, quorum ſtipendia multùm augent tributum, & per huiuſmodi tributa ſuper poculenta, & eſculenta, ſeu ſimilia, cùm per minutim ſoluatur reipublicæ ſubſidium, inſenſibile quodammodo eſt detrimentum ſoluentium. Itaque publicæ commoditatis gratia, meritò talia vectigalia debent tolerari, & licita ſunt.

Ex quibus omnibus apparet, ſecundùm hanc ſententiam, poſſe Principem, ſeu rempublicam, imponere vectigalia, non ſolùm in his, quæ negotiationis cauſa venduntur, ſiue emuntur; ſed etiam in his, quæ venduntur, aut emuntur, vt neceſſaria ad vitæ vſum: verum eſt, quòd ſupradicta ſententia recipitur à multis, & probabiliter quidem, cum aliquibus conditionibus, & non aliter, quas conditiones ponit Leſſius *lib. 2. c. 33. dub. 7. n. 51.* Reginaldus *in praxi, tom. 1. lib. 10. c. 24. n. 377.* Molfeſius *in ſumm. tom. 2. tract. 12. c. 22. n. 96.* Fauſtus *in ſpec. Conf. diſp. 33. q. 22. num. 4.* Laym. *in Theol. mor. lib. 4. ſect. 5. tract. 3. num. 3. c. 3.* Tanner. *in 2. 2. diſp. 4. q. 6. dub. 12. n. 345.* & alij.

Reſtat modò reſpondere ad argumenta contrariæ ſententiæ. Ad primum reſpondet Turrian. *l. c. num. 5.* illam legem non eſſe diſpoſitionem iuris naturalis, ſed poſitiui, ideò mutari poteſt, ſolùmque obſeruatur, vbi leges iuris communis obſeruantur. Adde, quòd, vt notat noſter Megala *in p. 2. lib. 2. c. 17. q. 5. n. 71.* nullus poteſt imponere gabellas, niſi Princeps, ſeu Magiſtratus, qui in regimine temporalium ſupremam authoritatem, & regalia, & merum, & mixtum imperium de iure habent, & ab alio nouas leges non recipiunt. Sed hi Principes poſſunt & imperiales leges tollere. Ergo, & contra dictam legem vniuerſi poſſunt nouas gabellas inſtituere; & conſequenter gabellas ſic inſtitutas exigentes, vel imponentes non eſſent excommunicati. Vel tandem reſpondendum eſt dictã legem, per contrariam conſuetudinem abrogatam fuiſſe, vt teſtatur Graſſius *in deciſ. p. 1. lib. 4. c. 18. n. 82.* & Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 5. q. 5. n. 6.* cum aliis DD. ſupracitatis.

Ad ſecundum argumentum patet reſponſio ex dictis, quibus adde, cùm pauperes paucis ſoleant eſſe contenti, & modico viuere, pauca vendunt, & emunt; & conſequenter modicum ſoluunt, attenta quantitate, quam ex tali emptione, & venditione diuites ſoluunt.

Ad tertium reſpondetur, quòd peregrini meritò tales gabellas ſoluunt: nam & in ſua patria viciſſim ex hac republica peregrinos ſimiliter ipſi tractant: & ita docuit Malderus *in 2. 2. tract. 8. . 6. dub. 6.* & alij.

Notandum eſt verò, quòd ſtando in contraria opinione, nempe, ſupradictas gabellas eſſe iniuſtas; tamen non deſunt Doctores, qui tali caſu illas imponentes non incurrere in excommunicationem Bullæ aſſerant: & ſic notauit Sayrus *de cenſ. lib. 3. c. 9. n. 6.* & alij: quia putant, imponentes gabellas ſolùm incurrere in excommunicationem Bullæ Cœnæ ex defectu cauſæ efficientis; nempe, ſi non habeant poteſtatem imponendi; non autem ex defectu cauſæ materialis, vt eſſet in caſu noſtro; vel ex defectu cauſæ formalis, vt ſi imponerentur Clericis, vel aliis exemptis. Sed, vt diximus *ſuprà*, non deſunt Doctores, qui contrarium ſentiant; videlicet, poſſe aliquẽ in dictam excommunicationem Bullæ incurrere, non ſolùm ex defectu cauſæ efficientis, ſed etiam materialis formalis, & finalis. Et iſtæ opiniones ſunt omnes probabiles; non ſolùm ex principiis intrinſecis; ſed etiam ex principiis extrinſecis: nam vtraque opinio habet pro ſe optimos Authores.

Sed hæc ſatis dicta ſint de aliquibus caſibus Bullæ Cœnæ, ad cognoſcendum, vtrùm indigeant priuilegio Bullæ Cruciatæ: pergemus modò ad alia dubia circa ipſam Bullam Cruciatæ.

*An commutatio votorum facta per priuilegium Bullæ Cruciatæ, indigeat aliqua iuſta cauſſa?*

RESOLVT. XXXIX.

REſpondeo negatiuè cum Portel. *in addit. ad dub. reg. verb. voti commut. 91.* Suarez *de relig. tom. 2. lib. 6. c. 19. n. 10.* Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 4. c. 30. n. 19.* Barthol. à S. Fauſto *in theſ. relig. lib. 4. q. 20. n. 7.* & aliis. Et ratio eſt: quia, licèt ad commutationem voti in æquale bonum, iuſta, & debita cauſa requiratur, vt probant Doctores ex D. Thoma *in 2. 2. quæſt. 88. art. 12. in corp.* tamen, quando aliquod priuilegium ad commutanda vota non confertur ſimpliciter, ſed cum aliquo onere ob bonum publicum, vt fit per Bullam Cruciatæ, vel Iubileum; tunc nulla alia eſt opus cauſſa, quàm conferre eleemoſynam in belli ſubſidium præſcriptam in Bulla, & exequi opera in Iubileo definita: quia ob talem cauſſam Pontifex id priuilegium concedit.

*An commutatio voti facta per Bullam, poſſit fieri in minus bonum?*

RESOLVT. XL.

NEgatiuè reſpondet Portel *in addit. ad dubia regular. verb. voti commutatio, n. 59.* Sanchez *in ſumma, tom. 1. lib. 4. c. 54. n. 4.* Suarez *de relig. tom. 2. lib. 6. c. 7. & 19.* Reginaldus *tom. 1. lib. 8. c. 22. n. 352.* & Ioan. de la Cruz *in direct. p. 1. præc. 2. art. 2. dub. 10. concl. 5.* Raphaël de la Torre *in 2. 2. tom. 2. q. 88. art. 12. diſp. 4. num. 1.* Azorius *p. 1. lib. 11. c. 18. q. 6.* Beia *p. 1. caſ. 49.* Sayrus *lib. 6. c. 12. n. 6. & c. 19. n. 7. & 8.* Sotus *lib. 7. de iuſt. q. 4. art. 3.* & alij: quia, licèt priuilegium Bullæ ſit fauorabile; non eſt tamen extendendum vltra verborum proprietatem: ſed commutatio propriè dicit, & ſignificat æqualitatem: ergo, &c.

Sed contrariam ſententiam probabiliorem eſſe puto, quam docet Leſſius *lib. 2. c. 40. dub. 16. n. 109.* Henriquez *lib. 7. c. 30. n. 5.* Arag. *in 2. 2. q. 88. art. 12.* Medina *in inſtruct. lib. 1. c. 14. §. 7.* Leone *tract. de Iubil. p. 2. q. 12. n. 64.* cũ Homobono *de exam. Eccl. p. 1. tract. 5. cap. 6. quæſt. 40.* & alij. Et ratio eſt: quia aliter Bulla nihil operaretur, cùm abſque tali priuilegio poſſit Confeſſarius abſque iuſta cauſſa in melius, authoritate propria; & in æquè bonum cum cauſa iuſta, authoritate Prælati. Aliqui verò Doctores hanc ſecundam ſententiam affirmatiuam ſequuntur in caſu, quo Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ commutaret vota in bonum quaſi æquale; ſed non in longè minus. Et ita docent Villalobos *in ſum. part. 1. tract. 27. clauſ. 9. §. 3. n. 39.* & alij.

*An Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ poſſit, quemadmodum vota, ita etiam iuramenta facta circa eandem materiam votorum commutare?*

RESOLVT. XLI.

NEgatiuè reſpondet Azorius *tom. 1. lib. 11. c. 10. q. 2.* Leſſius *lib. 2. c. 42. dub. 12. n. 60. & 62.* Bartholomæus à S. Fauſto *in theſ. relig. lib. 4. quæſt. 4. num. 1.* & alij. Et ratio eſt: quia iuramenti vinculum eſt ſpecie diſtinctum à voto: ergo priuilegium Bullæ Cruciatæ conceſſum ad commutanda vota, non extenditur ad commutanda iuramenta.

Sed contrariam ſententiam probabiliorem eſſe iudico, quam docet Portel. *in addit. ad dub. reg. verb. voti commut. n. 98.* Fernãdez *in exam. Theol. mor. p. 3. c. 9. ſect. 2. §. 17. n. 2.* Filliucius *tom. 2. tract. 26. c. 9. n. 254.* Suarez *de relig. tom. 2. lib. 6. c. 14. n. 6.* Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 4. c. 53. n. 8.* & alij penes ipſos. Dico igitur, quòd quando in Cruciata, ſeu Iubileo, conceditur commutatio ad vota, non exprimendo iuramenta, poteſt etiam commutari iuramentum, quod ſoli Deo factum eſt. Et ita etiam nouiſſimè docuit Leone *tract. de Iubil. p. 2. q. 12. n. 68. & ſeq.* Molfeſius *in ſum. tom. 1. tract. 11. c. 15. n. 203.* & Villalobos *in ſumma, tom. 1. tr. 27. clauſ. 9. §. 3. num. 29.* vbi ſic aſſerit: [ Puede por la Bula el Confeſſor comutar los iuramentos: porque quando ſe concede facultad de comutar el voto, ſe concede el comutar la obligacion, que ſe adquiere à ſolo Dios, como à creer por la virtud de Religion; y la miſma obligacion ſe adquiere à Dios por el iuramento, que à el ſe haze immediatamente, que por el voto: y anſi la facultad de diſpenſar en el voto, ſe eſtiende à la del iuramento; porque conforme al derecho, lo que ſe diſpone en vna de dos coſas, que ſe equiparan, es iuſto diſponerſe en la otra. ] Ita ille. Ex quibus patet reſponſio ad argumentum contrariæ ſententiæ: quia, cùm tam voti, quàm





iuramenti præſtiti obligatio ſoli Deo acquiratur, ſequitur, quòd facultas circa vota extendatur etiam ad huiuſmodi iuramenta.

Notandum eſt verò, quòd hæc ſententia non procedit in caſu, quo iuramenta adiecta ſint contractui, in quo eſt turpitudo, & iniuſtitia in creditore; vt ad iuramentum factum homini de ſoluendis vſuris, aut metu extortum, &c. Ita Sanchez *vbi ſupr. n. 13.* Suarez *eodem num.* quibus adde Bartholomæum à S. Fauſto *in theſ. relig. lib. 4. quæſt. 53.* Sanctarellum, & Molfeſium, *vbi ſuprà*: licèt contrarium aſſerat Barthol. Ledeſma *de Sacrament. tract. de matr. dub. 13.* & Rodriquez *in ſumma, part. 1. cap. 231. num. 4. & cap. 244. num. 4.*

*An Confeſſarius, qui per Bullam Cruciatæ habet poteſtatem commutandi vota, poſſit, illa diſpenſare?*

RESOLVT. XLII.

MInimè, reſpondet Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 3. c. 9. ſect. 2. §. 17. num. 6.* Et ratio eſt: quia maior poteſtas requiritur ad diſpenſandum, quàm ad commutandum. Et ita etiam docet Portel. *in addit. ad dub. regul. verb. voti commutatio, num. 46.* Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 9. §. 5. num. 28.* Homobonus *de exam. p. 1. tract. 5. c. 6. quæſt. 40.* & alij.

*An Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſſit commutare vota iuramento firmata?*

RESOLVT. XLIII.

NEgatiuè reſpondet Henriquez *lib. 7. c. 30. n. 5.* Sayrus *in claui reg. lib. 5. c. 8. num. 9.* Filliucius *tom. 2. tract. 26. c. 9. n. 255.* Azorius *tom. 1. lib. 11. cap. 10. quæſt. 2.* & Leſſius *lib. 2. cap. 40. dub. 11. num. 94.* Et ratio eſt: quia concurrunt duo vincula expreſſa, quæ certum eſt eſſe maiora vno vinculo expreſſo.

Sanchez verò *in ſum. tom. 1. lib. 4. c. 43. n. 18.* putat, hanc ſententiam non eſſe veram, ſi iuramentum emittatur tantùm ad voti emiſſi confirmationem: ſecùs autem, ſi præſtetur independenter ab illo, & tantum concomitanter: nam in iſto caſu priuilegium Bullæ non extenditur ad votum, & iuramentum, ſimul concurrentia. Et ita hanc ſententiam poſt Sanchez docuit Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 9. §. 3. n. 30.* qui citat Rodriquez *in addit. ad Bull. §. 9. num. 111.* Et ratio eſt: quia, cùm ſint duo vincula ſpecie diuerſa, nec vnum ab alio dependeat, fortiora ſunt vno ſolo, quod priuilegium Bullæ concedit: ergo, &c.

Sed, licèt hæc ſententia ſit probabilis, non minùs probabilis videtur ſententia Suarez *de relig. tom. 2. lib. 6. c. 14. n. 19.* qui ſuſtinet, in vtroque euentu poſſe Confeſſarium per virtutem Bullæ commutare vota, & iuramenta: quia, licèt ſint duo vincula diuerſa ſpecie; at in ordine ad commutationem reputantur quaſi vnum, & idem, & eiuſdem rationis: nec vnum addit alteri grauitatem intenſiuam; ſed ſolùm extenſiuam, id eſt, plura vincula. Vnde patet reſponſio ad rationes in contrarium: quia, vt diximus, etſi votum, & iuramentum ſpeculatiuè ſint duo vincula ſpecie diuerſa; tamen moraliter in ordine ad Deum, & ad virtutem religionis æquiparantur: ergo, &c.

*An Confeſſarius peccet, ſi ſine iuſta cauſa nolit virtute Cruciatæ commutare vota pœnitentis?*

RESOLVT. XLIV.

REſpondeo affirmatiuè, cum Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 4. c. 54. num. 12.* qui citat multos alios, quibus ego addo Bartholom. à S. Fauſto *in theſ. relig. lib. 4. quæſt. 53.* & Homobonum *de exam. Eccl. p. 1. tract. 5. c. 6. q. 40.* Et ratio eſt: quia, cùm Confeſſarius per Bullam Cruciatæ ſit Iudex delegatus in pœnitentis fauorem, tenetur ius ex priuilegio illo ſibi conceſſum tribuere, ſicut Epiſcopus dicitur

infidelis *in cap. quanto. 2. quæſt. 5.* ſi deneget diſpenſationem ſubdito petenti ex iuſta cauſa.

Notandum eſt verò, quòd Regulares non peccarent, ſi nollent virtute ſuorum priuilegiorum vota pœnitentis commutare. Et ratio eſt: quia non aſtringuntur vti ſuo priuilegio. Ita Sanchez *vbi ſuprà*, cum aliis: licèt non minùs probabiliter contrarium aſſerat Henriquez *lib. 7. cap. 28. n. 2.* cum aliis, quos ſequitur Fauſtus, *vbi ſuprà, q. 54.* addens, *in fine quæſtionis*, Confeſſarios in vtroque caſu peccare ad minus venialiter.

*An commutatio voti virtute Bullæ Cruciatæ debeat fieri in Confeſſione ſacramentali?*

RESOLVT. XLV.

Affirmatiuè reſpondet Fernandez *in exam. Theolog. moral. p. 3. c. 9. ſect. 2. §. 17. num. 5.* Rodriquez *in Bulla Cruciatæ, §. 9. n. 113. regul. 9.* & Vegha *in ſum. tom. 1. c. 129. caſ. 34.* & alij.

Sed contrariam ſententiam probabiliorem eſſe iudico cum Sanchez *in ſumma, tom. 1. lib. 4. c. 54. n. 15.* Henriquez *lib. 7. c. 30. num. 6.* & alij penes ipſos, quibus ego addo Homobonum *de exam. Eccl. p. 1. tract. 5. c. 6. quæſt. 40.* Villalob. *in ſum. tom. 1. tract. 26. clauſ. 9. §. 3. n. 3.* & Suarez *de relig. tom. 2. lib. 6. c. 16. n. 14.* quia in textu Bullæ Cruciatæ non dicitur: *Vt auditis Confeſſionibus, commutatio votorum efficiatur.* Ergo, &c.

Et hæc doctrina procedit etiam, quando dicta commutatio efficeretur per priuilegia regularium, vel per aliquod Iubileum. Ita Naldus *in ſumma, verb. Indulg. num. 8.* Henriquez, & Sanchez, *vbi ſuprà*, quidquid in contrarium aſſerat Sayrus *in claui, lib. 6. cap. 11. num. 105.* Beia *p. 2. caſ. 1.* Peregrinus *in compend. noſtrorum priuil. p. 1. tit. commut. §. 3.* Sanctarellus *tract. de Iubil. c. 8. dub. 8.* & alij penes ipſos.

*An Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſſit commutare votum pœnale, quoad pœnam pecuniariam ex eius fractione incurſam?*

RESOLVT. XLVI.

Negatiuam ſententiam docuit Azorius *part. 1. lib. 11. cap. 18. quæſt. 11. in fine*, & magis expreſsè Sayrus *in claui regia, lib. 6. cap. 12. num. 20.* cum aliis: quia illud eſt commutare pœnam ex illius fractione debitam: ſed Bulla Cruciatæ ſolius voti commutationem indulget: ergo, &c.

Hæc opinio eſt probabilis: ſed contrariam probabiliorem eſſe exiſtimo cum Raphaële de la Torre *in 2. 2. tom. 2. quæſt. 88. art. 12. diſp. vlt. n. 4.* Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 4. c. 52. n. 9.* qui citat Sanch. *de relig. tom. 2. lib. 6. c. 2. n. 19.* cui ego addo Leonem *de Iubil. p. 2. q. 12. n. 74.* Homobonum *de exam. Eccl. p. 1. tract.... cap. 6. q. 36.* Malderum *in 2. 2. tract. 10. c. 5. dub. 11.* Filiucium *tom. 2. tr. 26. cap. 10. n. 296.* Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. p. 1. Præcep. 2. art. 1. dub. 10. concl. 3.* Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 9. §. 3. n. 32.* vbi ſic ait: [Tambien ſe puede por la Bula de la Cruzada comutar la pena en que ſe incurre, por quebrar el voto penal, como ſi vno jurò de no jugar, y ſi jugaſſe de dar tal limoſna, ò diziendo ſo pena de dar tal limoſna, porque aquella pena ſe deue por via del voto, y como el Pontifice concede facultad à cerca de los votos, tambien la concede en eſtas penas.] Vnde patet reſponſio ad argumentum contrariæ opinionis: nam dicimus, quòd illa pœna nō debetur, niſi ex vi voti, quod à principio obligauit ad illam: ergo facultas per Bullam Cruciatæ conceſſa ad commutandum illud votum, extenditur etiam ad pœnam incurſam ob violationem ipſius. Et hæc ſententia procedit, etiamſi Pontifex commutauerit votum, iubendo partem pœnæ ſolui: nam poteſt etiam dicta pars commutari.

*An Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſſit commutare votum emiſſum in fauorem tertij, vt, v. g. vouit Petrus dare calicem pro ſacello B. Andreæ, aut certo pauperi eleemoſynam, &c.*

RESOLVT XLVII.

Reſpondeo affirmatiuè cum Suarez *tom. 2. de relig. lib. 6. cap. 15. n. 11.* & Sanchez *in ſumma, tom. 1. lib. 4. c. 41. n. 9.* Leone *de Iubil. p. 2. quæſt. 12. n. 72.* Filliuc. *tom. 2. tract. 26. c. 9. num. 257.* Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. p. 1. Præcept. 2. art. 2. dub. 10. concl. 2.* Et ratio eſt: quia tale votum non tribuit vllum ius illi Eccleſiæ, ſeu pauperi: ergo poterit illud Confeſſarius commutare.

Secùs autem, ſi huiuſmodi votum fuerit à Præpoſito Eccleſiæ, vel paupere acceptatum: nam ita acquiſiuiſſent ius per acceptationem. Vel ſecundùm aliquos, ſi votum dirigatur in Sanctum, cui dicatur Eccleſia: vt, Promitto B. Andreæ, me daturum eius Eccleſiæ vnum calicem.

Sed hanc limitationem rectè impugnat Sanchez *vbi ſup. num. 12.* Suarez *num. 10.* cum Leſſio *lib. 2. c. 40. dub. 11. num. 90.* & Bartholomæus à S. Fauſto *in theſ. Relig. lib. 4. q. 52.* cum aliis.

*An Confeſſarius ex iuriſdictione ordinaria poſſit commutare votum in bonum æquale, vel ad hoc faciendum indigeat Bulla Cruciatæ?*

RESOLVT. XLVIII.

Non poſſe hoc facere, niſi per poteſtatem delegatam, vt per Bullam, v. g. docuit Sanchez *in ſumma, tom. 1. lib. 4. cap. 49. num. 13.* cum Suarez *de relig. tom. 2. lib. 6. c. 19. n. 6.* Et ratio eſt: quia poteſtas ordinaria Confeſſoris extenditur tantùm ad forum pœnitentiæ, ad quod commutandi poteſtas non pertinet; ſed ad Eccleſiæ gubernationem in foro externo.

Non reticebo tamen contrariam ſententiam docere Leſſium *lib. 2. c. 40. dub. 16. n. 105.* qui citat Viualdum *in Candelabro aureo.* Adde, quòd Medina *in inſtruct. Confeſſ. lib. 1. c. 14. §. 17.* Henriquez *in ſum. lib. 7. c. 30. n. 5.* & alij putant, hoc fieri poſſe etiam authoritate propria pœnitentis, dummodo votum in æquale commutetur: quam ſententiam probabilem vocat Aragon. *de iuſt. q. 88. art. 12. dub. 1. diſt. 3.* & Suarez *vbi ſup. de relig. tom 2. lib. 6. cap. 20. num. 4.* & alij, vocantes tantùm contrariam probabiliorem, & tutiorem, quam tenet, præter Doctores, quos citat, & ſequitur Sanchez, *vbi ſupra*, Bartholomæus à S. Fauſto *in theſ. Relig. lib. 4. q. 10. n. 3.*

*An Confeſſarius virtute Cruciatæ commutans aliquod votum abſque debita æqualitatis inueſtigatione, peccet mortaliter?*

RESOLVT. XLIX.

Reſpondeo affirmatiuè cum Sanch. *in ſum. tom. 1. lib. 4. c. 50. n. 8.* quia deficit in re graui, & eſt cauſa diuini cultus minuendi: ergo, &c. Et licèt hanc æqualitatem inuenire difficillimum ſit; & impoſſibile reputet Emmanuël Rodriquez *in Bull. Cruc. §. 9. n. 106.* Vnde, & benè, conſulunt Doctores, vt ſemper commutatio efficiatur in paulò plus; tamen ad conſolationem Confeſſariorum, qui non oſcitanter tamen hanc commutationem efficiunt, ponam hîc verba doctiſſimi Patris Portel. *in dub. regul. verb. commutatio, n. 43.* vbi ſic aſſerit: [Non oportet ſcrupulis agitari, an opus, in quod votum commutatur, ſit omninò æquale; hæc enim æqualitas non debet eſſe mathematica: & moraliter loquendo, omnimoda æqualitas non eſt cognoſcibilis; ſufficit æqualitas ad arbitrium boni viri, ſecluſa fraude, & graui ignorantia; maximè ſi commutatio fiat virtute priuilegij.] Ita Portel.

Notandum



Notandum eſt etiam cum Suarez *t. 2. de relig. c. 19. n. 94.* quòd commutatio fieri poteſt in materiam, de cuius æqualitate dubitatur: quod eſt valdè notandum pro ſcrupuloſis.

*An Confeſſarius poſſit commutare vota poſt Bullam ſuſceptam emiſſa?*

RESOLVT. L.

Reſpondeo affirmatiuè, quidquid dicat Sotus cum Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 3. cap. 9. ſect. 2. §. 17. n. 4.* & Villalob. *in ſum. tom. 1. tr. 27. clauſ. 9. §. 3. n. 40.* qui citat Nauarrum, Cordubam, & Azorium. Sed mecum ſentit Ledeſma *in ſum. tom. 2. tr. 11. c. 4. dub. 5.* & Acoſta *in Bull. qu. 73.* Et ratio eſt, quia fauores ſunt ampliandi: & quando Summus Pontifex in Bulla concedit priuilegium commutandi vota, non illud reſtringit, aut limitat: ergo neque nos reſtringere, aut limitare debemus. Et Henriquez *in ſum. lib. 6. c. 16. n. 3. in Gloſſ. litt. N*, aſſerit ita etiam ſenſiſſe omnes Doctores Salmanticenſes, & opinionem Soti falſam etiam ibi vocat. Vide etiam Malderum *in 2. 2. tr. 10. c. 5. dub. 11.*

*An per Bullam Cruciatæ poſſit Confeſſarius commutare votum factum de non petenda commutatione?*

RESOLVT. LI.

Reſpondendum eſt affirmatiuè: & ita docet Villalobos *in ſum. tom. 1. tr. 27. clauſ. 9. §. 3. n. 35.* Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 3. c. 9. ſect. 2. §. 17. num. 4.* Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 4. c. 54. n. 23.* Rodriquez *in Bull. c. 9. §. 112.* Acoſta *in Bull. q. 73. in fin.*

*An Confeſſarius in fine anni poſſit differre commutationē voti, etiamſi annus Cruciatæ tranſeat, ſi velit maturiùs conſiderare ſuper voti commutationem, dicendo pœnitenti: Commuto tibi hoc votum in id, quod ego, vel alius poſteà exiſtimabit commutandum?*

RESOLVT. LII.

Reſpondeo affirmatiuè cum Suarez *de relig. tom. 2. lib. 6. c. 11. n. 15.* Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 4. c. 54. n. 31. 32. & 39* qui rationem adducit: quia iam accepit poteſtatem, & inchoauit cauſſam, & vt ita dicam, conceſſit commutationem tempore habili: quod ſatis eſt, vt poſſit poſteà illud commutare.

Notandum eſt verò in gratiam Confeſſariorum, quòd in tali caſu non peccat pœnitens, ſi, antequàm Confeſſarius, vel alius vir materiam ſubrogandam præſcribat, votum illud violauerit. Et ita docet Sanchez *vbi ſuprà*, cui ego addo Leſſium *lib. 2. cap. 40. dub. 16. n. 109.* quidquid in contrarium aſſerat Rodriquez *in expoſ. noſtræ Bullæ, §. 9. n. 115.* Et ratio eſt: quia obligatio illius voti iam eſt extincta, & tranſlata in aliam materiam in genere, quam pœnitens acceptauit; & ideò implicitè vouit id, quod Confeſſarius, vel alius vir præſcripturus eſt; ac ideò ante talem præſcriptionem votum nòn obligabit.

*An votum pœnale Religionis, ſeu caſtitatis, ſit per Bullam diſpenſabile?*

RESOLVT. LIII.

Quidquid in contrarium aſſerat Acoſta *in Bull. q. 73.* & alij, affirmatiuè reſpondet Sanchez *de matr. tom. 3. lib. 8. diſp. 15. num. 8.* qui citat plures Doctores, quibus ego addo Nugnum *in 3. p. tom. 2. tract. de Bull. §. 11.* Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. p. 2. præcept. 2. art. 2. dub. 10. concl. 4. in fin.* Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 3. c. 9. ſect. 2. §. 17. n. 9.* Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 9. §. 3. n. 42.*



Dico igitur, per Bullam Cruciatæ poſſe Confeſſarium commutare vota pœnalia, non ſolùm ante, ſed etiam poſt impletam conditionem. Et ratio eſt, quia votum pœnale, etiam poſt impletam conditionem, deficit valdè à perfecta voti Religionis, & caſtitatis natura, ratione cuius perfectionis reſeruatur tale votum; vouens enim in tali caſu non eligit votum, vt tale eſt; ſed potiùs eius timore, & odio voluit deterreri, ne delictum admitteret, quod vitare propoſuit. Et ideò Epiſcopi talia vota etiam commutare, & diſpenſare poſſunt, vt docet Leſſius *lib. 2. c. 40. dub. 18. n. 130.* Malderus *in 2. 2. tract. 10. cap. 5. dub. 10.* Gomez *in Bull. Cruc. clauſ. 10. num. 99.* & Henriquez *lib. 7. c. 30. n. 6. in Gloſſa lit. A*: vbi citat multos Doctores, & præſertim aliquos Magiſtros Salmanticenſes.

Idem etiam docet Sanchez, *vbi ſuprà diſp. 10. n. 8.* quidquid in contrarium aſſerat Azorius *p. 1. lib. 11. c. 10. q. 3. & cap. 19. quæſt. 13.* cum Guttierrez *qq. canon. lib. 2. c. 22. n. 50. & 51.* Vide etiam Filliucium *tom. 2. tract. 26. c. 10. n. 271.* & Zanardum *in direct. Theol. p. 2. c. 52.*

*An ſupradicta doctrina procedat etiam in votis conditionalibus?*

RESOLVT. LIV.

Reſpondeo affirmatiuè, & ita Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poteſt commutare vota conditionalia, quando ſunt verè conditionalia; non ſolùm ante, ſed etiam poſt impletam conditionem. Dixi, *quando ſunt verè conditionalia*: quia hæc vota conditionalia ferè ſemper non procedunt ex religionis, aut caſtitatis affectione; ſed ex amore rei poſitæ ſub conditione, quam vouens obtinere deſiderat; & vt faciliùs illam conſequatur, offert Deo ea vota. Et in hoc caſu poteſt quidem Confeſſarius ſupradicta vota, vt diximus commutare. Et ita docet Sanchez *de matr. tom. 3. lib. 8. diſp. 11. n. 8. in fin.* & alij.

Et ita etiam Epiſcopi dicta vota commutare poſſunt, vt docet idem Sanchez *diſp. 10. num. 3.* qui citat Ledeſmam *in ſum. tom. 2. tract. 10. c. 8.* quidquid in contrarium aſſerat Leſſius *lib. 2. cap. 40. dub. 18. n. 131.* Filliucius *tom. 2. tract. 26. c. 9. n. 269.* Suar. *de relig. tom. 2. lib. 6. c. 22. num. 11.* Valentia *in 2. 2. diſp. 6 q. 6. punct. 7.* Azor. *p. 1. lib. 11. c. 19. q. 13.* & alij.

*An votum ingrediendi Religionem arctiorem, poſſit Confeſſarius, virtute Bullæ Cruciatæ, commutare in laxiorem Religionem?*

RESOLVT. LV.

Reſpondeo affirmatiuè: quia Confeſſarius in tali caſu non commutat votum Religionis abſolutè, ſed quandam Religionis qualitatem. Et ita docet, contra Lopez, Pater Sanchez *de matr. tom. 3. lib. 8. diſp. 15. n. 5.* erogata tamen aliqua eleemoſyna in belli ſubſidium, quæ ſuppleat eum Religionis ſtrictioris exceſſum; additis etiam cum hac eleemoſyna aliis operibus piis.

Et ideò ſupradictum votum poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare, vt docet Reginaldus *tom. 2. lib. 18. c. 23. n. 331. & 335.* Leſſius *lib. 2. c. 40. dub. 18. n. 124.* & Malderus *in 2. 2. tract. 10. c. 5. dub. 10.* Henriquez *lib. 7. c. 22. n. 7.* Azorius *p. 1. c. 18. q. 8.* Sayrus *in claui, lib. 6. c. 11. n. 61.* quidquid in contrarium aſſerat Nauarrus *comm. 4. de regul. n. 10.*

*An Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ poſſit commutare omnia vota, quæ Epiſcopus commutare poteſt?*

RESOLVT. LVI.

Hæc quæſtio multùm conducit ad reſolutionem multorum caſuum, quos *ſuprà* determinauimus, & *infrà* examinandi ſunt: ideò reſpondeo affirmatiuè cum Bonacina *de legib. diſp. 4. quæſt. 2. punct. 7. §. 4. n. 16.* Sanchez

 in

*in ſum.tom.1.lib.4.c.54.num.19.& de matrim. tom. 3. lib. 8. diſp.15.n.5.* quem nouiſſimè ſequitur Sanctarell. *de Iubil. c.6.dub.1.*& alij:& ita dicendum eſt de Iubileo:ex quibus patebit reſolutio multorum caſuum.

Notandum eſt tamen, ſupradictam ſententiam procedere, quando Epiſcopus diſpenſat, vt Epiſcopus; non autem quando diſpenſat, vt Sedis apoſtolicæ delegatus, vt ex multis notauit noſter P. Leone *in tract. de Iubil. p. 2. quæſt.13.ſect.2.num. 97.* & Barboſa *de poteſt. Epiſcop. p.2. alleg.37.n.14.* qui citat Rodriquez,& Suarez:nam in tali caſu Confeſſarius non poſſet tale votum commutare per Cruciatam, ſicut quando Epiſcopus diſpenſaret in his votis ratione ſolius neceſſitatis, vt obſeruat Sanchez *de matrim.lib.2.diſp.40.n.9.*

*An Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſsit commutare votum caſtitatis, quando fuit emiſſum pro tempore limitato?*

RESOLVT. LVII.

Affirmatiuè reſpondeo:& ita docet Sanchez *de matr. tom.3.lib.8.diſp.15.num.4.* Henriquez *lib.7.cap. 30. num.6.* Vegha *tom.2.cap.129.caſ.34.* Villalob.*in ſum.tom.1. tr.27.clauſ.9.§.3.n.42.* Nugnus *in 3.p.tom.2.tract. de Bull. Cruc.§.11.* Fernand.*in exam.Theol.part.3.cap.9.ſect.2.§.17. n.8.* Guttierr.*de matr.c.123.n.6.* Acoſta *in Bull.q.73.*& alij: quia non eſt votum perfectum,& abſolutum caſtitatis.

Et ideò in tali voto poteſt Epiſcopus diſpenſare,vt notauit Azorius *p.1.lib.11.cap. 19. quæſt.6.* Gomez *in expoſ. Bullæ Cruc.clauſ.10.n.109.* Graffius *in deciſ.p.1.lib.2.c. 31. n.29.* Ioan.de la Cruz *in direct.conſ.part.1.præcept. 2. art. 2.dub.10.conc.3.* Zanard. *in direct.Theol.p.2.c.52.* Guttièr. *qq.canon.lib.2. c.22.n 48.* Toletus *lib.4.c.18.n.11.* Valentia *tom.3.diſp.6.qu.6.punct.7.* Paludanus *in 4.diſt.38.qu.4. art. 4.n.43.* Leſſius *lib.2.cap.40. dub. 18.num.123.* Malderus *in 2.2.tract.10.cap.5.dub. 10.* & alij.

*An per Bullam poſsit Confeſſarius commutare votum, non petendi debitum?*

RESOLVT. LVIII.

Poſſe, arbitratur Rodriquez *in ſum.tom.1.c.90.n. 3.* & Sanchez *de matrim.tom.3.lib.8.diſp.15.n.4.* etiamſi tale votum fuiſſet emiſſum ex alterius coniugis licentia. Imò, ſi vterque coniux communi conſenſu voueret,nec petere, nec reddere:quæ omnia ſunt valdè notanda, & in praxi occurrentia.Et ratio eſt:quia ſupradicta vota non ſunt vota integræ caſtitatis,ſed partis:ergo per Bullam ſunt commutabilia. Nec refert, ſi communi conſenſu nec petere, nec reddere debitum vouiſſent:quia adhuc non eſt votum integræ caſtitatis:relinquitur enim libertas tranſeundi ad ſecundas nuptias.

Et ideo etiam Epiſcopus poteſt illa commutare, vt docet Azorius *part.1.lib.11.c.19.q.6.* Palatius *in 4.diſt. 32. diſp.2.* Sà *verb.votum,* vbi de irritatione, *n.11. in fin.* Malderus *in 2.2. tr.10. cap.5.dub.10.* Leſſius *lib.2.cap.40.dub. 18.n.123.* & alij,quos inuenies apud Sanctarellum *de Iubil.c.6. dub.6.* & nouiſſimè idem docet Ioan. de la Cruz *in direct.conſ p.1.præc.2.art.2.dub.10 concl.3.*

*An votum non nubendi ſit per Bullam Cruciatæ diſpenſabile?*

RESOLVT. LIX.

Reſpondeo affirmatiuè:ita Henriquez *lib.7.c.30. n. 6.* Fernandez *in exam.Theolog.mor.par.3.c.9.ſect.2.§. 17. n.8* Nugnus *in 3.p.tom.2.tract.de Bulla Cruc.§. 11.* Acoſta *in Bull.q.73.* Sanchez *de matr.tom.3.lib.8.diſp.15.n.4* quia non eſt votum abſolutum caſtitatis.

Limitat tamen hoc, idem *diſp. 9.n.12.* niſi tale votum fuiſſet emiſſum in fauorem alterius coniugis id petentis, propter filiorum bonum,& vt eius amor,nomen, honos, amicitia cum eius conſanguineis conſeruetur:nam in hoc caſu,cùm tale votum ſit factum in fauorem tertij Confeſſarius per Bullam non poſſet illud commutare,niſi coniux remittat ius ſibi acquiſitum, & ab illo acceptatum.

Extra verò hunc caſum poterit Confeſſarius commutare,ſicuti & Epiſcopus,vt docent Barboſa *de poteſtat.Epiſc. part.2.alleg.37.n.17.* Portell. *in addit. ad dub. regul. verb. voti diſpenſatio,n.78.* Vgolin.*de poteſt.Epiſc.c.58.§. 8. n. 3.* Ioan.de la Cruz *in direct.conſ.p.1.præc.2.art.2.dub. 10. cōc. 3.* Guttierrez *de matr.cap.123.n.9.* Sanchez *in ſum. tom. 1. lib.4.c.40.n.66.* Graffius *par.1.lib.2.c.31.n.29.& 31.* Sà *ver. votum.* vbi de irritatione,*n.11.* Azor.*tom.1.lib.113.c. 18.q. 5.* Sylueſter *verb.vot.4.quæſt.4.* Roſella *verb.imped. 4. n. 3.* Armilla *verb.diſpenſare,n.18.* Guttierrez *can.qq.lib.2.c.22. num.49.* quidquid in contrarium aſſerat Caietanus *tom.2. Opuſc.tr. 11.de voto non nubendi,q.1.* Valentia *tom. 4. diſp. 10.q.5.punct.5.conc.4.* Nauarrus & Angelus apud Guttierrez,*vbi ſuprà,*aduersùs quos Henriq.*vbi ſuprà, lib.7. c. 30. n.6.in Gloſſa,litt. D,*ſic aſſerit:[Caietanus de voto non nubendi, putat reſeruatum eſſe Papæ;quia eſt perpetuum, & reducitur ad votum caſtitatis:ſed falsò;quia fornicans contra tale votum, non peccat contra votum caſtitatis.] Hæc ille:& verè quidem;ſed cum limitatione, de qua *ſuprà* loquendo de commutatione per Bullam diximus; vt rectè notauit Malderus *in 2.2.tract.10.c.1.dub. 10.*& Leſſius *lib. 2.c.40.dub.18.n.124.*

*An Confeſſarius poſsit commutare votum virginitatis, quando conſtat non eſſe votum caſtitatis: ſed ſolius integritatis corporis ſeruandæ?*

RESOLVT. LX.

Affirmatiuè reſpondet Sanchez *de matr.tom. 3. lib. 8. diſp. 15. n.4.* quia emittens tale votum non vult expreſsè ad caſtitatem ſe obligare; ſed tantùm ad corporis integritatem ſeruandam conſiſtentem in abſtinentia à primo luxuriæ actu, per quem virginitas deperditur.

Et ita in tali voto poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt notauit Azorius *part.1. lib.11.cap.19.q. 14.* Barboſa *de poteſt. Epiſcop.part.2.alleg.37.num.18.* Sayrus *in claui regia,lib.6. c.11.n.55.* Graffius *in deciſ.part. 1.lib.2.c.31.n.31.* Portell. *in add.ad dub. regul. verb.voti diſpenſatio.n.76.* Guttierrez *de matr.c.123.n.8.* & alij.

Notandum eſt verò, quòd quando aliquis emiſit votum virginitatis,& dubius eſt de intentione; an, ſcilicet, vouerit ad ſolam à primo actu venereo abſtinentiam, vt *ſuprà* diximus; in tali caſu nec Confeſſarius per Bullam, neque Epiſcopus poterit diſpenſare,aut commutare;quia tunc tale votum cenſetur votum continentiæ abſolutum, vt notauit Sanchez *in ſum.tom.1.lib.4.c.21.n.22.*

*An Confeſſarius per Bullam poſsit commutare votum non fornicandi, non tenendæ certæ mulieris, non committendi actum mollitiei, aut abſtinendi ab alio actu venereo?*

RESOLVT. LXI.

Reſpondeo affirmatiuè cum Fernãdez *in exam. Theol. moral.p.3.c.9.ſect.2.§.17.n.8.* & ideò in his votis poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt notauit Barboſa *de poteſtat. Epiſc.p.2.alleg.37.n.15.* Molfeſius *in ſum.tom.1.tr.11.c.15. n.50.* Leſſius *lib.2.c.40.dub.18.num. 103.* Graffius *in deciſ. p.1.lib.2.c.31.n.30.* Portell.*in add. ad dub. regul. verb. voti diſpenſatio,n.78.* Vgolinus *de poteſt. Epiſc.c.58.n.3.* Reginaldus *tom.2.lib.18.c.22.n.33.*& alij.Et ratio eſt:quia talia vota non ſunt vota perfectæ caſtitatis;& ideo per Bullam ſunt commutabilia.

An



*An per Bullam ſit commutabile votum caſtitatis coniugalis?*

RESOLVT. LXII.

Reſpondeo affirmatiuè cum Henriq.*in ſum.lib.7. c.30. n.7.* quia hoc votum non eſt votum caſtitatis abſolutum,ſed partis:nam ita vouens poteſt inire matrimonium.

Et in tali voto diſpenſat Epiſcopus, vt notauit Sanch. *in ſum.tom.1.lib.4.c.40.n.50. & de matr.tom.3. lib.8. diſp.9. n.7.* Sanctarellus *de Iubil.c.9.dub.3.* Leone etiam *de Iubil. p.2.q.13.ſect.2.n.103.* & alij.

*An per Bullam Cruciatæ poſsit Confeſſarius commutare votum diſiunctiuum, cuius altera pars eſt reſeruata: vt ſi aliquis diceret: Voueo caſtitatem, & Ordinem ſacrum?*

RESOLVT. LXIII.

Reſpondeo affirmatiuè cum Sanchez *de matr. tom.3. lib.8.diſp.15.n.4.* quia ita vouenti integrum eſt illam partem eligere, quam poteſt Confeſſarius per Bullam Cruciatæ commutare:nam in alternatiuis ſufficit alterum impleri:ergo tale votum non poteſt appellari ſimpliciter votum caſtitatis,ſeu Religionis.Et ita docet Leſſius *lib. 2. c.40.dub.13.n.106.* Suar.*de Relig.tom.2.lib.6.c.24.n.1.& 2.* Reginald.*in praxi,tom.2.lib.18. num.338.* Molfeſ. *in ſum. tom.1.tract.11.c.15.n.143.* Filliuc.*tom.2.tr.26.c.9.n.272.*

Et ideò poteſt Epiſcopus diſpenſare ſuper dicta vota diſiunctiua,vt docet Azorius *p.1.lib.11.c.10. q.10.* Sanch. *de matr.tom.3.lib.8.diſp.9.n.14.* & alij.

*An Confeſſarius per Bullam poſsit commutare votum aſſumendi Ordines ſacros?*

RESOLVT. LXIV.

Reſpondeo affirmatiuè cum Henriquez *lib.7.c.30. n.6.* Acoſta *in Bull. Cruc.q.73.* & Sanchez *de matr. tom.3. lib.8.diſp.15.n.4.* Fernandez *in exam.Theol. mor.p.3. cap.9. ſect.2.§.17. n.8.* Et ratio eſt: quia tale votum non eſt votum caſtitatis; ſed votum aſſumendi ſtatum, cui caſtitas annexa eſt. Vnde ſi ita vouens frangeret votum,non eſſet ſacrilegus fornicando: & ſi matrimonium contraheret, peccaret quidem contra votum,ſed poſſet petere.

Et ita in tali voto poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt notat Portell. *in add.ad dubia reg. verb.voti diſpenſatio, n.78.* Vgolinus *de poteſt.Epiſc.cap.58. §.3. n.5.* Reginald. *tom.2. lib.18.c.22.n.331.* Leſſius *lib.2.c.40.dub.18.n.124.* Valent. *tom.3. diſp.6.q.6.punct.7.* Vegha *in ſumm. tom. 2. cap. 129. caſ.34.* Rodriquez *in Bull.§.9. n.122.* Azorius *p.1. lib. 11. cap.19.q.9.* Suarez *de relig. tom.2. lib.6. c.21. n.7.* Aragon. *in 2.2.q.88.art.12.* & alij.

*An in caſu poſito ſuprà, quando emittitur votum diſiunctiuum, nempe: Voueo caſtitatem, vel ſuſcipere Ordines ſacros: an, ſi vouens ſtatueret poſteà non ordinari, ex vi voti determinatè obligetur ad caſtitatem; ita vt Confeſſarius non poſsit ampliùs votum illud virtute Cruciatæ commutare?*

RESOLVT. LXV.

Non poſſe tale votum commutari, cenſuit Sanctarell. *de Iubil.cap.9.dub.4.* Leone *tr.de Iubil.p.2.q.1.ſect.1. n.92.* Filliuc.*tom.2.tr.26.c.9. n.272.* Suarez *de relig. tom.2. lib.6.c.24.n.3.* Sanchez *de matr.tom.3.lib.8. diſp.9.n.14.* vbi putant,quòd ſi ita vouens ſtatuat ad Ordines non promoueri, eligens reliquam voti partem, ad quam ſe aſtrinxerat,non poſſe Epiſcopum, & per conſequens neque Confeſſarium, per Bullam Cruciatæ tale votum ampliùs commutare: quia ex vi voti iam tenetur ad caſtitatem, quæ reſeruata eſt.Et ſicut in humanis debitor alternatiuus non poteſt reſilire, ſi creditori declaret, quam partem eligat, *ex reg.iur.in 6.* Sed eo ipſo,quòd in corde ſtatuit ita vouens illam partem voti eligere, illud propoſitum ſatis Deo indicatum fuit,qui corda hominum videt. Ergo,&c.

Non reticebo tamen,multùm probabiliter contrariam ſententiam docuiſſe Malderum *in 2.2.tr.10.c.15. dub.10.* quia, vt ipſe aſſerit, etiam homini facta talis inſinuatio; modò non efficiatur per modum promiſſionis, vel pacti ex natura rei, & iure naturæ, non videtur obligare, vt re adhuc integra à tali electione debitor non poſſit reſilire,quidquid ſit de iure poſitiuo. Deinde, etiamſi nudum propoſitum Deus videat; non tamen proponendo cenſemur Deo loqui,aut ei indicare noſtrũ propoſitum. Quare probabile videtur,tale propoſitũ, & electionis decretum, quando noua non accedit promiſſio, ita adhuc poſſe arbitrio vouentis mutari, vt reus fracti voti non ſit futurus,ſi variet, & alteram partem poſtmodum eligat, ſiue ea præſtantior, ſiue minùs præſtans fuerit, adeóque ſemper poterit in talibus Epiſcopus diſpenſare. Ita Malderus, quod etiam de Confeſſario virtute Bullæ Cruciatæ dicendum eſt; ſi hanc ſententiam ſequi velit Confeſſarius.

*An, ſi quis adſtrictus voto caſtitatis,ad nuptias tranſeat, poſsit Confeſſarius virtute Bullæ commutare tale votum, vt poſsit petere debitum?*

RESOLVT. LXVI.

Affirmatiuè reſpondet Viualdus *in candel. p.3. c. 14. n.41.* negatiuam verò ſententiam docet Sanchez *in ſum.tom.1.lib.4.c.54.n.20.*

Sed dices: Epiſcopus poteſt diſpenſare in tali voto ad petendum debitum: ergo & Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ. Antecedens probatur ex Angelo *verb.matrimonium, 3.impedim.5.num.3.* Tabiena *verb. impedim. 2.q.5.* Valentia *tom.4.diſp.10. q.5.punct.5.* Henriquez *lib.12. c.2. n.9.* Sà *verb.debitum coniugale,n.4.* Graffio *in dec.p.1. lib.2. cap.82.n.5.* Toleto *lib.7.cap.14. num.4.* Rodriquez *in Bull. Cruc.§.9. num. 119.* & aliis. Conſequentia patet ex dictis infrà *in Reſol.ſeqq.* Ergo,&c.

Sed ad hoc argumentum reſpondeo, quòd licèt Confeſſarius poſſit commutare vota, quæ poteſt Epiſcopus;id intelligendum eſt de votis,quæ Epiſcopus commutat iure ordinario, & ex natura reſeruationis; non autem ſi talia vota commutaret iure ſpeciali, aut per conſuetudinem, vt eſt in caſu noſtro:ergo,&c. Et ita docent Doctores, quando Epiſcopus diſpenſat ad petendum debitum cum illo, qui contraxit matrimonium cum voto caſtitatis; id non facere,quia de iure communi hoc ſibi competit, vt notat Azorius *tom.1.lib.11.c.19.q.8.* Toletus *lib. 4. c.18.num.1. diff.2.* Graffius *in deciſ.p.1.lib.1.c.13.n.80.* Guttierrez *qq. can.lib.1.c.29.n.17.*& alij: ſed id facit vigore conſuetudinis, quæ hanc iuriſdictionem ei conceſſit, vt notauit Sanchez *vbi ſuprà, in ſum.lib.4.c.54.n.20.*

Notandum eſt verò, in tali caſu Epiſcopum non relaxare ſimpliciter votum, ſed ſolùm ex parte, & ſecundùm quid;nempe,ad ſolum petendum debitum: & ideò mortua coniuge tota voti obligatio reuiuiſcit, vt notat Fauſtus *in theſ.relig.lib.3.q.91.n3.* & alij.

*An Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſsit commutare votum caſtitatis, quando diuerſis votis varia ad caſtitatem pertinentia ſunt promiſſa, ita vt ex omnibus illis iunctis conſurgat obligatio ad perfectam caſtitatem?*

RESOLVT. LXVII.

Reſpondet affirmatiuè Sanchez *in ſumma, tom. 1.lib.4. c.40.n.68.* vt, ſi quiſpiam ſemel (ait ille) promiſit, ſe

non initurum matrimonium; & iterum, ſe non fornicaturum; & iterum, ſe nullum peccatum venereum admiſſurum: quia in quolibet horum poteſt Epiſcopus diſpenſare; vtpote, quod perfectè votum caſtitatis non eſt, ergo poteſt in omnibus ſimul; nam vota poſteriora ſe habent per accidens ad prius. Ita Sanchez, qui loquitur de Epiſcopo, & nos per conſequens de Confeſſario, qui virtute Bullæ Cruciatæ commutat.

Notandum eſt verò, quòd ſupradictam ſententiam limitat Sanchez, niſi vltimum votum, quo caſtitas perfecta completur, conſultò vouens fecerit, vt tali perfecta caſtitate ligatus maneat; quippe tunc cenſetur priora cum hoc poſteriori coniungere: & ideò perfecto caſtitatis voto obſtrictus remanet: vnde nec Epiſcopus diſpenſare, nec Confeſſarius virtute Cruciatæ commutare poteſt.

*Quænam vota poſſit Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ commutare?*

RESOLVT. LXVIII.

REſpondeo, omnia præter votum caſtitatis, Religionis, & vota tranſmarina: & ideò poteſt commutare votum eundi Romam, aut Compoſtellam, peregrinandi gratia, quod votum vulgò dicitur, *di S. Giacom o Galitia*. Et ratio eſt: quia in Bulla illa vota exceptuantur: ergo, &c. Et ita notat Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 3. cap. 9 ſect. 2. §. 17 num. 7.* Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 9. §. 5. n. 43.* qui citat Rodriquez.

*An Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ poſſit commutare iuramenta pœnalia, vel conditionalia caſtitatis, ſeu Religionis?*

RESOLVT. LXIX.

REſpondeo affirmatiuè cum Sanchez *in ſumma, tom. 1. cap. 54. lib. 4. num. 21.* Et ratio eſt: quia, qui poteſt commutare vota facta ſoli Deo; poteſt etiam commutare iuramenta: ſed Confeſſarius poteſt vota pœnalia, & conditionalia caſtitatis, & Religionis commutare: ergo poterit & iuramenta. Maiorem propoſitionem docuit Aragon. *in 2. 2. quæſt. 86. art. 9.* Henriquez *lib. 7. cap. 30. num. 5.* Azorius *tom. 1. lib. 11. cap. 10.* Sà *verb. iuramentum, num. 12. & verb. votum.* vbi de irritatione, *num. 26.* cum aliis. Minor propoſitio patet ex infradicendis *in Reſolut. ſeqq.* Ergo, &c.

*An Confeſſarius, virtute Cruciatæ, poſſit commutare votum caſtitatis vxoris, vel viri, tempore matrimonij conſummati emiſſum?*

RESOLVT. LXX.

REſpondeo affirmatiuè, dummodo tale votum fuerit factum ab vxore, vel à marito, ſine conſenſu reciproco. Et ratio eſt: quia, vt notat Guttierez *qq. canon. lib. 2. c. 22. num. 49.* Aragon. *in 2. 2. quæſt. 88. art. 8. dub. vlt.* Stunica *de voto, quæſt. 3. num. 64* Rodriquez *in ſum. tom. 2. cap. 90. num. 6. in fin.* & alij, poteſt Epiſcopus in tali voto diſpenſare: ergo poterit Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ.

Notandum eſt etiam pro Confeſſariis, quòd, cùm tale votum non ſit omnimodæ caſtitatis, non obligat ad non reddendum, etiam quando redditio eſt voluntaria propter alterius coniugis adulterium, aut diuortium, vt probat Sanchez *de matr. tom. 3. lib. 9. diſp. 35. num. 26.* & alij.

Igitur tale votum commutet Confeſſarius per Cruciatam, cùm non ſit votum omnimodæ continentiæ, cùm ad non reddendum debitum obligare nequeat: & ideò per Bullam eſt commutabile.

*An Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſſit commutare materiam ſubrogatam, in quam fuit commutatum votum reſeruatum caſtitatis, ſeu Religionis, vel vltramarinæ peregrinationis?*

RESOLVT. LXXI.

ALiqui negatiuè reſpondent: quia ſubrogatum ſapere debet naturam eius, pro quo ſubrogatur: vnde aſſerunt, materiam, in quam commutatur votum reſeruatum, etiam reſeruatam manere. Et in hanc ſententiam videtur inclinare Azorius *p. 1. lib. 11. cap. 18. q. 11.* dicens, dubiam ſibi eſſe contrariam ſententiam: & illam docet ex modernis Zanardus *in direct. Theol. p. 2. c. 33.*

Sed contrariam ſententiam, affirmandam eſſe puto: quia per commutationem extinguitur prius votum reſeruatum ratione materiæ: ergo illud votũ, quod eſt de alia materia, non erit reſeruatum. Et ita docet Filliuc. *tom. 2. tr. 26. c. 10. n. 293.* Suar. *de relig tom. 2. lib. 6. c. 20. n. 15* Leſſius *lib. 2. c. 40. dub. 18. n. 224.* Sanch. *de matr. tom. 3. lib. 8. diſp. 9. n. 20.* Henriquez *lib. 7. c. 30. n. 5.* Sà *verb. votum, n. vlt.* Aragon. *in 2. 2. q. 88. art. 12* & alij: Ad argumentum in contrarium reſpondeo, ſubrogatum ſapere naturam eius, cui ſubrogatur; procedit ex ſola fauorabili. & lata interpretatione, quæ in odioſis non habet locum, qualis eſt reſeruatio.

*An Confeſſarius poſſit commutare votum caſtitatis, ſeu Religionis, emiſſum cum expreſſa proteſtatione, ne ad illorum executionem vouens ſit obligatus ſub onere peccati mortalis, ſed tantùm venialis.*

RESOLVT. LXXII.

REſpondeo affirmatiuè cum Bonacina *de legib. diſp. 4. q. 2. punct. 7. §. 4. n. 20.* quia tale votum non eſt votum perfectum caſtitatis, & Religionis. Ergo per Bullam erit commutabile.

Et ita Epiſcopus poteſt illud diſpenſare, vt tradit Sanchez *in ſum. tom. 1. lib 4. c. 40. n. 47.* & alij.

*An Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſſit commutare votum caſtitatis, ſeu Religionis, emiſſum propter leuem metum?*

RESOLVT. LXXIII.

NEgatiuè videtur reſpondendum ex auctoritate Suar. *de relig. tom 2. lib 6. cap. 6. n. 4.* qui docet, tale votum non eſſe diſpenſabile ab Epiſcopo; quia inuoluntarium, & coactum eſt per accidens, & ſecundùm quid: quòd ſi ſufficeret, vt ceſſaret reſeruatio, ceſſaret etiam in votis emiſſis in periculo mortis, & naufragij: hoc verò dicere eſt abſurdum: ergo, &c.

Sed ego puto, contrariam ſententiam eſſe probabiliorem, quam docet Leſſius *lib. 2. c. 40. dub. 18. n. 127.* qui citat Angelum, Gloſſam, Nauarrum, & Fumum. Et ratio eſt: quia reſeruatio huius voti eſt intelligenda de libero, ne ita reſeruetur coactum, ſicut ſpontaneum.

Reginaldus verò *in praxi, tom. 2. lib. 18. c. 22. n. 136.* loquitur in terminis, quòd tale votum fuerit emiſſum ex aliquo magno metu: ſed Leſſius loquitur in caſu metus non omninò grauis: & magis amplè Leone *tract. de Iubil. p. 2. q. 10. ſect 1. n. 97. in fin.* & Bonacina *de leg. diſp. 4. q. 2. punct. 7. § 2. n. 17.* hanc doctrinam eſſe veram admittunt, etiam quando votum caſtitatis, ſeu Religionis, per metum, quamuis leuem, fuerit emiſſum. Itaque in tali caſu, dicendum eſt, poſſe Confeſſarium ſupradictum votum commutare: quia emiſſum cum tali metu non eſt reſeruatum. Imò probabilem puto cum Nauarro illam ſententiam, quæ aſſerit, votum emiſſum ex leui metu eſſe irritum. Et ita Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 4. cap. 4. num. 24.*

contrarium



contrariam, quam ipſe tenet, vocat tantùm probabiliorem: & *c. 40. n. 31. in fin.* ſententiam Nauarri probabilem vocat.

*An Confeſſarius poſſit commutare per Bullam Cruciatæ votum disiunctiuum, modo, quo ſuprà diximus, quando materia non reſeruata effecta eſt impoſſibilis, ita vt vouens nequeat partem non reſeruatam adimplere, ſed tantùm partem reſeruatam?*

RESOLVT. LXXIV.

ET ita erit caſus. Emiſit, v. g. aliquis votum caſtitatis, ſeu peregrinandi ad aliquam Eccleſiam B. Virginis, vel dandi centum aureos alicui Hoſpitali: poſteà ex morbo non poteſt peregrinari, vel amiſit patrimonium; & ideò materia voti non reſeruata effecta eſt impoſſibilis, & remanet poſſibilis materia voti reſeruata: petitur in tali caſu, poſsítne Confeſſarius virtute Bullæ hoc votum commutare. Negatiuam ſententiam docuit Bonacina *tract. de legib. diſp. 4. q. 2. punct. 7. §. 4. n. 18.* quia materia illa verè eſt reſeruata, & eſt adimpleta ex vi voti.

Sed contrariam ſententiam affirmandam eſſe puto, quã docet Suarez *de relig. tom. 2. lib. 6. c. 24. n. 4.* & Sanchez *in ſum. lib. 4. c. 40. n. 44.* Et ratio eſt: quia tale votum per ſe, & ex natura ſua nunquam obligauit vouentem ad partem reſeruatam: ſed poſtmodum obligatio ad illam oritur per accidens ex ſolo facto, & impoſſibilitate alterius materiæ non reſeruatæ: vnde patet reſponſio ad argumentum Bonacinæ; dicimus enim, materiam illam eſſe reſeruatam per accidens ob impoſſibilitatem materiæ, non autem ex vi voti.

*An per Bullam Cruciatæ poſſit quis commutare votum emiſſum cum intentione efficiendi illud reſeruatum, vt, ſcilicet, votum à nullo poſſit auferri, niſi petita commutatione à Summo Pontifice?*

RESOLVT. LXXV.

REſpondeo, hoc non obſtante, poſſe tale votum Confeſſarium per Bullam Cruciatæ commutare: quia vouentis intentio priuata non poteſt tollere poteſtatem ſuperiori: vel, meliùs dicendum eſt, tale votum non eſſe ex tribus exceptis in Bulla Cruciatæ, quæ ſola reſeruari diximus. Et ita loquens de Epiſcopo, docet Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 4. c. 40. n. 79.* qui citat Azorium, & Sayrum, quibus ego addo Reginaldum *tom. 2. lib. 18. c. 22. n. 333.* Suarez *de relig. tom. 2. lib. 6. c. 21. n. 15.* Barthol. à S. Fauſto *in theſ. relig. lib. 3. quæſt. 105.*

*An Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ poſſit commutare votum vouendi caſtitatem, ſeu Religionem?*

RESOLVT. LXXVI.

REſpondeo affirmatiuè cum Molfeſio *in ſumm. tom. 1. tract. 11. c. 15. n. 148.* & Suarez *de relig. tom. 2. lib. 6. c. 21. n. 7.* Et ratio eſt: quia velle facere, non eſt facere; & ideò velle vouere caſtitatem, non eſt caſtitatem vouere: vnde optimè notat Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 4. c. 40. n. 70.* quòd ſi ita vouens fornicaretur ante promiſſam caſtitatem, non delinqueret contra votum.

*An Confeſſarius virtute Cruciatæ poſſit commutare votum Religionis Melitenſis?*

RESOLVT. LXXVII.

ALiquis poſſet affirmatiuè reſpondere ex doctrina Iacobi de Graffeis *tom. 1. lib. 3. conſ. 11. n. 14. de regul.* Gonzales *in reg. 8. Cancell. Gloſſa 8. num. 57. & 65.* Mandoſij etiam *in regul. 3. Cancell. q. 11. n. 3.* Sarmiento *de reddit. Eccleſ. lib. 4. q. 1, n. 13.* Cabedo *de Patrõn. Regiæ Coronæ, c. 15. n. 16. & 18.* Tallada *de viſit. car. c. 11 §. 4. num. 13.* & fauet Syluester *verb. religio, 1. q 1. verſ. tertium Hoſpitalary.* Panormit. *in rubr. de regul. n. 4.* & Soti *de iuſt. lib. 7. q. 5. art. 3.* qui omnes aſſerunt, ſupradictos Milites non eſſe propriè, ſed largo modo Religioſos. Ergo per Bullam votum talis Religionis erit commutabile.

Sed hæc ſententia prorſus non eſt tenenda, vt docet Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 3. c. 5. ſect. 11. §. 17. n. 10.* & Acoſta *in Bull. q. 73.* quia dicti Milites ſunt verè Religioſi: & ita docent communiter Doctores, quos refert, & ſequitur Zanardus *in direct. Theol. p. 2. præcep. 4. cap. 32.* Bobadilla *in polit. tom. 1. lib. 2. c. 19. num. 11.* Henriquez *lib. 11. cap. 8. num. 6.* Corduba *in ſumm. q. 178. in fin.* Ledeſma *de matr. q. 61. art. 2. ad 4.* Rodriquez *in Bull. Cruciatæ, §. 9. n. 123.* Natta *lib. 3. conſ. 495. n. 12.* Riminald. *lib. 5. conſ. 527. n. 23. & 24.* Decianus *in tract. crim. p. 1. lib. 4. cap. 9. num. 36.* Vaſquez *contr. Illuſtr. lib. 1. c. 105. n. 51.* Aponte *lib 1. conſ. 14. n. 3. & ſeq.* Molina *de primog. Hiſp. lib. 1. cap. 13. num. 89.* & alij.

Et ideò per profeſſionem huius Religionis aſſerunt dirimi matrimonium ratum; & ita feciſſe D. Gaſton, Ducem Metinæ, teſtatur Sanchez *de matr. tom. 1. lib. 2. diſp. 18. n. 8.* habito conſilio ſapientum; & in ſtatutis dictæ Religionis, per Pontificem approbatis, habetur poſſe ad eam Religionem admitti obligatos matrimonio rato. Idem etiam docent Regius *caſ. 3. n. 5.* Rebellius *part. 2. lib. 3. q. 4.* Legionenſis *de imped. matr. cauſ. 27. q. 2. §. 4.* Azorius *part. 1. lib. 13. c. 6. quæſt. 4.*

Vnde, vt ſuprà dixi, nullo pacto per Bullam Cruciatæ votum huius Religionis Confeſſarius commutare poteſt, ſicut neque Epiſcopus, vt notauit Barthol. à S. Fauſto *in theſ. relig. lib. 3. q. 97. n. 1.* Sanchez *de matr. tom. 3. lib. 8. diſp. 9. n. 16.* Rodriquez *in Bull. §. 9. n. 123.* Lopez *in inſtr. p. 2.* vbi de clauibus, *cap. 9. in fin.* & alij.

*An per Bullam Cruciatæ poſſit Confeſſarius commutare votum Religionis D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ.*

RESOLVT. LXXVIII.

AFfirmatiuè reſpondet Sotus *lib. 7. q. 5. art. 3.* Aragon. *in 2. 2. q. 88. Art. 11.* quia hi Ordines militares non ſunt propriè, & ſimpliciter Religiones: & idem etiam docet Guttierez *pract. qq. lib. 2. q. 11. num. 2.* Laſſarte *de decim. vendit. c. 19. n. 92.* Azorius *tom. 1. lib. 13. cap. 3. q. 2.* Valentia *tom. 3. diſp. 10. q. 4. punct. 2.* Molina *de primog. Hiſpan. lib. 1. cap. 13. n. 98.* Molina Theologus *de iuſt. tom. 3. diſp. 623. n. 5.* Gironda *de Gabell. p. 7. n 46.* Garſias *de benef. tom 1. p. 1. c. 4. n. 19.* Pariſius *de reſign. benef. lib. 6. q. 2. n. 1.* & alij penes ipſos.

Sed aliqui contrariam ſententiam probabiliorem eſſe iudicant. Et ita in terminis docet Lopez *in inſtr. p. 2.* vbi agit de clauibus *cap. 9. ad fin.* quia dicti Milites ſunt verè Religioſi, vt aſſerunt Vegha *in ſum. tom. 1. cap. 85. caſ. 147.* Bobadilla *in polit. tom. 1. lib. 2. c. 19. n. 11.* Auendaño *in cap. prætor. lib. 2. cap. 26. n. 11.* Medina *de ſacr. hom. contin. lib. 4. contr. 7. c. 39.* Bellugha *in ſpecul. Princ. c. 1. rubr. 7. num. 76.* Menchaca *contr. illuſtr. lib. 3. cap. 105. n. 48.* Cenedo *de paupert. relig. dub. 50. num. 9.* & nouiſſimè doctiſſimus Baſilius Poncius *de impedim. matrim. cauſ. 27. q. 2. §. 4.*

Quid ego ſentiam, dicam breuiter. Hanc ſecundam opinionem ſemper tenui: ſed, quia alia eſt probabilis, puto, Confeſſarium poſſe per Bullam Cruciatæ commutare votum Religionis D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ: & ita loquens de Epiſcopo docet Sanchez *de matr. tom. 3. lib. 9. diſp. 9. num. 16. & in ſumma, tom. 1. lib. 4. cap. 40. num. 73.* Et ratio eſt: quia, vt Epiſcopus, vel Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ, vel alicuius Iubilei poſſit commutare aliquod votum, ſatis eſt, quòd ſit ſub opinione,

an

an ſit reſeruatum, nécne: ſed totum hoc accidit in caſu noſtro: ergo, &c.

*An Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ poſſit commutare votum perſeuerandi in Religione, vt tempore Nouitiatus liceat ex cauſſa iuſta egredi?*

### Reſolvt. LXXIX.

EGo puto, ſine Bulla Cruciatæ, poſſe in tali caſu vouétem egredi è Religione, nec aliqua voti illius commutatione indigere: quia probabilis eſt illa ſententia, vt docet Leſſius *lib.2.c.41. dub.5. n.46.* quæ aſſerit, votum perſeuerandi in Religione non obligare, ſi bona fide in probatione putet quis ſibi eam non eſſe accommodam. Et ita docuit Sotus *de iuſt.lib.7.q.2.art.1. ad 3.verb.ex hac autem definitione.* Aragon. *in 2. 2.q.* 88.*art.* 3. Ledeſma *in ſumm.tom.2.tract.10.c.3.dub.7.caſ.4.*& alij.

Et licèt contraria ſententia ſit probabilior, quam tenet Azorius *p. 1. lib.11.cap. 22.q.8.* Valentia *tom.2.diſp.6.q.6. punct.4.q.4.* Rodriquez *in ſum.tom.2.c.95.n.7.* Roſella *ver. relig.3.n.5.* Angelus *verb.Nouit.n.12.* Armil.*eod.verb.n.10.* Sylueſter *verb.Relig.2.q.19.*& alij. Attamen, his non obſtantibus, puto poſſe Confeſſarium, virtute Bullæ Cruciatæ commutare votum perſeuerandi in Religione. Et ratio eſt: quia votum perſeuerandi in Religione eſt diuerſum à voto Religionis; & Confeſſarius tale votum commutans, non commutat votum Religionis, ſed qualitatem adiunctam voto, quæ quidem non eſt Pontifici reſeruata. Et ita in terminis loquens de Confeſſario virtute Bullæ Cruciatæ docet Sanch.*de matr.tom.3.lib.8.diſp. 15. n.4.*& loquens de Epiſcopo *in ſum.tom.1.lib.4.c.49. n. 75.* cum Molfeſio *in ſum.tom.1.tract.11.cap.15.n.147.*& Maldero *in 2. 2. tract. 10.c. 5.dub.10.n.8.* & loquens de Iubileo Sanctarellus *in tract.de Iubil. cap.10.dub. 4.* & Leone etiam *de Iubileo, p.2.q.13.ſect.3.n.114.*

*An Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ poſſit commutare votum Religionis, vt ex iuſta cauſa non impleatur tempore præſcripto?*

### Reſolvt. LXXX.

NEgatiuè videtur reſpondendũ ex auctoritate P. Suarez *de relig. tom. 2. lib.6.c.26.n.11.& 12.* qui docet, Epiſcopum non poſſe in tali caſu diſpenſare, niſi ea cauſa ſuperueniente non eſſet aditus ad Summum Pontificem. Et rationem adducit: quia talis circunſtantia multùm attingit ſubſtantiam; differt enim totam voti obſeruationem pro aliquo tempore.

Sed contraria ſententia non eſt minus probabilis, quam docet Sanchez *de matr.tom.3.lib.8.diſp.9.n. 19. & in ſum. tom. 1.lib.4.cap.40.n.76.*& poſt illum noſter Molfeſius *in ſum.tom.1. tract.11.c.15.n. 147.* & Malderus *in 2.2.tr.10. cap.5.dub.10.n.9.* vbi aſſerunt, poſſe Epiſcopum ordinaria poteſtate diſpenſare in hac voti dilatione; dummodo votum non adeò differatur, vt ſit periculum in eum ſtatum incidendi, vt ita vouens reddatur impotens ad votum implendum. Et ratio eſt: quia hoc non eſt diſpenſare in ſubſtantia voti, ſed in eius qualitate.

Et ita docet de Confeſſario, virtute Bullæ Cruciatæ, idem Sanchez *de matr.tom.2. lib.8.diſt. 15.num. 4.* quoad dicti voti commutationem. Et hanc ſententiam puto probabilem, & tutam in praxi.

*An virtute Bullæ Cruciatæ poſſit Confeſſarius commutare votum caſtitatis coniugalis?*

### Reſolvt. LXXXI.

REſpondeo affirmatiuè: quia tale votum non eſt votum totius caſtitatis, ſed partis: nam ita vouens poteſt inire matrimonium. Et ita loquens de Epiſcopo teſtatur Sanchez *in ſum.tom.1. lib.4.c.40.n.50.*& ante illum Henriquez *lib.7. cap.30.num.6.*

Et per conſequens idem dicendum eſt de Confeſſario, virtute Bullæ Cruciatæ, vt notat & docet idem Sanchez *de matr.tom.3.lib.8.diſp.15.n.7.*& alij.

*An per Bullam Cruciatæ Confeſſarius poſſit commutare votum caſtitatis emiſſum cum licentia alterius coniugis?*

### Reſolvt. LXXXII.

REſpondeo affirmatiuè: & ita, loquens de Epiſcopo, docet Rodriquez *in ſum.tom.1.c.243.n.14.* & Vegha *in ſum.tom.2.c.129.caſ.77.*

Sed Sanchez *in ſum.tom.1.lib.4.cap.* 40. limitat hanc ſententiam, quando ita vouens non haberet animum ingrediendi Religionem: nam, ſi tale votum abſque animo ingreſſus Religionis factum ſit, ſiue ante, ſiue poſt conſummationem matrimonij; putat, poſſe Epiſcopum in eo voto diſpenſare: quia non eſt votum omnimodæ caſtitatis, ſed partis; & eo non obſtante, tenetur ita vouens reddere debitum, & poteſt reddere, licèt alter in adulterium incidat. Et per conſequens poteſt Confeſſarius, virtute Bullæ Cruciatæ tale votum commutare, vt docet idem Sanchez *de matr.tom. 3.lib.8.diſp.15.n.7.*

Et hæc doctrina procedit etiam, quando vterque coniux continentiam vouit abſque alterius licentia; vel, quando vterque ſeorſum continentiam vouit, habita tamen ab altero licentia: ſecùs autem, ſi vterque communi conſenſu continentiam voueret per modum contractus, ac reciprocæ conuentionis: Facio, vt facias: quia ita vouentes obligant ſe ad votum abſolutæ & integræ caſtitatis: vnde non poſſunt, nec reddere, nec petere debitum.

Ideò dicendum, non poſſe Epiſcopum diſpenſare cum iſtis coniugatis, & per conſequens neque Confeſſarius per Bullam. Et ita notauit Sanchez, *vbi ſuprà, tom. 3. lib. 8. diſp.11.num.7.& ſeq.* Molfeſius *in ſumma, tom.1. tract.11. cap.15.num.123.& ſeq.* Quòd ſi coniuges prædicti, qui ita vouerunt, remitterent ſibi ad inuicem renunciationem illam iuris petendi, & reddendi debitum, quam vouendo fecerunt, & ſibi conferrent iterum poteſtatem ſuorum corporum, licèt remiſſio eſſet ſacrilega contra votum, eſſet tamen valida; & teneretur vterque reddere debitum alteri petenti; & poterit tunc Epiſcopus diſpenſare ad petendum debitum abſque peccato. Ita Sanchez *in ſum. tom.1.lib.4.cap.40.num.61.* qui etiam *tom. 3.de matr.lib. 8. diſp.5.num.* 7. docuit, quod eſt valdè notandum à Confeſſariis, poſſe illos, virtute Bullæ Cruciatæ, commutare vota caſtitatis emiſſa à coniugatis in his omnibus caſibus, in quibus, eò quòd deficiant à ratione voti caſtitatis perfecta, Epiſcopi poſſunt illam diſpenſare: quia in his caſibus non ſunt vota abſoluta caſtitatis; & ideò per Cruciatam ſunt commutabilia. Ex quo principio deduces reſolutionem multorum caſuum.

*An Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſſit commutare qualitatem adiunctam voti vltramarini?*

### Reſolvt. LXXXIII.

FIngamus caſum. Petrus, v.g. vouit mendicando adire ſanctum Sepulcrum; quæritur, an Confeſſarius poſſit virtute Cruciatæ, commutare tale votum, vt portans neceſſarias itineris expenſas votum illud adimpleat. Reſpondeo affirmatiuè ex doctrina Leſſij *lib. 2.c.40.dub.13. num.105.* Molfeſij *in ſumma, tom.1. tract.11. c.15.n. 145.* vbi docent, Epiſcopum poſſe in tali voto diſpenſare: & per conſequens poterit Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ. Et ratio eſt: quia in hoc caſu Confeſſarius non commutat votum, ſed circunſtantiam per accidens ipſi voto



voto adiunctam. Et ideò *ſuprà* diximus, Confeſſarium poſſe commutare qualitatem adiunctam ſubſtantiæ voti Religionis; vt, cum promittente ingredi in Religionem ſtrictiorem, vt laxiorem ingrediatur: quia id non eſt commutare votũ reſeruatũ; ſed quandam eius circunſtantiam.

Et ita docent Doctores communiter, vt Zanardus *in direct.Theol.p.1.c.52.* Sylueſt.*verb.votum,4.q.3. d.6.* Palud. *in 4.diſt.36.q.4.art.4.n.43.* D.Antoninus *p.2. tit.11.cap.2. §.9.notab.4.verſ.hoc autem videtur.* Lopez *in inſtr.* vbi agit de clauibus, *cap.9. in fin.* Menoch. *de arbitr. lib.2. cent. 5. caſ.421.n.16.* Rodriquez *in ſum.tom.2.c.96.n.5.*& alij.

*An Confeſſarius per Bullam Cruciatæ poſſit commutare votum caſtitatis, ſeu Religionis, emiſſum à perſona alterius poteſtati ſubiecta, vt à coniugata, ſeruo, vel filio, ſine licentia viri, domini, vel patris?*

### Reſolvt. LXXXIV.

AFfirmatiuè reſpondet Gutierrez *qq. can. lib. 2.c. 22. n.49.* loquens de Epiſcopo: & per conſequens idem poſſet Confeſſarius virtute Bullæ. Et ratio eſt: quia pater, vir, dominus, poſſunt talia vota irritare: ergo poterit & Epiſcopus diſpenſare, & Confeſſarius per Bullam commutare.

Sed contrariam ſententiam tuetur Sanchez *de matrim. tom.3. lib.8. diſput.9. num.4.* & poſt illum Suarez *de relig. tom.2.lib.6.c.26.num.3.* & Malderus *in 2.2.tract.10.cap.5. dub.10.n.11.* quia, cùm hæc poteſtas ſit diuerſa, & diuerſa principia habeat, non ſequitur, quòd ex vna ad alteram argumentum deduci debeat. Et Pontifex reſeruando talia vota, intendit derogare poteſtati dominatiuæ, quam habet pater, vir, & dominus ſuper filium, vxorem, & ſeruum: ſecùs autem dicendum eſt de poteſtate diſpenſandi.

*An, qui obtinuit commutationem alicuius voti per Bullam Cruciatæ, poſſit redire ad votum prius omiſſo eo, in quo facta eſt commutatio?*

### Reſolvt. LXXXV.

REſpondeo affirmatiuè cum Leſſio *lib.2.c.40.dub.16. n.111.*& Azorio *p.1.lib.11.c.18.q.12.* etiamſi ſæpiùs facta ſit commutatio: vt, ſi votum peregrinationis annuæ commutatum ſit in menſtruam confeſſionem, menſtrua confeſſio in ieiunium alicuius diei, ieiunium in certas preces; poteſt vouens ſatisfacere voto, vel recitando illas preces, vel ieiunando illum diem, vel confitendo ſingulis menſibus, vel annuam peregrinationem, quod erat primum votum, ſuſcipiendo.

Et hæc doctrina procedit contra Suarez *de relig. tom.2. lib.6.cap.20.n.1.*& Filliucium *tom.2.tract.26. c.10.n.288.* non ſolùm quando commutatio facta fuit in rem æqualem, ſed etiam in melius, vt docet Malderus *in 2.2.tr.10. cap.5.dub.11.quæſt.9.* Sanchez *de matr.tom.3. lib.9. diſp.4. n.11.* Et ratio eſt: quia talis commutatio facta fuit in vouentis fauorem: vnde poteſt ei renunciare, alioquin non tam eſſet fauor, quàm onus. Adde etiam, quòd talis commutatio facta videtur ſub conditione, ſi vouens nolit prius votum implere. Ergo, &c.

*Eſt in aliqua Eccleſia Regularium Altare priuilegiatum, in quo per Miſſam liberatur anima à purgatorio; ſuſpenditúrne hæc gratia per Bullam Cruciatæ?*

### Reſolvt. LXXXVI.

REſpondeo affirmatiuè cum Fernandez *in exam.Theol. mor.p.3.c.9.ſect.11.§.19.num.2.* qui citat Rodriquez. Et idem docet Villalobos *in ſum. tom. 1. tract.27. clauſ.12. num.3.* vbi ſic ait: [ La Indulgencia, que ay en algunos Altare priuilegiados de algunos Conuentos, para que el Sacerdote, que alli dixere Miſſa, ſaque vna anima del Purgatorio, no ſe gana, ſi no es que tenga la Bula de los viuos, y eſto aunque diga la Miſſa por algun frayle, porque aquel no es priuilegio, que ſe concede en particular, para los frayles, ſino para todos generalmente.] Ita ille.

*An Bulla Cruciatæ ſuſpendat priuilegia conceſſa in iure communi, eáque, quæ vſu toleratæ conſuetudinis approbantur.*

### Reſolvt. LXXXVII.

REſpondeo negatiuè: quia Bulla non facit mentionem de iſtis priuilegiis, neque nominat conſuetudines. Vnde, tempore interdicti, non obſtante Bulla, poteſt initiatus minoribus Ordinibus audire Miſſam; & Prælati Religionum poſſunt conferre literas fraternitatis.

Et ita docet Fernandez *in exam. Theol. mor.part.3. c.9. ſect.11.§.18.n.3.* & Villalobos *in ſumma, tom.1. tract. 27. clauſ.12.n.7.* qui etiam notat, Bullam non ſuſpendere priuilegia, quæ habent regulares, celebrandi tempore interdicti in aliquibus Feſtiuitatibus, in quibus omnes admittuntur ad Officia diuina, & ad recipienda Sacramenta.

*An Bulla Cruciatæ ſuſpendat Indulgentias Regularium?*

### Reſolvt. LXXXVIII.

AFfirmatiuam ſententiam docuit Acoſta *in expoſ.Bull. quæſt.108.* vbi docet, per publicationem Bullæ Cruciatæ ſuſpendi omnes Indulgentias Mendicantium, non ſolùm reſpectu ſæcularium; ſed etiam reſpectu ipſorum Fratrum; quia, licèt in clauſula reuocatoria Bullæ excipiantur facultates Mendicantium, certum eſt, quòd ſub nomine facultatum, non intelliguntur Indulgentiæ, vt patet *ex cap. Extrauag. Sixti IV. de pœn. & remiſſ.*

Sed contrariam ſententiam tenendam eſſe iudico, quam præter Rodriquez tuetur nouiſſimè Nugnus, *vbi infrà* Villalobos *in ſum.tom.1. tract. 27. clauſ.12.n. 9.* & ad argumentum Acoſtæ reſpondetur, quòd illa verba Bullæ: *Exceptis tamen conceſſis Ordinum Mendicantium Superioribus, quoad eorum Fratres* tantùm extendenda ſunt ad omnia ſuperiùs poſita, ſine limitatione ad facultates tantùm, vt putat Acoſta.

Notandum eſt verò cum Nugno *in 3.part. tom.2. tract. de Bulla,* §.14. quòd ſub nomine Fratrum in Bulla intelliguntur etiam Nouitij, & Moniales.

*An ſub nomine Mendicantium in Bulla Cruciata includantur etiam alij Religioſi, qui Mendicantes non ſunt; ſed ex beneficio Sedis Apoſtolicæ eorum fruuntur priuilegiis?*

### Reſolvt. LXXXIX.

ALiqui negatiuè reſpondent ex auctoritate Patris Henriquez *in ſum.lib.7. c. 22. num. 4. in Gloſſ. lit. T,* & Ioan.Valer.*in differ.vtriuſque fori, verb.abſolut.n.35.* vbi aſſerunt, exceptionem Bullæ Cruciatæ circa priuilegia Ordinum Mendicantium non prodeſſe aliis Religionibus non Mendicantibus, nec ea gaudere poſſe, etiam per communicationem priuilegiorum. Et ita tenet Rodriquez *in Bull.§.12.in addit.dub.1.*

Vnde ex hac opinione ſequeretur, quòd Prælatus iſtarum Religionum non Mendicantium non poſſit abſoluere quencunque ſubditum Religioſum à quibuſcunque caſibus Sedi apoſtolicæ reſeruatis; & vti ſimilibus priuilegiis: ſequeretur etiam ex iſta opinione, non manere in ſuo robore quoad iſtos Religioſos non Mendicantes priuilegium

uilegium illud, quòd non poſſint eligere Confeſſores virtute Bullæ Cruciatæ, vt abſolutionem à reſeruatis obtineant.

Sed, his non obſtantibus, contrarium docet Acoſta *in Bull. Cruc. q.105. in fin.* Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 12. n. 11.* vbi ſic ait: [Las Ordenes no Mendicantes, parece que no gozan deſte priuilegio, por la communicacion, que tienen de los priuilegios, porque la Bula ſuſpende los de todos los Monaſterios, y anſi de otra manera parece, que ſeria fruſtratoria la clauſula. Mas à mi pareceme probable lo contrario, que à las, que tienen comunicacion de los priuilegios, no veo por donde los ayamos de quitar eſte. Y no obſta el dizir, que ſeria fruſtratoria la clauſula, porque ſe entiende en caſo, que no tengan priuilegios.] Hæc ille. Vbi etiam, ſub nomine Mendicantium intelligit non ſolùm Religioſos profeſſos, ſed etiam Nouitios, ſi habeant animum perſeuerandi in Religione. Et ideò ſtante hac opinione, omnes Superiores Mendicantes, & non Mendicantes, non obſtante Bulla Cruciatæ, vigore eius clauſulæ licitè frui poſſunt omnibus facultatibus, & priuilegiis à Sede apoſtolica obtentis, etiam per communicationem in ordine ad ſuos Fratres, vt poteſtas diſpenſandi in aliquibus votis, in ieiuniis, in cibis prohibitis, & in aliis multis, quæ videri poſſunt in compendiis eorùm priuilegiorum.

*An, ſi quis ſcit, patrem, vel amicum quolibet anno Bullam Cruciatæ illi ſumere, poſſit vti dictæ Bullæ priuilegiis, antequàm pater, vel amicus certiorem illum faciat de Bulla iam ſumpta eius nomine?*

RESOLVT. XC.

RESpondet negatiuè Rodriquez *in Bull.* §. 12. *in addit. fol. mihi* 112. & poſt illum Vegha *in ſum. tom. 1. c. 43. caſ. 6.* quia in negotiis tam arduis, & in vſum tantorum priuilegiorum non ſufficit certitudo moralis, ſeu licentia præſumpta.

Sed contrariam opinionem probabilem, & tutam in praxi eſſe exiſtimo, quam docuit ante omnes Henriquez, quem citat, & ſequitur Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 12. n. 25.* vbi ſic aſſerit: [Si vno tiene ya eſperiencia, de que ſu padre la toma cada año la Bula, baſta eſto para vſar della, aunque no aya llegado à ſus manos: porque eſto haze certidumbre moral: me parece lo miſmo en caſo, que partiendoſe vno deſte lugar, le prometieſſe vn amigo fiel, y cuydadozo, de tomarſela en publicandoſe.] Ita ille.

*An, ſi elapſo anno Bulla non promulgatur, ſed paulò pòſt promulganda erit, poſſit quis intra illud tempus frui priuilegio primæ Bullæ?*

RESOLVT. XCI.

RESpondet Rodriquez negatiuè *in Bulla,* §. 5. *n.* 2.

Sed affirmatiuam ſententiam docet Henriquez *lib. 7. cap. 20. num. 2.* vbi ſic ait: [Si elapſo anno, & paucis diebus, non promulgetur ſecunda Bulla (quam conſtat paulò pòſt promulgandam) fruetur quis prima Bulla ex pia interpretatione Pontificis, & Commiſſarij, quia annus vnus computatur more eccleſiaſtico à prima vſque ad ſecundam promulgationem circiter.] Ita ille ſatis probabiliter; qui *in Gloſſa, littera O,* teſtatur, ita etiam docuiſſe multos Iuriſperitos, & Theologos Salmanticenſes; & nouiſſimè docet etiam hanc ſententiam contra Rodriquez, Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 4. n. 8. & 9.* Sanc. *in Select. diſp. 55. per totam.*

***

*An in magna ciuitate, vt hîc Panormi, quis non teneatur, primo publicationis die accipere Bullam, ſi eius priuilegiis vti velit; ſed ſufficiat, quòd poſteà in illa hebdomada ſumat.*

RESOLVT. XCII.

RESpondet affirmatiuè Henriquez *lib. 2. cap. 19. num. 2. in Gloſſ. littera O,* quem poſteà ſequitur Villalobos *in ſumma, tom. 1. tract. 27. clauſ. 3. num. 10.* vbi aſſerit: [Añade Henriquez, que no eſtan obligados todos en vna ciudad grande, à tomar la Bula, el miſmo dia de la publicacion pora aprouecharſe della, ſino que baſta, que la reciban dentro de tres dias, ò vna ſemana; de ſuerte, que ſiente, que el que tenia la Bula de otras, no ſe la acaba al punto, que la otra ſe publica en las grandes ciudades.] Ita ille, quod eſt valdè notandum. Sed vide circa præſentem quæſtionem Ioannem Sancium *in Select. diſp. 55. n. 5.*

*An, ſi ante elapſum annum promulgetur ſecunda Bulla, poſſit quis vti priuilegio primæ Bullæ, donec tranſeat annus, non obſtante publicatione alterius Bullæ?*

RESOLVT. XCIII.

NEgatiuè reſpondet Gomez *in expl. Bullæ, clauſ. 5. n. 1.* & Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 4. n. 11.*

Sed contrariam ſententiam probabiliter docet Rodriquez *in Bull.* §. 5. *n. 2.* vbi ait: [Durante el año, vale la Bula, y ningun Comiſſario la puede ſuſpender. Y aſſi antes, que ſe acabe el año de la publicacion, es contra la voluntad de ſu Santidad, y de ſu Mageſtad, que ſe predique otra Bula, y que ſe ſuſpenda la paſſada. Por tanto los Rectores, y Curas queriendola predicar en ſus lugares, antes de acabado el año de la publicacion, pidan à los Comiſſarios, que declaren en pulpito, que no ſe acaba el año de la publicacion de la Bula paſſada, ſino tal dia.] Ita ille: & Vegha *in ſum. tom. 1. cap. 43. caſ. 10.* quod pro praxi eſt valdè notandum, & ideò nouiſſimè hanc ſententiam docet Sanch. *in Selectis, diſp. 55. n. 4.*

*An, ſi quis ſub fine anni, quo expirat Cruciata, incipiat confiteri; & quia non poteſt ob iuſtas cauſas confeſſionem finire, & abſolutionem obtinere, poſſit Confeſſarius, tranſacto anno, virtute præcedentis Bullæ illum abſoluere?*

RESOLVT XCIV.

PVtat Henriquez, loquens de Iubileo, *lib. 7. cap. 11. n. 3.* debere Confeſſarium in tali caſu abſoluere pœnitentem à reſeruatis; & poſteà audire reliqua peccata tempore opportuno.

Sed ego puto abſolutè, quòd ſi confeſſio incipiat tempore habili, intra terminum, ſcilicet, anni publicationis Bullæ, poteſt Confeſſarius de cætero audire totam pœnitentis Confeſſionem, & illum poſteà à reſeruatis, & cenſuris abſoluere. Et ita probabiliter docet Ledeſma *in ſum. tom. 1. tract. de Sacr. Confeſſ. c. 12. concl. 5. dub. 2.* & Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 2. c. 13. n. 15.* Quòd ſi aliquis haberet licentiam audiendi Confeſſiones ad tempus, poſſet eo tranſacto proſequi Confeſſionem antè cœptam.

Et ideò in terminis noſtræ Bullæ hanc ſententiam docet Rodriquez §. 5. *num. 2.* Villalobos *in ſum. tract. 27. clauſ. 4. n. 12.* Acoſta *in Bull. q. 36.* & alij.

Vnde optimè docuit idem Sanchez *vbi ſuprà in ſum. tom. 1. lib. 4. c. 54. num. 34.* etiamſi tempus Bullæ Cruciatæ tranſeat, poſſe Confeſſarium concedere maius tempus pœnitenti, vt recordetur de voto, quod ſcit emiſiſſe; ſed eſt immemor ſpeciei; & poſteà, tranſacto etiam anno Bullæ, illud commutare: quia cauſſa illa fuit incepta tempore



tempore habili. Vnde etiam patet, quòd iuriſdictio Commiſſarij, ac miniſtrorum Cruciatæ durat, quouſque omnes cauſæ inceptæ concurrentes ad vtilitatẽ & iuriſdictionem Cruciatæ finiantur, proindéque regalia præfatis miniſtris conceſſa, quandiu illi occupati fuerint in negotiis Cruciatæ in ſuo robore permanent. Et ita notauit Acoſta *q. 110.*

*An, ſi aliquis ſumat pro amico Bullam Cruciatæ, & ſcribat in ea eius nomen; poſſit hic illam non acceptare; ſed nomen ſuum tollere, & illam alicui applicare?*

RESOLVT. XCV.

REſpondeo affirmatiuè cum Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 4. num. 23.* vbi ſic ait: [Si vn amigo me tomò la Bula, y me la embio, y yo, que tenia tomada otra, no la acepte, la puedo dar à otro, y lo que dezimos de poder la dar à otro la que embio el amigo, lo entiendo yo, aunque trayga eſcrito el nombre, que en eſſo va poco, y aunque ſe mude, no por eſſo ſerà falſario el que lo eſcriue.] Ita ille.

Notandum eſt tamen, quòd ſi Petrus ſumit Bullam pro Ioanne, qui iam alteram cœperat, non poteſt Petrus illam alteri applicare: quia, vt ait Vegha *in ſum. tom. 1. c. 43. caſ. 6.* realiter ille ſumpſit illam Bullam cum intentione applicandi Petro, & non alteri. Ergo, &c. Et ita teſtatur reſpondiſſe de hoc caſu interrogatum Medinam.

Nota etiam cum Villalobos *vbi ſupr.* & Vegha *in ſum. tom. 2. c. 7. caſ. 26.* & Henriquez *lib. 7. cap. 20. num. 5.* quòd non oportet, vt nomen proprium ſit eidem Bullæ inſcriptum. Et ſi inculpatè Bulla fuerit amiſſa, aut combuſta, non eſt neceſſe, vt alia ſumatur; ſed poteſt, hoc non obſtante, quis illa frui.

Et ideò hanc ſententiam poſt Henriquez, & Villalob. docet Nugnus *in 3. p. tom. 2. tract. de Bull.* § ... *in fin.* vbi ait: [Notandum eſt, quòd, vt Bulla ſit valida, debet recipi, & obſeruari cum aliqua mediocri diligentia: ſi verò ſine culpa deperdatur, vel rumpatur; tunc credo, quòd valet; quia non debet eſſe maior obligatio in hac parte, quàm eſt in aliis rebus.] Sic ille. Idem etiam docet Acoſta *in Bull. quæſt. 12* & Vegha *in ſum. tom. 2. cap. 7. caſ. 23.* & Gomez *in Bull. clauſ. 11. n. 12. & 13.* & nouiſſimè Acugna *in Decretum Gratiani, part. 1. diſt. 100. c. 10. num. 5.* Sed, his non obſtantibus, ex verbis Bullæ contrarium apparet dicendum eſſe: habent enim: [Dichiaramo, che quelli che la pigliaranno, habbiano da riceuere, & conſeruare queſta Bolla, perche d'altra maniera non guadagneranno la detta Bolla, ne le gratie di quella.]

*An per clauſulam Bullæ Cœnæ ſuſpendatur Bulla Cruciatæ?*

RESOLVT. XCVI.

REſpondeo negatiuè. Et ita docet Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 3. c. 9. ſect. 11. c. 19. n. 5.* Henriquez *lib. 7. cap. 21. num. 2.* Et ratio eſt: quia aliter eſſet Pontifex ſibi contrarius. Et ita etiam docuerunt Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 2. c. 11. num. 27.* & noſter Duardus *in Bull. Cœn. lib. 3. §. 2. quæſt. 11. num. 41.*

*An per Iubileum anni Sancti Bulla Cruciatæ ſuſpendatur?*

RESOLVT. XCVII.

AFfirmatiuè reſpondet Fabrinus *de Iubil. c. 21.* Nauar. *not. 33. n. 3.* Lopez *in inſtruct. tom. 2. cap. 10.* & alij.

Sed contrariam ſententiam prorſus amplectendam eſſe puto. Et ita docet Portel. *in dub. regul. verb. Bul. Cruc. n. 2.* Salas *de legib. diſp. 20. ſect. 10. in fin.* Bonac. *de legib. diſp. 1. q. 3. punct. 8. §. 3. n. 33.* Leone *tract. de Iubil. p. 1. q. 6. n. 229.* Zerola *de ann. Iubil. lib. 2. c. 19. q. 2.* Villalob. *in ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 12. n. 8.* Fernand. *in exam. Theol. mor. p. 3. c. 9. §. 10. n. 6.* Henriq. *lib. 7. c. 21. n. 3.* Acoſta *in Bull. q. 101.* Rodriquez *in Bull. §. 12. dub. 6. n. 8.* qui aſſerit, ita declaraſſe Clem. VIII. in ſuo Iubileo anni ſancti 1600. Et ita declaraſſe Commiſſario Cruciatæ Vrbanum VIII. pro hoc anno 1625. aſſeruit mihi Vir doctiſſimus D. Franciſcus de la Riba, Vicarius Generalis Illuſtriſſ. Cardinalis ab Auria. Et ratio eſt: quia, vt rectè notat Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 8. diſp. 33. n. 10.* priuilegia Bullæ conceduntur per modum contractus, vt patet ex lectura Bullæ: ſed Pontifex in reuocatione non facit mentionem facultatum per modum contractus conceſſarum: ergo, &c.

*An priuilegia Bullæ Cruciatæ ſint fauorabilia & amplianda?*

RESOLVT. XCVIII.

NEgatiuè reſpondet Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 8. diſp. 2. n. 7.* ideò putat eſſe ſtrictè intelligenda.

Sed contrarium puto aſſerendum eſſe cum Suarez *de relig. tom. 2. lib. 6. cap. 16. num. 3.* qui teſtatur, multos viros doctos noſtri temporis ita ſenſiſſe. Idem etiam docet Raphaël de la Torre *in 2. 2. tom. 2. quæſt. 88. art. 12. diſp. vlt. num. 1.* Villalobos *in ſumm. tom. 1. tract. 27. in tit. num. 7.* Henriquez *lib. 6. cap. 16. num. 3. & lib. 7. cap. 30. num. 4.* & alij: quia huiuſmodi priuilegia ſunt beneficium Principis, ſine alicuius præiudicio; ſunt opus liberalitatis, clementiæ, charitatis, &c. Ergo ſunt fauorabilia, & amplianda. Deinde, tales facultates ordinantur immediatè ad pleniorem abſolutionem faciendam; quæ quoad hanc partem eſt fauorabilis. Et tandem ordinantur, non ad bonum priuatum, ſed ad publicum totius Eccleſiæ, ad ſubueniendum publicæ eius neceſſitati. Ergo, &c. Et idem dicendum eſt de Iubileo.

*An Prælati regulares peccarent mortaliter, prohibendo, ne ſubditi ſumant Bullam Cruciatæ?*

RESOLVT. XCIX.

REſpondeo affirmatiuè cum Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 12. n. 29.* & ante illum Acoſta *in Bull. q. 106.* vbi ſic ait: [Mortaliter peccat, qui ſubditis prohibet Bullæ ſuſceptionem, niſi id faciat ex legitima cauſa: imò, & conſcientia prohibentis; ſicut Reipublicæ Chriſtianæ eſt ſcandalum, ita mihi ſuſpecta ſemper erit. Quin potiùs, ſi generali Commiſſario conſtiterit, nullos alicuius Familiæ Religioſos ſuſcipere ſacram Bullam, deberet ſuper hoc diligenter inquirere; & ſi Prælatos illius in huiuſmodi prohibitione culpatos inueniret contra illos auctoritate apoſtolica procedere. Infero ſimiliter, quòd ſi Religioſus petita, & non obtenta licentia Superioris ſumat Bullam, non peccat: quoniam Prælatus non habet ius ad denegandam talem licentiam; imò & fruetur Indulgentiis Bullæ.] Ita Acoſta, & Villalobos *vbi ſup. n. 27.* docet Regularem etiam ex obſeruantia D. Franciſci poſſe ſine ſcrupulo rogare aliquem amicum, vel pœnitentem, vt ſumat ſibi Bullam Cruciatæ.

Verum eſt, vt idem aduertit *num. 26.* Superiorem regularem concedendo, vt ſubditus ſumat Bullam, poſſe talem licentiam limitare, quoad talem vſum, vel quoad talem facultatem: & ita etiam docuit Rodriquez *in Bulla in addit. §. 9. n. 7.* & Valer. *in diff. vtriuſque fori, verb. Bul. Cruc. diff. 1. num. 2.* notauit, quòd in Societate IESV practicatur, quòd licèt Superiores non prohibeant acceptionem Bullæ; reſtringunt tamen eam, quantùm ad facultatem eligendi Confeſſarium.

*An Bulla Cruciatæ ſuſpendat priuilegia Regularium commutandi vota, & in eis diſpenſandi, & abſoluendi à reſeruatis?*

RESOLVT. C.

Affirmatiuam ſententiam aliqui docent, & fundantur in verbis Bullæ, ibi: *Exceptis tamen conceſſis Ordinum Mendicantium Superioribus, quoad eorum Fratres tantùm*. Et ita docent Nauar. *lib.5. conſ.16. n.1. de priuil.* Lopez *p.2.* vbi de clauibus, *cap.2.* Rodriquez *ſuper Bull. §.12.* & nouiſſimè Acoſta etiam *ſuper Bul.q.15.*

Sed contrariam ſententiam, quæ in praxi hodie obſeruatur, prorſus amplectendam eſſe puto: & illam docet Ledeſma *in ſum.tom.1.tr.de Sacr. Pœn.c.15. fol. mihi 299.* Ioan.de la Cruz *de ſtat.relig.lib.2.c.3.dub.7.concl.3.* Graff. *in Append.ad deciſ.lib.1.c.7.§.49.n.65.* Henriq. *lib.6.c.16. n.7.& lib.7.c.18.n.7.* & Sanch. *in ſum.tom.1.lib.4.c.54.n.62.* qui citat Rodriq. mutantem ſententiam. Et ratio eſt: quia, cùm hæc omnia ſint fauorabilia, non ſpeciali Monaſterio conceſſa ſed toti Religioni, & ordinentur in bonum commune fidelium, non ſuſpenduntur per verba generalia, ſi de illis ſpecifica mentio non efficiatur. Et hoc videtur apertè docere Leſſius *lib.2.c.12.dub.12.n.60.*

Quod ita verum eſt; neque per Iubileum anni Sancti dicta priuilegia ſuſpendi exiſtimo. Et ita docet Sanchez *vbi ſuprà*, cum Henriquez *lib.7. cap.28. num.7. & cap. 31. num.3. in Gloſſ.lit. S*, quem poſteà citat, & ſequitur Villalobos *in ſum.tom.1.tract.27. clauſ.12.num.21.* vbi ſic ait: [El Padre Henriquez dize, que no ſe derogan los priuilegios de los Regulares en el año del Iubileo, aunque ſea certiſſimo, y que anſi lo declara la coſtumbre. Eſta ſententia me parece muy probable, y que ſe puede ſeguir en practica.] Ita ille, & poſt illum Bartholomæus à Sancto Fauſto *in theſaur. relig. lib.... quæſt.... num....* quidquid in contrarium aſſerat Emmanuel Rodriquez *in Bull.§.12. in addit. dub.6.* vbi mordicùs contrarium docet: ſed tu tene primam ſententiam.

*An valeat Bulla ſumpta ex pecuniis ablatis, furatis: & quid, ſi meretrices illam ſumant?*

RESOLVT. CI.

Affirmatiuè videtur reſpondere Rodriq. *in Bull. §.1. in addit.dub.7.* ſed libenter cum ipſo concurro quoad meretricem, quæ de quæſtu turpi eleemoſynam dat pro Bulla: quia hæc, licèt turpiter faciat peccando: non tamen turpiter recipit quæſitum, vt communiter ſentiunt Doctores. Secùs autem de illo, qui ex pecuniis ablatis ſumit Bullam: quia talis ſumptio Bullæ nihil valet, cùm Summus Pontifex vult hanc eleemoſynam ſoluendam eſſe de propriis bonis, & facultatibus: ſed pecunia ablata non eſt de propriis bonis: ergo, &c. Et ita de fure, & de meretrice ſentiunt Acoſta *in Bull. Cœn. quæſt.* 12. & Vegha *in ſumm. tom. 1. cap. 43. caſ.7.* & Nugnus *in 3. par.tom.2. tract. de Bulla.*

*An ſufficiat ad lucrandas Indulgentias Bullæ Cruciatæ, viſitare ex vno loco quinque altaria ſine motu corporali?*

RESOLVT. CII.

Contra Rodriquez, olim negantem ſententiam ſuſtinentem, affirmatiuè reſpondet Vegha *in ſumma, tom.2.cap.7. caſ. 16.* vbi ſic ait: [Es neceſſario ſegun Rodriquez, que viſitando eſtos cinco altares, aya mouimiento corporal, porque ſi ſe viſitan eſtandoſe quedo ſin mouerſe, no ſe ganara. Aunque tambien es opinion muy verdadera, y eſta ſe ſigue agora, que ſin que aya mouimiento corporal, viſitandolos ſolamente en el coraçon, baſta.] Ita ille, & poſteà ſententiam mutans Rodriquez.

Idem etiam docet Villalobos *in ſumm.tom.1. tract.27. clauſ.8.n.6.* & Bonacina *de Sacr.diſp.6. q.1. punct.5. n. 25.* qui citat Graffium, Sà, & Azorium. Henriquez *lib.7.c.10. n.1.* & Sà *verb. Indulg.num.6.* cum aliis.

Sed notandum eſt, vt ex ipſa litera Bullæ conſtat, quòd, etiamſi ſint in eodem pago quinque Eccleſiæ, ſufficit viſitare quinque altaria in eadem Eccleſia, vel in diuerſis. Sed poteſt eſſe dubium, quando in aliquo pago tantùm eſt vnica Eccleſia, habens tria, vel quatuor altaria: vtrùm debeat quis viſitare omnia illa, & iterum bis, vel ter vnum altare; an verò debeat viſitare vnum altare quinquies. Reſpondetur, quòd quomodocunque fiat, ſufficiet ad obtinendam Indulgentiam: ſed melius eſt hoc vltimum; quia eſt magis ſecundùm literam. Et hoc, quod dicitur, ſi non fuerint quinque altaria, intelligitur in pago pro ſæcularibus, & in propria domo pro Religioſis. Ita *in 3. p. tom. 2. tract. de Bulla, §.10.*

*An, ſi quis non poteſt ingredi Eccleſiam; quia eſt plena hominibus; conſequatur indulgentiam Bullæ, viſitando talem Eccleſiam à foris, vt ſibi poſſibile eſt?*

RESOLVT. CIII.

Negatiuè reſpondet Gloſſa *in Clem. de reliq. & ven. Sanct.* & Zanardus *in direct. Theol. part. 1. tract. de Sacr. cap. 20. quæſt.* 40.

Sed contrarium communiter docetur. Ita Villalob. *in ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ.8. num. 7.* Fernandez *de exam. Theol.mor. p.3. cap.9. §. 9. n.5.* qui citat Roſellam, Cordubam, & Rodriquez.

At puto in caſu noſtræ Bullæ, vt optimè notat Nugnus *in 3.p.tom.2.tract.de Bulla, §.10.* reſpondendũ cum diſtinctione; quòd, ſcilicet, talis viſitatio ſit ſufficiens pro viſitatione vnius altaris; non tamen pro quinque altaribus: quia, moraliter loquendo, non poteſt dici, quòd talis homo viſitet quinque altaria in illa Eccleſia, ſicuti verè dicitur, quòd viſitat talem Eccleſiam. Vnde ſequitur, quòd ad obtinendam præſentem Indulgentiam debet viſitare quinque Eccleſias, qui iſto modo viſitat. Quando verò in aliquo Iubileo tantùm exigitur vnica oratio in Eccleſia, ſufficit iſto modo illam viſitare. Ita ille: quod vltimum eſt valdè notandum pro Iubileis. Et idem etiam docuerat Bonacina *de Sacr.diſp.6.q.1.punct.5.n.26.* qui citat. Suarez, Rodriquez, Cordubã, & Graffium, quibus ego addo Leonem *tract.de Iubil.p.1.c.2.num. 162.* & Villalob. *in ſumm. tom.1.tract.26. dub.24. n.7.* Sanctarellum *de Iubil. cap. 4. dub.3.* Fernandez *in exam.Theol.mor.p.3.c.8.§.8. num.3.* & Filliuc. *tom.1.tract.8.c.6.q.3.num.133.* & alios.

*An ſupradicta Indulgentia Bullæ obtineri poſſit multoties eodem die?*

RESOLVT. CIV.

Reſpondeo affirmatiuè. Et ita docet in propriis terminis noſtræ Bullæ Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 27.clauſ.8.num.8.* vbi ſic ait: [Tengo por mas probable, que eſtas Indulgencias ſe pueden ganar muchas vezes en vn dia, viſitandó muchas vezes las Ygleſias.] Idem docuit Rodriquez *in Bull.§.8.n.15.* & Nugnus *in 3.p.tom.2. tract.de Bulla, §.10.* & alij.

Et nota, quòd ſupradictæ Indulgentiæ poſſunt ſumi pro defunctis, vt habetur in Bulla Latina, & notat Villalobos, *vbi ſuprà*: & ideò pro illis poſſunt etiam ſumi in vno die multoties: & ita idem Villalobos docet; quod eſt valdè notandum. Et ex his patet reſponſio ad illam quæſtionem, vtrùm aliquis poſſit ſæpiùs eodem die conſequi





Indulgentiam conceſſam viſitantibus Eccleſiam talem tali die; de qua quæſtione videndus eſt Bonacina *de Sacr.diſp.6.q.1.punct.5.n.32.* & alij penes ipſum.

*An pro lucranda Indulgentia ſupradicta, ſufficiat, ſuſcipientem Bullam confeſſum fuiſſe in Quadrageſima præterita, & habere propoſitum confitendi in Quadrageſima futura?*

RESOLVT. CV.

Negatiuè in terminis noſtræ Bullæ reſpondet Acoſta *in Bull.quæſt.14.* quia in proprietate verborum, quæ in Indulgentiis ſtrictè ſeruanda eſt, non dicuntur verè confeſſi, qui propoſitum confitendi habent; neque qui poſt præteritam Confeſſionem peccata mortalia commiſerunt.

Hæc opinio eſt probabilis: ſed contrariam non minùs probabilem exiſtimo: & ita, quando Indulgentia conceditur omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, ſacráque Euchariſtia refectis, vt ſub hac forma conceditur in noſtra Cruciata; puto, ſatis eſſe ſuſcipientem Bullam confeſſum fuiſſe in Quadrageſima præterita, & habere propoſitum confitendi in Quadrageſima futura: quoniam talis dicitur confeſſus ſecundùm ius.

Et ideò docet nouiſſimè hanc ſententiam Filliuc. *tom. 1.tract.8.c.6.q.8.n.148.* vbi ait: [Quando in forma Indulgentiæ dicitur: *Verè pœnitentibus, & confeſſis.* etſi probabilis ſit, & tutior opinio requirens actualem Confeſſionem: attamen probabilior eſt, tutáque contraria, quòd, ſcilicet, ſatis ſit vera contritio cum Confeſſione in voto; re ipſa autem tunc tantùm, quando contritio illa non reputatur vera. Sed indulgentia Bullæ Cruciatæ, vt *ſuprà* diximus, conceditur ſub hac forma. Ergo, &c.

Et ita præter Filliucium docet hanc ſententiam Suarez *tom.4.in 3.p.diſp.52.ſect.3.n.12.* Toletus *lib. 6. c.27.n. 2.* Gabriel *in 4.diſt.45.q.2.n.12.* Paludanus *in 4. diſt.2. q.4. art.3.concl.1.* Roſella *verb. Indulg. n.22.* Tabiena *eod. verb. n.18.* Armilla *eod.verb.18.* Angelus *eodem verb.num.17.* & Comitolus *in reſer.mor.lib.1. quæſt.39.* & alij: quidquid in contrarium aſſerat Coninch *de Sacram. diſp.12. dub.7. n. 38.* & Bellarminus *de Indulg. lib. 1. c. 13. quæſt.3.* Sà *verb. Indulg. num.3.* Sotus *in 4.diſt.21. q.2.art. 3.* Benzonius *de Iubil.lib.5.c.15.dub.4.* Reginaldus *tom.1.lib.7.cap.vlt. q.1. num.171.* & alij.

*Quomodo Confeſſarius tempore mortis debeat impertiri Indulgentiam moribundo?*

RESOLVT. CVI.

Reſpondeo, impertiendo illam ſub conditione, v.g. Si verè mortem obieris, impertior tibi Indulgentiam Bullæ; alioqui ſeruet tibi Deus hanc Indulgentiam ad inſtans mortis. Et ita fieri iubet Bullæ Commiſſarius, vt notauit Fernandez *in exam. Theolog.moral. part.3. c.9.§.9. num.4.* qui citat Nauarrum, & Cordubam. Et hanc praxim etiam docuerunt Villalobos *in ſum.tom.1. tract. 27. clauſ. 11.num.3.* & Vegha *in ſum. tom. 2. cap.7. caſ.23.* Et ratio huius praxis eſt: quia, ſi ſub tali conditione Indulgentia detur, ſi ex illa infirmitate æger conualuerit, & poſteà incideret in alium articulum mortis, non indigeret noua Bulla ad Indulgentiam conſequendam: quod mente teneant Confeſſarij. Notandum eſt verò, quòd indulgentia Bullæ ſolùm conceditur pro articulo, & non pro periculo mortis.

Notandum eſt etiam, quòd ſi Confeſſarius non velit vti forma tradita à Commiſſario, ſatis eſt dicere: Concedo tibi omnes gratias, quas concedere poſſum virtute huius Bullæ; etiamſi hoc ore tenus non explicet, ſed ſolùm in mente, & cogitatione habeat. Ita Rodriquez *in Bull. §.9.num.40.* & Fernandez *vbi ſup.§.10.num.1.* qui *num. 3.* addit, quòd ſi aliquis confiteatur, vt Indulgentias huius Bullæ obtineat, & Confeſſarius ex malitia non illum abſoluat, hoc non obſtante lucrabitur Bullæ Indulgentias.

Notandum eſt etiam, quòd in articulo mortis, quando Clericus haberi non poteſt, laïcus poteſt concedere Indulgentiam Bullæ, vt tradit ex Nauarro, Ioan. Valerus *in different.vtriuſque fori, verb.abſol.diff.13.num.3.*

*An ad lucrandas Indulgentias Bullæ teneatur quis confiteri, ſi non habet mortalia peccata, ſed tantùm venialia?*

RESOLVT. CVII.

Affirmatiuam ſententiam docet Acoſta *in Bull. q. 14. dub. 2.* quia putat Bullam exigere Confeſſionem, tanquam iniunctum opus.

Sed ego contrariam ſententiam non minùs probabilem eſſe exiſtimo: quia, quando in Bulla exprimitur confeſſio, ſermo eſt de Confeſſione illius, qui conſcientiam habet peccati mortalis, niſi aliud exprimatur: Eccleſia enim non conſueuit præcipere Confeſſionem, niſi de mortalibus; & Confeſſio abſolutè accepta non ſumitur niſi pro Confeſſione illorum: & ita hanc opinionem tenet Suarez *in 3.p.tom.4.diſp.52.ſect.3.* Zanard. *in direct.Theol. p. 1. de Sacram.Pœn.c.21. q.24.* Lorichius *in theſ. Theol. verb.Iub. n. 21.* Comitolus *in reſ.mor.lib.1.q.39.* Reginald. *tom. 1. lib. 7.c.vlt.n.173.* Bellarminus *de Indulg.lib.1.c.13. q.3.* Graffius *part.1. lib.4.c.15. n.10.* Coninch *de Sacr. tom. 2. diſp. 12.dub.7.n.38.* Filliuc. *tom.1. tract.8. c.6. q.8. n.145.* Henriq. *lib.7.cap.12.n.2.* Bonac. *de Sacr.diſp.6.q.1. punct.5. n.7.* Molfeſ. *in ſum.tom.1.tract.7.c.26. n.79.* & alij penes ipſos: quidquid in contrarium ex neotericis aſſerat contra Suarez, Didacus Nugnus *in addit.ad 3. p.tom.2. q.27. art. 3. dub.2.* Sanchez *de matr.tom.3.lib.8.diſp.15. n.29.* Floronus *de caſ.reſer.p.1.c.6. §.6. n.3.* qui etiam noſtram ſententiam probabilem vocant, & alij.

Illud verò, quod dicit Acoſta, Bullam exigere Confeſſionem tanquàm opus iniunctum, negatur: quia hoc eſſet, ſi diceretur in Bulla: *Præmiſſa, aut facta Confeſſione*, vel quid ſimile. Imò Coninch, *vbi ſuprà, de Sacr.diſp.12. dub. 7.n.38.* & Leone *tract.de Iubil.p.1.q.1.num.70.* tenent noſtram ſententiam, etiamſi in Bulla apponantur hæc verba: *Præmiſſa Confeſſione communicauerit.* quia adhuc intelligi debent de mortalibus.

*An poſſit Confeſſarius, virtute Bullæ Cruciatæ applicare Indulgentiam moribundo ſenſibus deſtituto, qui petiit anteà Confeſſionem?*

RESOLVT. CVIII.

Reſpondeo tali moribundo abſolutionem ſacramentalem, ſaltem ſub conditione, impertiendam eſſe; & à fortiori, quando præſente Sacerdote dat generalia ſigna, quibus oſtendit, ſe peccaſſe, & de eo dolore, ſi, eò quòd ſubitò priuetur ſenſibus, non poſſit aliquid in particulari confiteri. Et ita docent D.Antonin. *p.3.tit.10.cap.2. circa med.* Sylueſter *verb.Confeſſor,3. n.16.* Paludanus *in 4. diſt. 21.q.2.art.2.concl.2.* Angelus *verb. confeſſio, 4.n.8.* Medina *de Pœnit.tract.2.q.39.in fin.* Regius *in ſuis reſol. caſ. 39. in 4.* Corduba *q.30. de Indulg. dub.3.opin.2.* Suarez *in 3. p. tom.4.diſp.23.ſect.1.n.5.* Henriquez *lib.6.c.10.num.7.* Coninch *de Sacr.diſp.7.dub.10. n. 97. & 99.* Vaſquez *in 3.p. tom.4.q.91.art.2.dub.1.* Sà *verb.Confeſſ.* Toletus *lib.3. c.8. n.2.* Syluius *in add.ad 3.p.q.8.a.3.* Nugnus *ibid.* Quidquid in contrarium aſſerat nouiſsimè Choquetius *in tr. de Confeſſ.per lit.c.7.per tot.* Abul. *Matth.16.q.49. & 79.* Maior *in 4.diſt.14.* Sotus *in 4.diſt.18.q.2.art.5.* Ledeſma *2.p.4.q. 8.art.4.* Cano *relect. de Pœnit. p.6.§. vt inhærendo.* Nauarr. *in Man.c.26.n.27.* Lopez *in inſtr.p.1. cap.18.* Conradus *in ſuis reſponſ.p.1.q.10.* Angles *in 4.p.1.art.2.diffic.6.*

Ita Homobonus in exam. Eccleſ. part. 1. tract. 7. c. 18. q. 84. & Molfeſius in ſum. tom. 1. tract. 7. c. 5. n. 48. tenent hanc opinionem, etiamſi moribundus, nec Confeſſarium petierit, nec indicia exhibuerit, ex quibus actus contritionis, vel attritionis argui poſſit; modò talis in mortis articulo conſtitutus Chriſtiano more viuere ſoleret, & bonus, ac fidelis homo exiſtimaretur. Quam quidem opinionem amplexum fuiſſe Clementem VIII. teſtantur: cùm enim quidam ex fabrica D. Petri præceps ruiſſet, & illum cadentem vidiſſet, abſolutionem ei dedit, dicens: Si es capax, abſoluo te à peccatis tuis.

Et hanc opinionem approbauit etiam Summus Pontifex Gregorius XV. quando erat Archiepiſcopus Bononienſis in ſuo Man. Confeſſar. c. 1. de forma Sacr. Pœn. n. 16.

Sed ſtando etiam in contraria ſententia, quòd dictus moribundus non ſit abſoluendus, vt rectè probat Malderus de ſigillo Confeſſ. c. 15. & alij communiter, cum quibus ego ſentio; hoc non obſtante, Indulgentia Bullæ eſt illi impertienda: quia non ſtetit per illum, vt Confeſſionem minimè faceret. Et ita in ſimilibus notauit Acoſta in Bull. q. 14. Et ita habetur in Bulla, vt obſeruat etiam Villalob. in ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 1. n. 1. vbi ait: [Haſe de aduertir, que como conſta de las palabras deſta clauſula, que dize lo deſearan, no es neceſſario, que aya Confeſſion para ganar la Indulgencia, quando no pudiera hauerla.] Quod anteà docuerat Rodriquez in Bull. §. 2. dub. 5. n. 9.

*Quoties per Bullam Cruciatæ lucretur quis Indulgentiam plenariam?*

RESOLVT. CIX.

RESpondeo, quòd ſemel in vita, & ſemel in morte. Ita notauit Leone tract. de Iubil. p. 1. qu. 6. n. 229. & alij.

Sed notandum eſt cum Villalob. in ſumm. tom. 1. tract. 27. clauſ. 1. n. 3. quòd ille, qui ad bellum pergit, poteſt lucrari dictam Indulgentiam, toties, quoties peccauerit, & confeſſus fuerit. Et ante illum hoc etiam notauerat Rodriquez in Bull. §. 2. dub. 6. n. 15.

*An Commiſſarius Cruciatæ poſſit diſpenſare in aliquibus irregularitatibus?*

RESOLVT. CX.

RESpondeo affirmatiuè. Ita Auila de cenſ. part. 2. diſp. 10. dub. 5. Fernandez, Villalobos, Rodriquez, & alij. Et hæc ſunt verba, in quibus ei talis facultas impertitur: [Item, ſimiliter conceditur facultas dicto Commiſſario diſpenſandi, & componendi ſuper irregularitate cum his, qui quibuſcunque eccleſiaſticis cenſuris ligati, Miſſas & diuina Officia (non tamen in contemptum clauium) celebrauerunt, ſeu aliàs ſe immiſcuerunt; & ſuper alia qualibet irregularitate, præterquàm ratione homicidij voluntarij, aut ſimoniæ, vel apoſtaſiæ à fide, aut de hæreſi, vel propter malam Ordinum ſuſceptionem contractam, cum retentione beneficiorum, & fructuum ex eis perceptorum, & infamiæ, ac inhabilitatis exinde prouenientis abolitione, & executione Ordinum non malè ſuſceptorum.] In quibus verbis videtur, quàm ſit ampla facultas Commiſſarij in diſpenſatione ſuper irregularitatibus prouenientibus ex delicto.

*An Commiſſarius Cruciatæ poſſit diſpenſare ſuper irregularitate publica; contracta tamen ex delicto?*

RESOLVT. CXI.

RESpondeo affirmatiuè, vt patet ex verbis ſupradictis, & notauit Fernandez in exam. Theol. mor. p. 3. c. 9. §. 20. n. 1. Henriquez lib. 7. c. 13. n. 5. Villalob. in ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 13. n. 6. vbi ſic ait: [Se aduierte, que no ſolo ſe concede al Commiſſario, que puede diſpenſar en la irregularidad, que prouiene de delito occulto, ſi no tambien en la que prouiene de publico. El fundamento es, porque el Pontifice no lo reſtringio, y anſi es viſto, que le concedio generalmente, que quando ſolo quiere concederlo en el delito oculto, expreſſamente lo declara, como hizo en el Concilio Tridentino, en la facultad, que acerca deſto ſe concede à los Obiſpos, y anſi à qui concede el Papa la facultad para eſto, no ſolo en el fuero interior, ſino tambien en el eſterior.]

*An poſſit diſpenſare in irregularitate proueniente ex homicidio caſuali, & iniuncta mutilatione membrorum?*

RESOLVT. CXII.

RESpondeo affirmatiuè: nam in verbis Bullæ, ſeu facultatis, denegatur tantùm diſpenſatio ſuper homicidium voluntarium: ſed mutilatio non eſt propriè homicidium: ergo, &c. Et ita Epiſcopus, cùm non poſſit diſpenſare in homicidio voluntario; poteſt tamen propter dictam rationem diſpenſare in irregularitate occulta contracta ex iniuſta membrorum mutilatione, vt notant Molina tom. 4. diſt. 79. n. 8. Suarez de cenſ. diſp. 44. ſect. 4. n. 35. Filliucius tom. 1. tract. 20. c. 1. n. 9. & alij.

Et ita loquens in caſu noſtro aſſerit Rodriquez in add. §. 13. n. 2. fol. mihi 215. vbi ait: [Es de notar, que no puede el Comiſſario general diſpenſar en la irregularidad de homicidio voluntario, y por el conſeguiente podrà diſpenſar en la irregularidad, que procede de mutilacion voluntaria de algun miembro, pues aqui ſolamente excepta el homicidio voluntario.] Et ita etiam docet Villalobos in ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 13. n. 7. & alij.

Notandum eſt etiam hîc cum Rodriquez, dictum Commiſſarium poſſe diſpenſare in irregularitate orta ex homicidio caſuali, licèt publica: ſub nomine verò homicidij voluntarij non includitur homicidium caſuale: & ita Epiſcopus poteſt ad maiores Ordines, vigore Concilij Tridentini, diſpenſare, etiam in tali irregularitate, dummodo ſit occulta, vt ex multis tradit Auila de cenſ. p. 7. diſp. 6. ſect. 5. dub. 2. Coninch. de Sacram. diſp. 18. dub. 14. n. 111. Reginaldus tom. 2. lib. 30. tract. 2. c. 3. n. 28. Bonacina de cenſ. diſp. 7. q. 4. punct. vlt. n. 13. & alij. Dixi, ad maiores Ordines: nam ad minores, etiamſi talis irregularitas ſit publica, poteſt Epiſcopus diſpenſare, vt notauit Nauarrus cap. 26. n. 240. Henriquez lib. 14. c. 19. n. 2. in Gloſſ. litt. M, & Doctores citati.

*An Commiſſarius Bullæ poſſit diſpenſare in irregularitate contracta propter ſimoniam?*

RESOLVT. CXIII.

RESpondent negatiuè Fernandez in exam. Theol. moral. p. 3. c. 9. §. 20. n. 1. Rodriquez, & alij.

Sed ego puto, propter ſimoniam in ordine, vel beneficio, aliquem non incurrere irregularitatem, & ita nulla egere diſpenſatione: quia talem irregularitatem non inuenio in iure expreſſam: ſed nulla irregularitas incurritur, niſi ſit in iure expreſſa, vt notant communiter: ergo, &c. Et ita docet Suarez de cenſ. diſp. 43. ſect. 4. n. 5. Filliucius tom. 1. tract. 20. c. 8. num. 247. Reginaldus tom. 2. lib. 3. tract. 2. cap. 16. num. 100. Henriquez lib. 13. cap. 35. num. 5. Villalobos in ſumma, tom. 1. tract. 21. difficult. 17. num. 1. quidquid in contrarium aſſerat Comitol. in reſponſ. moral. lib. 6. quæſt. 64. num. 3. & ſequent. qui multas textus adducit, ſed non ad rem: loquuntur enim, & ſunt interpretandi de ſuſpenſione, & non de irregularitate, vt Suarez probat.

Notandum



Notandum eſt verò, quòd Auila de cenſ. part. 7. diſp. 4. dub. 7. concluſ. 7. putat, tantùm ſimoniam notoriam in ordine inducere irregularitatem. Et Megala in 3. part. lib. 4. c. 5. q. 4. n. 70. docet, ſimoniacum, cùm per ſententiam fuerit damnatus, tunc tantùm incurrere irregularitatem: quia tali pœna afficiuntur omnes infames.

*An irregularitas incurſa propter hæreſim occultam, ſit diſpenſabilis per facultatem conceſſam Commiſſario Bullæ Cruciatæ?*

RESOLVT. CXIV.

RESpondeo negatiuè, vt patet ex verbis Bullæ. Sed ego exiſtimo, talem probabiliter Hæreticum occultum non incurrere irregularitatem: & ita docet Auila de cenſ. part. 7. diſp. 4. dub. 2. concl. 2. qui citat Henriquez, & probatur ex cap. ad abolendam. de Hæret. vbi textus loquitur de Hæretico publico, in illis verbis: *Quicunque manifeſtè fuerit in hæreſi deprehenſus.*

Idem etiam docet Henriquez lib. 14. c. 4. num. 6. & c. 5. n. 2. Reginaldus in praxi, tom. 2. lib. 30. tract. 2. c. 15. n. 193. Sà verb. irreg. vbi de irreg. ex defectu animæ, n. 2. Sayrus de cenſ. lib. 7. cap. 12. num. 16. & alij.

Quidquid aſſerat Filliucius tom. 1. tract. 20. c. 9. n. 228. Suarez tom. 5. diſp. 43. ſect. 1. num. 4. Azorius part. 1. lib. 8. cap. 11. quæſt. 13. & cap. 21. quæſt. 8. Coninch de Sacram. diſp. 18. dub. 7. num. 50. Sanchez in ſumm. tom. 1. lib. 2. c. 25. num. 2. Bonacina de cenſ. diſp. 7. punct. 7. num. 6. & alij, putantes, etiam Hæreticum occultum incurrere irregularitatem; in cuius probationem adducunt cap. ſaluberrimum. & §. Hæretici. Sed hi textus nihil probant; imò pro noſtra ſententia faciunt: nam cap. ſaluberrimum. agit de abiuratione ſolenni, quæ in ſcriptis fit: & in §. Hæretici. apertè, & clarè ſupponitur notitia criminis, ſine qua nequit impleri, quod præſcribit. Ex quibus apparet, ſupracitatos Canones loquutos fuiſſe de Hæreticis notoriis, & non occultis, qui, vt diximus, nullam incurrunt irregularitatem.

*An irregularitas contracta per malam ſuſceptionem Ordinum, quia ſuſcipiens erat excommunicatus, vel ſuſpenſus, ſit per Commiſſarium Cruciatæ diſpenſabilis?*

RESOLVT. CXV.

RESpondeo negatiuè, vt patet ex verbis Bullæ, & facultatis, vt optimè notat Fernandez in exam. Theol. mor. part. 3. cap. 9. §. 20. num. 2.

Sed ego puto probabiliter, excommunicatum, vel ſuſpenſum, Ordines ſacros ſuſcipiendo non incurrere irregularitatem. Et ita nobiſcum ſentit, quoad excommunicatum, Suarez tom. 5. diſp. 42. ſect. 3. num. 2. & Filliucius tom. 1. tract. 20. cap. 7. num. 192. cum aliis: quidquid probabiliter in contrarium aſſerat Valentia tom. 4. diſp. 7. quæſt. 19. punct. 3. Sayrus lib. 7. cap. 10. n. 12. Reginaldus in praxi, tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 14. num. 181. de ſuſpenſo verò idem docent Filliucius, vbi ſupra. Suarez, & Sayrus; licèt probabiliter contrariam ſententiam doceant aliqui ex præcedentibus Doctoribus. Et ratio eſt: quia non datur textus, in quo imponatur talis irregularitas: ſed irregularitas non incurritur, niſi in caſibus à iure expreſſis, ergo, &c.

Igitur, ex his omnibus apparet, non poſſe Commiſſarium diſpenſare in irregularitate proueniente ex homicidio voluntario, ex ſimonia, ex hæreſi, & apoſtaſia à fide, & ex mala Ordinum ſuſceptione; poſſe tamen in aliis irregularitatibus prouenientibus ex delicto, licèt ſint publicæ; in quo caſu non poteſt Epiſcopus: vnde circa hoc remanet ſolùm iſta difficultas: In qua irregularitate contracta ex bigamia poteſt Commiſſarius Cruciatæ diſpenſare?



Ita reſpondet Villalob. in ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 13. num. 8. [No puede diſpenſar el Comiſſario en la bigamia interpretatiua, que no nace de delito, qual es del que ſe casò con corrupta, mas ſi en la que nace de delito, qual es del que ſe casò validamente con vna, & inualidamente con otra, y en la ſimilitudinaria, que incurre el que ſe casò eſtando ordenado de Orden ſacro, ò ſiendo profeſſo en la Religion aprouada.] Ita ille, qui citat etiam Rodriquez.

Notandum eſt tamen, quòd ſi aliquis contraxit cum corrupta, exiſtente aliquo impedimento dirimente, ſi non conſummauit matrimonium, non incurrit in irregularitatem: quia exiſtente matrimonio inualido, nulla eſt ſignificatio, ſeu defectus ſignificationis. Ita Bonacina de cenſ. diſp. 7. quæſt. 2. punct. 5. num. 8. aduersùs Suarez, Sayr. & alios.

Imò ego puto aduersùs Bonacin. quòd ſi etiam in tali caſu aliquis matrimonium conſummaret, non incurreret in irregularitatem. Et ita docet Auila de cenſ. part. 7. diſp. 7. dub. 2. qui citat Nauar. aſſerentem, ſic fuiſſe deciſum in ſacra pœnitentiaria.

*An Commiſſarius poſſit diſpenſare in aliquo impedimento matrimonij?*

RESOLVT. CXVI.

RESpondeo affirmatiuè cum Ioan. de la Cruz in direct. conſ. par. 2. tract. de matrim. art. 6. dub. 12. concl.... Fernandez in exam. Theol. mor. p. 3. c. 9. §. 20. n. 3. Henriquez lib. 7. cap. 13. num. 5. & lib. 12. cap. 3. n. 3. Villalobos in ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 13. n. 11. & Sanchez de matr. tom. 3. lib. 8. diſp. 6. num. 23. vbi ita aſſerit: [Commiſſarius Bullæ Cruciatæ poteſt diſpenſare pro ſolo conſcientiæ foro in affinitate conſurgenti ex copula fornicaria in primo, & ſecundo gradu; atque prolem ſuſceptam, & ſuſcipiendam, legitimam decernere, concurrentibus quatuor conditionibus. Prima eſt, vt matrimonium cum illo impedimento ſit iam contractum, ſeruatáque ſit forma Trid. ſeſſ. 24. de matrim. cap. 1. Secunda eſt, vt impedimentum ſit occultum. Tertia eſt, vt adfuerit bona fides, ſaltem ex parte alterius contrahentis, qui tempore contractus matrimonij id impedimentum ignorabat. Vltima eſt, vt coniux, qui ignorauit impedimentum, certior fiat de prioris conſenſus nullitate; quanuis ei non declaretur cauſſa nullitatis, vt euitentur ſcandala.

*An primus ille gradus, in quo poteſt Commiſſarius diſpenſare, intelligendus ſit in vtraque linea tranſuerſali, & recta?*

RESOLVT. CXVII.

RESpondeo affirmatiuè: quia conceſſio facta dicto Commiſſario eſt abſoluta, & ſine vlla diſtinctione: & vterque gradus eſt iure pontificio inductus. Et ita docet Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 7. diſp. 3. num. 2. & alij. Vnde Rodriq. in Bull. Cruc. §. 13. fol. mihi 210. ita aſſeruit: [Puede el Comiſſario general diſpenſar para que vno ſe puede caſar con vna muger, que conocio ſu padre carnalmente, auiendoſe caſado publicamente, ignorando vno dellos el impedimento.]

Notandum eſt tamen, quòd ſi denunciationes culpabiliter eſſent omiſſæ, etiamſi matrimonium contractum ſit ante Parochum, & teſtes; non poſſet in tali caſu Commiſſarius diſpenſare: & ita notat ex Sanchez, Villalob. in ſum. tom. 1. tract. 27. clauſ. 13. num. 14.

*Quando dicitur impedimentum occultum, vt poſsit Commiſſarius Bullæ diſpenſare?*

RESOLVT. CXVIII.

RESpondeo, occultum in hoc loco accipiendum eſſe eo modo, quo accipitur in Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *c.*6. vbi conceditur facultas Epiſcopis, vt poſſint diſpenſare ſuper irregularitatibus, &c. prouenientibus ex delicto occulto. Igitur hîc, ſicut & in Concil. Trident. occultum non accipitur ſecundùm terminos iuris, id eſt, quod non poteſt probari, vt non benè ſenſerunt Graſſius *tom.* 2. *conſil.* 2. *n.* 10. *de homicid.* Garſias *de benef. tom.* 2. *part.* 7. *c.*11. *n.*4. Armendariz *in addit. ad recopil. Nauarræ, lib.* 1. *tit.* 18 *lib.*9. *num.*25. & alij.

Sed accipitur pro eo, quod non eſt publicum, etiamſi ab aliquibus ſciatur. Et ita docet Azor. *part.*1. *lib.*8. *c.*10. *quæſt.* 9. Auila *de cenſ. part.* 2. *cap.*7. *diſp.*1. *dub.* 12. *concl.* 2. Suarez *in* 3. *part. tom.*4. *diſput.* 30. *ſect.* 2. *num.* 2. *& tom.* 5. *diſp.*41. *ſect.* 2. *n.*6. Molina *de iuſtit. tom.* 3. *tract.* 3. *diſp.*79. *num.*8. Comitol. *in reſponſ. moral. lib.* 6. *cap.*44. *num.* 2. Sanchez *in ſum. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 11. *num.* 19. Reginaldus *tom.* 2. *lib.*30. *tract.* 2. *cap.*3. *num.*30. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 20. *cap.* 10. *num.* 269 Homobon. *de exam. Eccleſ. par.* 1. *tract.*4. *cap.* 7. *quæſt.*57. Floron. *tract. de caſ. reſeru. part.* 1. *cap.*4. §. 21. *n.*2. Solerus *de poteſt. Confeſſ. c.* 3. Ioan. de la Cruz *in director. Confeſſ. par.* 2. vbi de irregul. *dub.* 15. *concl.* 1. Megala *in* 1. *p. lib.* 1. *cap.* 13. *num.*3.

Et ita in terminis caſus noſtri, notant Sanchez *de matrim. tom.* 3. *lib.*7. *diſp.*3. *n.*26. & Villalobos *in ſum. tom.* 1. *tract.*17. *clauſ.*13. *n.*15. vbi ſic ait: [ Por oculto ſe entiende aquello, que no es publico, y anſi aunque algunos ſupieſſen el impedimento, y ſe pudieſſe probar, ſe diria para eſte efeto oculto, y no publico, lo que ſe llama publico, lo que ſe ſabe en la mayor parte de la ciudad, vezindad, Colegio, Monaſterio, ò Parrochia, como tenga por lo meno diez perſonas. ]

*An, quando Commiſſarius diſpenſat in impedimento, opus eſt, vt qui ignorauit impedimentum, certior de illo efficiatur?*

RESOLVT. CXIX.

RESpondeo, quòd magna difficultas eſt, vtrùm ad matrimonium inualidum ob impedimentum occultum ratificandum, ceſſante impedimento, oporteat alterum coniugem certiorem facere de nullitate prioris matrimonij.

Prima opinio negat. Ita Caiet. *Opuſc. tom.* 1. *tract.* 12. *de matr. q.* 2. Sot. *in* 4. *diſt.* 28. *q.* 1. *art.* 2. *concl.* 3. *caſ.* 1. Veracr. *in ſpec. p.* 1. *art.*44. *concl.*3. Graſſius *deciſ. p.* 1. *lib.* 2. *c.*80. *n.*15.

Secunda verò ſententia affirmat: ita Villalob. *in ſum. tom.* 1. *tract.*14. *dub.*32. *num.*6. Nauarr. *in Man. c.*22. *n.*47. Philiarchus *de off. Sacerd. tom.* 1. *par.* 2. *lib.* 2. *c.* 13. Cucchus *inſtit. maior. lib.*5. *tit.* 12. *num.*82. & alij.

Sed, quidquid ſit de hoc, certum eſt, in caſu noſtro non valere diſpenſationem, vt patet ex verbis Bullæ, ſi coniux ignarus non efficiatur ſaltem in genere certior de impedimento. Et ita docet Rodriquez *in Bull.* § 13. Sanchez *de matrim. tom.* 3. *lib.*7. *diſp.*3. *num.* 23. & Villalob. *in ſum. tom.* 1. *tract.*27. *clauſ.*13. *n.*28.

*FINIS PRIMÆ PARTIS.*





# ANTONINI DIANA,

## CLERICI REGVLARIS, RESOLVTIONVM MORALIVM

## Pars Secunda.

## TRACTATVS XII.

### De Horis canonicis.

*Petrus beneficiatus in quadam ciuitate huius Regni, per ſpatium ſeptem annorum recitauit Officium ſine debita attentione, & hoc voluntariè. Quæſitum à me fuit, an teneatur ad reſtitutionem fructuum, qui uncias ſexcentas ſuperabant.*

RESOLVT. I.

RELINQVENDO illam quæſtionem, an recitans Officium voluntariè diſtractus ſatisfaciat præcepto; dico circa præſentem difficultatem, quòd affirmatiuè reſpondent communiter DD. Homobonus *de exam. Eccleſ. par.* 1. *tr.*4. *c.* 5. *q.* 40. Gauantus *in commen. Rubr. Miſſal. tom.* 1. *ſect.* 1. *c.*6. *n.*4. Nauarr. *c.*20 *de oratione, n.*32. Graſſius *deciſ. aur. par.* 1. *lib.* 2. *c.*51. *n.*7. Petrus à Nauarr. *lib.* 2. *c.* 2. *n.* 240. *& ſeq.* Vegha *in ſumma, tom.* 1. *c.*128. *caſ.*20. Suarez *in* 3. *par. tom.*5. *diſp.*4. *ſect.* 2. *n.*26. *& de Religione, tom.* 2. *lib.* 4. *c.*26. *n.*26. Rodriquez *tom.* 1. *c.*143. *n.* 1. Moneta *de diſtribut. p.* 2. *q.* 2. *n.*20. Lorca *in p.* 2. *tom.* 2. *diſp.*16. *de legib. memb.* 2. *ad* 5. Salas *de legib. diſp.*9. *ſect.* 1. *n.* 24. Squillante *de obligationibus Clericorum p.* 1. *dubit.* 21. *n.*42. Fernandez *in ſuo exam. Theol. moral. p.*3. *c.*13. § 8. Raphaël de la Torre *in p.* 3. *tom.* 1. *contr.*9. *de Horis canonicis.* Vaſquez *opuſc. de beneficiis, c.*4. §. 1. *dub.*4. *n.*204. & alij, quos citat, & ſequitur Barboſa *in collect. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 41. *c.*9. *n.*20. & Syluius *in* 2. 2. *q.*83. *art.*3. *concl.*4. Et ratio eſt: nam, cùm attentio ſit modus ſubſtantialis, non ſatisfacit quis præcepto Eccleſiæ, ſine attentione recitando, & ideò non dicitur recitaſſe, qui ſic recitat; & ſic contra eum habet locum pœna reſtitutionis, impoſita contra non recitantes.

Tamen, quia contrariam opinionem cenſeo probabilem eſſe cum Leſſio *lib.* 2. *c.*37. *dub.* 11. *num.*68. & Azorio *p.* 1. *lib.* 10. *c.* 13. *quæſt.*8. non impoſui onus dicto beneficiato reſtituendi. Et ita hanc ſententiam abſolutè amplexi ſunt, ex neotericis Epiſcopus Antuerpienſis, Ioannes Malderus *in* 2. 2. *tract.* 10. *cap.* 2. *dub.*4. & Paulus de Layman *in Theol. moral. lib.* 4. *tract.* 1. *c.*5. *num.* 16. Cardinalis Toletus *lib.* 2. *c.* 12 *n.*16. Medina *Cod. de orat. q.* 15. Corduba *in quæſt. lib.*4. *q.* 13. Henriqu. *lib.*9. *c.*25. *n.*5. & Caſtrus *de lege pœn. lib.* 2. *c.* 5: Probatur hæc opinio: nam, ſecundùm Caietanum, præceptum dicendi Horas diſtinctum eſt à præcepto dicendi eas cum attentione: nam præceptum dicendi eas, ſimpliciter priùs fuit latum, poſteà verò *in cap. dolentes.* fuit impoſitum præceptum de attentione. Vnde, qui dicit Horas ſine attentione, ſatisfacit præcepto primo de dicendis Horis; non autem ſecundo, de dicendis cum attentione. Sed, cùm reſtitutio fructuum ſit pœna contra beneficiarios omittentes diuinum Officium; ille, qui voluntariè diſtrahitur recitando Officium, illud non prætermittit, licèt malè recitet. Ergo non tenebitur reſtituere. Salua ſemper, &c.

*Proximæ diſputationi merito adiuncta ſit iſta: an Clerici Religioſi, &c. recitantes Horas canonicas ſine attentione, ſaltem virtuali, ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ lato in cap.* Dolentes.

RESOLVT. II.

PRima opinio eſt negatiua. Sic omnes ferè recentiores. Fernandez *in exam. Theol. p.*3. *cap.* 13. §. 6. *num.* 1. Villalobos *in ſumma, tom.* 1. *tract.*24. *dub.* 15. *num.* 6. Sotus *lib.* 10. *q.*5. *art.*5. *concl.*7. Caietan. *in* 2. 2. *q.*83. *art.* 13. Nauarrus *de orat. c.* 13. *n.*18. *&* 19. Vaſquez *in p.* 2. *tom.* 2. *diſp.* 160. *n.*30. *&* 31. Medina *in ſumma, lib.* 1. *c.*4. §. 11. Nauarr. *de reſtit. lib.* 2. *c.* 2. *n.*240. Lop. *in inſtruct. tom.* 2. *c.*103. Emmanuel Sà *verb. Horæ canonicæ, n.*19. Peſantius *in* 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *dub.*3. Zerola *in praxi Epiſc. p.* 1. *verb. Horæ canonicæ,* §. 4. Beia *in reſpon. caſ. conſcien. p.* 2. *caſ.* 33. Comitolus *in reſol. moral. lib.* 1. *q.*63. Malderus *in* 2. 2. *tract.* 10. *cap.* 2. *dub.* 2. Moneta *de diſtribut. p.* 2. *q.* 2. *num.* 2. Carol. Macigni *de Hor. can. c.*86. *n.*16. Molfeſius *in ſum. tom.* 1. *tract.*4. *c.* 2. *n.* 8. Syluius *in* 2. 2. *q.*83. *art.* 13. *concl.*4. *&* 5. Homobonus *de*

exam. Eccleſ. p. 1. tr. 4. c. 5. q. 40. Viguerius inſtit. Theol. c. 5. §. 5. ver. 11. Gauantus commen. in Rubr. Miſſal. tom. 2. ſect. 1. c. 6. rit. 4. n. 2. Bellochius in praxi, de caſ. reſer. par. 2. qu. 15. num. 19. Conradus in reſp. caſ. conſ. cap. 1. q. 244. Rodriquez tom. 1. c. 143. num. 1. Vegha in ſumma, tom. 2. c. 128. caſ. 20. Valentia tom. 3. diſp. 6. q. 2. punct. 10. Azorius par. 1. lib. 10. c. 16. q. 6. Ledeſma in ſumma, tom. 2. tract. 9. cap. 4. concl. 20. Squillante de oblig. Cler. p. 1. dub. 20. n. 36. Suarez de relig. tom. 2. lib. 4. cap. 26. n. 3. & de cenſuris, diſp. 4. ſect. 2. num. 25. Aragon. in 2. 2. q. 83. art. 13. Sayrus de cenſuris, lib. 3. cap. 4. n. 23. Salas de legib. diſp. 9. ſect. 9. n. 24. Lorca in par. 2. tom. 2. de legib. diſp. 16. membr. 2. Raphaël de la Torre in par. 2. tom. 2. de Horis canonicis, contr. 9. Anton. Ragucius de officio Canonicorum in choro, quæſt. 10 num. 2 & alij penes citatos. Probatur primò: quia in cap. *Dolentes. de celebratione Miſſarum.* præcipitur, vt Officium diuinum celebretur ſtudiosè pariter, & deuotè: quod ſignificat internam attentionem, & deuotionem; vnde Gloſſa, *deuotè*, quantùm ad officium mentis. Secundò, in dicto cap. *Dolentes.* Eccleſia præcipit verum actum orationis: ſed actus externus, ſine interno, non eſt talis: ergo ille non ſolus præcipitur. Minor probatur: quia oratio conſiſtit in actu interno; eſt enim colloquium cum Deo: ergo requirit attentionem erga Deum.

Verùm opinio contraria placuit Durando in 4. ſent. diſp. 15. q. 12. Syluest. verb. Hora, n. 13. Medina Cod. de oratione, q. 14. Angelo verb. Horæ, n. 17. D. Antonin. 3. part. tit. 13. c. 4. §. 8. Roſella verb. Horæ. n. 13. Paludano in 4. diſt. 15. q. 5. art. 2. concluſ. 4. Et ex recentioribus illam amplexus eſt nouiſſimè Ægidius Coninch. de Sacram. in 3. p. q. 73. art. 6. n. 291. & Ioan. Valerus in differentiis vtriuſque fori, verb. Horæ canonicæ, diff. 1. per totam. Et ego ſine metu, probabilem eſſe affirmo cum Leſſio lib. 2. c. 37. dub. 2. n. 63. in fin. & Henriquez lib. 9. c. 25. n. 5. in Gloſſa. litt. P. & Victorello in ſum. Toleti, lib. 2. c. 13. & Layman in Theol. mor. lib. 4. tr. 1. c. 5. n. 10. Vnde, ſi quis cum diſtractione voluntaria recitaret Horas canonicas, impleret præceptum; & conſequenter non peccaret mortaliter, neque teneretur repetere, aut fructus beneficij reſtituere. Et ratio eſt: quia nemo poteſt præcipere, aut vetare, quod non poteſt punire; nec poteſt punire, quod non poteſt cognoſcere, & iudicare: ſed Eccleſia, extra Confeſſionem, non poteſt cognoſcere, & iudicare actus internos: ergo dicendum eſt, quòd non poteſt eos præcipere, aut vetare.

Ad argumentum contrariæ ſententiæ reſpondet Ægidius, in illo cap. *Dolentes.* ſolùm præcipi actum ſtudioſum externum: vt, videlicet, exerceatur cum talibus circunſtantiis externis, quæ neceſſariæ ſunt ad conſtituendum actum externum religionis, ita vt non peccetur exteriùs contra religionem.

Et hoc patet ex contextu: nam ibi agitur contra illos, qui in diuino Officio fabulantur cum ſæcularibus. Ad ſecundum argumentum reſpondetur, actum externum orationis debitè factum cum externa attentione, puta ſine confabulatione, riſu, &c. eſſe verè actum externum virtutis religionis, quemadmodum adoratio externa Idolo facta, eſt verus actus externus idololatriæ; & licèt illum exercens non intendat interiùs adorare Idolum.

Hæc doctrina eſt etiam applicanda in auditione Miſſæ: & ſic ſatisfaceret præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, ſi quis Miſſam audiret voluntariè diſtractus, dummodo cum externa reuerentia aſſiſtat; ita vt verè poſſit dici hìc, & nunc actum externum religionis exercere, ac cum Sacerdote celebrante, propter illam externam attentionem, communicare: nam, ſi aliter faceret, putà confabulando, ridendo, &c. non poſſet dici decenter, ac humano, & religioſo modo audire Miſſam. Et hæc eſt opinio Ægidij de Coninch vbi ſuprà, num. 197. & poſt illum hanc ſententiam docet etiam Layman in Theol. mor. lib. 4. tract. 7. c. 3. n. 2. Salua ſemper, &c.

*Superius coactus ſum reſpondere ad iſtam dubitationem: An quis impleat præceptum recitandi Horas canonicas, ſi in Officio feriæ recitet Officium alicuius Sancti, vel alterius feriæ.*

RESOLVT. III.

DVas extare in hac re contrarias ſententias, inueni. Negatiuam ſequuntur Vaſquez Opuſc. de beneficiis. c. 4. §. 1. dub. 4. n. 60. Reginald. tom. 2. lib. 18. c. 16. n. 172. Suarez de relig. tom. 2. lib. 4. c. 23. n. 11. Fernand. in exam. Theol. p. 3. cap. 13. §. 3. n. 1. Fabrus de Sacram. Ordinis, diſt. 22. q. 1. diſp. 1. n. 146. Homobonus de exam. Eccleſ. p. 1. tract. 4. c. 5. q. 42. Gauantus comment. in Rubr. Miſſal. tom. 2. ſect. 1. c. 5. tit. 2. n. 7. Onuphrius Opuſc. de mutat. officij. Nauarr. de orat. c. 19. n. 211. Iacobus de Graffiis dec. par. 1. lib. 2. c. 51. n. 10. Philiarchus tom. 1. p. 1. lib. 1. c. 1. concl. 6. Rodriqu. tom. 1. q. 42. art. 8. Bellarminus tom. 3. lib. 1. cont. 9. c. 18. Toletus lib. 2. c. 23. Ledeſma in ſumm. p. 2. tract. 9. c. 4. concl. 12. fol. mihi 515. Ragucius de officio Canonicorum in choro, q. 17. n. 2. Squillante de oblig. Cleric. p. 1. dub. 26. n. 50. Tabiena verb. Hora, q. 10. & Molfeſius in ſumm. tom. 1. tract. 9. c. 2. n. 50. Naldus in ſum. verb. diuin. Officium, n. 16. Filliucius tom. 2. tr. 23. c. 8. n. 186. Summa Corona p. 1. c. 1. n. 10. Nã Pius V. præcipit, Officium dici iuxta formam ab ipſo præſcriptam: ſed ad formam illam pertinet diſtributio Officij ad tempora, feſtiuitates, ſeu ſolennitates, & dies: ergo tota illa forma de ſe ſub præcepto cadit. Ergo, qui illam voluntariè omittit, peccat mortaliter, neque adimplet præceptum.

Limitant hanc opinionem Suarez, Reginaldus, & alij. vbi ſuprà, quando Officij mutatio non fieret ex contemptu, & eſſet æquiualens in quantitate, vel ferè, nec animo eam ſæpè pro libito faciendi: tunc enim, inquiunt, non eſſe peccatum mortale: ſic etiamſi mutaretur Officium ex inaduertentia etiam culpabili. Requiritur tamen in hoc caſu aliqua compenſatio, ſi Officium omiſſum eſſet maius notabiliter, vt ſi in Dominicæ Officio dicerent Officium alicuius Sancti: quia adimerentur ex nocturnis Dominicæ ſaltem nouem Pſalmi, ne omittatur tanta pars Officij. Nam ita ex doctrina Raphaëlis de la Torre 2. 2. tom. 1. de Horis canonicis, contr. 9. n. 6. mutatio formæ redundaret in notabilem mutationem ſubſtantiæ Officij.

Sed hæ limitationes mihi parum placent: nam, vt benè notat Vegha in ſum. p. 1. c. 128. caſ. 17. ſi non poteſt quis mutare Officium frequenter ſine reatu peccati mortalis, nec erit licitum hoc facere vno, vel altero die: nam pro quolibet die eſt præceptum diſtinctum, & Officium cuiuſlibet diei onus illius eſt; ita quòd in aliud non tranſit. Sicuti adeſt præceptum quolibet die in Quadrageſima ieiunandi: & tamen, qui vno die ieiunare omittit, peccat mortaliter. Illud etiam, quod addit Suarez de leuitate materię, non benè cadit in propoſito: nam, licèt mutans Officium, recitet æquiualens in quantitate, non recitat id, quod debet; ſed aliud diuerſum Officium: & ſic non ſatiſfacit, perinde ac ſi non recitaret: ſicut qui ex præcepto tenetur ieiunare, aut audire Miſſam, vel quid aliud facere; non ſatisfacit, ſi id commutet in aliud æquale, aut etiam maius euidenter: quia non facit rem præceptam.

Dicendum eſt igitur abſolutè, mutationem Officij, etiam dedita opera, non eſſe peccatum mortale, vt ſi loco Officij de feria, dicatur de aliquo Sancto, &c. Tuentur hanc ſententiam Caietanus verb. Hora, c. 2. Layman lib. 4. tr. 1. c. 5. n. 4. Zerola in praxi Epiſc. p. 1. verb. Horæ canonicæ, n. 6. Leſſius de iuſt. lib. 2. c. 37. dub. 12. n. 77. Valentia tom. 3. diſp. 6. quæſt. 2. punct. 10. Vegha in ſum. tom. 1. c. 128. caſ. 17. Binsfeldius in Enchir. Theol. p. 4. c. 9. concl. 7. Syluest. verb. Hora, n. 15. Sotus lib. 10. qu. 5. art. 4. Medina in ſum. lib. 1. c. 14. §. 11. Medina de oratione, q. 19. diffic. 10. Armilla verb. Horæ canonicæ, n. 7. Ioannes Azorius p. 1. lib. 20. c. 10. q. 2. & nouiſſimè Rodriq. in ſum. tom. 3. c. 195. n. 3. Et hanc ſententiam probabilem etiam putat nouiſſimè Filliucius tom. 2. tract. 13. c. 7. num. 227. Si quæris rationem, hæc erit: nam



nam ſubſtantia præcepti recitandi diuinum Officium eſt, vt ſeptem Horæ canonicæ perſoluantur: ſed quòd Officium ſit de feria, vel de Sancto, pertinet ad modum accidentalem: ergo per talem mutationem non violatur ſubſtantia præcepti; ſed modus, ritus & cæremonia, quæ quidem non eſt tranſgreſſio ſufficiens ad peccatum mortale, quicquid aſſerant DD. contrariæ ſententiæ. Ideò ſi quis ſine cauſa hanc mutationem faceret, ex quadam acedia animi, vt faciliùs, & breuiùs Officium expediatur; puto ſolùm peccare venialiter; & ſi beneficium habet, non teneri ad reſtitutionem fructuum. Salua ſemper, &c.

*Quæritur, an aliquis peccet mortaliter, ſi Officium diuinum recitat cum notabili interruptione inter Pſalmos eiuſdem Horæ, vel nocturni, vel inter ipſos Pſalmos.*

RESOLVT. IV.

AFfirmatiuè nonnulli reſpondent: dicunt enim, ſi interruptio ſit notabilis, & ad longum tempus, & ſine cauſa, eſſe peccatum mortale, niſi repetatur poſteà Officium. Et ratio præcipua, quam adducunt, eſt iſta: Vnitas vniuſcuiuſque Horæ pertinet ad ſolennem ritum, & formam præſcriptam in his Horis recitandis: ſed hæc vnitas tollitur, vel multùm minuitur per talem interruptionem: ergo, &c.

Secundò, per talem interruptionem priores, & poſteriores Pſalmi non efficiunt vnam orationem, & vnum Officium diuinum; & conſequenter ex illis partibus ſic interruptis nõ conſtituitur Officium Veſperarum, Completorij, &c. ergo, &c. Et ita hanc ſententiam ſuſtinent, Nauar. de oratione, c. 16. n. 75. Suarez de relig. tom. 2. lib. 4. c. 24. n. 10. Azorius p. 1. lib. 10. c. 8. q. 5. Vaſquez Opuſc. de beneficiis, c. 4. §. 1. dub. 6. n. 109. Reginaldus tom. 2. lib. 18. c. 12. ſect. 4. n. 162. Squillante de oblig. Cler. part. 1. dub. 15. n. 48. Molfeſius in ſum. tom. 1. tr. 5. c. 2. n. 38. Ragucius de Officio Canonicorum in choro, q. 14. n. 4. Paulus Comitolus in reſponſ. mor. lib. 1. q. 66. n. 2. Ioan. de la Cruz in direct. conſc. p. .... Præcept. 3. art. 3. dub. 4. concl. 2. in fin. Homobonus de exam. Eccl. par. 1. tr. 4. c. 4. q. 39. Carolus Macigni de Horis canon. c. 87. n. 12. & alij.

Sed mihi contraria ſententia ſemper viſa eſt etiam probabilis. Dico igitur, quanquã interruptio ſit magni ſpatij, & facta ſit ſine iuſta cauſa, non eſſe peccatum mortale non repetere recitata, & incipere ab initio. ſic Fernandez in ſuo exam. Theol. p. 3. c. 13. §. 7. n. 5. Aragon. in 2. 2. q. 83. art. 12. in fin. Rodriqu. tom. 1. c. 143. concl. 3. n. 3. Vegha in ſum. tom. 1. c. 128. caſ. 22. Zanardus in ſuo Directorio, p. 2. c. 23. in explicatione tertij Præcepti, fol. mihi 624. Ledeſma in ſumm. p. 2. tr. 9. c. 1. fol. mihi 522. & tandem Barboſa in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 41. c. 9. n. 17. Layman in Theol. mor. lib. 4. tr. 1. c. 5. n. 6. Villalobos in ſum tom. 1. tr. 24. dub. 11. n. 4. & Leſſius lib. 2. c. 37. dub. 10. n. 57. Nam, vt obſeruat Caietanus verſ. quando Horæ. §. quod ad quartum. in iſtis circunſtantiis, ſi deficiant, non incurri peccatum graue: quia non pertinẽt ad ſubſtantiam materiæ præceptæ. Et ideò ſi interruptio duret per vnam, aut duas horas, manet tamen ſubſtantia precum, quia ſinguli Pſalmi, vt notat *Leſſius*, imò ſinguli penè verſiculi per ſe habent ſuum pondus, & ſignificationem cõpletam, & ſunt per ſe precatio, vel laudatio, vel ſententia, non habens cum aliis neceſſariã connexionem.

Si igitur aliquis perſolueret diuinum Officium cum magna interruptione, & ſine iuſta cauſa, non eum condemnarem de peccato mortali. Salua ſemper, &c.

*Vtrùm, ſi quis omittat omnes Horas vnius diei, committat tantùm vnum peccatum, an plura?*

RESOLVT. V.

DOcet eſſe plura peccata Leonardus Leſſius lib. 2. c. 37. dub. 9. n. 53. Nam ſingulæ Horæ ſunt diſtinctæ orationes, & diſtincta Officia, diuerſis temporibus Deo ſoluenda; ad quorum ſingula obligantur ſub reatu peccati mortalis. Ergo ſingulorum omiſſio erit diſtinctum peccatum mortale. Secundò, in illo actu omittendi omnes Horas, ſaltem virtute, ſeptem diſtinctæ omiſſiones ſunt volitæ: ſed ſingulæ omiſſiones ſunt diſtincta peccata externa: ergo, &c. Vnde infert Leſſius, in Confeſſione debere exprimi, quot Horæ fuerint omiſſæ. Hanc ſententiam ſequuti ſunt etiã Tabiena verb. Hora, q. 28. Fuſchus de viſit. lib. 1. c. 20. n. 19. & videtur tenere Toletus lib. 1. c. 12. n. 1.

At hæc opinio, quanuis ſit probabilis; prorſus non eſt ſuſtinenda. Dico igitur cum Nauarro c. 7. n. 6. de oratione. Flaminio Pariſ. de reſig. benef. lib. 1. q. 9. n. 8. Graffio p. 1. lib. 2. c. 51. n. 14. Vegha in ſum. p. 1. c. 128. caſ. 3. Rodriquez in ſum. tom. 1. c. 140. n. 16. Petro de Ledeſma in ſum. p. 2. tr. 9. c. 4. concl. 14. diffic. 1. fol. mihi 513. Sà verb. Horæ, n. 14. Valentia tom. 3. diſp. 9. q. 2. punct. 10. Azorio p. 1. lib. 10. c. 7. q. 4. Suarez de relig. tom. 2. lib. 4. c. 25. n. 18. Reginaldo tom. 2. lib. 18. c. 11. ſect. 3. n. 145. & P. Molfeſio in ſum. tom. 1. tr. 5. n. 9. cum Vaſquez Opuſc. de benef. c. 4. §. 1. dub. 5. n. 71. Ortiz in ſum. c. 3. n. 21. Portel. in dubiis reg. verb. Horæ canonicæ, n. 5. præceptum de recitandis Horis canonicis vnum eſſe, habens pro obiecto totum quoddam ex iiſdem ſeptem Horis canonicis integratum. Ergo illud non adimplere, erit vnum tantùm peccatum mortale.

Ad argumentum Leſſij reſpondetur, omnes Horas eſſe partes vnius Officij, tanquam vnius actionis moralis integræ; & ideò illius totius vna eſt omiſſio integra, atque ita vnum peccatum. Quod verò addit Suarez vbi ſuprà, n. 19. quòd omittere multas Horas ſit circunſtantia neceſſariò in Confeſſione aperienda, eſt reprobandum in noſtra ſententia, quæ docet, ſolùm circunſtantias mutantes ſpeciẽ, & non aggrauãtes, eſſe confitendas. Salua ſemper, &c.

*Quidam Canonicus recitabat Officium, non tamen canendo cum aliis in choro: quæritur, an hoc facere potuerit ſine peccato mortali, & diſtributiones quotidianas lucrari?*

RESOLVT. VI.

DIfficilis eſt hæc quæſtio: nam pro parte negatiua ſunt hi omnes: Beia in reſp. p. 1. caſ. 55. Sotus de iuſt. lib. 10. q. 5. art. 4. Nauar. de oratione, c. 13. n. 17. Graffius dec. lib. 2. c. 51. n. 12. & c. 52. n. 22. & c. 53. n. 4. 5. & 21. Couarr. var. reſol. lib. 3. c. 13. n. 8. Columna de redditib. eccleſ. p. 3. c. 34. n. 19. Pinellus in leg. 1. C. de bon. mater. p. 3. n. 16. Rodriquez in ſum. tom. 1. c. 43. n. 5. Zecchius in ſum. par. 2. c. 83. n. 12. & Summa Corona par. 1. c. 2. & alij citati à Moneta de diſtrib. quotid. p. 2. q. 2. num. 31. & à Garſia tr. de beneficiis, tom. 1. p. 3. c. 2. n. 513. Et ne dura, ait Comitolus lib. 1. q. 62. num. 3. videatur eſſe hæc ſententia, ſciendum eſt, ita declaraſſe ſacram Congregationem Illuſtriſſimorum Cardinalium. Probatur hæc opinio: nam inſtitutio canonicatuum eſt, non vt adſint tantùm in choro; ſed vt canendo aſſiſtant: & ob id eis dantur diſtributiones. Ergo, ſi id non præſtent, peccabunt, nec poterunt diſtributiones retinere. Antecedens patet ex authoritate Concilij Baſilienſis ſeſſ. 21. §. 3. Et in Concilio Aquiſgranenſi cap. 131. dicitur: [Canonicis religioſiſſimè in choro ſtandum, & pſallendum eſt.] Et in Concilio Tridentino ſeſſ. 24. c. 12. ſic habetur: [Omnes verò diuina, & per ſe, & non per ſubſtitutos compellantur obire Officia, atque in choro ad pſallendum inſtituto, hymnis, & canticis Dei nomen deuotè laudare.]

Sed, licèt hæc opinio de iure antiquo, & ex inſtitutione Officij Canonicorũ ſit vera; tamen hodie, ratione conſuetudinis, contrariam ſuſtinẽdam eſſe iudico cum Leſſio lib. 2. c. 34. dub. 33. n. 185. Raphaël de la Torre in 2. 2. tom. 1. q. 83 de Horis canonicis, cont. 10. diſp. 7. fol. mihi 357. Pet. Nauar. lib. 2. de reſt. c. 2. n. 217. Aragonio in 2. 2. q. 83. art. 12. dub. vlt. Garſia de benef. tom. 1. p. 3. c. 2. n. 527. & Cenedo in

in ſuis queſt.canon. q. 2. vbi fusè confirmat hanc opinionem. Et idem docet Riccius in ſua praxi, tom. 1. reſol. 362. n. 3. Ioan. de la Cruz in direct. conſc. Præcep. 3. art. 3. dub. 7. concl. 4. & Petrus de Ledeſma tom. 2. tr. 9. c. 3. conc. 31. Vide etiam Gauantum in Comment. ad Rubr. Miſſ. tom. 2. trac. 1. c. 5. rit. 5. num. 3.

Ad reſponſionem Cardinalium, quam affert Comitolus, reſpondetur, de illa non conſtare authenticè. Ad Concilium Baſilienſe, & Aquiſgranenſe reſpondet Cenedo vbi ſuprà, num. 16. ibi non præceptum, ſed conſilium dari: vtuntur enim Patres verbo, debent, quod conſilium denotare videtur. Quòd ſi aliquis contendat eſſe præceptum; reſpondemus iam conſuetudine legitimè præſcripta ei eſſe derogatum. Ad Concilium verò Tridentinum ait Leſſius, vbi ſuprà, n. 186. præceptum illud non dirigi ad Canonicos, ſed ad Prælatos, vt conuenientibus iuris remediis Canonicos cogant, vt canant in choro. Vnde peccant Prælati, ſi id negligant; non autem Canonici ſua conſuetudine vtentes; quandiu à Prælatis non vrgentur. Sed hæc Leſſij reſponſio mihi non placet, ex eo, quòd Concilium dicens, quòd Canonici compellantur per ſe obire diuina Officia, atque in choro pſallere, vult eos ad id teneri: & ait, quòd ad id compellantur, tanquam ad rem, ad quam tenentur: nam compulſio, & executio præſupponit obligationem. Dicendum eſt igitur, Concilium in hoc non eſſe receptum; ſed eandem conſuetudinem poſt illud durare, & eſſe continuatam, quia Epiſcopi, & alij Superiores non curarunt in hoc illud executioni mandari, ſicut & alia multa. Vnde clarum eſt, non obligare. Vide Azorium p. 1. lib. 10. c. 11. q. 6. Squillante de obligat. Cler. p. 1. quæſt. 29. n. 59. Reginaldum tom. 2. lib. 18. c. 12. num. 175. & Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. c. 12.

*An Canonici confabulantes in choro, aut exercentes aliquas actiones præfatæ attentioni externæ repugnantes, teneantur ad reſtitutionem diſtributionum quotidianarum?*

### Reſolut. VII.

TEneri putat Pet. de Ledeſma in ſum. tom. 2. trac. 8. c. 4. concl. vlt. diffic. 1. & 2. Raphaël de la Torre in 2. 2. tom. 1. q. 83. de Horis canonicis, cont. 19. diſp. 9. n. 5. Vegha in ſum. p. 1. c. 128. caſ. 10. & p. 2. c. 102. circa fin. Lopez in inſtr. tom. 1. c. 246. Summa Corona p. 1. c. 1. n. 93. Squillante de oblig. Cler. p. 1. dub. 30. n. 62. Suarez de relig. tom. 2. lib. 4. c. 14. n. 9. Sotus de iuſt. lib. 10. q. 5. art. 4. Graffius dec. aur. lib. 2. c. 51. n. 12. & c. 52. n. 22. Aragonius in 2. 2. q. 83. art. 12. & alij. Et ratio eſt: quia ita v.g. confabulando, non ſolùm non habent attentionem internam, ſed neque externam.

Ergo non ſatisfaciunt præcepto aſſiſtendi in choro, & ideò non poſſunt lucrari diſtributiones: adde, quòd non poteſt dici quis præſens eſſe alicui rei tunc, cùm ad aliud attendit. l. coram Titio. ff. de verb. ſignif. Ergo, &c.

Hæc opinio videtur prorſus tenenda: ſed inuenio contrariam amplexatam eſſe ab Alphonſo Madriq. in inſtruct. ordinan. religioſ. Sacerd. & Epiſc. ſub titulo, de maior. Ordin. Corduba in ſuo q. lib. 4. c. 13. dub. vlt. in fin. Medina in ſum. lib. 1. c. 14. §. 11. Zecchio de Republica eccl. c. 24. de Canonicis, ſub n. 6. & nouiſſimè à Garſia de benef. tom. 5. p. 3. c. 2. n. 514. vbi aſſerit Canonicos notabiliter confabulantes in choro, peccare mortaliter propter cap. Dolentes. de celebrat. Miſſarum. non tamen teneri ad diſtributionum reſtitutionem propter c. licet. de præbendis. & c. vnic. de cler. non reſiden. in 7. vbi ſola præſentia requiritur ad lucrandas diſtributiones. Et licèt hæc opinio, quam etiam videtur tenere Toletus lib. 2. c. 12. n. 6. improbetur multis rationibus à Moneta de diſtrib. p. 2. q. 2. n. 22. & à Petro Cenedo in ſuis quæſt. canonicis, q. 2. num. 7. tamen Garſias vbi ſuprà, [ Videtur, ait, ita eſſe conſuetudinem, & praxim Eccleſiarum. ] Quod notent viri docti, & iudicent.

*Quidam Sacerdos habebat beneficium curatum cum multis oneribus, vt Miſſa, &c. & per multos annos multoties reliquit Horas canonicas: quæſiuit à me, an teneatur reſtituere in integrum omnes fructus interim perceptos?*

### Reſolut. VIII.

SCiebam, à quodam Theologo reſponſum affirmatiuum habuiſſe, & probabiliter: nam ita tenent Malder. in 2. 2. tract. 10. c. 2. dub. 4. Lorca in p. 2. tom. 2. diſp. 24. de leg. membr. 1. verſ. in iure autem Canonico. Suarez de relig. tom. 2. lib. 4. c. 30. n. 4. Vaſquez in p. 2. tom. 2. diſp. 168. n. 34. & 35. Azorius p. 1. lib. 10. c. 14. q. 5. Petrus à Nauarra lib. 2. c. 2. n. 217. Valentia tom. 3. diſp. 6. q. 2. punct. 10. Squillante de oblig. Cler. p. 1. q. 3. n. 66. & alij. Ratio eſt: quia in Concilio Lateranenſi vltimo, ſub Leone X. ſeſſ. 9. §. ſtatuimus. & in Conſtit. 18. Pij V. decernitur, vt nemo beneficium curatum, aut ſimplex habens, qui elapſis ſex menſibus ab eius conſecutione, ſine legitimo impedimento Officium diuinum recitare omiſerit, pro tempore, quo non recitauit, fructus ſuos faciat; imò eos impendere tanquàm rem iniuſte captam, in fabricam Eccleſiæ aut eleemoſynas pauperum teneatur. Super quas pontificias Conſtitutiones videndi ſunt, Nauarr. in Manuali, c. 25. n. 122. Summa Corona p. 1. c. 1. n. 95. Fuſchus de viſitatione, lib. 2. cap. 20. n. 22. M. Ant. Cucchus in inſtitut. lib. 5. tit. 7. n. 39. & Gigas de penſionibus, q. 30.

At ego contrariam ſententiam, tanquam probabilem, ei, ſi illam ſequi vellet, demonſtraui. Nam Syluius in 2. 2. q. 83. art. 13. concl. 4. Homobonus in exam. Eccleſ. p. 1. tr. 4. c. 5. qu. 42. Molfeſius in ſumma, tom. 1. tr. 5. c. 3. n. 26. Fernandez in ſuo exam. Theol. par. 3. c. 13. §. 8. n. 2. Henriquez lib. 13. cap. 13. n. 2. Toletus lib. 2. c. 12. num. 2. Sotus lib. 10. quæſt. 5. art. 6. Aragonius 2. 2. quæſt. 83. art. 13. Medina lib. 1. cap. 14. §. 11. Petrus de Ledeſma in ſumma tom. 2. tract. 9. c. 4. concl. 11. Raphaël Torres in 2. 2. tom. 1. q. 83. de Horis canonicis, contr. 9. n. 40. & Leſſius lib. 2. c. 34. n. 77. aſſerunt, eum, qui habet beneficium curatum, non teneri reſtituere, niſi partem correſpondẽtem obligationi recitandi Horas: vt verbi gratia, Parochus & Epiſcopus quintam partem pro rata reſtituant; reliquas quatuor, ratione tituli, & onerum retineant. Canonicus quartam partem reſtituat, alij beneficiarij tertiam. Hæc Henriquez, qui citat Lopez, Penam, Cueuos, Gallo, & alios. Licèt talis moderatio videatur Leſſio iuſto laxior, præſertim in Canonicis, & aliis, qui non habent aliud onus, quàm precum. Vnde eam limitat ad eos beneficiarios, qui alia onera habent, idque iuxta onerum proportionem. Toletus lib. 2. c. 12. n. 9. putat, pro toto omiſſo Officio reſtituendam eſſe tertiam partem fructuum illi diei reſpondentium: quem ſequitur Fernandez, vbi ſuprà. Tandem addam in fine huius dubitationis doctrinam notabilem Ioan. de Salas de legib. diſp. 15. ſect. 2. n. 27. qui contra Vaſquez putat, quòd ſi contingat, Canonicum canonicatus groſſam priùs verè & abſolutè lucrari, antequàm Officium omittat; nihil eius debere reſtituere: quia pœna non eſt, vt fructus iam ſuos reſtituat; ſed vt non faciat fructus ſuos. Hæc ille.

*Petrus habebat beneficium perexiguum, & tenue, & relinquebat ſæpiùs recitationem Horarum canonicarum: quæritur, an peccauerit, & teneatur ad reſtitutionem?*

### Reſolut. IX.

COmmunis ſententia docet, beneficium, quamuis tenue, obligare ad Horas canonicas. Ita tenet Victorelius in ſummam Toleti. lib. 2. cap. 14. Aloyſius Riccius in ſua praxi, par. 2. reſolut. 406. Paulus Comitolus in ſuis reſp.



reſp. moral. lib. 1. quæſt. 68. D. Antoninus par. 3. tit. 13. cap. 4. §. 1. Gauantus comment. in rubr. Miſſalis, tom. 2. ſect. 1. cap. 4. num. 3. Roſella verb. Hora canonicæ, num. 1. Tabiena verb. Hora, num. 2. Armilla verb. Horæ canonicæ, num.... Syluester verb. Hora, num. 3. Nauarrus de oratione, cap. 7. num. 37. Couarruuias lib. 3. var. cap. 13. num. 8. Beia in reſpon. par. 1. caſ. 55. Graffius dec. aur. p. 1. lib. 2. cap. 50. num. 18. Summa Corona par. 1. cap. 1. num. 92. & ex recentioribus Gregorius de Valentia tom. 3. diſp. 6. quæſt. 2. punct. 10. Azorius par. 1. lib. 10. cap. 3. quæſt. 3. Suarez de relig. tom. 2. lib. 4. c. 21. n. 4. Reginaldus tom. 2. lib. 30. tract. 3. ſect. 1. n. 33. Et ratio eſt: quia, vt ait Medina Cod. de orat. qu. 7. habetur in cap. Clericus victum. diſt. 91. Clericus, quem ſui beneficij fructus alere non poſſunt, quærat ſuo labore, & artificio victum ſine detrimento Officij ſui: vbi Gloſſa ver. vigiliis. eandem ſententiam tenet: quia talis Clericus ſibi ipſe præiudicium fecit, cùm ſe propria ſponte promoueri permiſerit: tum etiam, ſicut vir contrahens cum muliere modicè dotata, tenetur ſemper, & vbique eam alere; ſic beneficiatus tenetur, ait Gloſſa, officiare Eccleſiam, licèt pauper ſit. Secundò, Concilium Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 29. can. 9. quemlibet habentem beneficium, ſiue cum cura, ſiue abſque cura animarum, ſi poſt ſex menſes ab eo obtento omiſerit dicere Officium diuinum, priuat fructibus ipſius beneficij, & obligat illos reſtituere fabricæ Eccleſiæ, vel pauperibus. Nec valet dicere, Concilium non eſſe extendendum ad habentem beneficium tenue: nam verba Concilij generalia ſunt; & vbi non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Tertiò, quamuis beneficium ſit tenue; gaudet tamen beneficiarius cæteris beneficiariorum priuilegiis: ergo. Hîc intrat opinio Vaſquez Opuſc. de benefic. c. 4. §. 1. dub. 5. num. 24.

Sed, ſi aliquis contrariam ſententiam ſequi voluerit cum Azorio vbi ſupr. & Molfeſio in ſum. tom. 1. tr. 5. c. 3. n. 29. non eſſe condemnandum cenſeo: nam illam ſequuntur doctiſſimi viri, Leſſius, Ledeſma, Sotus, Malderus, vbi infrà. Aragonius in 2. 2. qu. 83. art. 12. Rodriquez in ſum. tom. 1. c. 140. n. 3. Vegha in ſum. part. 1. cap. 128. caſ. 13. & nouiſſimè Raphaël de la Torre in 2. 2. tom. 1. q. 83. de Horis canonicis, contr. 6 diſp. & contr. 7. n. 16. Nam, qui altari deſeruit, de altari viuere debet, iuxta Apoſt. 1. Cor. 9. ac proinde, qui Eccleſiæ ſeruit, de eius prouentibus viuere debet. Ergo beneficium debet tribuere ſaltem bonam partem moderatæ ſuſtentationis, alioquin beneficiatus non cenſebitur viuere de Eccleſia, deinde parum pro nihilo reputatur. Ergo, qui tenue beneficium habet, non cenſetur eſſe beneficiarius.

Sed, ſi quæras, quodnam cenſeatur tenue beneficium, vt quis ratione fructuum illius non teneatur recitare Horas canonicas? Reſpondet Sotus l. 10. quæſt. 5. art. 3. quando non habet ſupra octo aureos. Leſſius lib. 2. cap. 34. dub. 31. num. 169. quando non ſuppeditat bonam partem tenuis ſuſtentationis, verbi gratia, 15. vel 16. aureos. Plus addit Petrus Ledeſma in ſumma, p. 2. tract. 9. c. 4. concl. 5. diffic. 4. fol. mihi 563. ait enim: [ A mi parecer, aũque el beneficio fueſſe de diez ſeis ducados, y aun de veinte, no le obligaria à rezar. ] Et tandem Malder. in 2. 2. D. Thomæ, tract. 10. c. 2. dub. 3. exiſtimat, illud eſſe exiguum beneficium, quod tertiam partem mediocris ſuſtentationis alicuius vulgaris Clerici non adæquat. Aduerte tamen, quòd, licèt Leſſius, & Molfeſius, vbi ſuprà, obligent tales beneficiarios, qui tenue beneficium habent, aliquoties per annum dicere Horas canonicas, verbi gratia, Feſtis, & Dominicis diebus, prout ratio dictauerit: tamen puto cum Maldero, loco citato, ſi Officium etiam in his diebus non recitauerint, non teneri ad reſtitutionem: quia non faciunt contra præceptum eccleſiaſticum, ſed contra legem naturalem; quam legem etiam adimplerent non dicendo Officium diuinum, ſi ſuppleant hoc aliis orationibus, vel alio Dei cultu. Quod eſt maximè notandum ad tollendos ſcrupulos.

*An regulares, vel alij, relicta conſuetudine, vel Religionis, vel Eccleſiæ; ſecluſo aliquo præcepto, poſſint priuatim diuinum Officium ſecundùm Breuiarium Romanum recitare?*

### Reſolut. X.

NEgatiuè reſpondent communiter Doctores, quos citat, & ſequitur Auguſtinus Barboſa in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 41. cap. 1. num. 10. Sed mihi probabilis videtur etiam contraria ſententia, quam docet Portel. in dubiis regular. ver. Horæ canonicæ, num. 6. Rodriquez in ſumma, tom. 3. c. 195. num. 2. Leſſius lib. 2. cap. 37 dub. 12. num. 74. Emmanuel Sà verb. Horæ, num. 6. vbi ſic aſſerit: [ Extra chorum poteſt quiſque dicere Officium Romanum. ] Et ratio eſt: quia talis adeſt conſuetudo. Secundò, quia Pius. V. etſi inſinuet in Bulla, non eſſe mutandum Officium publicum ducentorum annorum, abſque conſenſu Epiſcopi, vel Capituli; nihil tamen dicit de priuato: tacitè ergo permittit illud mutari. Imò contra Garſiam de beneficiis, tom. 1. part. 3. cap. 1. num. 150. & alios, ſi aliquis Clericus ſæcularis vno, vel altero die diceret Officium per aliud Breuiarium à Romano, verbi gratia, per Breuiarium ſancti Dominici, &c. puto ita recitando non peccare mortaliter; quia cùm hæc mutatio parua ſit, non videtur notabiliter aduerſari menti Summi Pontificis. Et ita docet Ioan. de la Cruz in Direct. conſcient. par. 1. præcep. 3. art. 3. dub. 4. concl. 2. Nauarrus cap. 19. n. 217. & Reginaldus tom. 1. lib. 18. c. 12. n. 171. prop. 3. vbi aſſerit, tunc peccare ita recitantem, quando talis permutatio Breuiarij viris doctis, & piis nimia appareret.

*An, qui priuatim diuinum Officium recitat, debeat ita illud pronunciare, vt ſe ipſum audiat?*

### Reſolut. XI.

AFfirmatiuè reſpondet Reginaldus in praxi. tom. 2. lib. 8. cap. 12. dub. 5. num. 174. vbi ait, vocem eius, qui ſolus, & priuatim recitat Horas canonicas, non debere eſſe ita ſubmiſſam, vt non audiat ſe ipſum. Idem etiam docet Suarez de Relig. tom. 2. lib. 4. cap. 7. num. 6 [ Quando (ait) quis recitat ſolus, moraliter neceſſarium eſt, vt ipſe ſaltem ſe ipſum poſſit audire: quia vox debet eſſe audibilis: ergo ſaltem ab ipſo orante; nam profectò, etiam phyſicè loquendo, vix poteſt formari vox, quæ ab ipſo loquente audiri non poſſit, ſecluſis impedimentis, quæ erunt per accidens, moraliter etiam videtur id neceſſarium, vt poſſit quis humano modo explere illud præceptum, & certus fieri, quòd illud ſufficienter executioni mandauerit. ] Ita Suarez.

Non reticebo tamen, opinionem contrariam docere Azorium part. 1. lib. 10. cap. 11. quæſt. 4. vbi ita loquitur: [ Sanè ſi quis ſolus diuinum Officium perſoluat, ſatis eſt, ſi ſic recitet, & proferat, vt verè dici queat, ore, & voce preces fundere, ſiue ab alio, ſiue à ſe audiri poſſit, ſiue non: quoniam à iure ſolùm cogitur voce, & ore, & non tantùm mente, & animo precari, & orare: at proinde, ſi reuerà linguam & labia moueat, voce orat, non mente duntaxat. Satis igitur eſt, ſi dum recitat preces, verba ita proferat, linguam, & labia mouendo, vt ſeipſum percipiat, & intelligat, & non ſolùm in gutture pronunciet. ] Hæc Azorius. Quam quidem opinionem pro ſcrupuloſis tantùm admittit Filliucius tom. 2. tract. 23. cap. 3. num. 117. ita aſſerens: [ Probabile tamen eſt, quod dicit Azorius, ſatis eſſe vocem formare, labia mouendo, etiamſi à nemine, neque ab ipſo proferente audiri poſſit. Quod propter ſcrupulos dictum volo. ]

*An qui priuatim diuinum Officium perſoluunt, debeant alternatim lectiones recitare; vel ſatisfaciant, ſi vnus tantùm illas recitet, & alter ſocius tantùm audiat?*

RESOLVT. XII.

ALternatim dictas lectiones recitandas eſſe, videtur docere Azorius *par. . lib.* 10. *cap.* 7. *quæſt.* 9.

Sed contrarium facientem non audet reprobare Villalobos *in ſumma, tom.* 1. *tract.* 24. *dub.* 11. *num.* 4. vbi ita aſſerit: [Quando rezan dos iuntos, no han meneſter dezir ambos las Antiphonas, come ſe dizen en el coro, que baſta, que vno de los dos las diga, en el dezir las leciones, dize Azor, que ha de dezir cada vno la ſuya, otros las dizen, vno la de vn Noturno, y otro las de otro, y es mejor manera de dezir, otras vezes laz dize todas el, que lee mejor de los dos, ò es mas moço: y no me parece, que eſto ſe puede condenar, que aſſi lo veo en coſtumbre.]

*An, qui detinetur in pulſandis Organis, vel transferendis libris ex vna parte in aliam, vel in thure præbendo, &c. teneatur per ſe ipſum illam partem recitare, ſi ſaltem non audierit?*

RESOLVT. XIII.

AFfirmatiuè reſpondet Suarez *de relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 13. & alij. At mihi probabilis videtur etiam contraria ſententia, quam docet Layman *in tract. mor. lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 7. Molfeſius *in ſumma, tom.* ... *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 21. Azorius *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 13. *quæſt.* 20. Naldus *verb. Officium diuinum. num.* 7. Aragon *in* 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 12. *in fin.* & Reginald. *tom.* 2. *lib.* 18. *cap.* 13. *num.* 188 ita aſſerens: [Ad hanc cauſam referri poteſt occupatio quærendi Pſalmos, aut peragendi aliquid aliud choro neceſſarium, vt quærendi prunas ad thurificandum, ac thurificandi tempore *Magnificat*, & *Benedictus*, aut pulſandi Organa: quod enim illis ſic occupatis chorus intereà recitat, aut cantat, à ſe nec dictum, nec auditum, non ſupplentes, non videntur peccare, eò quòd chorus cuius miniſterio ſeruiunt, tam ſuo, quàm aliorum miniſtrantium nomine recitat, aut cantat.] Ita ille. Et Villalobos *in ſumma, tom.* 1. *tract.* 24. *dub.* 16. *num.* 14. cum Ioan. de la Cruz *in direct. conſcient. part.* 1. *Præcept.* 3. *art.* 3. *dub.* 7. *concl.* 1.

Idem dicendum eſt de eo, qui, vt benè pronunciet lectionem in choro iniunctam, occupatur, dum chorus canit, in ea perlegenda; excuſatur enim ab auditione, aut recitatione eorum, quæ tunc à choro dicuntur: & ita docet Raphaël de la Torre *in* 2. 2. *tom.* 1. *contr. diſp.* 7. *num.* 12.

*Vtrùm recitantes Officium extra Horas præſcriptas, peccent mortaliter.*

RESOLVT. XIV.

REſpondeo cum communi DD. ſententia negatiuè: & cum cauſa, neque peccatur venialiter. Iuſtam autem cauſam puto cum Leſſio, & aliis, eſſe maiorem deuotionem, vel periculum ſuperuēturæ occupationis. Imò, quod eſt valdè notandum contra Filliucium *tom.* 2. *tract.* 23. *c.* 6. *n.* 217. Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 15. *num.* 11. Azorium *p.* 1. *lib.* 10. *c.* 9. *q.* 1. & alios; etiam recitantes Officium in choro extra Horas præſcriptas, ſi ſcandalum non adſit, ſatisfaciunt præcepto, nec peccarent mortaliter. Et ita docet Valentia *tom.* 3. *diſp.* 6. *q.* 3. *punct.* 10. & poſt illum Bonacina *tract. de Horis canon. diſp.* 1. *q.* 5. *punct.* 3. *n.* 7. & Gauantus *in comment. Rubr. Miſſal. tom.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 5. *tit.* 6. *n.* 9. Layman *in reſol. mor. lib* 8. *tract.* 1. *c.* 3. *n.* 6. & alij.

*An, ſi quis recitaret Matutinum ſequentis diei, antequàm Officium illius diei perſolutum fuerit, peccaret mortaliter, & non ſatisfaceret præcepto?*

RESOLVT. XV.

QVidàm olim affirmatiuè reſpondit: ſed neſcio qua ratione: nam ita faciens peccat quidem venialiter; quia inuertit ordinem vtriuſque Officij: ſed ſubſtantiam præcepti omninò adimplere dicendum eſt. Et ita docet Villalobos *in ſum. tom.* 1. *tract.* 24. *dub.* 13. *num.* 1. Vaſquez *Opuſc. de benefic. c.* 4. §. 1. *art.* 2. *n.* 66. Suarez *de relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 24. *n.* 3. & Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 18. *cap.* 12. *num.* 166. cum aliis.

*Vtrùm, ſi aliquis inuertat ordinem Officij, vel ordinem eiuſdem Horæ, peccet mortaliter?*

RESOLVT. XVI.

AFfirmatiuam ſententiam docet Vaſq. *Opuſc. de benef. c.* 4. §. 1. *art.* 2. *dub.* 4. *n.* 66. ita aſſerens; [Caietanus inquit, quòd ordinem inuertere Horarum, non eſt mortale peccatum: vnde factum cauſa rationabili nullum erit; ſine ea autem factum, erit veniale: & Sotus non audet hoc reprobare. Ego ſanè, ſi rationabili fiat cauſa, nec venialis culpæ damnabo; ſi verò irrationabili, bis aut ter, mortalem culpam non agnoſcam; tamen ſæpiſſimè, aut ex more id facere, exiſtimo à mortali culpa non eſſe liberum; quoniam nimiùm iam ordini derogaret, & conſuetudini Eccleſiæ communi: quòd enim ſemel, ac iterum fiat, non cenſetur ita grauiter conſuetudinem Eccleſiæ lacerare, & diſrumpere, & ideò non eſſet mortale. Et idem dicerem, ſi inuerteretur ordo Pſalmorum, quod à veniali culpa nunquam excuſari poterit, ſiquidem cauſa nulla eſſe poteſt, quæ excuſet; idem enim eſt ei, qui hanc Horam recitare debet, hoc, aut alio ordine Pſalmos dicere: vnde ſi non ſeruat ordinem, ſine cauſa facit.] Ita Vaſquez.

Hæc ſententia eſt probabilis: ſed contrarium probabiliorem eſſe exiſtimo, quam aduersùs Vaſquez docet Bonacina *tract. de Horis canon. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 4. *n.* 5. Et ratio eſt: quia, vt docet Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 18. *cap.* 1. *num.* 166. Squillante *de obligat. Cler. par.* 1. *dub.* 24. *num.* 47. Leſſius *lib.* 2. *c.* 37. *dub.* 12. *n.* 80. Villalobos *in ſumm. tom.* 1. *tract.* 24. *dub.* 13. *num.* 1. & alij communiter, ordo non eſt de ſubſtantia; & per conſequens, talis defectus verſatur in quodam accidente. Imo contra Suarez *de relig. tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 10. Macignum *tract. de Horis canon, cap.* 45. *num.* 5. & alios putat Bonacina *vbi ſuprà*, hoc etiam procedere, ſi aliqui in choro inuerterent ordinem Horarum: nam ſecluſo ſcandalo, & aliis circunſtantiis, ita facientes aſſerit non peccare: & ita etiam poſt Bonacinam docet Gauantus *in comm. Rubr. Miſſal. tom.* 2. *ſect.* 1. *c.* 5. *tit.* 8. *n.* 3.

*Vtrùm Moniales, ſeu deputati ad chorum, teneantur ſub onere peccati mortalis, perſoluere Horas canonicas?*

RESOLVT. XVII.

AFfirmatiuè reſpondeo cum communi Theologorum ſententia: & ita docet Macignus *tract. de Horis canon. cap.* 13. *num.* 28 Malderus *in* 2. 2. *tract.* 10. *c.* 2. *dub.* 3. Gauantus *comment. in Rubr. Miſſalis, tom.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 4. *num.* 10. Bellochius *in praxi de caſ. reſeru. par.* 2. *quæſt.* 15. *n.* 8. Aragon *in* 2. 2. *q.* 85. *art.* 12 Conradus *in Reſp. caſ. conſ. p.* 1. *q.* 230. Graffius *dec. p.* 1. *lib.* 2. *c.* 50. *n.* 6. Layman *in Theolog. mor. lib.* 4. *trac.* 1. *c.* 4. *n.* 2. Sotus *lib.* 10. *q.* 5. *art.* 3. Rodriquez *tom.* 2. *quæſt.* 10. *art.* 8. Toletus *lib.* 2. *cap.* 2. Nauarrus *cap.* 25. *n.* 97. Paludanus *in* 4. *diſtinct.* 15. *q.* 5. *art.* 1. Gabriel *ibidem, q.* 8. *art.* 2. *concl.* 2. Emmanuel Sà *ver. Horæ canon, n.* 1. Reginald. *tom.* 2. *lib.* 18. *c.* 12. *n.* 150. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 23. *c.* 5. *n.* 150. Leſſius *lib.* 2. *c.* 37. *dub.* 9. *n.* 49. Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 17. *n.* 6. Azorius *part.* 1. *lib.* 10. *c.* 6. *quæſ.* 1. & Portel *in dubiis Regul. ver. Horæ Canonicæ, n.* 3. Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. part.* 3. *præc.* 3. *art.* 3. *dub.* 4. *concl.* 1. & alij. Et hoc, ex vi conſuetudinis, ad culpam mortalem obligantis.

Caietanus verò dubitat de tali conſuetudine, & idem docet Medina Cōplutenſis *C. de orat. tract.* 6. Armilla *ver. Horæ Canonicæ, n.* 4. Vide etiam Alphon. de Caſtro *lib.* 1. *de leg. pœn. cap.* 8. qui negat Fratres Prædicatores in ſacris non conſtitutos peccare, ſi relinquant Officium, niſi ex decimis, aliiſque redditibus Eccleſiaſticis alantur. Et ideo Vega *in ſum. tom.* 1. *c.* 128. *caſ.* 7. priorem ſententiam, quam ipſe tenet, probabiliorem vocat. Ergo ſecundùm Vegam, ſententia excuſans Moniales à priuata recitatione Horarum probabilis eſt.

Non grauabor etiam hîc apponere verba Henrici Villalob. *in ſum. tom.* 1. *tract.* 24. *dub.* 9. *num.* 8. vbi ſic aſſerit: [La duda eſtà ſi de hecho ay eſta coſtumbre, que Cayetano no ſupo della, y no lo puedo aſegurar: porque lo he preguntado à perſonas de algunas Religiones, y no la hallo firme, aunque Suarez dize, que caſi todos teſtifican della, y para que ſe introduzga coſtumbre, que obligue à pecado mortal, ha de ſer à ſabiendas con animo de obligarſe, y no por yerro penſando, que eſta vn hombre obligado. Y no me perſuado, que ſe aya introducido eſta coſtumbre, deſta manera; tambien haze contra eſtà coſtumbre, para que no obligue, como ley, que deue ſer pueſta eſto porquien tiene autoridad, y nò la tienen los moços, que no tienen veynte y vn años, y mucho menos las mugeres, por ſi ſolas, y anſi parece, que no pueden hazer ley; todo eſto lo digo diſputando, para que otros los juzguen, que à mi hazeſeme riguroſo condenar à nadie à pecado mortal, no ſiendo el derecho muy claro, mas ſoy de parecer, que ſe ſiga en eſto la opinion comun, que es mas ſegura, y en coſas morales tienen grande autoridad los Doctores, aunque la tienen mas las buenas razones.] Ita Villalobos.

Sed etiam hîc apponam verba doctiſſimi Raphaëlis de la Torre *in* 2. 2. *contr,* 6. *diſp.* 2. *num.* 11. vbi ſic ait: [De conſuetudine non interciſa recitandi Horas priuatè, etiam quando Moniales à Choro abſunt, audio viros doctos & pios dicentes vigere, & viguiſſe, alios verò dubitantes, ſed ego non auderem eas ab hoc onere liberare.] Ita ille, & ego.

*Vtrùm Monachus fugitiuus teneatur recitare Officium diuinum.*

RESOLVT. XVIII.

COmmuniter affirmatiuè reſpondent. Ita Malderus, Suarez, Filliucius, & alij apud Bonac. *vbi infrà*; quibus adde Layman *in Theol. mor. lib.* 4. *tract.* 1. *c.* 4. *n.* 2. Villalobos *in ſum. tom.* 1. *tract.* 24. *dub.* 9.

Sed contrariam ſententiam docet Martinus Bonacina *tract. de Horis Canon. diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 2. *n.* 6. hanc ſententiam extendit etiam quoad Monachum eiectum à Monaſterio ad tempus, vel in perpetuum. Et ratio eſt ſecundùm illum, quia Monachus in his caſibus cōſtituitur in ſtatu, in quo non eſt conſuetudo recitandi diuinum Officium, & quamuis redire poſſit ad Monaſterium, tamē deſinit eſſe Monachus, vel ſaltem non eſt in ſtatu, in quo ex conſuetudine obligetur ad Horas Canonicas; licèt in praxi contrariam ſententiam putet eſſe conſulendam.

Nec valet dicere, quòd ſi eſſet vera talis ſententia, Monachus reportaret commodum ex ſuo delicto, nam tale commodum Monachus reportaret non per ſe, & directè, ſed per accidens; quia eſt in ſtatu, vbi conſuetudo non obligat ad preces. Ergo, &c.





*Vtrùm Superior cum ſuis Religioſis poſsit diſpenſare circa obligationem recitandi Officium diuinum.*

RESOLVT. XIX.

NEgatiuè reſpondet Raphaël de la Torre *in* 2. 2. *tom.* 1. *contr.* 7. *diſp.* 7. *n.* 14. Suarez *Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 28. *n.* 41. Reginald. *tom.* 2. *lib.* 18. *c.* 12. *n.* 141. & 186. Filliucius *tom.* 2. *tract.* 23. *c.* 9. *n.* 304. Macignus *tract. de Horis Canonicis, c.* 22. *n.* 8. & videtur inclinare Tannerus *in* 2. 2. *diſp.* 5. *q.* 1. *dub.* 5. *n.* 175.

Sed mihi contraria ſententia ſemper probabilis, & tuta in praxi viſa eſt: & illam docet Leſſius *lib.* 2. *c.* 37. *dub.* 9. *num.* 51. quem poſtea ſequitur Gauantus *in comment. ad Rubr. Miſſal. tom.* 2. *ſect.* 1. *c.* 5. *tit.* 1. *n.* 6. Villalobos *in ſum. tom,* 2. *tract.* 24. *dub.* 9. *n.* 12. vbi ità aſſerit. [Dize Leſſio, que le parece, puede el Prelado diſpenſar con juſta cauſa en el rezo con los profeſſos del Coro, que no eſtan ordenados de orden ſacro, como pueden diſpenſar en los demas eſtatudos de la Religion, aunque ſean obligatorios, y da por juſta cauſa los eſtudios, ò negotios, loqual me parece probable.

Itaque poteſt ex iuſta cauſa Superior cum ſuis Religioſis diſpenſare circa recitationem Horarum. Nec valet dicere, quòd nullus Superior in ſimili caſu diſpenſat, nam etiamſi hæc facultas non eſſet in vſu, non ex hoc ſequitur, quòd ſi aliquis Superior velit illa vti, non poſſit: quia facultas aliquid faciendi abſque aliorum grauamine, non amittitur per non vſum, vt notant communiter Doctores. Ergo, &c.

*Vtrùm Clerici Minores teneantur recitare Pſalmos, quos Epiſcopus in ordinatione iniunxit?*

RESOLVT. XX.

AFfirmatiuè reſpondet Villalob. *in ſumm. tom.* 1. *tr.* 24. *dub.* 7. *n.* 4. Layman *in reſol. mor. lib.* 4. *tract.* 1. *c.* 4. *n.* 5. Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 16. *n.* 15. Azorius *par.* 1. *lib.* 10. *c.* 5. *quæſ.* 4. Leſſius *lib.* 1. *c.* 37. *dub.* 9. *n.* 46. & alij. Sed Sotus *de iuſt. lib.* 10. *q.* 5. *art.* 3. & Valentia *tom.* 3. *diſp.* 6. *q.* 2. *punct.* 10. aſſerunt, teneri tantùm ex honeſtate, & ideo illos omittentes non peccarent mortaliter.

Vnde à fortiori, etiam puto contra Nauarrum, & alios, Epiſcopos non poſſe præcipere dictis Clericis aliquid ſingulis diebus recitandum, vt ex Suarez notat Filliucius *tom.* 2. *tract.* 23. *c.* 5. *n.* 148. Layman & Villalob. *vbi ſuprà.* cum multis aliis, quicquid in contrarium aſſerat Martinus Bonacina *tract. de Horis Canonicis, diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 4. *num.* 2. Sed tu tene primam ſententiam, quia communis eſt, & probabilior.

*An beneficiarius teneatur perſoluere Horas Canonicas, ſtatim ac beneficij collationem acceptauit?*

RESOLVT. XXI.

AFfirmatiuè reſpondet Carolus Macigni *tractatu de Horis Canonicis, c.* 10. *n.* 25. Garſias *de beneficiis, tom.* 1. *part.* 3. *c.* 1. *n.* 92. & alij penes ipſos.

Sed ego contrariam ſententiam ſemper tenui, quam docet Leſſius *lib.* 2. *c.* 34. *dub.* 30. *n.* 167. Henriq. *lib.* 3. *c.* 13. *n.* 2. Vega *in ſumm. tom.* 1. *c.* 228. *caſ.* 18. Gauantus *in comm. ad Rubr. Miſſalis, tom.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 4. *n.* 5. Pariſius *de reſign. benefic. lib.* 1. *q.* 9. *n.* 15. Malderus *in* 2. 2. *tract.* 10. *c.* 2. *dub.* 3. *quæſ.* 7. Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 19. *n.* 7. Molfeſius *in ſum. tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 1. *n.* 3. & alij, quos ipſi citant. Dico igitur, tunc beneficiarium debere Officium diuinum perſoluere, quando pacificam beneficij poſſeſſionem iam accepit, & non antea; quia ante dictam poſſeſſionem non poteſt exercere iura beneficij. Ergo conſonum eſt, vt ad onera beneficij non obligetur.

*Vtrùm qui ratione Ordinis ſacri, & beneficij tenetur perſoluere Horas Canonicas, ſi illas non recitet, peccet dupliciter, & ſit iſta circunſtantia in Confeſſione aperienda?*

RESOLVT. XXII.

AFfirmatiuè reſpondet Fagundez *de præcep. Eccleſ. tract.2.lib. 4. c.5.n.23.* Azorius *part.1.lib.10. cap.14. quæſ.7.* Suarez *de Relig.tom.2.lib.4. c. 18. n. 5.* Sanchez *de matr.lib.9.diſp.15. n.6.* Squillant. *de obligat.Cleric.part. 1. dub. 34.n.71.* Carolus Macigni *de Horis Canonicis, c.10. n.6.* & alij, quia talis Clericus omittens Officium diuinum, violat duplicem virtutem, ſpecie diuerſam; violat enim virtutem religionis, ratione Ordinis ſacri; & virtutem iuſtitiæ, ratione beneficij,

Hæc ſententia eſt probabilis, ſed contraria eſt probabilior, quam tuetur Homob. *in exam. Eccleſ.part.1.tr.4. c.5.quæſ.42.* Henriquez *lib.12.cap.12.n.3. in Gloſſa litt. O.* Garſias *de beneficiis, tom.1.part. 3.c.1. n.125.* Salas *in p. 2. tom.2.tract. 13.diſp.3. ſect.2.n.17.* & alij; quia Clericus beneficiarius tenetur perſoluere Horas ratione tantùm religionis, & non iuſtitiæ. Ergo vnicum peccatum committit, quia violat vnam tantùm virtutem.

*An qui omiſit aliquo die omnes Horas Canonicas, vel notabilem illarum partem, teneatur in Confeſſione aperire id quod omiſit, vel ſufficiat dicere, ſe mortale peccatum commiſiſſe in non perſoluendo diuinum Officium?*

RESOLVT. XXIII.

ALiqui aſſerunt, non ſatis eſſe ita dicere, ſed explicandam eſſe quantitatem Officij omiſſam, ſi ſit magna, & numerum Horarum. Et ita docet Bonacina *de Sacr.diſp.5. ſect.2. punct. 2.§.3.n. 17.* Garſias *de benef.tom. 1.part.3.c.1.n.142.* Henriq. *lib.5.c.7.n.6.* Bellocius *in praxi de caſ.reſer.part.2.q.15.n.74.* & alij penes ipſos.

Sed ego puto cum Squillante *de oblig.Cler. par. 1. dub. 33.n.70.* & aliis, ſatis eſſe, ſi Clericus ſe accuſet, aſſerendo commiſiſſe culpam lethalem in recitatione Horarum. Notandum eſt etiam contra Nauarrum, & alios, quòd habens plura beneficia, non committit tot peccata, quot ſunt beneficia; vt optimè notat Garſias *vbi ſuprà, n. 142.* Azorius *part.1.lib.4.c.1.q.6.* & alij.

*An beneficiarius, qui alio die ſupplet defectum in recitatione Officij commiſſum, liberetur ab onere reſtitutionis?*

RESOLVT. XXIV.

AFfirmatiuè reſpondet Molfeſ. *in ſum.tom.1.tr. 5. c. 5. n. 17.* & hanc ſententiam probabilem eſſe exiſtimat Bonacina *de Horis Canonicis, diſp.1.q.5.punct.2. n.5.* quia in tali caſu rependit æquale. Secundò, quia Capellanus qui ratione Capellaniæ hodie tenetur celebrare, ſi alio die celebraret, ad nullam reſtitutionem tenetur; ergo neque beneficiarius qui alio die Officium ſupplet.

Sed contrariã ſententiam tenet Henriq. *lib.13.c.13.n.2.* & alij communiter. Et ratio eſt, quia Pius V. in Bulla aſſerit, eum qui non recitat ſuo tempore, non facere fructus ſuos; deinde beneficiarius nõ recitans Horas Canonicas, ipſo facto, abſque alia iudicis declaratione incurrit pœnam reſtitutionis fructuum; ſed nemo poteſt propria authoritate eximere ſe à pœna, quam contraxit. Ergo, &c.

Nota etiam quòd malè à Molfeſio, & Bonacina citantur Suarez *de relig.tom.2.lib.4.c. 29. n. 11.* Filliuc. *tom. 2. tract.23.c.10.num.307.* pro affirmatiua ſententia; nam loquuntur de reſtitutione fructuum facienda à beneficiario pro omiſſione Horarum in primis ſex menſibus, de quibus non loquitur Pius V. in Bulla, vnde de hac quæſtione in ſequenti Reſolutione dicetur.

*An beneficiarius non recitans primis ſex menſibus, teneatur iure naturali ad aliquam reſtitutionem?*

RESOLVT. XXV.

AFfirmatiuè reſpondet Suarez *de Relig.tom. 2. lib. 4. c.29.n.12.* Valent. *tom.4.diſp. 6. q.2. punct. 10.* & alij apud Garſiam *de benef.tom.1.p.3. c.1. n.10.* Quia beneficiarius non recitans in primis ſex menſibus, videtur peccare contra iuſtitiam commutatiuam; nam beneficium datur propter Officium; ergo recipiendo mercedem, & non laborando, tenetur ad aliquam reſtitutionem.

Sed licèt hæc ſententia ſit probabilis, probabilior mihi videtur contraria, quam docent, Fernand. *in exam. Theol. mor.par.3.c. 12.§.8.n.1.* Filliuc. *tom.2.tract.23.c.10. n.308.* Leſſius *lib.2.c.34.dub.32.n.170.* Mald. *in 2.2.tract.10.c. 2. dub.4.* Carolus Macigni *de Horis Canon. c.28.n. 11.* & alij penes ipſos. Vide etiam Homob. *in exam.Eccl.p.1.tr.5. c. 4. quæſ. 41.* & Gauantum *in comm.ad Rubr. Miſſ. tom. 2. ſect.1.c.5.tit.1.n.5.* Et ratio eſt, quia lex Eccleſiaſtica, quæ tota cauſa obligationis eſt, ad id non obligat. Ergo, &c.

Ad argumentum contrarium reſpondeo, beneficiarium non teneri ad perſoluendas Horas Canonicas, ex iuſtitia commutatiua, ſed ex obedientia, vel Religione; vnde ſi aliquis beneficiarius omittens dicere Officium, impotens ſit ad reſtituendos fructus, non ſolet obligari ad reſtituendum in bonis ſpiritualibus, vt notat Filliucius *loco citato.* Ergo, &c.

*Quænam pars Officij omiſſa à beneficiario ſit leuis, vt non obliget ad reſtitutionem?*

RESOLVT. XXVI.

CIrca hoc mihi ſummopere placet ſententia Vinc. Filliucij *tom.2. tract.23.c.20. n.219.* dum aſſerit, pro omiſſione minori, quàm vnius Horæ integræ, nõ eſſe aliquid reſtituendũ: poteſt igitur beneficiarius peccare mortaliter, omittendo dimidiã Horam, ſed non teneri ad reſtitutionem. Idem dici poteſt de Matutino proportionaliter. Reginaldus verò *lib.30.tr.3.c.4.n.44.* ex Suarez, putat omiſſionem, quæ in recitatione Officij conſtituit peccatum mortale, obligare ad reſtitutionem. Sed tu tene ſententiam Filliucij, etiamſi fructus reſpondentes illi parti omiſſæ, ſint magnæ & notabilis quantitatis.

Nota etiam, quòd ſi beneficiarius omittat partem notabilem Officij, ſi pars fructuum correſpondens ſit tam parua, vt non pertingat ad peccatum mortale in materia furti, tunc vtique beneficiarius non tenebitur illam ſub mortali reſtituere.

Notandum eſt etiam, Martinum Bonacinam *tract. de Horis Canonicis, diſp.1.q.5. punct.2. n. 15.* docere, non eſſe improbabilem opinionem aſſerentem, quòd qui eodem die in ſingulis Horis paucos verſiculos omiſit, qui ſimul ſumpti grauem, & notabilem materiam conſtituunt, non teneatur ad reſtitutionem. Et ratio eſt, quia lex definit obligationem reſtituendi pro ſingularum Horarum omiſſione. Et licèt ipſe reſpondeat ad hoc argumentum, tamen, vt dixi, hanc ſententiam probabilem eſſe exiſtimat, quam antè abſolutè docuerat Petr. Moneta *tract.de diſtribut.part.2.c.3.n. 22.* vbi ſic ait: [Optimè Nauarrus infert non ſatisfacere præcepto recitandi Horas eos, qui dum cantant, aut recitant, omittunt tantam partem verſuum, vel Pſalmorum, etiam deglutiendo, corrumpendo, vel ſyncopando verba, vel ſyllabas, vt ex ita omiſſis, vel corruptis fiat notabilis pars. Quod tamen intelligendum eſt, non de omnibus Horis ſimul, ſed de ſingulis Horis; nam quod in vna Hora omittitur, non eſt cum eo quod in altera omittitur computandum, ad conſtituendam notabilem partem, cùm quælibet Hora vnum totum integrum, & perfectum per ſe conſtituat.]



Ita Moneta. Qui etiam *n.42.* cum Bonacina *vbi ſupr.n.12.* liberat ab onere reſtitutionis diſtributionum, non ſolùm eum, qui ad Chorum accedit poſt primum Pſalmum, ſeu poſt primum Hymnum, iuxta Eccleſiarum conſuetudinem; verùm etiam, qui præter hanc partem reliquerit recitare aliam partem, quæ non attingat materiam notabilem iuxta Doctorum ſententiam, de qua materia notabili nos ſupra diximus. quæ ſunt valde notanda à Confeſſariis, vt in praxi ſæpius occurrentia.

*Cui ſit facienda reſtitutio ex omiſſione Horarum?*

RESOLVT. XXVII.

REſpondeo, faciendam eſſe fabricæ beneficij, vel pauperibus, vt patet ex Bulla Pij V. & ex Doctoribus communiter; ſub nomine verò fabricæ continetur non ſolùm propria Eccleſia beneficij, ſed fabrica domus beneficij, in qua beneficiarius habitat, vel alterius domus ipſius beneficij, vel vtilitas in emendis, vel meliorandis agris, vt fructus in perpetuum augeantur. Ita Suarez *de Relig.tom.2.lib.4.c.30.n.19.* & alij.

Sub nomine verò pauperum intelliguntur etiam pauperes alterius loci, in quo non eſt ſitum beneficium, & intelligitur etiam ipſe beneficiarius ſi ſit pauper, & id non fiat in occaſionem non recitandi, & eius mater, fratres, aut ſorores, non ſolùm ſi ſint mendici, ſed etiam ſi neceſſariis ad decentiam perſonæ, & ſtatus careant, quales ſunt multi nobiles. Ita Fauſtus *de Horis Canon. lib. 2. q.483.* & Villalobos *in ſumm.tom.1.tract.24. dub. 17.n.9.* Fernandez *in exam.Theolog.part.3.c.12.§.8.n.3.* & alij.

Hæc etiam reſtitutio poteſt fieri Miſſis, & aliis ſuffragiis in vtilitatem defunctorum; nam ipſi ſunt etiam indigentes. Ita Filliucius *tom.2.tract.23.c.10.n. 325.* qui citat Suarez, & alios.

*Quando Medicus dubitat, an propter timorem grauis damni teneatur infirmus dicere Horas Canonicas, an ipſe æger ills perſoluere ſit obligatus?*

RESOLVT. XXVIII.

AFfirmatiuam ſententiam docere videtur Suarez *de Relig.tom.2.lib.4.c.28.n.21.*

Sed mihi placet opinio Bonacinæ *tr. de Horis Canonicis, diſp.1.q.6.punct.2.n.5.* vbi ſic aſſerit: [Cùm verò Medicus ipſe dubitat, an morbus grauis ſit, vel leuis, ſeu recitatio nocitura ſit, ægrotum ad Horas recitandas non teneri arbitror; quia non tenetur ſe periculo grauis damni exponere: quicquid in oppoſitum ſentire videatur Suarez.] Ita ille. Filliuc. verò *tom.2.tract.23.c.9.n.393.* Villalob. *in ſumm.tom.1.tract.24. dub.16. n.2.* Malderus *in 2. 2. tract. 10.c.2.dub.5.* putant in tali caſu, quando videlicet Medicus eſt dubius, recurrendum eſſe ad ſuperiorem pro diſpenſatione; ſed opinio Bonacinæ eſt probabilis.

*An æger, qui poteſt recitare maiorem partem Officij, teneatur illam perſoluere?*

RESOLVT. XXIX.

AFfirmatiuè reſpondent communiter Doctores. Sed notandum eſt cum Rodriquez *in ſum.part.1. c. 145.* & Garſias *de benef.tom.1. part.3.c.1.n. 222.* quòd qui non poteſt recitare Matutinum, cum Laudibus, ad nihil tenetur; quia licèt hæc non ſit maior Officij pars, nihilominus eſt pars illius prima, & præcipua.

*An ſi quis non haberet Breuiarium, ſed ſciret Pſalmos, teneatur illos dicere ſine lectionibus in Matutino, vel capitulis, & verſiculis in Horis?*

RESOLVT. XXX.

NEgatiuè reſpondet Filliuc. *tom.2.tr.23.c.9.n.287.* vbi ſic ait: [Si quis nõ habens Breuiarium poſſit recitare memoriter totum Officium, vel integram aliquam Horam, tenetur: ſi autem Pſalmos tantùm ſciat, non autem lectiones, orationem, & capitula, non tenetur. Ratio eſt, quia illi Pſalmi, vt ſic, non ſunt Hora Canonica, ad quam Clericus obligatur. Ita ille, & citat Nauarrum, & Suarez. Idem etiam docuit Garſias *de benef.tom.1.par.3.c.1.n.221.* & Malderus *in 2.2. tract.10.c.2.dub.5.*

Notandum eſt tamen, quòd ſi ſciret alias lectiones, ſiue capitula, & orationes, teneretur ſic dicere Officium ſecundùm ſententiam Villalob. *in ſum.tom.1. tract.24. dub. 16.n.11.* vbi ſic aſſerit. [Si eſte ſabe de memoria los Pſalmos de las Laudes, y Horas menores, y deue rezarlas; poniendo qualeſquiera Capitulos, y orationes, que ſe le acordaren, por que con eſſo cumple con la ſubſtancia del rezo. Y ſi tuuieſſe Diurnal, debe tambien rezar los Maytines, ſi eſtan alli los Pſalmos de las Ferias, y dezir leciones de nueſtra Señora, ò de los Difuntos, que aunque la mudança es mucha, no es ſubſtancial.] Sed hæc opinio mihi non placet, quia ego non teneor dicere aliud Officium, niſi Officium currentis diei. Ergo, &c. vide etiam *infrà reſol.43.*

*An Canonicus, qui abeſt à Choro ſine cauſa, animo amittendarum diſtributionum tempori abſentiæ reſpondentium, peccet mortaliter?*

RESOLVT. XXXI.

AFfirmatiuè reſpondent. Suar. *de Relig. tom.2. lib.4.c. 10, n. 17. & c.13. n.5.* Garſias *de benef.tom.1. part.3. c.2.n.319. & ſeq.* Filliuc. *tom.2.tract.23.c.7.n.207.* Squillante *de oblig.Cler.part.1.dub.28.n.57.* & alij, aſſerentes Canonicos, & obtinentes dignitates, ſeu portiones, non poſſe tuta conſcientia, niſi per tres, vel quatuor dies, abeſſe à Choro, vltra tempus à Concilio Tridentino permiſſum; & Garſias, pro hac ſententia, adducit tres Cardinalium declarationes.

Hæc opinio videtur mihi probabilior. Sed quia multi de hoc nullum ſibi conſcientiæ ſcrupulum faciunt, vt à peccato illos immunes faciamus, dicendum eſt, contrariam ſententiam eſſe probabilem, & ita illam vocat, licèt oppoſitam teneat, Martinus Bonac. *tract. de Horis Canon. diſp.2.q.1.punct.2.n.3.* poſt Syluestrum, Caietanum, Nauarrum, & alios, quam etiam ſententiam abſolutè docuit Reginal. *in praxi tom.2.lib.18.c. 13.n.176.in fin.* cum limitatione, niſi talis abſentia à Choro efficiatur per contemptum, aut ob eam Officium diuinum non diceretur in Eccleſia, aut ſaltem non diceretur cum debita ſolemnitate. Ex his apparet Canonicum, qui ad Chorum non accedit, ſed priuatim diuinum Officium recitat, peccare tantùm venialiter, etiamſi in Choro tantùm quatuor aſſiſtant; nam, vt notat Carolus Macigni *tract.de Horis Canonicis, c.56. n.24.* quatuor Canonici ſufficiunt ad conſtituendum Chorum.

*An qui recitat Officium cum notabili abſciſſione vltimarum ſyllabarum, peccet mortaliter, & teneatur denuò recitare?*

RESOLVT. XXXII.

NEgatiuè reſpondet Filliucius *tom.2.tract.23. cap.7.n. 242.* Azor. *part.1.lib. 10. .4. q. 11.* Et ratio eſt, quia non violatur præceptum in re graui; nam cum tali abſciſſione perſeuerat adhuc ſenſus, & ſignificatio verborum; vnde ſi abſciſſio ſyllabarum variaret notabiliter ſenſum verborum, ſic recitans teneretur denuò recitare. Et ideò Villalob. *in ſum.tom.1.tract.24.dub. 10.num. 7.* ſic aſſerit: [El Oficio diuino ſe ha de dezir ſin ſincopar, pronunciando haſta las vltimas palabras, mas el que por mala pronunciacion, ò impericia pronunciare mal, cumple con eſſo; y quando alguno lo hizieſſe con aduertencia, aunque pecaria, no por eſſo quedaria obligado à boluer à rezar el oficio, como dize Azor, porque guarda

la ley quanto a la ſubſtántia, lo qual entiendo quando no fueſſe muy graue el exceſſo, por que ſi fueſſe tel que corrumpieſſe el Oficio diuino de induſtria, no cumpliria. ] Ita ille.

Igitur qui voluntariè perſoluendo Horas Canonicas, ſyllabas abſcindit, non tenetur ſub peccato mortali diuinum Officium repetere, niſi notabiliter ſenſus verborum corrūperetur, quod rarò ſolet accidere. Nota etiam, quòd qui cum tali recitaret Officium, ſatisfaceret ſuo muneri, nec teneretur Officium repetere, nam ſi ſocius ita recitans ſatisfacit, vt probatum eſt, etiam & ipſe ſatisfaciet. Notandum eſt etiã cum Filliuc. *tom. 2. tract. 23. c. 6. n. 210.* quòd ad hunc defectum reducitur nimia celeritas in canendo, moraliter enim non poteſt fieri ſine ſyncopa, & aliqua abſciſſione ſyllabarum, & etiamſi abſque illa efficiatur, tamen eſt in cauſa, vt audientes non poſſint verba percipere, & attendere, vnde ordinariè eſt tantùm peccatum veniale, neque obligat ad iteratam recitationem Officij, niſi adſit contemptus; vel graue ſcandalum, ſeu notabilis corruptio, & deformatio verborum in toto cantu; vnde Syluius *in 2. 2. q. 83. ar. 13. concl. 5.* ſic aſſerit: [Non cenſetur aliquid omittere, qui alternatim legens, aut cantans cum aliis ſui Chori, verſus integrè recitat, alterius verò auſcultat, modò ſuos non inchoet, priuſquam alter finierit; ſi verò ſecus faciat, mortaliter, aut venialiter peccabit, ſecundùm quod fuerit magna, vel parua quantitas verborum ita abſumptorum, neque ſatisfaciet præcepto Horarum, quando erit notabilis. ] Ita ille.

*An qui ſubmiſſa voce, aliis canentibus, perſoluit Horas Canonicas, poſſit percipere diſtributiones?*

RESOLVT. XXXIII.

REſpondent communiter, ſatisfacere obligationi diuini Officij recitandi, ſed non poſſe diſtributiones, quæ canentibus conferuntur, percipere.

Sed ego puto cum Filliucio *tom. 2. tract. 23. c. 6. n. 196.* & Martino Bonacina *tract. de Horis Canon. diſp. 1. quæſt. 3. punct. 11. n. 17.* ita ſubmiſſa voce recitantem, poſſe percipere mediam partem diſtributionum, quia non deeſt in totum ſuo muneri, cùm aſſiſtat Choro, Officiũ ſubmiſsè recitet, & cæteros audiat. Quam quidem doctrinam, aduersùs Bonacinam, Villalobos *in ſum tom. 1. tract. 24. dub. 10. n. 9.* & Portel *in dubiis Regular. ver. Horæ Canonicæ, n. 15.* putant procedere etiam in caſu, quo Canonicus non caneret, ſed tantùm aſſiſteret, quia diſtributiones etiã pro aſſiſtentia conferuntur. Igitur Canonicus aſſiſtens, & non cantans poteſt ſibi medietatem diſtributionum retinere. Et ita docet Beia *part. 1. caſ. 55.* & Carolus Macigni *tract. de Horis Canon. c. 68. n. 3.* & alij.

*An beneficiarius, ſi intra annum per octo, vel decem dies omiſit Officium, teneatur ad reſtitutionem?*

RESOLVT. XXXIV.

ALiqui reſpondent negatiuè, & ita nouiſſimè docuit Ioan de la Cruz *in direct. conſc. part. 1. præc. 3. art. 3. dub. 6. concl. 3.* vbi ſic aſſerit: [Beneficiarij, ſi intra annum omittant recitare per decem dies, nihil reſtituant, quia ſunt ſerui liberaliſſimi Domini, qui multo minus, quàm domini temporales, ad pauca attendit. Et ita explicandus eſt motus Pij V. ] Ita ille, qui citat Medinam Salmanticenſem, & Lopez: Ortiz verò *in ſumm. cap. 3. num. 22.* extendit hoc ad vnum, vel alterum diem. Sed an opinio ſupradictorum DD. non obſtante Bulla Pij V. ſit probabilis, iudicio aliorum remitto; nam illam tanquam minùs probabilem noluit admittere nouiſſimè Syluius *in 2. 2. q. 83. art. 13. concl. 4.*

*An ſi aliquis habeat priuilegium recitandi Breuiario breui, vel dicendi Horas ante tempus, poſſit ſocius recitare eodem modo cum illo abſque culpa?*

RESOLVT. XXXV.

REſpondeo affirmatiuè, & ita docet Portel *in dubiis Regul. ver. Horæ Canon. n. 8.* & Henriq. *lib. 7. c. 30. n. 4.* Et ratio eſt, quia id quod priuilegium diſponit in vno ex correlatiuis, extenditur ad aliud correlatiuum. Nota etiã, quòd Epiſcopus religioſus poteſt recitare cum ſocio ſecum recitante per Breuiarium ſuæ Eccleſiæ. Ita Rodriq. *in ſum. tom. 4. c. 68. n. 10.* & Portel *vbi ſuprà, n. 24.*

*An Prælatus Religioſis addictis Breuiario Romano poſſit in publica recitatione ex cauſa iuſta diſpenſare in Officio vnius diei, vna, vel altera vice?*

RESOLVT. XXXVI.

REſpondeo, quòd dictus Prælatus non poteſt mutare aliquid de dicto Breuiario, abſque licẽtia Papæ, nam id clarè præcipit Pius V. in Bulla præfixa dicto Breuiario; vnde non poteſt præcipere, vt recitetur tale Officium, nõ contentum in tali Breuiario, nec conceſſum ordini per aliquod priuilegium. Poteſt tamen ex cauſa iuſta diſpenſare vna, vel altera vice, vt aliquod Officium dicatur extra illud appoſitum in Breuiario pro illa die. Et ita docet Portel *in dubiis Regul. ver. Horæ Canon. n. 7.* & Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 4. c. 11. n. 6.* qui citat D. Antoninum, Tabienam, Armillam, & Nauarrum, quibus adde Raphaelem de la Torre *in 2. 2. tom. 1. contr. 8. n. 6.* Sed nouiſſimè mihi aſſerunt contrarium decreuiſſe Sacram Cardinalium Congregat. quod an ſit verum, neſcio.

*Qui incepit recitare Officium, animo non ſatisfaciendi pro tunc, ſed poſtea iterandi, & tamen pertæſus, poſtea vult ſatisfacere illa prima recitatione: quæritur an ſatisfaciat obligationi cum illa prima recitatione?*

RESOLVT. XXXVII.

NEgatiuè reſpondet Carolus Macigni *tract. de Hor. Canon. c. 48. n. 8.* & Azorius *part. 1. lib. 10. c. 1. q. 7.*

Sed ego contrariam ſententiam puto omnino ſuſtinendam eſſe, cum Portel *in addit. ad dubia Regul. ver. Horæ Canon. n. 5.* Leſſio *lib. 2. cap. 37. dub. 10. n. 59.* Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 1. c. 13. n. 16.* Aragon. *in 2. 2. q. 83. art. 3.* Henriquez *lib. 6. c. 15. n. 9.* Garſias *de benef. tom. 1. part. 3. c. 1. n. 198.* Squillante *de oblig. Cler. part. 1. dub. 22.* Valentia *tom. 3. diſp. 6. q. 2. punct. 10.* Vaſq. *Opuſc. de benef. c. 4. §. 1. dub. 7. n. 114.* Molfeſ. *in ſum. tom. 1. tract. 5. §... c. 2. n. 40. & 52.* Naldus *in ſum. ver. diuinum Officium, n. 3. & 8.* Filliucius *tom. 1. tract. 23. c. 8. q. 1. n. 251.* & alij.

Et ratio eſt, quia ad implendã obligationem legis ſufficit, vt quis faciat omne illud, quod lex imperat, quãuis non habeat intentionem ſatisfaciendi tali legi; per leges enim ſolùm præcipitur libera, & humana externi operis exequutio, & non vt fiat ex tali intentione. Cum ergo tali, verè actu humano, & libero Officium recitet, quantumuis nolit ſatisfacere, verè præcepto ſatisfaciet.

Et idem dicẽdum eſt de auditione Miſſæ, vt alibi diximus, & de pœnitentia à Confeſſario iniuncta. Nec opus eſt, vt voluntas mutetur tempore opportuno, id eſt, intra obligationis præcepti tempus, & velit per Officium præcedens ſatisfacere præcepto: quia ego puto, quòd non tenetur poſtea mutare intentionem, intendendo ſatisfacere priori Officio: ſed ſatis eſt, ſi ſe ſatisfeciſſe ſciat, non obſtante contraria ſua voluntate. Et ita docet Sanchez *loco citato, n. 14. & 15.* quicquid in contrarium probabiliter etiam aſſerat Suarez *in 3. part. tom. 3. diſp. 88. ſect. 3.* & Aragon. *in 2. 2. q. 83. art. 13.* & alij.





*An Prælati Regulares ratione Officij teneantur ad aſſiſtentiam Chori?*

RESOLVT. XXXVIII.

REſpondeo cum Raphaële de la Torre *in 2. 2. tom. 1. contr. 10. diſp. 1. n. 8.* quòd peculiari obligatione tenẽtur habere curã, vt Chorus, ſicut par eſt, frequentetur, ſed ad ſui præſentiam perſonalem, non tenentur præcepto, id directè præcipiente, ſed ob circunſtantiã perſonæ, & propter aliorum exemplum, intra obligationem regulæ, magis tenebuntur, quàm cæteri. Quamuis ex alia parte propter plures, & grauiores occupationes, ſæpiùs à frequentatione Chori etiam magis, quàm cæteri, excuſabuntur.

*In qua hora poſſit quis dicere Matutinum ſequentis diei?*

RESOLVT. XXXIX.

REſpondeo communiter ab hora quarta poſt meridiẽ. Et ita docet Filliuc. *tom. 2. tr. 23. c. 8. n. 275.* vbi ita ait. Quolibet tempore diei poteſt Matutinũ ab hora quarta poſt meridiem, quæ Vere, & Autumno; hoc eſt, Martio & Aprili in Vere; Septembri & Octobri in Autumno, coincidit cum hora vigeſimaprima horologij ſolaris, vel artificialis. Æſtate autem, hoc eſt, Maio, Iunio, Iulio, & Auguſto eſt hora vigeſima cum dimidia plus minus. Hyeme denique, hoc eſt, menſe Nouembri, Decembri, Ianuario & Februario eſt circa vigeſimam primam cum dimidia. Gauantus verò *in comment. ad Rubr. Miſſ. tom. 2. ſect. 1. c. 5. tit. 6. n. 6.* Barboſa *in collect. tom. 1. lib. 3. tit. 41. c. 1. n. 5.* & Henriq. *lib. 3. cap. 24. n. 7. in Gloſſa, litt. P,* putant ab hora tertia poſt meridiem Matutinum ſequentis diei perſolui poſſe: ſed hoc non approbat Villalobos *in ſumm. tom. 1. tract. 24. dub. 12. num. 5.* Non reticebo tamen, Molfeſ. *in ſumm. tom. 1. tract. 5. c. 2. n. 56.* & Fabrum *de ſacram. Ordinis, diſt. 24. q. 1. diſp. 1. num. 148.* docere poſt horam vigeſimam, poſſe aliquem recitare Matutinum vnà cum Laudibus Officij diei craſtinæ; vnde ſecundùm illos, præceptum recitandi Officium diuinum, incipit à veſpere huius diei vſque ad mediam noctem diei craſtinæ.

*Vtrùm Clerici Religioſi damnati ad triremes, teneantur dicere Horas Canonicas?*

RESOLVT. XL.

PRima opinio affirmatiua eſt. Ita Laym. *in Theol. mor. lib. 4. tract. 1. c. 4. n. 2.* Gauant. *in comment. ad Rubr. Miſſ. tom. 2. ſect. 1. c. 4. n. 16.* Io. Azorius *p. 1. lib. 10. c. 5. q. 9.* quam opinionem Rodriquez *vbi infra*, tribuit Syluestro *ver. hora, q. 9.* ſed immeritò, nam ibi nihil dicit. Probat hanc ſententiam Azorius à ſimili. Nam, vt benè notat Nauarr. *c. 7. n. 17.* Sylueſt. *ver. hora, q. 3.* & alij communiter, Clerici ſuſpenſi, interdicti, & excommunicati tenentur perſoluere Officium diuinum. Ergo, ait Azorius, idem ius erit in eo, qui per ſententiam iudicis fuerit ad triremes damnatus, aut à Turcis captus, in triremes coniectus, & remigandi miniſterio addictus.

Secunda opinio eſt Emmanuelis Rodriq. *in ſum. tom. 3. c. 194. concl. 15. n. 15.* vbi aſſerit. [El ordenado de orden ſacro hechado à galeras, ſegun Sylueſtro *ver. hora, q. 9.* obligacion tiene de rezar el oficio diuino, lo qual entiendo, que ſera verdad, quando comodamente puede rexar, porque ſi no pudieſſe comodamente rezar, la Igleſia, que es ſu madre, no lo quiere afligir en tan miſerable eſtado.]

Sed mihi placet tertia opinio negatiua, quam docet Homob. *de exam. Eccleſ. part. 1. tract. 4. c. 4. q. 32.* Sotus *de iuſt. lib. 10. q. 5. art. 3* Sanch. *de matrim. lib. 8. diſp. 8. n. 11.* & Leonardus Leſſius *de iuſt. lib. 2. c. 37. dub. 9. n. 45.* Nam, vt ait ille, vſus eſt in contrarium, tum quia ſatis habent afflictionis, dum vi in illo ſupplicio detinentur: tum quia animus rarò talibus ad obſequendum eſt paratus: & etiam, quia id cederet in dedecus ordinis Eccleſiaſtici, ſi in illa hominum colluuie oſtenderent ſuum ſtatum, quæ quidem omnia non militant in Clericis ſuſpenſis, interdictis & excommunicatis. Vnde patet reſponſio ad argumentum Azorij; eſt enim diſpar ratio, inter Clericos damnatos ad triremes; & ſuſpenſos & excommunicatos. Dicendum eſt igitur, dictos remigantes abſolutè non teneri ad recitandum Officium diuinum.



*Quænam paruitas materiæ excuſet à peccato mortali, in omnibus Horis Canonicis?*

RESOLVT. XLI.

NAuarrus *c. 10. de orat. n. 44.* cum Squillante *de oblig. Cler. part. 1. dub. 33. n. 69.* aſſerunt partem notabilem vnius Horæ, eſſe totum principium cum Pſalmo.

D. Antoninus citatus ab Azorio *part. 1. lib. 10. c. 7. q. 3.* Macignus *de Horis Canon. c. 26. n. 2.* Malderus *in 2. 2. tr. 10. c. 2. dub. 3.* & alij aſſerunt, tertiam partem Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorij eſſe partem notabilem. Sed hæc opinio, & à fortiori illa Nauarri dura mihi videtur. Nam, vt notat Angelus *ver. horæ, n. 18.* quem ſequitur Leſſius *lib. 2. c. 37. dub. 9. n. 52.* etſi vna hora ſit materia grauis & ſufficiens, vt ſub peccato mortali præcipiatur: non tamen inde ſequitur, tertiã eius partem talem eſſe, alioquin etiam tertia pars vnius Pſalmi talis dicenda eſſet. Itaque etſi omittere Sextam, vel Nonam integram ſit peccatum mortale, non tamen ſequitur mortiferum eſſe, ſi tertia pars Sextæ, vel Nonæ omittatur.

Dico igitur cum Fernandez *in ſuo Exam. Theol. par. 3. c. 13. §. 7. q. 3.* Bellochio *in praxi de caſ. reſer. part. 2. q. 15. n. 49.* Vega *in ſum. tom. 1. c. 128. caſ. 15.* Pet. de Ledeſma *in ſum. tom. 2. tr. 9. c. 10. concl. 14.* & Reginaldo *in praxi tom. 2. lib. 18. c. 12. n. 143.* in horis breuioribus, vt Prima, Tertia, Sexta, Nona, & Completorio, partem notabilem eſſe dimidiam partem. Si quis ergo ex Nona, v. g. id relinqueret, quod non attingeret dimidiam partem, non peccaret mortaliter, nec teneretur ad reſtitutionem fructuum, ſi haberet beneficium. Vide etiam Lorca *in p. 2. tom. 2. diſp. 16. membr. 2. de leg. b.*

Et hæc, vt diximus, intelligenda ſunt circa Horas breuiores. Quid circa Matutinum, Laudes, & Veſperas? Sanchez *in ſumm. tom. 1. lib. 1. c. 18. n. 8.* ait quòd in Matutino Feriæ, vel Sancti ſimplicis omiſſio trium lectionum, & earum reſponſoriorũ eſſet materia parua, ſecus ſi eſſet Matutinum Feſti duplicis, aut ſemiduplicis, in quo nouem Lectiones, & octo Reſponſoria omittenda eſſent. Sed in his verbis Sanchez non dat regulam generalem pro omnibus Officiis & Horis, Gauantus *in comment. ad Rubr. Miſſ. tom. 2. ſect. 1. c. 5. tit. 1. n. 4.* & Suar. *de Religion. tom. 2. lib. 4. c. 21. n. 16.* ait neceſſarium eſſe, vt nõ dimittatur pars alicuius Horæ, quæ æquiualet minimæ Horæ: ſi autem hanc non attingat, non videtur eſſe peccatum mortale. Antoninus Ragucius *in tr. de offic. Canonicorum in Choro, q. 13. n. 4.* aſſerit in Horis maioribus, vt in Matutino, & Laudibus, & Veſperis notabilem partem eſſe quartam partem cuiuſque Horæ, & non minorem.

Hæ ſunt opiniones, quas in hac materia apud DD. inueni, omnes quidem probabiles, tu Lector quam malueris, accipe. Sed dices, quare in Horis breuioribus, diximus partem notabilem eſſe dimidiam, non autem in Horis maioribus. Reſpondeo, quia quando totum aliquod eſt magnum, puto partem minorem tertia, notabilem eſſe. Sic dies feſtus conſtat vigintiquatuor horis à media, vſque ad aliam mediam noctem. Ergo tertia pars eſt octo horarum, & tamen ſi quis in die Feſto opus ſeruile, non ſolùm per octo, ſed per quinque, aut quatuor horas faceret, peccaret quidem mortaliter. Ergo, &c.

Notandum eſt etiam contra Suarez, quòd paruitas, quæ excuſat à mortali in recitatione Horarum priuata, excuſat etiam in recitatione publica Chori, niſi tamen interueniat ſcandalum. Et ita docet Bonacina *tract. de horis Canonic. diſp. 1. q. 4. punct. 1. n. 3.*

*An quis teneatur priuatim recitare Litanias in diebus Rogationum, ſi non adſit in Choro, ſiue in Proceſſionibus?*

RESOLVT. XLII.

AFfirmatiuè reſpondet Tannerus *in 2.2. D.Thom.diſp.5.q.1.dub.5.n.*148. Gauantus *in comm.ad Rubr. Miſſ. tom.2.ſect.6.cap.*16.*n.*3. Suarez *de Relig.tom.*2.*lib.*4.*cap.*25.*num.*7. Bonacina *tract.de Horis Canon.diſp.*1.*q.*3.*punct.*1.*num.*13. & alij.

Sed contrariam ſententiam probabilem eſſe puto, quam docet Carolus Macigni *de Horis Canon. c.*29. *num.* 18. & poſt illum Vaſquez *opuſc.de beneficiis, c.*4.§.1. *art.*2.*dub.*1.*n.*58. & Molfeſius *in ſum.tom.*1.*tract.*5.*c.*1.*n.*56.

*An qui haberet Diurnum, teneatur recitare Pſalmos feriæ, ſine Lectionibus & reſponſoriis?*

RESOLVT. XLIII.

AFfirmatiuam ſententiam docet Sanchez *in ſum.tom.*1.*lib.*1.*c.*19.*n.*8. quia Lectiones, & Reſponſoria modica reputatur materia, quæ ſufficiens non eſt ad moralem integritatem Matutini tollendam.

Sed contrarium docet alter Sanch. *in ſelectis, diſp.* 15. *n.*2. Nam eſto reſpectu Pſalmorum Lectiones & Reſponſoria ſint minor pars, eſt tamen maximè principalis, & ſubſtantialis, ita vt abſque illis non adſit Officium Canonicum. Ex quibus infert idem Sanchez, cæcum non eſſe adſtrictum matutinam horam recitare, licèt memoria retineat Pſalmos, cùm Lectiones legere nequeat, nec tenetur ſocium quærere: præceptum namque recitandi non ad id obligat, ſed ſolùm permittit poſſe recitari cum ſocio.

Imò etſi aliquis cæco ſe offerat in ſocium ad recitandum, non tenetur illum admittere, quia recitare cum ſocio priuilegium, & fauor eſt, quo non vti liberè poteſt; quod etiam procedit in infirmo, qui cum ſocio poſſet recitare Officium: nam non tenetur, etiamſi ſocius ſe offerat ad id faciendum. Notandum eſt etiam, infirmum, etſi valentem conuerſari cū amicis ſe inuiſentibus, non ob id conſtringendum eſſe Officium recitare: quia amicis confabulari, potius animi diuerſionem, vt proprium obiectum reſpicit, quàm attentionem, è contra Officium diuinum recitare. Hæc omnia Sancius, multùm ad praxim conducentia, licèt aliqui contrarium ſentiant, vt Gauantus *in comment.ad Rubr. Miſſ.com.*2.*ſect.*1.*c.*5.*tit.*1.*n.*6. & alij penes Laym. *in Theol.mor.lib.*4.*tract.*1.*c.*6.*n.*2. ſed ipſe optimè cum Garſia *de beneſ.tom.*1.*part.*3.*c.*1.*num.*215. tenet, quòd quando ſemper antea non erat ſolitus recitare cum ſocio, non tenetur poſtea ſocium aſciſcere, quicquid in contrarium aſſerant Valentia, Suarez, Azorius, & alij penes ipſum.

# TRACTATVS XIII.

## De Opinione probabili.

*An ſit licitum relicta Opinione probabiliori, & magis tuta, ſequi opinionem probabilem & minus tutam.*

RESOLVT. I.

NEGATIVE ex neotericis, reſpondet Antoninus Perez *in Laurea Salmantina, certamine* 10. *num.*55. Comitolus *in reſp.mor.lib.*1.*quæſt.*15. & ante illos Gabriel *in* 4.*diſt.*15.*q.*8.*art.*3. *dub.*2. *in* 3. *probatione primæ concl.* D. Antoninus *part.*1.*tit.*3.*cap.*10. §. 10.*reg.*4. & ex Thomiſtis, Syluester, Caietanus, Conradus, Sotus, & alij.

Sed communiter Theologi contrariam ſententiam amplexi ſunt, & præter 17. Doctores quos citat, & ſequitur Sanchez *in ſum.tom.*1. *lib.*1. *cap.*9. *n.*14. docet etiam hanc ſententiam Layman *lib.*1.*tract.*1.*c.*5.§.2.*n.*7. Baſilius Pontius *de matr.lib.*10.*c.*15.*n.*4. Malder. *in* 1.2. *D.Thom. q.*19.*art.*5.*diſp.*86.*aſſer.*3. Filliuc. *tom.*1.*tr.*21.*c.*4.*n.*128. Tannerus *in p.*2.*diſp.*2.*q.*4.*dub.*3.*n.*36. Emm. Barboſa *in remiſ. Doctor.ad ordin.Relig. Luſit.lib.*3.*tit.*64. *n.* 10. Garſias *de beneficiis tom.*2.*p.*11.*n.*361. Villalob. *in ſum. tom.* 1. *tract.*1. *diffic.*10. *n.* 2. Sancius *in practicis diſputationibus diſp.* 42. *n.*12. Lorca *in part.*2.*tom.*1.*diſp.*39. *membr.*2. Martinez *in part.*2.*tom.*1.*q.*29.*art.*6. Aluarez *ibid. diſp.* 80. Sanctarellus *variar.reſol.part.*1.*q.*59.*n.*4. Barboſa *in collectan. tom.*1.*lib.*2.*tit.*9.*c.*4.*n.*6. Portel. *in addit. ad dubia regular. ver.opinio, n.* 3. Et ratio eſt, quia operans ſecundùm opinionem probabilem, non poteſt iudicari temerarius, neque imprudens, habet enim pro ſe rationes alicuius momenti: ergo ſi ſic operãs, non eſt imprudens, nec temerarius, non peccat. Secūdo, quia licèt opinio tutior ſit perfectior & ſecurior, nemo tenetur ſequi quod perfectius eſt, & quod ſecurius, dummodo ſequatur perfectum, ac tutum. Ergo, &c. Tertiò, quia cùm omnimoda certitudo in rebus agendis haberi nequeat, ſufficit, vt operemur cum certitudine probabili, & non requiritur omnimoda certitudo: opinio autem minus probabilis, & minus tuta eſt aliàs ſufficiens ad bene operandum moraliter; eſſet enim onus intolerabile, & multis ſcrupulis expoſitum, ſi opiniones probabiliores ſemper inueſtigare teneremur. Ergo, &c.

*An in adminiſtratione Sacramentorum liceat ſequi opinionem probabilem, & minùs tutam, relicta probabiliori, & tutiori.*

RESOLVT. II.

REſpondent communiter Doctores, Sacerdotem adminiſtrantem Sacramentum, relicta opinione probabiliori, non peccare contra reuerentiam debitam Sacramento, ſed contra charitatem: nam in ordine ad pœnitentem, quando ſententiæ diuerſæ ſunt circa materiam & formam, vel aliquid, quod ad valorem Sacramenti requiratur, debet Sacerdos, ob periculum grauiſſimi detrimenti inde ſequuturi, relinquere opinionem probabilem, & probabiliorem amplecti.

Sed limitatur hæc ſententia. Primò, circa eſſentialia Sacramentorum quæ non ſunt de neceſſitate ſalutis: nam in his adminiſtrandis, poſſumus vti quacunque opinione probabili, probabiliori relicta: ita Lorca *in part.*2. *tom.*1. *diſp.* 39. *membr.* 2. *fol. mihi* 468. Secundò, quando non eſt in poteſtate miniſtri ſequi opinionem magis probabilem, vt quando tempore neceſſitatis non adeſt materia, v.g. frumentum, poteſt quis conſecrare in tipha. Bonacina *de Sacram.diſp.*2. *quaſt.*1. *punct.*4. *num.* 10. cum Martinez *vbi infrà*. Tertiò, quando defectus prouenit ex parte ſuſcipientis: vt ſi pœnitens vellet confiteri cum attritione cognita. Sanch. *tom.*1.*lib.*1. *cap.*6. *n.*34. cum Maldero *infrà*. Quartò, quando quis minaretur miniſtranti mortem, aut aliud notabile damnum, niſi relicta ſententia certa, iuxta probabilem conficeret Sacramentum, ſi tamen in contemptum Sacramenti, mortem non minaretur. Perez *in Laurea Salmantina, certam.* 10. *c.* 12. & 13. & Sancius *in ſelectis, diſp.* 44. *n.* 12. Et tandem, quando opiniones circa iuriſdictionem Sacerdotis ad audiendas confeſſiones verſantur: nam in tali caſu poteſt Sacerdos ſequi opinionem minus probabilem, probabiliori relicta, vt docet Villalob. *in ſum.tom.*1.*tract.*1. *dub.*13. *num.*5. Malderus *in part.*2.*q.*19.*art.*5. *diſp.*86. Sanchez *in ſum. tom.*1.*lib.*1.*c.*8.*n.*35. Martinez *in p.*2.*tom.*1.*q.*19.*art.*6.*dub.*6.*concl.*7. Henriquez, Salas, Vaſquez, & alij, quicquid in contrarium aſſerat Sancius *in ſelectis, diſp.*44.*n.*19. quia communis error ex ea probabili opinione ortus, ſatis eſt ad geſtorum per eum Sacerdotem valorem, & Eccleſia ſtante opinione probabili,



probabili, confert tali Sacerdoti iuriſdictionē. Vnde contra Sancium non peccabit Sacerdos ſimplex abſoluens extremam vitam agentem, præſente Sacerdote approbato; neque Parochum, excipientem in aliena diœceſi confeſſiones, abſque noua approbatione: vel ſi Sacerdos approbatus abſoluerit à reſeruatis ex opinione probabili.

Adde, quòd in his caſibus ſemper pœnitens ſe accuſat de aliquo veniali, & cùm ſimplex Sacerdos ad venialium abſolutionem indubiè habeat iuriſdictionem, abſoluens cum opinione probabili, gratiam cauſabit, & ſic pœnitenti nulla irrogabitur iniuria, vt notauit Suarez *in* 3. *p. tom.* 4. *diſp.*26.*ſect.*6.*n.*8. Sanch. *in ſum.tom.*1.*lib.*1.*c.*9.*n.*3. Sancius *in ſelectis, diſp.*44.*n.*14. & alij.

*An iudex poſſit iudicare ſecundùm probabilem opinionem, communi, & probabiliori relicta.*

RESOLVT. III.

NEgatiuā ſententiam docet Layman *in Theol.mor.lib.*1.*tr.*1.*c.*5.§.3.*n.* 16. Sanchez *in ſumma tom.* 1. *lib.* 1. *c.*10.*n.*47. cum 7. Doctoribus, quos ipſe citat: quibus ego addo Villalobos *in ſum.tom.*1.*tr.*1.*diffic.*15.*n.*6. Malderum *in* 1.2. *D.Thom.q.*19.*art.*5.*diſp.*86.*circa fin.* Filliucium *tom.* 2. *tract.*21.*c.*4.*n.*144. Becanum *in ſumm.tom.*2.*tract.*1.*c.* 4. *q.*9.*n.*13. Tannerum *in* 2. 2. *D. Thom.diſp.* 4. *q.*4. *dub.*6.*n.*128. Portel. *in addit.ad dub.Regul. ver. opinio eligenda, n.* 12. Azorium, & alios.

Sed contrariam ſententiam probabilem etiam eſſe puto, quam tuentur præter 6. Doctores, quos citat Sanchez *n.*46. hi omnes à me diligenter conquiſiti, Hieronym. de Rua *in controuerſ. tom.*2.*controu.*6.*ſcholaſtica.* Martinez *in p.*2.*tom.*1.*q.*29.*art.*6.*dub.*6.*concl.* 2. Lorca *ibidem diſp.*39. *memb.*2. Aluarez *ibid.diſp.*80.*n.* 12. Morla *in emporio iuris, p.*1.*tit.*2.*q.*2. Martinus Delrius *in diſquiſ. Magicis lib.* 5.*q.*1.§.*quotieſcumque*, vbi aſſerit eſſe communem ſententiam Caſuiſtarum, Sancius *in practicis diſputationib. diſp.* 44.*n.*50. Triuigno *in praxi examinatorum, fol.*2. & probabilem vocat hanc opinionem Sanchez *vbi ſup.* & Martinus Bonacina *de legib.diſp.*2.*p.*4.*punct.*9.*n.*13.

Dico igitur iudicem in ſententiis ferendis, poſſe ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, etiam cōtra propriam opinionē, dummodo probabilitas ſit circa ius, non verò circa factum; quia circa factum tenetur ſequi quod probabilius eſt. Et hoc verum arbitror contra Vaſquez *in p.*2.*tom.*1.*diſp.* 64. *n.* 5. etiam in iudice ſupremo, ſed ſi iudex ſit arbiter, & à collitigantibus eligatur ſub conditione, quòd iuxta ſuum iudicium debeat iudicare, & non iuxta aliorum, non poterit alienam opinionem ſequi, vt notat Monteſinus *in p.*2.*tom.*1.*diſp.*29.*q.*5.*n.*213. ſecus autem ſi probabiliter duas opiniones ſuſtineat; nam iuxta quamlibet poterit iudicare, cùm liberum ei ſit præferre iudicium proprium in ferenda ſententia.

Hinc etiam à fortiori infertur cōtra Bannez *in* 2.2.*q.*63. *art.*4.*dub.*1.*ad* 2 integrum eſſe iudici, ex duabus opinionibus probabilibus, quā maluerit eligere, & ſecundùm eam iudicare pro amico: imò ceſſante ſcandalo, nūc ſecundùm vnam, nunc ſecundùm aliam, quod ego ſentio, vt dictum eſt, etiamſi contraria ſententia eſſet probabilior: & ſi adeſſet ſcandalum, peccaret equidem, ſed non teneretur ad reſtitutionem. Ita Ioan. Valerus *in differentiis vtriuſque fori, ver.opinio, differ.*3.*n.*1. & alij penes ipſum.

Ex his infertur etiam deciſio multorum caſuum, quos affert Sancius *vbi ſup.* videlicet, Primò, an vnicus teſtis omni exceptione maior conſtituat ſemiplenam probationem in cauſis criminalibus. Secundò, an in cauſa capitali poſſit iudex interrogare reum ex præcepto, illum obligando ad reſponſionem veritatis, quando ſolum delictum eſt ſemiprobatum. Tertiò, an iudex, vel ipſius miniſter poſſit incarcerare delinquentem in alieno territorio inuentum. Quartò, an fructus induſtriales, bona fide conſumptos, poſſeſſor bonæ fidei teneatur reſtituere. Quintò, an filij reorum maieſtatis diuinæ, vel humanæ geniti ante parentum crimen, afficiantur pœnis iure ſtatutis in eorum filios. Sextò, an filij expoſiti ad Eccleſiæ lapidem, reputentur legitimi. Septimò, an iuſpatronatus poſſit præſcriptione acquiri. Octauò, an pater aſtrictus ſit filiam naturalem dotare. Nonò, an tempore peſtis poſſit fieri teſtamentum, cum minori teſtium numero. Decimò, an collatio beneficij facta infami, ſit ipſo iure nulla. In his, & ſimilibus caſibus poteſt iudicare iudex ſecundùm quam maluerit ſententiam, vel negatiuam, vel affirmatiuam. Et animaduertendum eſt, iudices non ob id ſubiici ſyndicatui, quòd iuxta opinionem probabilem ferant ſententiam, probabiliori relicta, & communiori, contra Doctores, quos citat, & ſequitur Ioan. Valerus *vbi ſupr. in differentiis vtriuſque fori, ver.opinio, differ.* 1.*n.* 1. Et ratio eſt apertiſſima: nam, vt omnes fatentur, prudenter agit, qui iuxta opinionem probabilem operatur: ſed ſyndicare iudicem, eo quòd iuxta probabilem opinionem ſententiam tulerit, eſſet eum punire abſque culpa: quod iniquum eſt, & oppoſitum rectæ rationi. Ergo, &c. Et ita in terminis docet Sancius *vbi ſuprà in practicis diſputationibus, diſp.* 44.*n.*72.*in fine.*

*An Aduocatus probabiliori relicta, poſſit conſulere ſecundùm opinionem probabilem, in cauſa ſanguinis, vel amiſſione omnium bonorum?*

RESOLVT. IV.

POſſe Aduocatum relicta probabiliori, ſequi minus probabilem opinionem, non ſolùm iuris, vt diximus de iudice in ſuperiori reſolutione, ſed etiam facti, docent omnes Doctores: ſed aduertunt in hoc caſu teneri manifeſtare parti minorem probabilitatem ſuæ cauſæ, alias reſtituet ei damna, & expenſas.

Difficultas igitur conſiſtit, an hoc procedat etiam in cauſa ſanguinis, vel amiſſionis omnium bonorum: nam negatiuam partem amplexi ſunt ex Neotericis, Ioan. de la Cruz *in directorio conſcientia, part.*1.*præc.*8.*art.* 5. *dub.*1. *concl.*2. Malderus *in p.*2.*q.*19.*art.*5.*diſp.*86.*aſſer.* 8. Martinez *in p.*2.*tom.*1.*q.*19.*art.*6.*dub.*6. *concl.* 3. & alij, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis rei, & in dubio fauendum eſt reo.

At his non obſtantibus, in praxi tutam, & probabiliorem contrariam ſententiam eſſe exiſtimo: quam præter Sanchez *in ſumma, tom.*1.*lib.* 1.*cap.*9.*n.* 53. & alios penes ipſum tuentur etiam Turrianus *in* 2. 2. *tom.* 2. *quæſt.* 71. *art.*3. Lorca *in p.*2.*tom.* 1. *diſp.* 39. *membr.* 2. Villalobos *in ſum.tom.*1.*tr.*1.*diffic.*14.*n.*5. vbi ſic ait. [En qualquiera coſa, aunque ſea in cauſa ſanguinis, es licito al Abogado tomar à ſu cargo la cauſa del actor, ſiendo prouable, aunque la del reo ſea mas prouable.] Ratio eſt, quia ſi cliens in hoc caſu poteſt iuſtè litigare. Ergo & Aduocatus illam cauſam poteſt patrocinari: cùm non imprudenter agat, vtpote quia ratione probabili ducitur. Dicendum igitur ſine trepidatione; poſſe Aduocatum ſecundùm opinionem probabilem patrocinari cauſam actoris, etiam in cauſa ſanguinis, aut honoris, vel de cauſa ciuili maximi momenti, vt de omnium bonorum poſſeſſione, &c.

*An Aduocatus poſſit ſequi opinionem Antonij Fabri, Cujac. & ſimilium Iuriſconſultorum?*

RESOLVT. V.

HAnc quæſtionem tractauit Sancius *in ſuis practicis diſputationibus*, & quia Codex rarus eſt, ponam per extenſum eius verba. Animaduertendum (ait) plures Iuriſperitorum non auſos in praxi ſectari opiniones Duareni, Cujac. Donelli, Antonij Fabri, & aliorum, appellántque illas opiniones ſolùm theoricas, & non practicas, tantùmque ad ſcholarum ludum proficuas: nequaquam tamen ad in praxi iudicandum. In quo ſanè decipiuntur; Nam imperceptibile eſt aliquam opinionem eſſe ſpeculatiuè probabilem, & in praxi tutò amplexari non poſſe,

cũm probabilitas practica à ſpeculatiua probabilitate oriatur: ab eâque ſolùm differat, tanquam effectus à ſua cauſa. Id enim quod quis opere exequitur iuſtè, vel iniuſtè, ab eo naſcitur, quod ſcilicet ſpeculatiuè iudicauit poſſe agi licitè, vel illicitè, cùm cognitio ſpeculatiua dirigat voluntatem ad opus. Vnde in praxi tutò amplexari poterit Aduocatus talium Doctorum opiniones, imò fortè melius, quàm aliorum, non adeò theoricè ſapientium. Nam illi, qui theoricè rem pleniùs examinant, & fundamenta diſcutiunt, meliùs quoque regulam ad operandum demonſtrabunt. Aliàs nihil prodeſſet alicui, rem ſaniùs percipere, niſi in ordine ad operandum certiorem regulam conſtitueret. Nec oberit, quin horum Doctorum ſententia ſectari queat, quòd magis communiter Iuriſperiti illorum mentem non amplexentur, nec iudices iuxta talium opinionem ſententias pronuntient: id enim neceſſitatem non inducit aliis, quòd videlicet contra theoricorum doctrinam teneantur quoque iudicare, & quia præſumendum ſit plures iudicum, & Iuriſperitorum contra talium theoricorum ſententias iudicantium id agere, quia ex propoſito eorum Doctorum doctrinam non diſcuſsêre, ſed vnus alterius veſtigia, tanquam greges, ſequitur. Hæc Sancius *diſp.64. n.63.* quæ valdè ſunt notanda; quia multum quotidiana, & in aliis libris minimè obuia.

*An Aduocatus, non ſolùm in cauſa probabili, ſed etiam in cauſa dubia, poſſit patrocinari?*

RESOLVT. VI.

MVlti negatiuam ſequuntur ſententiã. Sed ego poſſe affirmo cum Maldero *in p.2.q.19.art.5.diſp.86.aſſer.8.in fin.* & Lorca *in p.2.tom... diſp.39.memb.2.* vbi ita aſſerit. Non ſolùm quando ſunt probabiles ſententiæ, ſed & ſi res ſit dubia, omnino Aduocatus non peccat patrocinando. Et probatur, quia Aduocatus nec ſententiam profert, nec iudicem cogit proferre: ſolùm proponit, quæ ſui clientis ius confirmare poſſunt, quæ proponere iudici, in cauſa dubia non eſt iniuſtum, ſed iuuat, vt à iudice cauſa meliùs expendatur. Ita Lorca, quod eſt valdè notandum. Vide pro hac ſententia D. Antoninum *p.2.tit.1. c.19.§.8.* Angelum *ver. Aduocatus, n.17.* Armill. *n.20.* Sylueſtrum *q.10.* & Nauarrum *in ſumma, c.25.n.28.*

*An Medicus, ſi iuxta regulas Medicinæ, non habeat medicamentum certum, poſſit ſequi opinionem minus probabilem, circa aliqua medicamenta, relicta probabiliori?*

RESOLVT. VII.

NOn poſſe ſine labe peccati mortalis, reſpondet Portel. *in Addit. ad dubia Regularia ver. opinio eligenda, n.10.* vbi citat Sotum, & Suarez, quibus ego addo Villalobos *in ſum.tom.1.tr.1.diffic.1.n.6.* Vaſqu. *in p.2. tom.1. diſp.64.c.4.in fine.* Bon. *de legib.diſp.2.q.4.punct.4.n.22.* Becan. *in ſum.tom....tr.1.c.4.quæſ.9.n.13.* & Sanch. *in ſum. tom.1. lib.1.c.9.n.41.* Ratio eſt, quia faceret contra debitam charitatem, proximo indigenti exhibendam quæ petit, vt certiori modo, quo poſſumus, ei ſubueniamus.

Non deſunt tamen DD. qui in hoc caſu aſſerunt, poſſe Medicum vti opinione probabili. Et ita docet apud Sanchez *vbi ſup.* Azorius *tom.1.lib.2.c.17.q.11.* Aragonius *in 2.2.q.62.art.4.dub.pen.* & Salas *in p.2.q.21.tr.8. diſp. vnic. ſect.15.n.158.* quibus ego addo Monteſinum *in p.2.tom.1. diſp.29.q.5.n.214.* & nouiſſimè Sancium *in practicis diſputationibus.diſp.44.n.36.* vbi cum citatis DD. notat, quòd ſi medicamentum eſſet certum, tunc teneretur Medicus ex charitate, & iuſtitia illud applicare: quia certum pro dubio relinqui non poteſt. Ratio verò, quare vti poſſit opinione probabili, eſt, quia iuxta ſuam conſcientiam applicat id, quod ſalutiferum probabiliter arbitratur.

*An Rex poſſit bellum gerere ex opinione probabili, licèt ab altero Rege poſſideatur Regnum, etiam cum opinione probabili?*

RESOLVT. VIII.

DIfficilis quæſtio, & in praxi ſæpè occurrens. Negatiuam ſententiam docet Villalobos *in ſum.tom.1.tr.1. diffic.17.n.6.& 7.* vbi ſic aſſerit. [Quando ay opiniones probables por ambas partes, no puede el Principe mouer guerra contra otro; y ſi vn Rey eſta en poſſeſſion, no puede el otro mouer guerra contra el, no ſolo quando ay probabilidad de opiniones, ſi no aunque la ſuya ſea mas probable, ſi no es, que ſea cierta.] Ita ille, & ante illum Vaſquez *in p.2. tom.1.diſp.64.c.3. n.11.* Monteſinus etiam *in p.2.tom.1.diſp.29.q.5.n.224* & alij.

Sed ſi opinio probabilis verſetur circa ius, affirmatiuam ſententiam, contra præfatos Doctores, docet nouiſſimè Sanch *in ſuis practicis diſputationib. diſp.44. n.58. & ſeq.* adi illum, & multas pro hac firmanda ſententia inuenies rationes. Et circa dubitationes præſentis materiæ, quãdo videlicet Rex poſſit gerere bellum, vide Becanum *in ſum.Theol.p.3.c.25.q.8.* Molinam *de iuſt.tom.1.tr 2. diſp.103.per totam.* Malderum *in p.2.q.19.ar.5.dub.87.* Lorcam *in 2.2.ſect.3.diſp.53.* Valent. *tom.3. diſp 3. q.16. punct.19.* Bañez *1.2.q.40.art.1.dub.5* Vegam *in ſum.... tom.1.c.121. caſ.3.* Salas *in q.2.p.21.tract.8.diſp.vnica, ſect.15.à n.121.* Turrianum *in 2.2. tom.1. diſp.90. dub.2.* Perez *in Laurea Salmantina, certamine 10.c.13.n.98.* Tannerum *in 2.2.diſp.2.q.6.dub.4.per totum.* Reginaldum *in praxi, tom.2. tr.21. n.92.* Ægidium de Coninch *de actibus ſupernaturalibus, tract.3.diſp.31.dub.2.& 4.per totum.*

*An, quando fas eſt ſequi aliquam opinionem probabilem in vita, etiam liceat ſequi illam in articulo mortis?*

RESOLVT. IX.

NEgatiuam ſententiam videtur docere Sanchez *in ſumma, tom.1.lib.2.c.1.n.6.* ſed aduersùs illum inſurgit alter Sanch. *in ſelectis, diſp.19.n.8.* vbi ſic aſſerit: [Opinio, quæ in ſalute ſecuram reddit conſcientiam ad operandum, vel non, tutam quoque reddit in articulo mortis, cùm in vtroque tempore æqualiter conſtringatur homo, Deum non offendere. Tum, quia inter opiniones in conſcientia ſecuras reuera vna nõ eſt ſecurior altera, quoad impeccabilitatem: nam ſuppoſito quòd operans iuxta quãlibet, nullum committit peccatum, non magis ſecurus erit operans ex vna, quàm ex alia opinione: cùm nulla detur maior ſecuritas, quàm non peccare.] Ita Sancius.

*An quando varietas opinionum verſatur inter Superiorem & ſubditum, teneatur ſubditus obedire?*

RESOLVT. X.

AD hanc quæſtionem reſpondet Villalobos *in ſum. tom.1.tr.1.dub.11. n.12.* Malderus *in p.2.q.19.art.5. diſp.86.§.dico quartò.* Sayrus *in Claui Regia, lib.1.c.12.n.6.* Sanch. *in ſumma, tom.2.lib.6. cap.3. n.7.* Turrianus *in 2. 2. diſp.50.dub.5.n.9.* Salas *in p.2.tom.1.tr.8.diſp.vnica, ſect.8. n.76.& ſeq.* Vaſq. *in p.2.tom.1. diſp.62.n. 32.& ſeq.* Leſſius *lib.2.cap.11. dub.9. n.76. & ſeq.* & diſtinguunt multos caſus, quos refert, & impugnat Ioannes Sancius *in ſuis ſelectis, diſp. 33. per totam*; vbi abſolutè probat ex multis hanc concluſionem, ſubditum non conſtringi obedire, quoties opinio aliqua probabilis aſſeruerit, ipſum non teneri parere, ſiue illicitum eſſe quod præcipitur; & poſt multas rationes confirmat à ſimili, videlicet quòd pœnitens non tenetur obedire Confeſſario contra propriam opinionem; reus rogatus in cauſa ſanguinis in delicto

ſemi



ſemiprobato, nòn tenetur reſpondere; & tandem ſubditus, cui opinio eſt eſſe iniuſtum tributum, non tenetur illud ſoluere. Nec, aſſerit, audiendi ſunt Sãchez, Sayrus, & Turrianus, & alij *vbi ſupr.* cenſentes, teneri ſubditum obtemperare, ſi ſolùm opinionẽ habeat, quòd ſit illicitum, quod ſibi præcipitur: eò quòd ſuperior non tantùm habeat ius iubendi res, quas ſubditus nouit eſſe licitas, & iuxta limites ſuæ poteſtatis, ſed etiam res vniuerſas, quas ſubditus non cognoſcit euidenter illicitas, vltra poteſtatem ſuperioris. Non, inquam, audiendi ſunt: nam hoc verùm eſt, quando in euidentia, & incerta cognitio, quòd videlicet ſit illicitum, quod præcipitur, oritur ex dubio, quòd habeat ſubditus: in hoc enim caſu fatendum eſt teneri obedire, quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis. Quando verò ineuidentia, ſeu incertitudo non ex dubio, ſed ex opinione oritur: tunc ſubditus ius habet non parendi, quamuis non ſit illi euidens, eſſe illicitum, quod præcipitur. Sufficit namque id probabiliter opinari, cùm fas ſit cuique probabili opinione vti. Cæteras rationes pro hac firmanda ſententia inuenies apud ipſum Sancium, qui reſpondet ad argumenta contraria; & tandem *n.43.* concludit, non poſſe iuſtè ſuperiorem punire ſubditum non obedientem, ductum ad id probabili opinione: quia cùm tunc non obediendo minimè delinquat, & nullus dignus ſit pœna, niſi ob culpam: fit tunc non habere ius ſuperiorem punitionis dandæ ſubdito. Ergo, &c. Ita ſupradictus Sancius, qui videndus eſt, eſt enim vir doctiſſimus & acutiſſimus: ſed tu ſequere primam opinionem, tanquam communiorem, & probabiliorem.

*An Confeſſarius teneatur ſequi pœnitentis opinionem?*

RESOLVT. XI.

REſpondeo affirmatiuè cum Monteſino *in p. 2. qu. 5. diſp.29.n.198.* Syluio *in 3.p.q.9.art.2. quærit.4. caſ.2.* Baſilio Pontio *de matrim.lib.4.c.25.n.8.* Salas *in p.2.q.21. tr.8.ſect.9.à n.82.* Valentia *tom.3.diſp.5.q.7.punct.4.in fine,* Azorio *tom.1.lib.2.c.17.quæſ.10.* Villalobos *in ſum. tom.1. tr.1.dub.12.n.1.* Suarez *in 3.part. tom.4. diſp.12.ſect.5. n.4.* Perez *in Laurea Salmantina, certam.10. c.13.n.97.* Nugno *in addit.ad 3.part.q.8.art.4 dub.4.* Fernand. *in exam. Theol. part.3.cap.6.§.9.n.25.* Coninch *de Sacram. diſp.8. dub.17. n.135.* & alij communiter; quia quoties Confeſſarius poteſt licitè abſolutionem impendere, ad illam exigendam habet ius iuſtitiæ pœnitens.

Et licèt Vaſquez *in p.2.tom.1.diſp.62.c.7.n.40.* Monteſinus *in p.2.diſp.29. q.5.n.159.* & Salas *vbi ſuprà*, putent ſolùm peccare venialiter Confeſſarium non proprium, ſi pœnitentem habentem pro ſe opinionem probabilem, nolit abſoluere: ego tamen veriùs cum Sancio *in ſelectis, diſp.33.n.54.* & Sanchez *in ſum.tom.1.lib.1.c.9. n.24.* puto peccare mortaliter, ſi de mortalibus ſit facta confeſſio: nam onus graue eſſet pœnitentem obligare ad ſua detegenda crimina alij Confeſſario abſque neceſſitate.

Et hoc etiam procedit contra Rodriquez, etiamſi Confeſſarius falſam eſſe opinionem pœnitentis exiſtimaret, ſi tamen probabilis reputetur inter Doctores probatæ authoritatis, vt docet Valentia *in 2.2.diſp.5.q.7. punct. vlt. in fine.* Sanchez, & Sancius *vbi ſuprà*, & alij. Et hæc omnia ſupradicta vera ſunt, non ſolùm in Confeſſario proprio pœnitentis, ſed etiam in non proprio, vt ſunt Regulares, & alij non proprij Paſtores & Parochi, quicquid alij aſſerant. Vide Doctores citatos.

*An opinio ſpeculatiuè probabilis, ſemper in praxi tutò amplecti poſſit?*

RESOLVT. XII.

ALiqui negatiuè reſpondent, vt patet ex multis exemplis. Ideo Sanchez *de matrim.lib.7.diſp.7.* licèt aſſerat, fœminas quinquagenarias à ieiunio liberas eſſe, addit tamen, hanc ſententiam ſpeculatiuè eſſe probabilem, non autem tutam in praxi.

Sed alter Sanchez *in ſelectis, diſp. 54. n.11.* impugnat hanc ſententiam, eo quòd inintelligibile videtur, aliquam opinionem eſſe ſpeculatiuè probabilem, & in praxi tutò amplecti non poſſe: probabilitas namque practica à ſpeculatiua differt, tamquam effectus à ſua cauſa: id enim, quod quis opere exequitur iuſtè, vel iniuſtè, ab eo naſcitur, quod ſcilicet ſpeculatiuè iudicauit poſſe agi licitè, vel illicitè. Qui ergo arbitratur ſpeculatiuè aliquid licitè operari ſe poſſe, propter rationes probabiles id tutò executioni mandare poterit, aliàs nihil operabitur, nec alicuius fructus, ſiue momenti, erit illa ſpeculatio probabilis, ſi ad opus eſſet impedita, & æquè comparari poſſe, ſpeculatiuam opinionem habentem, & pertimeſcentem operari practicè ex ea, Tantalo, poma, & aquam ad labia propè habenti, impedito tamen eis vti, ſiue frui. Ita Sancius, aduersùs Sanchez. Sed an probabiliter, remitto me iudicio aliorum.

*Quænam opinio eligenda ſit, illa, quæ eſt Sacramenta fauorabilis; an illa, quæ eſt fauorabilis ſuſcipienti?*

RESOLVT. XIII.

REſpondeo eligendam eſſe opinionem fauorabilem ſuſcipienti, quia Sacramenta inſtituta ſunt in fauorem fidelium, vnde in hoc caſu Sacramentum cedit iuri ſuo. Et ita contra Coquetum *in diſſertatione de Confeſſ. per literas c.7.* & alios; qui petiit confeſſionem, poſſe abſolui in articulo mortis, exiſtimo: & ita docet Syluius *in 3.p.q.9.art.2.quæritur 4.caſ.2.* Reginald. *de eff.Confeſſ.c.21.n.16.* Petr.Fey *in 3.p.q.9.art.2. diſp.2.* Zambran. *de caſ.in mortis artic.c.4.dub.2.* Salas *in p.2.tr.8.diſp.vnica, ſect.5.n.56.* Valentia *tom.4. diſp.7. qu.11.* Bellarmin. *lib.2. de pœn.cap.6.* Sanch. *de matrim.lib.2. diſp.36. n.8.* Peſantius *in addit. ad 3.p.de integritate Confeſſarij, q.10. diſp.11.* Pitigianus *in 4. tom.2.diſp.7.q.vnica, concl.4.* Reginald. *in praxi, tom.1. lib.8.c.3.n.28.* Coninch *de Sacram.diſp.7. dub.10. n.99.* Baſil. Pontius *de matrim.lib.4.c.25.n.8.* Monteſinus *in p. 2. diſp.29.q.5.n.176.* Filliuc. *tom.1. tract.7.c.5.n.120.* Ludouicus de ſan Iuan *in ſumma, part.1.tr.de pœn.q.5.art.19.* Henriq. *lib.5.c.2.§.7.* & alij.

Imò, exiſtimo in tali caſu poſſe Confeſſarium ſine conditione abſoluere. Nam ille, qui agens aliquam actionem, iudicat ſe non delinquere, abſolutè poteſt illam exercere; vnde quando Theologi aſſerunt, miniſtrandum eſſe Sacramentum ſub conditione, quando dubitatur de valore Sacramenti: id intelligendum eſt, in dubio propriè, non autem in opinionibus, vt eſt in caſu noſtro. Et ita ex multis aliis rationibus docet Sancius *in ſelectis, diſp.44. n.32.* qui etiam rectè, *n.35.* docet, in tali caſu ſub conditione impertiendam eſſe abſolutionem, nempe ſi ambiguitas intercederet, num ſigna ſint ex dolore orta, vel ex angore, & anguſtia mortis; cùm in tali caſu prodeſſe poſſit infirmo, & non obeſſe Sacramento; vitatur namque ſacrilegij periculum, conditione appoſita.

Notandum eſt etiam, quòd in tali caſu ſufficeret vnius teſtis fides, teſtantis infirmum ſigna pœnitentiæ indicaſſe. Neque talem iurare neceſſarium eſt, nec talem teſtem Chriſtianum eſſe oportebit.

*An reſponſor caſuum conſcientiæ poſſit conſulere in his, quæ pertinent ad vtilitatem interrogantis, iuxta aliorum opinionem, contra propriam?*

RESOLVT. XIV.

REſpondeo affirmatiuè cum Sayro *lib.1. cap.6. n.11.* Vaſquez *in p.2.tom.1. diſp.62. n.47. & diſp.63.n.14.* Sanch. *in ſumm.tom.1.lib.1.c.9.n.19* & aliis. Imo aliquando tenetur opinionem liberantem, & benigniorem interroganti

terroganti

terroganti declarare,quando de opinione liberante,& benigniori interrogatur à pœnitente,ſeu petente conſilium, vt docet Salas in p.2. tom.1 .tr.8.diſp.vnica,ſect.9. n.85. & ſect.10.num.95. Sanchez vbi ſupra, n.21. & Sancius in ſelectis, diſp.53. num.42.

Sed non grauabor hîc apponere verba Villalobos in ſumm.tom.1.tract.1. dub.12. num.2. [Aunque el confeſſor tenga vn opinion probable,y ſabe,que ay otra, que fauorece al penitente, la qual el penitente no ſabe, deue el Confeſſor ſeguir la que fauorece al penitente.] Itaque, vt cum Becano in p.2.tract.1.c.4.q.9.n.16. claudam hanc reſolutionem, dico, quòd debet vnuſquiſque ita conſilium præſtare, vt non mentiatur, non tamen neceſſe eſt, vt id conſulat,quod ipſe iudicat eſſe probabilius. Nam ſi interrogaretur quid ipſe ſentiat, eſſe verius, vel probabilius, tunc debet conſulere, quod ipſe iudicat eſſe verius, vel probabilius. Si autem ſolùm interrogaretur de practica obligatione, poteſt ſæpè conſulere id tanquam licitum, quod ipſe iudicat eſſe minus probabile. Nam conſilium magis ſpectat ad iudicium practicum, quàm ad ſpeculatiuum *Vnde ſæpè non ſolùm rectè,ſed etiam melius faceret,ita conſulendo,vt vel vtilitatis proximi rationem habeat, vel id conſulat, quod faciliùs, & cum minori periculo poteſt ab alio præſtari.* Hæc Becanus, multum conducentia pro reſponſoribus caſuum conſcientiæ.

Notandum eſt etiam, quod rectè Vaſquez in p. 2. diſp. 62.c.9.n.47.& diſp.63.cap.3.n.14.& Salas in p.2.tr.8.diſp. vnica,ſect.9.n.85. notauit, tunc poſſe virum doctum relicta opinione, quam probabiliorem credit,iuxta probabilem conſulere, quando petentem conſilium eximit, v. g. ab obligatione reſtitutionis,& alia quacunque; ſecus autem quando ipſum ad quippiam obligat. Vnde non eſt audiendus Sanchez in ſumma, tom.1. lib.1. cap.9. num. 21. qui contrarium docet.

# TRACTATVS XIV.

## De celebratione Miſſarum iuxta Decreta Vrbani VIII.

*An Epiſcopi vigore Concilij Trident. poſſint reducere Miſſas in fundatione appoſitas?*

RESOLVT. I.

RESPONDEO negatiuè. Et ita declarant decreta ſacræ Congregationis in Bull.§.2.Ratio eſt,quia Concil.loquitur de Miſſis & anniuerſariis defunctorum relictis,non autem de impoſitis in fundatione, & ita antea docuerant Homobonus in exam.eccleſ.part.1. tract.4. cap.14. quæſ.129.Riccius in praxi, tom.1. reſol.341. num.4. Ragucius in vaſe eccleſ. diſcipl. de Epiſcopis, quæſt. 6. num. 86. Piaſecius in praxi Epiſcop.part.2.cap.3.art.5.num.3.Vgolinus de poteſtat.Epiſc.cap.61.num.1.Franciſcus Leo in Theſ. for.Eccleſiaſt.part.2. c. 11. num. 33. Sorbus annot. ad compend.priuileg.ver. Miſſa 3.verſic. notandum. Garſias de beneſic.tom.2.part.7.c.1.num.131. & hanc ſententiam docuit etiam ex noſtris P. Naldus ver. Miſſa, n.8. cum Poſſeuino de offic.Curati,cap.12.num.25.

Ex his apparet, ſtante dicta declaratione Illuſtriſſimorum Cardinalium, modò non eſſe amplectendam opinionem Henriquez lib. 9. cap. 22. n.6. Mirandæ in manu. tom.1. q.41. art.... c. 24. & aliorum aſſerentium, potuiſſe Epiſcopum, ex vi Tridentini, Miſſas requiſitas in fundatione alicuius beneficij, reducere ad minorem numerum Miſſarum; nam,vt diximus, Concilium loquitur de Miſſis,& anniuerſariis, relictis in aliquâ Eccleſia, quæ vulgò dotationes dicuntur, non autem de Miſſis impoſitis beneficio, ſeu Capellaniis in fundatione.

*An poſſint Epiſcopi Miſſas, quæ poſt Concilium Tridentinum relictæ fuerunt, ad minorem ſummam reducere?*

RESOLVT. II.

AFfirmatiuam ſententiam docuit Naldus in ſumma, ver. Miſſa,n.9. Poſſeuinus de offic.curat.c.2.num.25. quæſt.9.Garſias de beneſ.tom.2.par.7.c.132.& alij.

Sed modò in decreto contrarium decernunt Cardinales in §.2.& ita antea docuerant Riccius part.4. deciſ.25. n.4.Rodriq.in qq.reg.tom.1.q.43.art.13. Hieron. à Sorb. in annot.ad compen.priuil.ver. Miſſa 3.Confertus in priuil. Mendic.tit.19. de celebr. Miſſ.cap. 3. Miranda in manual. pract.tom.1.q.41.art.4.& Paſſarellus canon.60. de remedio Miſſarum, ita ait reſpondiſſe etiam Congregationem Card.7.Febr.1573.Poſſunt igitur Epiſcopi reducere Miſſas ad ſummam minorem, ſi ante Concil. Tridentinum fuerunt impoſitæ: & ita nouiſſimè docuit Bonacina de Sacram.diſp.4.q.vlt.punct.7.§.2.n.11.

*An reductio Miſſarum ſit ab Epiſcopo facienda in Synodo?*

RESOLVT. III.

AFfirmatiuam ſententiam docet Bonacin. de Sacram. diſp.4.q.vlt.punct.7.§.2.n.9. Garſias de beneſic. tom. 2. par.7.cap.1. n. 134. & alij. Negatiuam ſequuntur Henriquez lib.9.cap.22.n.6.in gloſſa,litera P,Reginaldus tom. 2, lib.23.c.17.n.134.Barboſa de poteſt. Epiſc.par. 2. alleg.28. n.12. Molfeſius in ſumm.tom.1.tract.3.cap.37.n. 29. Nauarr.cap.25.n.138. Miranda in manuali Prælat.tom.1.q. 41. art.24.& alij.

Quid ego ſentiam, dicam breuiter. In multis Epiſcopatibus, decretum Conc.eſt receptum; in aliis verò non. Vbi non eſt receptum, procedit opinio negatiua; vbi eſt receptum, affirmatiua ſententia tenenda eſt. Nam Conc. Trident. præſcribit iſtam formam, nempe reductionem Miſſarum ab Epiſcopo faciendam eſſe in Synodo.

*An Generales Religionum poſſint abſque Capitulo, ſicut diximus probabiliter de Epiſcopis abſque Synodo, reducere Miſſas ad ſummam minorem?*

RESOLVT. IV.

REſpondeo negatiuè cum Barboſa de poteſt. Epiſcopi, part.2.alleg.28.n.12.Miranda tom.1. q.41.art.24.Rodriquez tom.1.q.43.art.13. Nauarr. cap.25. n.138. & alij. Ratio eſt, quia Epiſcopi id facere poſſunt ex iure communi, neque quoad eos Conc.ſtatuit ius nouum, ſed ſtatuit antiquum ſeruari; quò verò ad Abbates & Generales,ius nouum conſtituit.Ergo,&c.

*An prædicta facultas moderandi Miſſas, comprehendat etiam Anniuerſaria, & Officia pro defunctis?*

RESOLVT. V.

AFfirmatiuè reſpondit ſacra Congregatio Archiepiſcopo Neapolitano, vt Garſias de beneſic. tom. 1. part.7.cap.1.n.13. Naldus in ſumma,verb. Miſſa,num. 10. Galletus in Margarita caſuum conſcientiæ, verſ. Miſſa, num.4. Riccius in praxi part. 1. reſol. 341. num. 2. Piaſecius in praxi Epiſcop. part. 2. cap. 3. num. 15. & Stephanus Quaranta in ſumma bullarij, verb. Miſſa, & alij tradiderunt.

An



*An Generales Religionum poſſint diſpenſare, vt certarum Miſſarum cum multis collectis celebratione, plurium Miſſarum oneribus Regulares ſubditi ſatisfaciant?*

RESOLVT. VI.

REſpondeo, quòd hoc licitum erat,vt obſeruauit Rodriquez tom.1.q.43. art.13. Bartholomæus ab Angelis in exam.Confeſſ.dial.5.§.764. Fraxinellus de ſacerd.oblig. ſect.7 §.9. & Confertius ait,ex priuilegio Iulij II. & Leonis X. potuiſſe Regulares, ex diſpenſatione Generalis vnius Miſſæ celebratione, cum nouem collectis, vel inferioris numeri ſatisfacere pro nouem Miſſis,etiamſi ſpecialiter de Requiem,vel de aliis Sanctis dicendæ fuiſſent.Sed modò ſacra Congregatio in ſupradicta Bulla §. 4. reuocat ſimilia priuilegia,& indulta. Ergo,&c.

*Quando ſtipendium Miſſæ fuerit ab Epiſcopo, vel à conſuetudine taxatum, ſi petens Miſſam non det ſtipendium integrum, & iuſtum; an potuerit Sacerdos ab vno, vel à diuerſis tot parua huiuſmodi ſtipendia accipere, quæ iuſtæ eleemoſynæ æquiualeant, & vnum tantùm pro omnibus illis Miſſæ ſacrificium offerre?*

RESOLVT. VII.

AFfirmatiuam ſententiam docet Rodriquez in ſumm. tom.4.c.52.n.4. Corduba lib.1.q.4.dub.4. Angles in Flor.par.1.q. de valore Miſſæ,art.2. concl. 2. appen. 2. Nugnus in 3.p.tom.1.q.83.art.1. dub.9. concl.2. Fernandez in exam. Theol. moral.part.3.cap.5. §.9. n.3. Vaſquez in 3.p. tom.3.diſp.234.cap.3.n.18. Filliucius tom. 1. tract.5.cap. 6. num.188.Scorzia de ſacrific. Miſſ.lib.2.c.10. n.4. Fraxinellus,& Suarez vbi infrà. Et ratio eſt, quia iniuſta eſt eius poſtulatio, qui pro tenui ſtipendio totum peteret ſacerdotis obſequium, & cùm ipſi ſacerdoti manifeſta iniuria fiat,meritò poteſt ſe indemnem ſeruare.

Verum eſt, quod Corduba, Homobonus de Bonis in exam.eccleſ.par.1.tract.4. c.13. quæſ.118. & Fraxinellus de obligat.ſacerd.ſect.4. concl.2.§.2.n.1. limitant hanc ſententiam,& dicunt,non procedere,quando adſit expreſſa promiſſio,de dicenda Miſſa pro illo paruo ſtipendio,alioquin virtus fidelitatis violaretur.

Sed hæc limitatio, vt bene obſeruat Suarez in 3.part. tom.3.diſp.86.ſect.4. ſtando in rigore iuſtitiæ, non videtur neceſſaria,quia tali ſacerdoti fit iniuria. Cogitur enim ob paupertatem inæquale ſtipendium acceptare. Poteſt ergo, non obſtante priori pacto, ſe indemnem ſeruare;ſicut famulus,aut operarius, cui condigna merces non tribuitur, poteſt damnum ſuum reſarcire, etiamſi in principio ob paupertatem coactus ſit paciſci pro iniuſto, & inæquali ſtipendio, & ſimiliter, qui ob neceſſitatem cogitur triticum emere iniuſto pretio,poteſt ſine iniuſtitia,alia via, ſe indemnem ſeruare. Ita Suarez, & poſt illum noſter Molfeſius tom.1. tract.3. cap.17. n. 89. qui citat Reginaldum, & Mirandam. Ita vſque modò in hoc caſu probabiliter quis conſulere poterat.

Sed nunc contrariam opinionem docent Illuſtriſſimi Cardinales in decreto, §.3. & antea docuerunt multi DD. quos citat, & ſequitur Bonacina de Sacram. diſp. 4. q. vlt. punct.7.§.2.num.8. licèt pro ſua opinione adducat aliquos authores,potiùs contrariam ſententiam docentes.

*Vtrùm Sacerdos pauper poſſit pro vna Miſſa accipere tot ſtipendia, quot ſufficiant ad eius diurnam ſuſtentationem?*

RESOLVT. VIII.

AFfirmatiuam ſententiam probabilem putauit Ioan. de la Cruz in direct.conſc.par.2. de ſacrif.Miſſæ, q.1. dub.7.Ledeſma in ſum.p.1.de ſacram.Euchar.c.18. concl. 8. Molfeſius in ſum.tom.1.tract.3.c.16.n.17.& illam abſolutè docent,& ſuſtinent Sotus de iuſtit.lib.9.q.3. art.1. & in 4. diſtinct.15.q.2.art.1. Canus de loc.Theol.lib.12.c.13.ad 10. arg.Beia par.1.caſ.12. Dom. Montagnolus c. 26. Angelus ver. Miſſa,n.52.Rodriquez in ſumm.tom.1.cap.251.num. 4. & tom.4.c.52.n.5.Fernandez in exam.Theol.mor.par.3. c.5. §. 8. n. 3. qui citant & Honcalam,& Tabienam,Petrus de Aragon. in 2. 2. q. 85. art. 3. §. his tamen non obſtantibus, & nouiſſimè Didacus Nugnus in 3. p. tom.1. q. 83. art. 1. dub.10.concl.4.Debet tamen talis Sacerdos celebrare quotidie ſi poteſt,deinde debet eſſe contentus victu moderato,domo humili,veſte trita, licèt decenti, & quòd ſeruiat illi perſona ſtipendij. Aliqui volunt, quòd poſſit etiam accipere ad emendos aliquos libros,ſi ille Theologus, vel Iuriſta ſit, & libri illi ſint neceſſarij ad exercenda aliqua miniſteria ſpiritualia, ſi conueniens eſt, & vtile Eccleſiæ, quòd talis Sacerdos exerceat illa miniſteria.

Deinde, ſecundùm aliquos poteſt etiam talis Sacerdos accipere id quod neceſſarium eſt ad ſuſtentãdum patrem, & matrem, quando ſunt conſtituti in tali neceſſitate, quòd non poſſint ſuſtentari, niſi mendicando. Quia ſicut non decet Sacerdotem mendicare; ita non decet patrem,& matrem illius,hoc facere: tenetur enim Sacerdos illos domi habere, & neceſſaria ad victum tribuere. Hæc ferè omnia Nugnus vbi ſuprà, & ante illum, ſapientiſſimus magiſter Orellana apud Vegam in ſumm.tom.2. c.41. caſ.1. & ipſe Vega.

Sed hæc opinio modò corruit. Nam ſacra Congregatio in decretu, §.3. ſub obteſtatione diuini iudicij mandat, ac præcipit, vt abſolutè tot Miſſæ à Sacerdotibus celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint.Ita vt ij ad quos pertinent,ſuæ obligationi non ſatisfaciant; quinimò grauiter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.

Etiam hanc ſententiam priùs communiter docuerunt DD. Pitigianus in 4. ſent. tom.1. diſp.13. q.2.art.6. in fine. Filliuc.tom.1.tr.5.c.6.n.188. Ioan.de la Cruz, Ledeſma, Molfeſius vbi ſupr.Naldus verb.Capellania, n.11. Miranda tom.1.q.41.art.23.concl.5. Leſſius lib. 2. c.24. dub.5. n.28. Nauar.c.25.n.92. Poſſeuinus de offic. Cur. c.2. n.24. Fraxinellus obligat.ſacer.ſect.4.concl.2.§.3. Azor. part.3. lib.12. c.6.q.2.Suar. in 3.p.tom.3.diſp.88. ſect.4. Vaſquez in 3. p. tom.3.diſp.234.cap.2. & alij penes ipſos; nam Sacrificium Miſſæ non eſt inſtitutum ad ſuſtentandam Sacerdotis vitam,quia Sacerdos promoueri nequit,niſi habeat patrimonium ſufficiens, vt patet ex c.non licet, & c. Epiſcopus, de praben. Ergo,&c. Deinde,non eſt iuſtum,vt Sacerdos, qui operam ſuam locat tantummodo ad ſemihoram, in qua totum Miſſæ ſacrificium abſoluit, exigat integrum cibum diurnum, cùm tantùm per ſemihoram laboret.

*An Sacerdos in diebus feſtiuis poſſit accipere pro vna Miſſa duplicatum ſtipendium?*

RESOLVT. IX.

AFfirmatiuè reſpondet Homobon. de Bonis in exam. Eccl.p.1.tr.4.c.13. q.120. & in hanc opinionem videtur inclinare Bonacina de Sacram. diſp.4. q.vlt. punct.8. n.121. Et ita determinauit Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanenſis in ſummario, deciſ.7. quam inuenies apud Fraxinellum de oblig. Sacerd. poſt ſect. 5. fol.mihi 101. Sed hæc opinio damnatur in decreto Cardinalium, in §.3.

*An Sacerdos, qui eleemoſynam accepit, pro dicendis Miſsis, poſſit poſtea per alios ſatisfacere minori pitantia, ſine peccato, & onere reſtitutionis?*

RESOLVT. X.

TRes præcipuas inuenio in hac materia DD. opiniones.Prima eſt Dominici Soto lib. 1. de iuſt. q.3. art.1.

Rodriquez

Rodriquez in ſum.tom.1.c.243. n.12. Suarez in 3. p.q.83. art.6.diſp.86.ſect.3.verſ.hac verò occaſione, & aliorum aſſerentium, Sacerdotē licitè id facere, nec ad aliquam reſtitutionem teneri; dummodo ipſe ſit Curatus, aut eius populi curam habens, nam cùm talis Sacerdos, vt ſupponitur, iuſtum ſtipendium aliis concedat, nulli facit iniuriam, ſi ipſe pro cura, onere, & ſollicitudine reliquum ſibi retineat.

Secunda opinio eſt Viguerij apud Bartholomæum ab Angelis in exam. ordin.dial.1. §. 510. Petri de Ledeſma in ſum.tom.1.de ſacram. Euchar.c.18. concl.13. qui citat Nau. Cordub. & Maiorē, Anton.Fernan. in exam.Theol.mor.p.3. c.5.§.9.n.6. Petri de Aragon. in 2.2.q.85.art.5.dub.vlt. Lucij Ortiz. in ſum.c.16.n.76. & aliorum aſſerentium, omnes Sacerdotes, tam habentes, quàm non habentes curam animarū, non poſſe aliis minora ſtipendia dare, & ſibi aliquid retinere. Limitant tamen hanc ſententiam, niſi ex lege, vel conſuetudine, vel ex voluntate, ſaltem tacita, commendantium, dantiúmque maiora ſtipendia, ſit ordinatum, atque receptum, vt aliqua pars illorum remāneat penes ipſos.

Tertia opinio, cui tanquam probabiliori adhærebam olim, eſt Gabrielis Vaſquez in 3.p.tom.3.diſp.234.c.4.n.30. Naldi in ſum.verb. Miſſa, n.4. Homoboni de exam. Eccleſ. part.1.tract.8.c.14.q.131. Fraxinelli de oblig.Sacerd. ſect.3. prænot.5.§.4.n.1. Emmanuelis Sà ver. Miſſa, n. 45. & aliorum, qui docent opinionem affirmatiuam, etiam quoad omnes Sacerdotes, ſiue ſint Curati, ſiue non; duabus tamen concurrentibus conditionibus.

Prima eſt, vt talia ſtipendia ipſi dentur Sacerdoti pro Miſſis ab eo celebrandis, vt ſic ipſe Sacerdos dominiū dictorum ſtipendiorū acquiſierit, & non ſit ſimplex diſpenſator, vt Miſſarum dicendarū curator. Secunda eſt, vt eam partem ſtipendij pinguioris alteri Sacerdoti præbeat, quæ ſit iuſtum ſtipendium, lege, aut conſuetudine præfinitum. Quibus ſuppoſitis, hæc ſententia probatur, quia Sacerdos dominiū accepti pinguioris ſtipendij, acquiſiuit cum obligatione dicendi Miſſas pro alio: ergo, vt dominus, dato iuſto ſtipendio, per alium Sacerdotem obligationē adimplendo, nullam iniuſtitiam committit. Confirmatur: nam Sacerdos, qui ex dato ſibi pingui ſtipendio, mercedē iuſti ſtipendij, pro Miſſa dicenda dat alteri, nulli infert iniuriam: non quidem alteri Sacerdoti celebraturo, quia datur ei iuſtum ſtipendium, neque illi pro quo celebranda eſt Miſſa, quia pro eo Miſſa offertur eiuſdem valoris ex iſto ſtipendio, ac ſi ex pinguiori diceretur. Ergo licitè eam partem, iuſtum ſtipendium excedentem ſibi retinet.

Sed dices, licitum hoc etiam videtur illi Sacerdoti, qui ſtipendium accepit, vt curaret Miſſas dicere, nam etiam talis diſpenſator Miſſarum dat Sacerdotibus celebraturis iuſtum ſtipendium; ergo nulla eis infertur iniuria, & iniuſtitia. Reſpondeo, negando conſequentiam: infertur enim illis iniuria, non quia illis non tribuitur iuſtum ſtipendium, ſed quia totum ſtipendium, quod ex voluntate donantis ad ipſos pertinebat, minimè datur. Ita olim circa præſentem quæſtionem ſentiebam.

Sed modò ſacra Congregatio in §. 5. contrarium determinat, ſic enim ait ſacra Congregatio, omne damnabile lucrum ab Eccleſia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eandem Miſſam alteri, parte eiuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat. Vltra DD. citatos alios inuenies hanc quæſtionem tractantes, qui ſunt, Riccius in praxi, p.2.reſol.363.num.1. & 2. Naldus ver. Miſſa, num. 20. Ioan. de la Cruz in direct. conſc.1. 2. q.1. dub.... concl.1. Cenedus in qq. Canonicis, q.17. per totam. Iterum Riccius par. 3. reſol.309. per totam, n.30. Valerus in differ. vtriuſque fori, ver. Miſſa, differ.1. per totam. Rodriquez in ſumm.tom.4.cap.52.n.2. Filliucius tom.1.tract.5.c.6. n.186. Molfeſius in ſumm.tom.1.tract.3.c.16.n.20. Vega in ſumm. tom.2.cap.41.caſ.3. Hieron Llamas in 3. p. Methodi, c.13. §.18 Guttierrez lib.1.can.qq.cap.29.n.32. Zanardus in directorio theol.p.1. tract. de Euchariſt.c.13. n.7. Syluius in 3.p. quæſt.83.art.1.quæritur 17. in fine, & alij.

*An ſupradicta prohibitio extendatur ad Capellam, cui pro paucis Miſſis dicendis pingue ſtipendium reſpondet, ſi per alium Sacerdotem Sacra efficiantur, data ei ſtipe iuſta, & conſueta?*

RESOLVT. XI.

PVto, quòd Decreta ſacræ Congregationis in hoc caſu non extenduntur: quia illud reliquum retinetur titulo beneficij & Capellaniæ, non enim tribuitur tantùm pro Miſſis dicendis. Vide Philiarchum in ſum. p.1. lib.2. c.14. Cenedum in qq.Can. quæſt.27. n.12. in fin. Poſſeuinum de offic.cur.cap.2. num.18. Ledeſmam in ſumm. tom.1. de Euchar.cap.19.concl.13. & Doctiſſimum Villalobos in ſumma par.1.tract.8.diffic.17.num.1. Et tandem ita declarauit ſacra Congregatio.

*An Sacerdos, qui à viro amiciſſimo accepit pro dicenda Miſſa duplicatum ſtipendium, poſſit per alium Sacerdotem ſatisfacere, dato ei iuſto ſtipendio?*

RESOLVT. XII.

REſpondeo cùm diſtinctione. Vel enim illud duplicatum ſtipendium datum fuit præcisè, & ſimpliciter pro Miſſa: vel datum fuit non ſolùm pro Miſſa dicenda, ſed etiam intuitu perſonæ, quæ Miſſam celebrare debebat, vtpote, quia amicus, vel coniunctus. Si in primo caſu, puto non ſatisfacere, ſecus autem in ſecundo.

*An Sacerdos qui per alterum Sacerdotem Miſſam celebrare facit, poſſit retinere exceſſum conſueti ſtipendij, ſi ſponte condonetur?*

RESOLVT. XIII.

REſpondeo affirmatiuè, dummodo exceſſus ſtipendij alteri Sacerdoti manifeſtetur, & illud plus ſcienter ab illo & gratis relaxetur: & ita nemini dubium eſt, vt notat Ioan. de la Cruz in direct. conſcient. p. 2. de ſacrificio Miſſæ, quæſt.2. dub.8. concl. 1. & Homobon. de exam. Eccleſ.par.1.tract.4.cap.14. quæſt.191. Sacerdotem poſſe ſibi retinere pecuniam, quam pro ſacro faciendo accepit, ſi illud gratis ab alio fieri procuret.

Et Villalobos in ſumm.p.1.tract.8.diff.15.num.4. aſſerit, Epiſcopum non poſſe ordinare, quòd Sacerdotes non dicant Miſſas pro minori ſtipendio à lege taxato, nam vnuſquiſque poteſt liberè condonare quicquid vult; & ita in deciſione huius dubij (licèt immeritò his diebus aliqui contradixerint) mecum conſentiunt multi viri docti Societatis IESV, & noſtræ Religionis, de hac re à me conſulti, quibus adde Illuſtriſſimum de la Riba Vicarium Generalem, etiam de hac re à me conſultum.

*An Sacerdos poſſit duplex ſtipendium pro vna Miſſa accipere, applicando vni partem ſolitam, & alteri ſuam partem?*

RESOLVT. XIV.

AFfirmatiuam ſententiam tuentur Molfeſius in ſumm. tom.1.tract.3.c.15.n.40. Bartholomæus ab Angelis in exam. Confeſſ.dial.5. §. 507. & multos graues viros docuiſſe hanc ſententiā, notat Homobonus de exam. Eccleſ. p.1.tract.4.c.13.q.125. quam ipſe etiam probabilem vocat, & Gauantus in comm. ad Rubr. Miſſ. tom.1.par.3. tit. 12. num. 29. contrariam ſententiam, quam ipſe tenet, vocat probabiliorem. Ergo hæc ſententia eſt probabilis.

Et illam cum aliqua limitatione docet etiam Filliucius tom.1.tract.15.cap. 6. num. 151. vbi ex Nauarr. aſſerit ſacrificantem poſſe partem ſacrificij ſibi debitam applicare



applicare iis, pro quibus teneretur. Sed quia neſcitur quāta ſit, addit, arbitrari partē trium Miſſarum poſſe ſupplere vni, quæ dicēda eſſet, & applicanda tota vni; quod ſeruare poterunt ij, qui cùm receperint multa ſtipendia, non poſſunt omnibus ſatisfacere. Ratio huius opinionis hæc eſt, quia vt obſeruat Henriquez lib.9.cap.21.n.7. valor Miſſæ ſpecialis, qui competit Sacerdoti, eſt eiuſdem rationis cum valore medio, qui competit illi, pro quo offertur propter ſtipendium ſacrificij Miſſæ, & poteſt dictum valorem ſpecialem Sacerdos alteri applicare, quod etiam tenet Naldus in ſum.ver. Miſſa, n.12. Philiarchus in ſum. par.1. lib.2.cap.14. Fernandez in exam. Theol. mor. part.3. cap.5. §.2.n.4. Sotus in 4.diſt.11.q.2. art.5. & diſt.13. q.2.art. 1. Nauarr. c.25. num.92. & 111. Scorzia de ſacrificio Miſſæ, lib.1.c.9.n.2. Nugnus in 3.part.tom.1.q.83. art.1. dub.3. in fine, & alij, licèt non minùs probabiliter Bonacina de Sacram.diſp.4.q.vlt.punct.8.n.16. Suarez in 3.p. tom. 2. diſp. 79. ſect. 9. in fine, & alij contrarium aſſerant. Sed circa præſentem quæſtionem vide infrà in reſol.80.

*An Sacerdos pauper, qui pro die occurrenti non habet eleemoſynam pro Miſſa celebranda, poſſit Miſſam celebrare, & illam applicare primo offerenti ſtipendium, quem Deus ſcit futurum primum?*

RESOLVT. XV.

AFfirmatiuè aliqui viri docti reſpondent. Ita Henriquez lib.9.c.21.n.2. Vega in ſumm.tom.2. c.41. caſ.5. Fernandez in exam.Theol.mor.p.3.c.5. §.9. n.5. Fraxinellus de oblig.Sacerd.ſect.5.prænot.5.§.5. n.1. Petrus de Aragona in 2.2.quæſt.85. art.3. Petrus à Nauarr. de reſtit. lib.2. c.2. n.373. Rodriquez in ſumm.tom.1.cap.242.num.9. Henriq. lib.8. cap.21. n.2. & alij quamplures recentiores, quorum ſententiam probabilem vocauit noſter Molfeſ. in ſumm. tom.1.tract.3.c.16.n. 28. & Reginald. in praxi, tom.2. lib. 23.c.17.n.233. Ratio eſt, quia licèt opus illud ſit præteritum reſpectu noſtri, in Dei tamen acceptatione, & æternitate eſt præſens, vnde reſpectu Dei acceptantis eſt ita recens, & præſens, ac ſi eodem momento offerretur.

Sed his non obſtantibus, contrariam ſententiam docuerunt Riccius in praxi, p.3.reſol.361.n.3. Barboſa de poteſt. Epiſc.p.2.alleg.24.n.12. Homob. de exam. Eccleſ.part. 1.tract.4.c.14.quæſ.130. Ioan.de la Cruz in direct. conſc.p. 3.de ſacrif.Miſſæ.q.1. dub.8. concl.1. Fagundez de præcept. Eccleſ.p.1.lib.9.cap.9.n.10. Corduba lib.1. q.4. dub.6. Coninch de Sacram. q.83. art.5. dub.9.n.168. Filliuc. tom. 1. tract.5.c.3.n.79. Molfeſius, Reginaldus, Suarez, & nouiſſimè mordicùs docet hanc ſententiam doctiſſimus Petr. Cenedo in qq.Canonicis, q.28.num.6.

Et licèt Illuſtriſſimi Cardinales in decreto Vrbani VIII. nihil de hac quæſtione attingant, tamen antea ex mandato Clementis VIII. ſub die 15. Nouembris 1605. ſententiam ſuperiùs poſitam, tamquam pluribus nominibus periculoſam, fidelium ſcandalis, & offenſionibus obnoxiam, atque à vetuſto Eccleſiæ more nimium abhorrentem improbarunt, & condemnarunt. Declarationem Cardinalium adducit de verbo ad verbum Cenedus vbi ſuprà, & Riccius.

*An detur aliquis caſus, in quo Sacerdoti liceat Miſſas celebrare anticipatè?*

RESOLVT. XVI.

REſpondeo dari, & erit, ſi ex obligatione alicuius Capellæ, teneatur Miſſas certas ſingulis hebdomadis celebrare, vel in poſterum prò certa intentione, quia tunc ſi aliter non exprimatur in fundatione Capellaniæ, poteſt Sacerdos in antecedente hebdomada tales Miſſas celebrare. Ita Riccius in praxi p.3.reſol.338. Petrus de Ledeſma in ſum.p.1.de Sacram. Euchar.c.18. concl.17. Rodriquez in ſum.tom.1.c.253.n.8. Reginald. in praxi, tom.3. lib. 23.c....n.237. & alij, licèt Fernandez reſpondeat cum diſtinctione in exam.mor.Theol.p.3.c.5.§.9.n.5.

*An ſi Petrus reliquit centum aureos pro centum Miſſis, in aliqua Eccleſia celebrandis, ſi augeatur ſtipendium præſtandum Sacerdotibus, teneatur hæres data capacitate hæreditatis ſupplere illam eleemoſynam.*

RESOLVT. XVII.

REſpondeo affirmatiuè, quia teſtator non reliquit pecuniam ſimpliciter pro eleemoſyna ſoluenda, ſed pro Miſſis celebrandis, & ſi præuidiſſet augmentum ſtipendij, non diminueret Miſſarum numerum, quia hæreditas eam eſſet ſuffectura. Ita Homobonus de Bonis in exam.Eccl.p.1.tract.4.cap.13.q.118. Riccius in praxi p. 3. reſol.364.n.1. Genuenſis in practicabilibus Eccleſ. tricen.6. q.179. Barboſa de poteſt. Epiſc.p.2.allegat.29.n.7. & alij.

*An Epiſcopus poſſit compellere Capellanum, vt per ſe ipſum celebret, ſi in fundatione poſitum ſit, quòd Capellani celebrent?*

RESOLVT. XVIII.

COngregatio Cardinalium reſpondet negatiuè his verbis: Epiſcopus non poteſt compellere obtinentem Capellam, vt ipſemet celebret, licèt in eius fundatione diſponatur, quòd Capellani celebrent, nam iſtis oneribus Miſſarum, rectè per ſubſtitutum ſatisfit.

Hanc declarationem ponit Homobonus in exam. Eccleſ.p.1.tract.4.c.13.q.122. Bonacina de Sacr. diſp.4. q. vlt. punct.7.§.1.n.1. Campanil. in diuerſ.iur.Can.Rubr.7. c.6.n. 13. Barboſa de poteſtate Epiſcopi.p.2.alleg.24. n. 29. & alij penes ipſos, cum Piaſec. in prax.p.2.c.3.art.5. num.4. vbi etiam notat, quòd tunc taliter beneficiatus, vel Capellanus poſſet cogi ad presbyteratum, quando in fundatione exprimeretur, quòd debeat eſſe actu Sacerdos, & per ſe ipſum ſeruire in beneficio.

Nota etiam Capellaniam non eſſe ſacerdotalem, nec actu, nec aptitudine, ſi in fundatione dictum ſit Capellanum debere celebrare Miſſas, & ita poteſt prouideri ſimplici clerico annorum 14. Nam niſi expreſsè caueatur à teſtatore, quòd Sacerdos per ſe ipſum hoc agat, ſemper poteſt per alium celebrare. Vide Gonzales ad reg. 8. Cancel. gloſſ. 5. n. 24.

*An ſimplex Sacerdos, nullo impedimento detentus, peccet mortaliter non celebrando, modò communicet in Paſchate, nec adſit ſcandalum, vel contemptus?*

RESOLVT. XIX.

PEccare mortaliter reſpondit Ioan.de la Cruz in direct. p.2.de ſacr. Miſſæ, q.1.dub.2. concl.2. Villalobos in ſum. p.1.tract.7.dub.49.n.1. Homobonus in exam. Eccleſ. p. 1. tract.4.cap.14.q.133. Spina in ſpecul.teſtam.gloſſ.3.num.63. & alij DD. communiter.

Sed contrariam ſententiam probabilem puto cum Bonacina de Sacram.diſp.4.quæſt.vlt.punct.7.n.10. & illam docet D. Bonauen. in 4.diſt.12. art.2. quæſ.2. Victor. in ſum. num.94. Caietan. & alij.

Nota verò, quòd DD. pro contraria ſententia citati docent ſimplicem Sacerdotem ter, aut quater celebrantem in anno, & præcipuè in die Natalis Domini, Reſurrectionis, & Pentecoſtes minimè peccati mortalis reum eſſe, nec teneri aliis vicibus celebrare. Vide Fernandez in exam. Theol moral. part.3. cap.5. §.6.num. 1. & Pitigianum in 4. tom.1.diſt.13.quæſt.2.art.1.

*An Sacerdos, Corpus Chriſti ab alio miniſtro, pro deuotione, ſeu in die Paraſceues ſumens, debeat ſtolam Eccleſiaſtico præcepto adhibere.* cap. Eccleſiaſtica. diſt. 23.

RESOLVT. XX.

AFfirmatiuè reſpondet Naldus *in ſum. verb. Miſſa, n. 6. & ver. Sacerdos, n. 6.* Homob. *de exam. Eccleſ. tr. 4. part. 1. c. 11. quæſ.* 106. ſi Sacerdos ſit in his partibus Italiæ, cùm paſſim in hac prouincia hoc obſeruetur.

Sed Azorius *p. 1. lib. 10. c. 28. q. 12.* contrarium aſſerit: putat enim, huiuſmodi decretum eſſe vſu abrogatum. Et hanc ſententiam docet etiam Pitigianus *in 4. tom. 1. diſt. 13. quæſt. 2. art. 5. in fin. fol. 610.* & nouiſſimè Gauantus *in comment. ad Rubr. Miſſ. tom. 1. p. 4. tit. 8. n. 7.*

*An ſi feſtum Annunciationis veniat in die Sabbathi maioris hebdomadæ, ſint in illa die celebrandæ plures Miſſæ in Eccleſiis?*

RESOLVT. XXI.

HOc dubium poteſt in praxi ſæpius contingere; & ego puto vtramque opinionem, nempe affirmatiuam, & negatiuam eſſe probabilem. Negatiuam docuit Villalobos *in ſum. p. 1. tract. 8. dub. 20. n. 4.* & quia Codex rarus eſt, ponam eius verba. [ El año de 1606. que cayo la annonciacion en Sabado conſulto el Obiſpo de Salamanca letrados para eſtè caſo, y reſoluieron, que no ſe dixeſſe, y lo miſmo fue en Valladolid adonde eſtaua à la ſazon la corte, y no ſabeños que en parte ninguna ſe aya hecho lo contrario. ]

Sed contrariam docuit doctiſſimus Ledeſma *in ſumm. tom. 1. de ſacram. Euchariſt. c. 19. concluſ. 5.* Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 3. c. 5. §. 5. n. 2.* Syluius *in 3. p. q. 83. art. 2.* noſter Molfeſ. *in ſum. tom. 1. tract. 3. c. 17. n. 41.* & nouiſſimè Ioan de la Cruz *in direct. conſc. part. 2. in ſacr. Miſſæ, q. 2. dub. 2. concluſ. 1.* vbi aſſerit: [ Anno 1617. occurrente feſto Annunciationis in Sabbatho ſancto plures Miſſæ celebratæ ſunt in ſingulis Eccleſiis Toletanæ Diœceſis. ]

Si petas verò, quænam Miſſa dicenda ſit in illa die, Reſpondit Ledeſma *vbi ſuprà*, vel Miſſa B. Virginis, vel Miſſa ordinaria illius diei, cum introitu tamen Miſſæ Reſurrectionis ſequentis diei. Rationes verò pro parte negatiua huius dubij, inuenies apud Vaſq. *in 3. part. tom. 3. q. 83. art. 3. diſp. 233. c. 2. n. 23.* Pro parte verò affirmatiua apud Suarez etiam *in 3. p. tom. 3. diſp. 80. ſect. 2. ver. tertius dies.* Vide etiam Pitigianum *in 4. tom. 1. diſt. 13. q. 2. art. 2.* Ego autem conſulerem ſententiam affirmatiuam. Vide etiam circa præſentem quæſtionem, Gauant. *in comment. ad Rubr. Miſſal. tom. 1. part. 4. tit. 10. n. 43.*

*An Sacerdos excommunicatus celebrans, committat duplex peccatum, non præmiſſa confeſſione, ſciens ſe teneri vinculo peccati, & cenſuræ?*

RESOLVT. XXII.

AFfirmatiuam ſententiam docet Homobonus *de exam. Eccl. p. 1. tract. 4. c. 16. q. 147.* Molfeſius *in ſum. tom. 1. tract. 3. c. 8. n. 88.* Suarez *in 3. p. tom. 3. diſp. 66. ſect. 1. concluſ. 1.* Bonacina *de Sacram. diſp. 4. q. 6. punct. 1. num. 34.* cum Nugno, Henriquez, & aliis.

Sed contraria videtur etiam probabilis, quam tuetur Vaſq. *in 3. p. tom. 3. diſp. 106. c. 1. n. 6.* quia talis Sacerdos excommunicatus celebrans, non facit contra duas obligationes ſpecie diſtinctas, quia in hoc caſu, lex humana poſitiua prohibet idem, quod lege diuina prohibitum erat ob eandem rationem, quam motiuam nominat, & ita prohibitio accedendi ad hoc ſacramentum, intuitu Religionis exhibetur. Ideo Sacerdos, neque vt duo peccata, neque vt circunſtantiam aggrauantem, eiuſmodi circunſtantias confiteri tenetur.

*An Sacerdos, qui miniſtrat aliis cum peccato mortali in Miſſa, vel extra Miſſam, ſacram Euchariſtiam, peccet mortaliter?*

RESOLVT. XXIII.

AFfirmatiuè reſpondet Valentia *tom. 4. diſp. 9. q. 10. punct. 1.* Suarez *in 3. p. tom. 3. ſect. 16.* Coninch *de Sacram. q. 64. art. 6. dub. 1. n. 35.* Villalobos *in ſum. p. 1. tract. 4. du. 14. n. 2.* Filliuc. *to. 1. tr. 4. c. 9. q. 9. n. 271.* & alij cōmuniter.

At contrariam opinionem probabilem puto cum Syluio & Cabrera *in 3. p. q. 64. art. 6.* & illam docet Vaſquez *in 3. p. tom. 2. diſp. 136. c. 3. n. 38.* Petrus de Rayna *in ſumm. Sacram. tract. 4. n. 6.* Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. p. 2. q. 4. dub. 3. concl. 1.* Ledeſma *in ſum. tom. 1. c. 6. concl. 8. diffic. 5.* Nugnus *in 3. part. tom. 1. q. 64. art. 6. diffic. 1. concl. 2.* & alij, nempe talem Sacerdotem in peccato mortali miniſtrantem, non peccare mortaliter. Ratio eſt, quia qui miniſtrat Euchariſtiam conſecratam, non eſt miniſter Dei, ad iuſtificationem proximè, ſicut in aliis Sacramentis, ſed tantùm eſt veluti applicans actiua paſſiuis: in aliis autem Sacramentis, Sacerdos ſimul conficit, & miniſtrat Sacramentum, non autem in hoc, non enim idem conficere, & aliis miniſtrare. Cætera verò Sacramenta in actione & vſu conſiſtunt, ſacramentum verò Euchariſtiæ poſt conſecrationem permanet. Ergo, &c.

*An Sacerdos celebrans in peccato mortali, peccet tripliciter, nempe, quia indignè conſecrat, indignè offert, & indignè ſumit Corpus CHRISTI?*

RESOLVT. XXIV.

REſpondeo negatiuè cum Azorio *p. 1. lib. 10. c. 31. q. 11.* Homobonus *de exam. eccl. p. 1. tract. 4. c. 16. quæſ.* 147. Henriquez *lib. 8. de Euchar. c. 45. n. 2.* Fagundez *de præcep. Eccl. lib. 3 c. 5. n. 8.* Et addunt rationem, quia conſecrare, offerre & ſumere Sacramentum ſunt actus ſubordinati ad rectam ſumptionem, ſed diuerſi actus, quando alij aliis ſubordinantur, non efficiunt diuerſa peccata, vt docet D. Thom. *in part. 2. q. 72. art. 6.* Ergo, &c.

Et licèt multi putent, in hoc ſacrilegio tres eſſe peccati prauitates, puto tamen vnius tantùm peccati adeſſe deformitatem, nam Miſſa vnum eſt ſacrificium, licèt ex tribus partibus ſit confectum, conſecratione videlicet, obligatione & ſumptione, igitur, ſicut ſupradictæ partes vnum conſtituunt ſacrificium, ita Sacerdos in peccato celebrans, vnum tantùm peccatum admittit, quod tribus in partibus conſiſtit, nempe in indigna conſecratione, indigna oblatione, & indigna ſumptione.

Et hanc opinionem probabilem vocat Nugnus *in 3. p. tom. 1. q. 82. art. 5.* licèt ipſe putet, Sacerdotem celebrantem in mortali peccare duplici peccato, & quia conficit, & quia ſumit Sacramentum.

Nota etiam ex eodem Azorio cum multis aliis, quos adducit Bonacina *de Sacr. diſp. 4. q. 6. punct. 1. n. 33.* Sacerdotem celebrantem in peccato non committere duo peccata, vnum videlicet, quia celebrat in peccato, & alterum, quia omittit confeſſionem illius peccati. Ratio eſt, quia confeſſio in illo tempore, obligat in ordine ad communionem, & vbi eſt vnum propter aliud, eſt vnum tantùm, licèt contrarium doceat noſter Molfeſius *in ſum. tom. 1. tract. 3. c. 8. n. 90.* & alij.

Ex his apparet, me olim rectè reſpondiſſe, quemdam Sacerdotem, qui celebrauit Miſſam in peccato mortali, & ſacram Euchariſtiam non ab ipſo conſecratam quampluri mis diſpenſauit, vnum tantùm peccatum commiſiſſe.





*An Sacerdos peccet mortaliter differendo celebrationes Miſſarum ad longum tempus?*

RESOLVT. XXV.

COmmuniter affirmatiuè reſpondent DD. quos citat & ſequitur Bonacina *de Sacram. diſp. 4. q. vlt. punct. 7. §. 5. num. 2.* & præter illos docet etiam hanc ſententiam Homobonus *in exam. Eccleſ. par. 1. tract. 4. c. 14. quæſ.* 132. Fernandez *in exam. Theol. p. 3. c. 5. §. 11. n. 4.* & alij.

Sed quod tempus ſit ita longum, vt mortale peccatum conſtituat, non explicant, & in hoc eſt difficultas, & Sacerdotes ſunt anxij. At Villalobos *in ſum. part. 1. tract. 8. dub. 18. n. 2.* explicauit. Et quia codex rarus eſt, ponam eius verba: [ Pareceme podria vn Sacerdote cagarſe de 50. ò 60. Miſſas, y dichas aquellas, de otras tantas. A eſte tono podran los Conuentos encargarſe mas, ò menos, conforme al numero de Sacerdotes, que tuuieren. ] Idem docet etiam Ledeſma *in ſum. tom. 1. c. 18. concl. 17.*

*An Parochus teneatur celebrare pro ſuis ouibus, & quoties, & an teneatur illis aliquas Miſſas applicare?*

RESOLVT. XXVI.

REſpondeo Curatum debere in diebus Dominicis, & in feſtis, quibus populus tenetur audire Miſſam, celebrare per ſe, vel per alios ex iuſta cauſa. Ita Villalobos *in ſum. p. 1. tract. 8. dub. 14. n. 5.* Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. p. 2. de ſacr. Miſſæ, q. 1. dub. 8. concl. 3.* Syluius *in 3. p. q. 83. art. 1. quæritur 17.* & alij.

Sed licèt, vt diximus, teneatur celebrare in his diebus, non tamen infertur, quòd teneatur pro populo dictas Miſſas applicare, & ideo poteſt ſtipendium ab aliis pro ſupradictis Miſſis, ſine ſcrupulo accipere, niſi adſit conſuetudo in contrarium. Contra Nugnum *in 3. part. tom. 1. q. 83. art. 1. dub. 9. concl. 2. fol. mihi 501. col. 1.* Parocho enim, vt bene obſeruat Syluius *vbi ſuprà*, non debentur prouentus paſtorales præciſè, vt celebret ad intentionem populi, ſed ratione totius officij paſtoralis.

Et etiamſi adſit, putat Poſſeuinus *de officio Curati, c. 2. n. 4.* & Fraxinellus *de oblig. Sacerd. ſect. 3. concl. 2. §. 1. n. 4.* & alij, hanc conſuetudinem non obligare ſub mortali, quando de hoc onere non conſtat ex tabulis Eccleſiæ, vel ex præcepto Epiſcopi, cùm in præiudicium alicuius non ſit inducenda obligatio, ſine claris probationibus. Circa hanc quæſtionem vide etiam Vaſquez *in 3. p. tom. 2. diſp. 232. c. 1. num. 12.* Suarez *in 3. p. tom. 3. diſp. 86. ſect. 1.* Filliucium *tom. 1. tract. 5. c. 6. n. 174.* & alios.

*An Capellanus ægrotans per aliquot dies, teneatur per alium Sacerdotem Miſſas celebrare?*

RESOLVT. XXVII.

NEgatiuè reſpondent DD. Sed difficultas eſt aſſignare numerum dierum, Molfeſ. *in ſum. part. 1. tract. 6. c. 1. n. 79.* Riccius *in par. 1. reſol. 340. num. 5.* Graffius *tom. 2. conſ. lib. 3. de præben. diff. 2. n. 5.* Fraxinellus *de obligat. Sacerd. ſect. 4. concl. 4. §. 13.* Barboſa *de poteſtate Epiſcopi, p. 2. alleg. 24. n. 31.* Homobon. *de exam. Ecc. par. 1. tract. 4. c. 13. q. 122.* putant hanc ſententiam eſſe admittendam, ſi Capellanus ægrotaret per octo, vel decem dies. Petrus à Nauarra *de reſtitutione, lib. 2. cap. 2. num. 110.* ſi per ſpatium vnius, vel duorum menſium Capellanus ægrotaret, non obligat illum ad celebrandum. Non enim (aſſerit) credibile eſt, fundatorem voluiſſe ita ſtrictè obligare, cùm ſuam mentem non explicaret, nec certè eſt rationabile tantùm emungere. Sic ille, & Naldus *in ſum. ver. Miſſa, n. 11.* Quorum ſententiam impugnat Genuenſis *in praxi cap. 47. num. 2.*

Ego verò ſi Capellani infirmitas perdurauerit vſque ad 15. dies; non obligarem illum ad Miſſas celebrandas.

*An Sacerdos obligatus quotidie celebrare, poſſit ex cauſa maioris honeſtatis, vnam Miſſam in hebdomada omittere?*

RESOLVT. XXVIII.

REſpondeo affirmatiuè, ſi inſtitutio Miſſæ dirigatur ad perſonam Sacerdotis his, vel ſimilibus verbis: Eligatur Capellanus, qui quotidie celebret; non autem ſi adiungat, per ſe, vel per alium: neque etiam ſi inſtitutio Miſſæ dirigatur ad locum: vt ſi ſcilicet dicatur quotidie Miſſa in tali Eccleſia, vel in tali Capella, &c. tunc enim Sacerdos, qui huiuſmodi onus habet, ſine vlla vacantia, tenetur quotidie celebrare. Ita Zanardus *in direct. Theol. part. 1. de ſacrif. Miſſ. c. 13. in principio*, Fraxinellus *de obligat. Sacerd. ſect. 4. concluſ. 4. §. 1.* Bonacina *de Sacram. diſp. 4. quæſt. vlt. punct. 7. §. 2. num. 16. & 17.* & alij penes ipſos.

Hoc vnum aduertam, quòd ipſi non notarunt, Nauarrum in caſu propoſito putare aliquando Sacerdotem non ſolùm vnam, ſed etiam alteram Miſſam poſſe ex cauſa honeſtatis relinquere. Ita ille *tom. 1. conſil. lib. 3. de præb. conſil. 6. num. 5.*

Sed hanc ſententiam impugnat Naldus *in ſumm. verb. Miſſa, num. 6.* qui probabiliter tamen *in num. 7.* aſſerit ex aliqua ingruente neceſſitate poſſe Capellanum per annum quater, vel ſexies celebrare pro ſe ipſo, vel ſibi valde coniuncto ad ſpecialem gratiam Dei obtinendam: nam hoc non ei denegaret Capellaniæ inſtitutor, ſi de tali caſu cogitaſſet, vel interrogatus fuiſſet. Poteſt igitur Capellanus obligatus ad quotidie celebrandum, ex conſuetudine introducta, relinquere vnam Miſſam in hebdomada. Nota tamen, quòd non poteſt in tali die celebrare Miſſam pro alio, & accipere ſtipendium. Ita DD. communiter.

*An Sacerdos inſtitutus & obligatus ad celebrandum in certo Templo, Oratorio, vel Altari, peccet alibi celebrando?*

RESOLVT. XXIX.

REſpondeo peccare mortaliter, cum Nauarro *cap. 25. num. 134.* Rodriquez *in ſum. tom. 4. cap. 5. n. 6.* Azorio *tom. 1. lib. 10. c. 24. quæſ. 8.* Iacobo de Graffis *tom. 1. conſ. lib. 3. conſ. vnic. de patron. n. 15.* Homobono *de exam. Eccleſ. par. 1. tract. 4. c. 13. q. 125.* Fraxinello *de oblig. Sacerd. ſect. 4. concl. 4. §. 9. n. 3.* Fagundez *de præcept. Eccleſ. p. 1. lib. 3. cap. 9. num. 7.* Ratio eſt, quia in re magni momenti infideliter agit frangendo promiſſum.

Hinc à fortiori apparet, me olim cum ſupradictis DD. rectè reſpondiſſe, non ſatisfacere, qui cùm in Altari, vt dicunt, priuilegiato, accepta ſtipe Miſſam dicere debeat, ſi in alio loco celebret, exiſtimans cum calculo benedicto D. Caroli, vel alterius Sancti animam illius, pro quo celebrare tenebatur, è Purgatorio per modum ſuffragij eximere poſſe.

Puto tamen ex paruitate materiæ, Capellanum in hoc caſu aliquando excuſari, vt ſi, v. g. bis, vel ter in anno in tali Sacello, ſiue Altari non celebret.

Aduerte etiam, vt dictum eſt, peccare Sacerdotem in deſignato loco minimè celebrantem, non tamen teneri ad vllam reſtitutionem, niſi aliquod ſuffragium defunctis ſubtraxerit, quia, videlicet, ſi in deſignato Altari celebraſſet, aliqui ad eum locum conueniſſent, vt Sacrum audirent, & mortuos precibus adiuuiſſent: & in hoc caſu debet Sacerdos defectum huiuſmodi aliis precibus compenſare. Ita DD. citati.

*Vtrùm Sacerdos, qui in diebus Dominicis, vel in aliis feſtis duplicibus, celebrat aliam Miſſam votiuam, v.g. vel de requie, &c. peccet mortaliter?*

RESOLVT. XXX.

REſpondeo negatiuè. Ita Miranda in Manuali Prælat. tom. 1. q. 41. art. 21. concl. 3. Suar. in 3. p. tom. 3. diſp. 83. ſect. 3. concl. 1. Zanard. in direct. Theol. part. 1. de ſacram. Euchar. c. 12. q. 14. Hier. Llamas par. 3. Methodi, c. 5. §. 14. & alij, quicquid in contrarium aſſerat Barthol. ab Angelis in exam. confeſſ. dial. 5. §. 466. & Angelus ver. Miſſa. n. 33. Ratio eſt, quia ſicut Sacerdos poteſt liberè dicere, vel non celebrare Miſſam, ita etiam & aliam celebrare, & in rigore præceptum dicendi Miſſam, v. g. de Sancto, de feria, &c. non videtur latum ſub onere peccati mortalis, niſi aliud circunſtantiæ ſuadeant, & ſcandalum adſit, & ideo cum Villalobos in ſum. p. 1. tract. 8. diſſ. 31. n. 5. non damnarem reum peccati mortalis, Sacerdotem illum, qui in diebus feſtiuis Apoſtolorum, B. Virginis, & Domini noſtri, diceret aliam Miſſam.

*An Sacerdos, qui certis diebus ex accepto ſtipendio, vel ex fundatione Capellaniæ debet dicere Miſſam de B. Virgine, de Spiritu ſancto, vel de requie, &c. poſſit illis diebus dicere Miſſam currentem in Miſſali præſcriptam?*

RESOLVT. XXXI.

REſpondeo affirmatiuè, ſi in illis diebus incidat ſolennitas alicuius Sancti, & Sacerdos afficiatur maiori deuotione in Miſſa de dicto Sancto, aliter peccaret. Ita Fagundez de præcep. Eccleſ. p. 1. lib. 3. cap. 9. num. 6. Gauantus in comm. ad Rubr. Miſſal. tom. 1. par. 3. tit. 13. n. 20. & 21. Peirinus in priuileg. Minimorum, tom. 1. conſt. 5. Leonis X. n. 2. Fraxinellus de oblig. Sacerd. ſect. 4. concl. 4. §. 4. Syluius in 3. p. quæſt. 7. art. 9. ad 5. Azorius p. 1. lib. 10. c. 32. quæſ. 5. Emmanuel Sà ver. Miſſa, num. 48. Homobonus de exam. Eccl. p. 1. tract. 4. c. 14. q. 126. & alij communiter. Ratio eſt, quia omnes Miſſæ ſunt æqualis valoris, ex opere operato, vt notat D. Thom. in 4. diſt. 45. q. 2. art. 3. q. 1. ad 5. & licèt, cæteris paribus, Miſſa de requie magis defunctis prodeſſet, cùm eius preces ad animarum liberationem directè fundantur, ſupplere tamen poteſt maior Sacerdotis deuotio, vel Sancti illius interceſſio, cuius ſuffragium in Miſſa imploratur. Et licèt teſtator dixerit, quòd ſingulis diebus dicatur, v.g. Miſſa de B. Virgine, vel de requie: hæc verba tamen intelligenda ſunt ciuili modo, & moraliter, nam non debet præualere voluntas teſtatoris, Eccleſiæ ordini, & ritui. Et de hac re inſtruendi ſunt ſimplices, ne ſcandalo afficiantur, dum petentes Miſſam pro mortuis, non audiant Miſſam de requie, ſed de Sancto. Sed in hac quæſtione abſolutè, & ſine vlla limitatione, aut ſcrupulo loquitur Villalobos in ſum. tom. 1. tr. 8. diff. 91. n. 9. vbi ſic aſſerit: [El que eſta obligado à dezir vna Miſſa, v. g. de nueſtra Señora, y dize la del dia, cumple baſtantemente, como ſea ſin ſcandalo, que el dezir eſta Miſſa, ò aquella es accidental.] Idem etiam docet Ioan. de la Cruz in direct. conſc. part. 2. de ſacrific. Miſſæ, q. 4. dub. 2. concl. 2. Vide etiam Ledeſmam in ſum. tom. 1. c. 24. concl. 6. & Suarez in 3. part. tom. 3. diſp. 83. ſect. 3.

*An Sacerdos obligatus dicere Miſſas D. Greg. teneatur illas dicere ſine interruptione, & omnes de requie?*

RESOLVT. XXXII.

REſpondeo negatiuè, & præter DD. quos citat, & ſequitur Bonacina de Sacram. diſp. 4. quæſt. vlt. punct. 7. §. 3. n. 6. & 7. tenet hanc ſententiam Homobonus de Bonis in examine Eccleſ. part. 1. tract. 4. cap. 14. q. 127. Quòd non teneatur dicere Miſſas de requie, patet ex dictis ſuperiori reſolutione. Quòd verò poſſit illas cum interruptione celebrare, patet. Nam Miſſarum obligationes licèt ad locum relatæ interruptionem non admittant, tamen ad Sacerdotis perſonam relatæ ciuili modo, & moraliter intelliguntur, vt ſalua honeſtate, ac deuotione Sacerdotis, quantum fieri poteſt, magis continuè celebrentur. Vide etiam Beiam p. 1. caſ. 24. Sed poſt hæc ſcripta inueni Gauantum in comment. ad Rubr. Miſſal. tom. 1. part. 1. tit. 5. litera D. contrarium docere, nempe valere quidem ſupradictas Miſſas, ſi diſcontinuentur, ſed non vt eas quas inſtituit S. Gregorius: ſed tu tene cum ſupradictis DD. quibus adde Fraxinellum de oblig. Sacer. ſect. 8. concl. 6. §. 3. num. 1. & 2.

*Sacerdos in qua hora poſſit incipere Miſſam?*

RESOLVT. XXXIII.

REſpondeo quoad inceptionem licitum eſſe incipere Miſſam in ipſo initio Auroræ, ſic ſentiunt communiter DD. qui conueniunt nomine Auroræ intelligi crepuſculum diei, vel primam Solis irradiationem; neque hoc debet conſiſtere in indiuiſibili, ſed Miſſa poteſt celebrari, quando iam eſt proxima talis irradiatio.

Itaque prima opinio eſt Reginald. in praxi tom. 1. lib. 29. cap. 9. num. 173. qui aſſerit per quadrantem horæ licitum eſſe celebrare ante primam Solis irradiationem. Secunda opinio eſt Homoboni in exam. Eccleſ. part. 1. tract. 4. c. 14. quæſ. 136. Henriquez lib. 9. c. 24. num. 5. Ægidij de Coninch in 3. part. quæſ. 83. art. 2. dub. 4. num. 217. vbi ait, Initium diei, quo Miſſæ poſſunt incipi, eſt initium Auroræ, aut circa illud ſemihora, aut circiter, ante ortum Solis. Tertia opinio eſt Azorij part. 1. lib. 10. c. 25. quæſ. 5. Scorziæ de ſacr. Miſſ. lib. 1. c. 15. num. 8. qui nomine Auroræ, intelligunt ſpatium vnius horæ cum quadrante ante radios ſolares manifeſtos. Quarta opinio probabilior eſt, Ioan. de la Cruz vbi infrà concluſ. 2. Peregrini in compend. noſtrorum priuileg. part. 1. tit. Miſſa. Suarez in 3. par. tom. 3. diſp. 80. ſect. 4. Ant. Fernandez in exam. Theol. mor. part. 3. cap. 5. §. 14. n. 3. Poſſeuini de off. Curati, cap. 8. n. 28. & aliorum aſſerentium omnes Sacerdotes poſſe celebrare per horam cum dimidia ante Solis ortum. Imò aliqui addunt poſſe anteuerti dictum tempus, vt Miſſa finiatur hora & dimidia incipiente ante Solis radios manifeſtos, quod eſt aſſerere, poſſe Miſſam incipi duabus horis ante Solis radios apertos. Quam ſententiam ſequutus eſt etiam Rodriquez in ſum. part. 1. cap. 47. num. 1. & Fernandez vbi ſuprà, & Paludanus & Victoria cum Pitigiano in 4. tom. 1. diſt. 13. quæſt. 2. art. 4.

Ex his inferunt Suarez & alij, Religioſos, quibus ex priuilegio conceſſum eſt per horam ante diem celebrare, poſſe etiam per tres horas ante ortum Solis Miſſas dicere, quicquid in contrarium aſſerat Layman lib. 4. tract. 5. c. 4. n. 3. & Vaſquez in 3. p. tom. 3. diſp. 233. c. 3. n. 27. vbi aſſerit poſſe tantùm per duas & dimidiam horam, non autem per tres horas. Sed plus ego addam cum Ioan. de la Cruz in direct. conſc. p. 2. de ſacr. Miſſ. q. 2. dub. 1. concl. 3. in fin. poſſe illico poſt matutinum, aut poſt duas horas mediæ noctis Miſſas celebrari ex priuilegiis.

Non reticebo Henriquez lib. 9. cap. 24. num. 5. facultatem concedere Sacerdoti celebrandi ante Auroram ob honeſtam cauſam, vt, v.g. commodè iter ſuum perficiat. Sed hoc non admittit Layman vbi ſuprà, eſt enim contra canonem, & conſuetudinem vniuerſalis Eccleſiæ. An autem pro infirmo communicando liceat celebrare etiam media nocte, negat Henriquez vbi ſuprà, ſed tu contrarium tene cum Victoria de Euchar. num. 95. & Layman loco cit. & aliis.





*Sacerdos in qua hora diei poſſit finire Miſſam?*

RESOLVT. XXXIV.

REſpondeo, vſque ad meridiem incluſiuè. Verum eſt, quod Ioannes Andreas c. 1. de celebr. Miſſ. Fernandez in exam. Theol. mor. p. 3. c. 5. §. 14. num. 1. & Vaſquez in 3. p. tom. 3. diſp. 232. c. 4. n. 37. aſſerunt poſſe incipi Miſſam non multo poſt tranſactum meridiem, neque enim res hæc, quæ moralis eſt, ita mathematicè conſiderari debet: ſed licèt hoc aſſerant, non aſſignant tamen tempus.

Ego verò multas opiniones circa tale tempus inuenio. Prima eſt Azorij p. 1. lib. 10. cap. 25. quæſ. 6. qui aſſerit, tertiam horæ partem ſufficere, vt Sacerdos dicatur mortaliter peccare, differendo Miſſæ celebrationem poſt meridiem. Secunda opinio eſt Layman lib. 4. tract. 5. c. 4. n. 4. & Homoboni in exam. Eccl. p. 1. tract. 4. cap. 14. quæſ. 114. aſſerentium tale tempus eſſe mediam horam. Tertia opinio eſt Martini Bonacinæ de Sacr. diſp. 4. q. vlt. punct. 9. n. 6. qui aſſerit ſpatium trium quadrantium ſufficere ad peccatum mortale. Quarta opinio eſt doctiſſimi Syluij in 3. p. quæſt. 83. art. 2. aſſerentis Sacerdotem poſſe celebrare poſt meridiē, dummodo non attingat ſpatiū vnius horæ.

Religioſi verò ex ſuis priuilegiis, vt notat Ioan. de la Cruz in direct. conſc. part. 2. de ſacr. Miſſ. q. 2. dub. 1. concl. 4. poſſunt celebrare vſque ad Nonam incluſiuè, id eſt, vſque ad tres horas poſt meridiem. Notandum eſt etiam cum Henriquez, Miranda, Suarez, & aliis, quos citat & ſequitur Layman vbi ſuprà, Sacerdotem feſto die ratione itineris impeditum, poſſe Miſſam incipere vna hora poſt meridiem.

*An Sacerdos in nocte Natiuitatis poſſit tres Miſſas ante Auroram celebrare?*

RESOLVT. XXXV.

NEgatiuè reſpondet Villalobos in ſum. p. 1. tract. 8. diffic. 22. n. 3. Fernandez in exam. Theol. mor. p. 3. c. 5. §. 7. n. 3. Vgolinus de poteſtate Epiſcopi, c. 16. n. 6. Fagundez de præcept. Eccl. tract. 1. lib. 3. c. 16. n. 3. Petrus de Ledeſma in ſum. tom. 1. c. 19. concl. 9. fol. mihi 128. Didacus Nugnus in 3. p. tom. 1. q. 83. art. 2. ver. ſed eſt dubium, fol. mihi 504. Miranda in manuali præl. p. 1. q. 40. art. 8. concl. 2. Nauarr. in ſum. c. 25. n. 5. Ioan. de la Cruz in direct. conſc. p. 2. de ſacrif. Miſſæ, quæſt. 2. dub. 1. concl. 3. Syluest. Ang. Tab. Arm. ver. Miſſa, & alij. Probatur hæc opinio, nam in Rubr. Miſſalis ita ſtatuitur. Secundò, quia in ipſo Canone dicitur, *communicantes, & noctem ſacratiſſimam celebrantes*, pro prima Miſſa; pro aliis verò duabus dicitur, *& diem ſacratiſſimum celebrantes*. Hanc etiam opinionem docet Acoſta in expoſitione Bullæ Cruc. q. 32. & Squillante de oblig. cler. p. 1.

Sed mihi contraria ſententia ſemper viſa eſt probabilior, & illam ſæpiùs in praxi conſului. Vnde miror à Nugno vbi ſuprà, improbabilem vocari. Sed iſte author nimis audacter in cenſurandis opinionibus ſe gerit, maximè ſapientiſſimi Patris Suarez, qui noſtram tuetur ſententiam in 3. p. tom. 3. diſp. 80. ſect. 4. quam ſequitur etiam nouiſſimè Puteanus in 3. p. q. 83. art. 2. Layman lib. 4. tr. 5. c. 4. n. 2. Vaſquez in 3. p. 3. tom. 3. diſp. 232. cap. 3. n. 3. Reginaldus in praxi, tom. 2. c. 9. ſect. ... lib. 4. n. 134. Coninch in 3. p. q. 83. art. 2. dub. 4. num. 218. Syluius in 3. p. q. 73. art. 2. Molfeſius in ſum. tom. 1. tract. 3. c. 10. n. 22. Zanardus in direct. Theol. p. 1. Euchar. cap. 9. quæſ. 7. Scorzia de ſacr. Miſſ. lib. 2. c. 15. n. 5. Ratio eſt quia in cap. nocte ſancta. de conſecr. diſt. 1. abſolutè conceditur, vt nocte Natiuitatis Miſſæ celebrentur ſine vlla diſtrictione.

Ad primum argumentum contrariæ ſententiæ reſpondetur cum Vaſquez, quòd prædictæ rubricæ intelligendæ ſunt de Miſſis conuentualibus & ſolennibus, vt priuata Miſſa de nocte poſt mediam noctem dicatur, ſecunda in aurora, tertia verò in plena die. Ad ſecundum argumentum reſpondetur cum Suarez, non obſtare, quòd in prima Miſſa dicatur, *communicantes, & noctem ſacratiſſimam celebrantes*, non item in duabus reliquis, ſed, *communicantes, & diem ſacratiſſimum celebrantes*; quia in diuini Officij recitatione, verba non referuntur ſemper ad tempus, in quo dicuntur, ſed ad illud, pro quo repræſentando & commemorando dicuntur: vnde etiam ſi in prima Miſſa dicatur, *& noctem ſacratiſſimam venerantes*, nemo tamen negat, quin talis Miſſa priuata dici poſſit in plena diei luce.

Malè igitur, vt dicebam, hæc opinio tot authoribus, & rationibus fulcita improbabilis à Nugno vocatur, eſt enim probabiliſſima & tutiſſima in praxi, quicquid etiam in contrarium poſt hæc ſcripta inueni ſenſiſſe Bonacinam de Sacram. diſp. 4. q. vlt. punct. 9. n. 9.

*An Sacerdos poſſit dicere Miſſam ante matutini Officij celebrationem?*

RESOLVT. XXXVI.

PEccare mortaliter, ſi Sacerdos hoc faceret, ſentiunt, non ignobiles Authores, quos inuenies in numero, paulò minùs quàm 30. apud doctiſſimum Cenedum in ſuis canonicis quæſtionibus q. 3. num. 7. quorum ſententiam ipſe mordicus tuetur & probat, tum ratione conſuetudinis, tum ex rubricis Miſſalis editis ex authoritate Romani Pontificis: vbi dicitur, quòd Sacerdos celebraturus accedat ad ſacrificium Miſſæ Matutino ſaltem abſoluto. Et hanc opinionem tenet etiam ex neotericis Pitigianus in tom. 1. diſt. 13. q. 2. art. 10. & Zanardus in direct. Theol. p. 1. de Euchar. cap. 9. quæſ. 7.

At contrariam ſententiam probabiliorem eſſe iudico, & in praxi ſine vllo ſcrupulo amplectendam, & præter Doctores 20. quos citat & ſequitur Barboſa de poteſtate Epiſcop. p.... alleg. 24. n. 15. docet etiam hanc ſententiam Layman lib. 4. tract. 5. c. 4. n. 5. Ioan. de la Cruz in direct. conſc. part. 1. precept. 3. art. 3. dub. 4. concl. 2. Raphaël de la Torre in 2. 2. tom. 1. controuerſ. 8. diſp. 2. n. 6. & 7. Villalobos in ſum. tom. 1. tract. 8. diffic. 30. num. 1. Ratio eſt, quia, vt ait Syluius in 3. part. quæſt. 83. art. 2. ex ſui inſtitutione, matutinales preces, & ſacrificium Miſſæ nullam habent connexionem, neque vllum ordinem, nam preces horariæ adinuentæ ſunt, vt eis exhiberetur cultus diuinus Deo, ſupplendo pro populo. Myſterium verò Euchariſtiæ à Chriſto inſtitutum eſt, vt recoleretur memoria Paſſionis eius, in quo nulla connexio inuenitur, quare vnum ad aliud requiratur.

Ad argumenta in contrarium, reſpondetur ad primum, negando adeſſe talem conſuetudinem obligantem ad peccatum mortale. Ad ſecundum reſpondetur, in Miſſali Romano nullum eſſe verbum præceptiuum, & ex modo, quo illa regula ponitur, apparet ibi nihil nouum ſtatui, ſed ſolùm declarari, & proponi quod fieri ſolet & expedit. Imò ibidem expreſſius admonentur Sacerdotes, vt priùs aliquantulum vacent orationi.

*An deficientibus particulis poſſit Sacerdos partem Hoſtiæ alteri præbere?*

RESOLVT. XXXVII.

PRo infirmo moribundo, ne ſine viatico decedat, poſſe affirmant DD. Difficultas conſiſtit, an ratione deuotionis alicuius ſumendæ Euchariſtiæ, liceat hoc facere.

Multi negant, vt Zambranus dec. cap. 3. dub. 6. num. 7. & alij. At ego probabiliter contrarium ſentio, cum Sylueſtro verb. Euchar. 3. n. 11. Angelo ver. Miſſa, n. 27. Graffio deciſ. p. 1. lib. 2. c. 38. num. 31. Scorzia de ſacr. Miſſ. lib. 4. cap. 29. n. 12. Zanardo in direct. Theol. p. 1. de ſacr. Euchar. cap. 9. n. 15. & cap. 10. num. 31. & Homobono de Bonis in exam. Eccleſ. p. 1. tract. 4. cap. 11. quæſ. 110. Emmanuele Sà

*ver. Euchar. num* 15. Ratio eſt, quia Sacerdos ſic faciens vtilitati fidelium conſulit, nec vllam iniuriam facit Sacramento, cùm in ſingulis particulis, quamuis exiguis, Chriſtus contineatur.

*An ſecluſo ſcandalo & contemptu, liceat ſine iuſta cauſa celebrare extra Eccleſiam?*

RESOLVT. XXXVIII.

AFfirmatiuè reſpondet Sotus *in 4. ſent. diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 3. & poſt illum Emmanuel Sà correctus ex Magiſtro Sacri Palatij *ver. Miſſa, n.*20.

Sed peccare mortaliter Sacerdotem celebrantem extra Eccleſiam ſine iuſta cauſa, aſſerunt communiter DD. Villalobos *in ſum. par.* 1. *tract.* 5. *diſp.* 23. *n.* 1. Homobonus *in exam. Eccl. p.* 1. *tr.* 4. *c.* 14. *q.* 137. Syluius *in* 3. *p. q.* 83. *art.* 3. *concl.* 4. Io. de la Cruz *in direct. conſc. p.* 2. *ſacrif. Miſ. q.* 83. *dub.* 1. *concl.* 1. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 4. *q.* 8. *n.* 115. & alij penes ipſos, & clarè hoc determinatur & colligitur ex *c. ſicut. c. ſic ergo. c. nullus, de conſecr. diſt.* 1. Et meritò quidem ratione honoris & reuerentiæ tanto Sacramento debitæ, & cùm materia ipſa grauis ſit, conſequenter obligatio præcepti ex ſuo genere ſub mortali videtur. Cæteras rationes vide apud citatos DD.

*An in nocte Natiuitatis Sacerdos nolens celebrare omnes tres Miſſas, ſed vnam tantùm, poſſit relinquere primam Miſſam, & dicere ſecundam, vel, ſi placuerit, tertiam.*

RESOLVT. XXXIX.

ALiqui forſitan negatiuam ſententiam amplectendam eſſe putabunt: ſed affirmatiuam docuit Zanardus *in direct. Theol. p.* 1. *de Euchar. c.* 9. *quæſ.* 7. Vgolinus *de poteſtate Epiſcop. c.* 16. *num.* 5. Petrus Ledeſma *in ſumma tom.* 1. *de ſacram. Euchar. cap.* 19. *poſt* 9. *concl.* quem poſtea ſequutus eſt Villalobos *in ſum. p.* 1. *tr.* 8. *diffic.* 22. *n.* 3. & quia codex rarus eſt, ponam eius verba. [Verdad es que ſe podria dezir de noche qualquiera de la tres Miſſas, que es coſa accidental dezir eſta, ò aquella.] Et eadem ratio militat, ſi Sacerdos vnam Miſſam vellet celebrare in die, tunc enim poſſet dicere tertiam, vel ſecundam Miſſam: quidquid Gauantus putet, dicendam eſſe vel primam, vel tertiam, & potiùs tertiam, cuius Oratio cum Officio concordat. Ita ille *in comm. ad Rubr. Miſſ. tom.* 1. *p.* 4. *tit.* 3. *n.* 6.

*An Sacerdos regularis peccet mortaliter, ſi in Canone Miſſæ pro nomine Epiſcopi ponat nomen Generalis ſuæ Religionis.*

RESOLVT. XL.

REſpondeo affirmatiuè ex declaratione Cardinalium, quæ ſic aſſerit: [Cùm Cæſar Epiſcopus Nouarienſis in Hiſpaniis Nuntius Apoſtolicus eſſet, fuit coram eo dubitatum, an Religioſi peccarent mortaliter in Canone Miſſæ dicendo commemorationem pro Epiſcopo loci, in cuius locum ponebant ſuperiorem Ordinis; conſulta ab ipſo Nuntio Sancta Sedes Apoſtolica reſpondit, eos mortaliter peccare, cùm ſit ad vnguem Miſſale obſeruandum, nec in collectis Miſſæ poſſe aliquid addi ſub eadem pœna, præter orationem ſolitam pro Rege, & eius prole, & exercitu.]

Hanc declarationem inuenies apud Rodriq. *in ſumm. tom.* 4. *c.* 51. *n.* 13. vbi tamen addit, [que no condenaria à peccado mortal, lo que no teniendo noticia deſta declaracion, ni ſabiendo ſer authentica añadir algo en la collecta.] Poſt hæc ſcripta, inueni hanc declarationem Cardinalium adducere etiam Villalobos *in ſumm.* 1. *p.* 1. *tract.* 8. *diffic.* 31. *n.* 3. Portel *in dub. regul. ver. Miſſa, n.* 14.

*An Sacerdos cum ſacris veſtibus ſe induit, peccet mortaliter relinquendo Orationes poſitas in Miſſali, quas ſe induendo Sacerdotes dicere ſolent.*

RESOLVT. XLI.

PEccare mortaliter ſi hoc faceret aduertenter, putauit Syluius *in* 3. *p. q.* 83. *art.* 6. qui citat Nauar & Azor.

Sed nimis rigoroſè loquuntur hi DD. Ideo puto, dummodo id faciat ſine contemptu, non peccare Sacerdotem, ſupradictas Orationes relinquentem. Et ita præter DD. 8. quos citat, & ſequitur Homob. *de exam. Eccl. p.* 1. *tom....* *tract.* 4. *c.* 15. *quæſ.* 145. docet etiam hanc ſententiam Layman *lib.* 4. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 12. Vega *in ſum. tom.* 2. *c.* 41. *caſ.* 9. Pitigianus *in* 4. *tom.* 1. *diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 10. *dub.* 4. Fernandez *in exam. Theol. p.* 3. *c.* 5. §. 13. *n.* 4. Scorzia *de ſacrif. Miſſ. lib.* 2. .8. *n.* 14. Fagundez *tract.* 1. *lib.* 3. *c.* 21. *n.* 9. Ratio eſt, quia, nullum adeſt præceptum, ſeu lex præcipiens, dictas Orationes à Sacerdote dicendas ſub onere peccati mortalis & quædam in Miſſali poſita pertinent ad decentiam, & conſilium, non autem ad neceſſitatem & obligationem. Vide Fagundez *loco citato, & num.* 42. vbi probat regulas Miſſalis non obligare ad mortale, niſi contineant eſſentiam, ſeu quaſi eſſentiam ſacrificij, reliquas verò non eſſe præcepta, ſed conſilia & inſtructiones.

*An Sacerdos in Miſſa maiori peccet, ſi non legat ſubmiſſa voce Epiſtolam, & Euangelium poſtea à ſubdiacono & Diacono canendum.*

RESOLVT. XLII.

AFfirmatiuam ſententiã docet Fernan. *in exam. Theol. p.* 3. *c.* 5. §. 13. *n.* 15. & Emmanuel Sà *ver. Miſſ. n.* 51.

Sed negatiuè reſpondendum eſt cum Vega *in ſum. tom.* 2 *c.* 41. *caſ.* 7. qui cita Rodriquez. Idem docuit Villalob. *in ſum. p.* 1. *tract.* 8. *diffic.* 31. *n.* 4. Qui malè citat Nauarrum tanquam contrarium ſentientẽ, nam Nauar. *in orat. Miſſ.* 78. *& in Manuali c.* 10. *n.* 44. *ſeu* 46. negatiuam ſententiam docet, & multis rationibus probat, tum quia in Miſſali non præcipitur, tum quia nullo alio Canone, ſeu iure in Miſſa ſolemni, imponitur recitari ſecretò Epiſtolam & Euangelium. Et licèt aliqui id faciant, multa ſunt conſueta, quæ non ſunt præcepta. Malè igitur, vt dixi, à Villalobos, Nauarrus pro contraria ſententia citatur.

*An Sacerdos peccet mortaliter, celebrando Miſſam ſine miniſtro, ne careat Miſſa in die feſto.*

RESOLVT. XLIII.

AFfirmatiuè reſpondet Fernandez *in exam. Theol. mor. p.* 3. *cap.* 6. §. 4. *n.* 8. Barthol. ab Angelo *in exam. Confeſſ. dial.* 5. §. 401. quem poſtea ſequutus eſt Bonacina *de Sacram. diſp.* 4. *quæſt. vlt. punct.* 9. *n.* 33.

Sed ego puto non peccare, & ideo in magna neceſſitate, qualis eſt diei feſti, aut dandi moribundo viaticum, Vel quid ſimile, celebrationem Miſſæ ſine miniſtro licitam eſſe cenſeo. Ita Villalobos *in ſum. p.* 1. *tract.* 5. *diffic.* 34. *n.* 2. Pitigianus *in* 4. *tom.* 1. *diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 5. *in fin.* Squillante *de oblig. Cler. p.* 2. *dub.* 23. *n.* 69. & Syluius 3. *p. q.* 83. *art.* 5. aſſerit, ita facientem non damnare. Vide Fagundez *tract.* 1. *lib.* 3. *c.* 21. *n.* 6. Homobonum de Bonis *in exam. Eccleſ. par.* 1. *tract.* 4. *c.* 15. *quæſ.* 146. & alios.

*An Sacerdos in caſu neceſſitatis poſſit fœminam in reſponſione Miſſæ, adminiſtram adhibere?*

RESOLVT. XLIII.

NEgatiuè reſpondet Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 13. Homobon. *de exam. Eccl. p.* 1. *tract.* 4. *c.* 15. *q.* 146. Suarez



Suarez *in* 3. *p. tom.* 3. *diſp.* 88. *ſect.* 1. Villalobos *in ſumm. p.* 1. *tract.* 8. *diffic.* 34. *n.* 1. Ioan. de Cruz *in direct. conſc. part.* 2. *de ſacr. Miſſæ, q.* 3. *dub.* 5. *concl.* 2. Zanardus *in direct. Theol. p.* 1. *de ſacr. Miſſæ, c.* 15. *in fine,* Pitigianus *in* 4. *tom.* 1. *diſp.* 13. *q.* 2. *art.* 5. *in fine,* Fernand. *in exam. Theol. p.* 3. *c.* 5. §. 4. *n.* 7. Squillante *de oblig. Cler. part.* 2. *dub.* 23. *n.* 70. Molfeſius *in ſumm. tom.* 1. *tract.* 3. *c.* 10. *n.* 40. & alij ex authoritate *cap.* 1. *de cohab. Cler. & mul.* vbi dicitur, vt nulla fœmina ad altare præſumat accedere, aut Presbytero miniſtrare.

Sed non reticebo, Didacum Nugnum *in* 3. *p. tom.* 1. *p.* 83. *art.* 6. *dub.* 1. *fol. mihi* 516. *col.* 2. contrariam ſententiam docere, nempe quòd ſi non ſit vir, vel ille non poſſit miniſtrare, quòd tunc debet fœmina & reſpondere, & miniſtrare. nam ex hoc nullum ſequitur inconueniens, & ex alia parte fit ſacrriſicium debito modo, ſine confuſione, & verificantur ſalutationes ad populum, & reſponſiones. Ad argumentum contrarium reſpondet, illa verba eſſe intelligenda, extra tempus grauis neceſſitatis. hoc enim manifeſtè ſignificat verbum illud, *non præſumat,* in noſtro enim caſu fœmina non præſumit, ſed hoc facit ex commiſſione Sacerdotis, propter ſtantem neceſſitatem: & Sacerdotem ita celebrantem, nempe cum fœmina, non peccare mortaliter, putauit Syluius *in* 3. *p.* 83. *art.* 5. *in reſponſione ad* 12. ſed tu tene primam opinionem.

*An Sacerdos in neceſſitate celebrans cum vno lumine olei, vel adipis, peccet mortaliter?*

RESOLVT. XLV.

AFfirmatiuè reſpondet Riccius *p.* 3. *deciſ.* 213. *num.* 1. Fagundez *tract.* 1. *lib.* 3. *cap.* 23. *num.* 17. Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 29. *cap.* 9. *num.* 196. Suarez *in* 3. *p. tom.* 3. *diſp.* 81. *ſect.* 6. Fernandez *in exam. theol. p.* 3. *c.* 5. §. 13. *num.* 12. Villalobos *in ſumm. p.* 1. *tract.* 8. *diffic.* 26. *num.* 4. Vaſquez *in* 3. *p. tom.* 3. *diſp.* 233. *cap.* 3. *num.* 26. Molfeſius *tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 12. *num.* 57. & alij.

Sed negatiuam ſententiam probabilem putat Zanar. *in direct. Theol. part.* 1. *de ſacrif. Miſ. cap.* 14. *in fin.* Pitig. *in* 4. *tom.* 1. *diſp.* 13. *q.* 2. *art.* 2. Nugnus *in* 3. *p. q.* 83. *art.* 3. *dub.* 5. *fol. mihi* 509. *col.* 1. Graff. *p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 43. *n.* 1. Azorius *p.* 1. *lib.* 10. *cap.* 18. *q.* 15. & Homobonus *de exam. Eccl. p.* 1. *tr.* 4. *cap.* 15. *q.* 143. qui etiam teñet Sacerdotem, neque peccare mortaliter, ſi celebret Miſſam in altari, in quo imago Crucis non exiſtit, & citat multos, quibus adde Villalobos *in ſumm. p.* 1. *tract.* 8. *diffic.* 26. *n.* 6.

Nota etiam, quòd celebrare cum vnica candela cerea ex caſu neceſſitatis, putauit Nugnus *vbi ſuprà,* eſſe tantùm peccatum veniale.

*Vtrùm Sacerdos peccet mortaliter, ſi in aliquo loco, vbi non adeſſet Miſſale, celebraret Miſſam?*

RESOLVT. XLVI.

HAnc quæſtionem indeciſam reliquit Suarez *in* 3. *p. diſp.* 81. *ſect.* 6. & in affirmatiuam ſententiam videtur inclinare Reginaldus *tom.* 2. *lib.* 29. *cap.* 7. *part.* 2. *ſect.* 6. *n.* 197. & docet apertè Fagundez *tract.* 1. *lib.* 3. *cap.* 31. *n.* 23. Vaſquez *in* 3. *p. tom.* 4. *diſp.* 233. *cap.* 3. *num.* 26. & Filliucius *tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 5. *num.* 127.

Sed ego cum Layman *lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 17. Villalobos *in ſum. p.* 1. *tract.* 8. *diffic.* 26. *num.* 5. & Ledeſma *in ſumm. tom.* 1. *de Euchar. cap.* 20. *poſt* 8. *concl.* puto in tali caſu Sacerdotem non peccare, dummodo ſit ita inſtructus, & de ſua memoria confidens, vt moraliter non dubitaret poſſe ſe omnia integrè dicere ſine Miſſali, quamuis non ſine alio libro loco Miſſalis, ne notam aliquam incurrat apud alios. Hinc Vaſquez *vbi ſuprà,* putauit Sacerdotes, quibus debilis eſt facultas videndi, ſi memoria calleant, poſſe.

*An Sacerdos, qui præterita die applicauit Miſſam pro Petro, & poſtea Miſſam celebrando, nihil de applicatione ſacrificij cogitauit, ſatisfecerit ſuæ obligationi; quod eſt quærere, an Sacerdos in Miſſa actualiter, vel virtualiter debeat applicare ſacrificium pro eo, qui dedit ſtipendium.*

RESOLVT. XLVII.

AFfirmatiuè reſpondet Vaſquez *in* 3. *p. tom.* 3. *diſp.* 138. *c.* 6. *n.* 76. putat enim, vt ſacrificium alicui applicetur, & vt tale ei proſit, debere à voluntate offerendi proximè, vel remotè procedere. Vnde ſi quis offerat Miſſam, & hæc voluntas poſtea in celebrationem ipſius Miſſæ nullo modo influat, vt neque proximè, neque remotè eius cauſa ſit, voluntas illa proderit per modum impetrationis, at verò ſacrificium ipſum non item. Putat igitur Vaſquez, applicationem Miſſæ debere fieri actualiter, vel virtualiter tempore eiuſdem ſacrificij: philoſophatur enim eodem pacto de applicatione, ac de intentione conficiendi Sacramentum. In hanc ſententiam incidunt Berarducius *in ſum. Corona p.* 4. *c.* 5. *n.* 9. Beia *p.* 1. *caſ.* 23. & Fraxinellus *de oblig. Sacerd. ſect.* 4. *concl.* 4. §. 7. *num.* 1. qui putant Sacerdotem in *Memento,* debere applicare valorem Miſſæ eis, pro quibus tenetur celebrare.

Sed ſi hæc ſententia amplectenda eſſet, multis ſcrupulis agitarentur Sacerdotes. Ideo contrariam opinionem probabilem eſſe puto, quam tenent Suar. *in* 3. *p. tom.* 3. *diſp.* 13. *ſect.* 3. *concl.* 2. Bonac. *de Sacram. diſp.* 1. *q.* 3. *punct.* 2. §. 3. *n.* 11. & Molfeſius *in ſum. tom.* 1. *tr.* 3. *c.* 4. *n.* 13. Diſtinguendum eſt igitur in hoc caſu. Vel præterita die Sacerdos abſolutè applicat pro Petro fructum ſacrificij die craſtina offerẽdi, & tunc valet talis applicatio, licèt poſtea in Miſſa nihil de tali applicatione Sacerdos cogitet. Vel non applicat determinatè, ſed habet voluntatem craſtina die applicandi, & in hoc caſu talis applicatio minimè valet.

Vnde contra Vaſquez, eſt diſpar ratio inter applicationem, & intentionem conficiendi ſacrificium. Quia voluntas, qua offertur ſacrificium, non eſt neceſſe, vt ſit operatiua ſacrificij, ſed ſolùm applicatiua fructus eius: & ideo fieri poteſt per ſimplicem voluntatem, quæ antecedat ipſum ſacrificium, & poſtea nihil circa ipſum operetur. At verò intentio conficiendi Sacramentum, debet eſſe intentio operatiua conficiendi ipſum ſacrificium, & ideo quando nihil actualiter, ſeu virtualiter operatur, non eſt ad Sacramentum ſufficiens: neque eſt propriè voluntas efficax eius. Ex his apparet, quòd ad applicandum ſacrificium non requiritur intentio, quæ virtualiter duret tempore ſacrificij, ſicut requiritur ad conficiendum Sacramentum. Vnde ſufficit, quòd Sacerdos applicet abſolutè ſacrificium tali die offerendum, modò talis intentio non fuerit poſtea reuocata.

*Sacerdos ſi ante Miſſam confeſſus ſit, & poſtea celebrando peccatum mortale in confeſſione oblitum, in mentem venit, vtrùm teneatur in tali caſu elicere actum contritionis de illo peccato.*

RESOLVT. XLVIII.

HAnc quæſtionem non inuenio apud multos, & ſæpiùs in praxi poteſt occurrere. Affirmatiuam ſententiam ex Medina, Suarez, & de Graffiis, docuit Valerius Reginaldus *in praxi, tom.* 2. *lib.* 5. *c.* 5. *ſect.* 3. *n.* 9. quia neceſſarium eſt de peccatis pœnitere, ſicut & confiteri, non ſolùm ad finem conſequendi eorum remiſſionem, ſed etiam ad impletionem præcepti, ad quam non ſufficit ſola virtualis peccati deteſtatio.

Sed contrariam ſententiam probabilem etiam eſſe cenſui his diebus de hoc caſu interrogatus. Dico igitur, eum qui iuſtificatus fuit per pœnitentiam virtualem, nec recordatur alicuius peccati mortalis, non teneri ad

eliciendum actum contritionis, poſtquam peccatum illud venerit in mentem; niſi fortè velit confiteri iterum, aut niſi alio titulo teneatur elicere actum contritionis: & ita in ſimili caſu docuit Vaſquez *in 3.p.tom.4.quæſt.86. art.2. dub.2.n.11.*

Probatur hæc opinio. Primò, quia contritio eſt neceſſaria ad culpæ, & peccati remiſſionem, ſed illud peccatum oblitum iam in confeſſione virtualiter fuit verè remiſſum. Ergo, &c. Nec valet dicere, quòd fuit remiſſum cum obligatione, quòd ſi in mentem venerit, ille qui confeſſus fuit, teneatur de illo formaliter iterum elicere actum contritionis. Nam reſpondeo, hanc obligationem non conſtare, imò apparet contrarium. nam de iure naturæ quis tenetur ad formalem pœnitentiam, vt iuſtificetur & reconcilietur Deo. Hic autem iam fuit iuſtificatus, & reconciliatus Deo per pœnitentiam virtualem. Ergo, &c. De iure vero poſitiuo diuino nulla talis obligatio apparet. Nam vbi in Scriptura dicitur pœnitentiam eſſe neceſſariam, fit ſermo de peccatoribus. Imò *Lucæ* 15. dicitur, iuſtum non egere pœnitentia. Adde quòd in noua lege nullum eſt præceptum diuinum merè poſitiuum præter præcepta circa Sacramentorum ſuſceptionem: de iure autem poſitiuo humano non poteſt extare tale præceptum. nam Eccleſia non poteſt præcipere actus internos. Ergo non apparet, vnde & quo iure extet hoc præceptum in noſtro caſu.

Poteſt igitur Sacerdos tunc ſequi Miſſam inceptam, & non elicere actum contritionis, ſed poſtea confiteri ſuo tempore peccatum illud oblitum, & tunc de illo atteri, vel conteri. Nec valet dicere, vt quidam Theologus olim de hoc caſu interrogatus aiebat, quòd Sacerdos, cùm teneatur in noſtro caſu confiteri, teneatur etiam conteri: nam hoc, ſalua pace, falſum eſt; non enim quoties quis tenetur confiteri, tenetur etiam conteri. Et ſic, ait Filliuc. *tom.1. tr.6. c.8. n.209.* ex communi ſententia DD. quis in Paſchate tenetur confiteri, & tamen ſi non habet copiam Confeſſarij, non tenetur conteri. Sic, & in noſtro caſu. Ergo, &c. Ex dictis patet reſponſio ad rationes contrariæ ſententiæ.

*Vtrùm Sacerdos, qui ex intentione non nominat aliquem Sanctum eorum, qui in Canone Miſſæ ponuntur, peccet mortaliter?*

RESOLVT. XLIX.

PEccare mortaliter putauit Didacus Nugnus *in 3. part. tom.1.q.83.art.4.dub.2.concl.2.*

Sed quia in hac materia datur etiam paruitas materiæ, ego puto, Sacerdotem hoc facientem, culpæ lethalis minimè eſſe reum. Colligitur hoc ex Homobono de Bonis *in exam.Eccleſ.p.1.tr.4.c.46 q.152.* & abſolutè tenet hanc ſententiam Filliucius *tom.1.tr.5.c.5.n.155.*

*An Sacerdos, Miſſam nouam celebrans, poſſit ſe in medio altaris ad populum vertere, & oblationes ab ipſo ſponte factas accipere?*

RESOLVT. L.

REſpondeo affirmatiuè, & ita declarauit Sacra Congregatio, vt notat Homobonus *de exam. Eccleſ.p.1. tract.4.c.13.quæſt.117.* & Naldus *in ſum. ver. Miſſa, n.19.* non debet tamen circuire Eccleſiam.

*An Sacerdos, qui noctu miſit, ad raucedinem faucium lenendam, ſaccharum in os paulatim deglutiendum, ſi illud durauerit poſt mediam noctem, & dubitat, an aliquas partes illius in ſtomachum traiecerit, poſſit Miſſam celebrare?*

RESOLVT. LI.

NEgatiuè reſpondeo cum communi ſententia DD. hi ſunt Suarez *in 3.part.tom.3. diſp.16.ſect.4.* Vaſquez etiam *in 3.par.tom.3. diſp.211. cap.3. num.31.* Reginaldus *in praxi, tom.2.lib.29.cap.6.num.119.* Bonacina *de Sacram. diſp.4. quæſt. 6. punct.2. num.7.* Molfeſius *in ſumm. tom. 1. tract. 3. cap.10. num.13.* Coninch *de Sacram. q.80. art.8. num.48.* & Syluius *in 3.part. quæſt.80. art.8. fol.mihi 248. col.1.* vbi ſic ait: [ Solueretur ieiunium, ſi quis nocte miſiſſet in os aliquid ſacchari, & eius aliquid traiecerit poſt mediam noctem, quia tam ſaccharum, quàm aliqua liqueſcentia communiter deglutiuntur, ideò qui tale quippiam ante ſomnum accepit, non poteſt die ſequenti communicare, niſi moraliter ſit certus, quòd ante mediam noctem totum deglutiuerit, vel quod reſiduum erat, abſtulerit. ] Sic ille.

Nec valet dicere, quòd illud non ſumitur illo die ab extrinſeco, nec traiicitur per modum cibi, ſed per modum ſaliuæ. Nam reſpondetur, illam eſſe quamdam ſucceſſiuam manducationem, quæ ex parte fit eodem die, & cùm illa materia imponatur, vt paulatim deglutiatur ex intentione ſumentis, tandiu durat eiuſdem comeſtio, donec ipſe totam deglutiuerit, ſicut ſi paulò ante mediam noctis horam imponerem alios cibos ori, eóſque donec media eſſet audita, manderem, & deglutirem eos, nullo modo poſſem eo die communicare. Hæc communiter aſſerunt DD.

Non reticebo tamen, contrariam ſententiam docere Tabienam *ver.communicare, §. 49.* vbi concedit, id quod præterito die intra os ſumptum eſt, etiamſi data opera deglutiatur in ſequente, non ſoluere ieiunium naturæ, neque impedire perceptionem Euchariſtiæ, quia (inquit) ad hoc opus eſt ſumptione alicuius rei exterioris, quæ fit eodem die. Igitur neceſſe eſt, vt res aliqua eo die in os mittatur. Pro hac ſententia faciunt, Durandus, Gabriel, Paludanus, qui concedendo reliquias cibi, etiamſi deglutiantur, non impedire communionem, reddunt hanc rationem; quia eo die non fuerunt in os immiſſæ, quæ quidem ratio, vt diximus, militat in caſu noſtro. Et ſic ex neotericis, ſententiam Tabienæ amplexus eſt Bartholom. ab Angel. *in exam.confeſſ. dial.4.§.214. litt. A.* vbi ſic aſſerit: [ Quod dictum eſt de ſaliua, & de reliquiis cibi, & huiuſmodi, dicendum eſt de eo, qui in ſero accipit aliquid in ore pro voce, vel pro alio, quod remanet; non enim venit ab extrinſeco poſt mediam noctem, nec propter hoc ille non eſſet ieiunus. ] Ita ille.

*Vtrùm Sacerdos, qui manè ſolet deglutire aliquid ex propriis vnguibus, vel papyri, &c. poſſit celebrare Miſſam?*

RESOLVT. LII.

NEgatiuè reſpondet Henriquez *in ſumm. lib.8. cap.49. n.2. & in gloſſ.litt.O.* Nugn. *to.1.in 3.part.q.50.art.8.* vbi putat, falſam eſſe ſententiam modernorum, dicentium, quòd ſi quis deglutiat aliquid ex propriis vnguibus, vel papyri, vel ſanguinis proprij vulneris, & alia ſimilia, quæ neque habent rationem cibi, neque potus, neque etiam medicinæ, non eſt impeditus ad ſumptionem Euchariſtiæ; Diuus namque Thomas dicit *in ſolut. ad quartum argumentum*, nihil referre, quòd aliquid horum nutriat, vel non nutriat. Vnde aſſumi per modum cibi, vel potus, ſolùm diſtinguitur ab eo, quod eſt aſſumi per modum ſaliuæ; atque ideò quæcunque res exterior, eſt ad hoc impedimentum, aliàs enim ſi medicina eſſet nociua, non eſſet impedimentum.

Sed hæc opinio eſt nimis rigida. Ideo probabiliorem puto opinionem Sum. Coronæ *p. 4. c.4. n. 65.* & Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. p.2. de Euchar. q.5. dub.4. concl. 2.* Et quia codex rarus eſt, ponam eius verba, itaque ſic ait: [Qui comedit modicum papyri, aut aliquid ſimile, non habens rationem cibi, aut medicinæ, poteſt iuxta ſententiam probabilem ſumere Euchariſtiam. Ex quo infert (& eſt caſus, de quo olim fui à nobiliſſimo viro interrogatus) mulierem terram, aut ſimile comedentem, ſiue illud comedat ob delectationem, quod eſt comedere per modum cibi; ſiue comedat, vt colorem minuat, quod eſt comedere per modum medicinæ, non poſſe poſt iſtorum ſumptionem ſumere Euchariſtiam.



*An Sacerdos poſſit communicare ſe ipſum extra Miſſam?*

RESOLVT. LIII.

NOn poſſe, niſi in caſu neceſſitatis, docet Filliucius *tom.1.tr.4.c.9. num.285.* Armilla *ver. communio, n.8.* Caiet. *eodem ver.* Villalobos *in ſum.tom.1.tr.7.c.48.n.1.*

Sed ego contrariam ſententiam probabiliorem eſſe iudico, nempè poſſe Sacerdotem, non ſolùm in caſu neceſſitatis, ſed etiam deuotionis cauſa, ſeipſum cõmunicare, extra Miſſam ex præconſecratis, vbi tamen non eſſet, niſi ipſe tantùm Sacerdos, quia in hoc Sacramento non requiritur, vt in aliis, vt miniſter ſit perſona diſtincta à ſuſcipiente, & ſic in die paraſceues communicat ſe ipſum, non conſecrando. Et hanc ſententiam docet Syluius *in 3. par. quæſt.82.art.4.* Homobonus *de exam.Eccleſ. p.1.tr.4. c.11. n.106.* Fagundez *tr.3.lib.3.c.3.n.7.* cum Suarez *in 3.p. tom. 3.diſp.72.ſect.3.* Sed ſupradicta doctrina in praxi tenenda eſt, ſecluſo ſcandalo, quod quidem ſcandalum facilè ipſe Sacerdos vitare poterit, monendo aſtantes, ne ſcandalum patiantur. nam ita facere in illo caſu ſibi licet.

Obſeruat tamen Fagundez, quòd ſi in tali caſu adeſſet Diaconus, non poſſe tunc Sacerdotem ſe ipſum communicare, quia adeſt miniſter ex priuilegio competens. Sed hæc limitatio mihi non placet. Nam ex ipſo Fagundez *ibidem*, Filliucio, & Villalobos *vbi ſuprà*, Sacerdos debet propriis manibus ſe ipſum communicare, quando Diaconus illi Sacramentum defert tempore mortis, vt docet Durandus *in 4.diſt.13. qu.4.* Ergo etiam poterit ſe ipſum propriis manibus in noſtro caſu communicare, etiamſi adſit Diaconus. nam etiam Diaconus tempore mortis, eſt miniſter competens. Et tamen (vt diximus) tunc Sacerdos non ex manibus Diaconi, ſed ſuis debet ſacratiſſimam Euchariſtiam accipere. Ergo idem facere debet in caſu noſtro.

*An dictus Sacerdos in tali caſu poſſit ſe communicare qualibet hora diei poſt meridiem?*

RESOLVT. LIV.

REſpondeo affirmatiuè, cum Azorio *part. 1. lib. 10. cap.15.quæſ.7.* Syluio *in 3.part.quæſt.80. art.10.* Henriquez *lib.8. c.54. n.1.* Emmanuele Sà *verb. Euchariſtia, n. 19.* & aliis, quia nullo iure prohibetur, qualibet hora communicare, dummodo abſit ſcandalum, & qui ſe communicare petit, ieiunus ſit. nam prohibitio in hoc caſu cadit ſuper conſecrationem non faciendam poſt meridiem à multo tempore, non autem contra ſacram Communionem tunc ſuſcipiendam. Et ita etiam docet hanc opinionem Zanardus *in director. theol. par. 1. de Euchar. c.9. quæſ. 17.* licèt Coninch *de Sacram.q.80.art.10. n.85.* & alij aſſerant, ex reuerentia tanti Sacramenti debita, non eſſe extra neceſſitatem permittendum, vt aliquis ſub veſperam, & qualibet hora diei communicet.

*An Sacerdos in celebrando, non obſeruans rubricas Miſſalis, peccet mortaliter?*

RESOLVT. LV.

AFfirmatiuam ſententiam docuit Azorius *part.1. lib. 10.c.29.quæſ.6* Bonacina *de Sacram.diſp.4. quæſt.vlt. punct.7.§.3.n.3.* Pitigianus *tom.1.in 4.ſent. diſt.13.q.2. art. 4.in fine*, & alij. Nam ſi Breue Pij V. quod in principio Miſſalis ponitur, cum attentione conſideretur, obſeruantia rituum, ac ceremoniarum Miſſalis, in ſacro faciendo, obligare videtur ad mortale.

Ego verò, ſi Sacerdos contrarium faceret, non damnarem de peccato mortali. Nam contrariam ſententiam aſſerentem, dictas rubricas non obligare ſub onere peccati mortalis eſſe probabilem, aſſerũt etiam DD. citati, & Poſſeuinus *de offic.Cur.c.2.n.16.* cum aliis. Et ego puto ita omninò eſſe tenendum, vt docet Fagund. *tract.1.lib.3.c.21. & ſeq.* quæ intelligenda ſunt, ſi vnam, vel alteram rubricam non obſeruaret, non autem ſi nullam, aut ſi in rebus ſubſtantialibus Sacrificij delinqueret, vt alibi dictum eſt.

*An Sacerdos poſſit aliquando eodem die plures Miſſas celebrare?*

RESOLVT. LVI.

MVlti, vt Palud. D. Anton. Turrecr. Durand. & alij apud Doctores, *vbi infrà*, affirmatiuè reſpondent, & ex neotericis docet etiam hanc ſententiam Valentia *tom.4.diſp.6.q.11. punct.3. ad 7.* Henriquez *lib. 9. cap. 30. art.7.* & Nauarr. *in man.c.25.n.93.* & alij. Caſus autem, in quibus id liceat, dummodo Sacerdos ſit ieiunus, ad ſeptem reducunt. Primus, in die Natiuitatis Domini noſtri. Secundus, quando iam ferè dicta Miſſa, ſuperuenit Pontifex, Epiſcopus, aut habens quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem ordinarius Prælatus, Rex, vel aliquis Princeps ſæcularis, aut etiamſi ſuperueniant aliqui itinerantes in die præcepti feſto. Tertius, ſi cùm finit Miſſam, nuntiatur ei, quòd intrat defuncti corpus ſepeliendum cum Miſſa. Quartus, ſi non eſt ſeruata Euchariſtia, & nuntiatur aliquem in articulo mortis eſſe, debet iterum celebrare, & dare ægroto viaticum. Quintus, ob benedictionem nuptiarum, quando aliqua neceſſitas, aut magna congruentia vrget. Sextus, ob rationabilem cauſam iudicatam à bono, & cordato viro, ob quam videatur neceſſarium, vel congruentiſſimum, vt Miſſa ſecundò dicatur, quod habetur *cap.conſuluiſti, de celebr. Miſſ.* Septimus porrò, quando vnus Sacerdos præficitur duabus Eccleſiis Parochialibus, ob illarum paupertatem.

Sed ob multiplicitatem Sacerdotum hi caſus abierunt in deſuetudinem, & ſolus primus, & vltimus in his noſtris regionibus obſeruatur, vt bene obſeruat Llamas *part. 3. Meth.c.5. §. 17. in fine*, Ioan. de la Cruz *in director. conſc. p.2. de ſacram. Miſſæ, q.2. dub.3. concl.3. in fine*, Syluius *in 3.p.q.85.art.2.ad 5.* Scorzia *de ſacram. Miſſæ, lib.2. c. 16. n.2.* Molfeſius *in ſum.tom.1.tr.3.c.....num.46.* Vgolin. *de poteſt. Epiſcopi, c.16.num.4.* Vaſquez *in 3.p.tom.3.diſp.232. c. 5.n.48.* Pitigianus *tom.1.in 4.diſt 13.q.2.art.3.* Nugnus *tom. 1.in 3.p.q.83.art.2.* Suarez *tom.3. in 3.p.diſp. 8. ſect. 3.* & alij. Vnde Sacerdotes conſiderent in aliis caſibus quid facere debeant, & attendant conſuetudinem locorum, & regionum, & celebrent de licentia Epiſcopi, vt obſeruat Poſſeuinus *c.2.n.7.*

*An in caſu neceſſitatis poſſit Sacerdos celebrare ſine ſtola, manipulo, aut cingulo, vel celebrare in tali caſu neceſſitatis cum ſtola, manipulo, aut cingulo non benedicto?*

RESOLVT. LVII.

EXtra caſum neceſſitatis, eſſe mortale fatentur omnes, Nugnus *tom.1.in 3. part. quæſt. 83. art. 3. dub. vlt. in fin.* Bonacina *de Sacram. diſp.4. q.vlt. punct. 9. num. 27.* Vaſquez *tom.3.in 3.part.diſt.233.cap.3.num.38.* & alij, *ex cap. veſtimenta, de conſecr. diſt. 1.* Difficultas conſiſtit in caſu neceſſitatis, vt quando Sacerdos in die alicuius feſti eſſet in loco, vbi non inueniretur aliquod indumentum ex ſupradictis, vel in alio caſu grauis neceſſitatis. Hieronymus Llamas *part.3. c.5. §. 16.* putat in tali

caſu

caſu Sacerdotem ſemel, vel bis poſſe celebrare, ſine aliquo induméto non benedicto. Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. p. 2. de ſacrif. Miſſæ, quæſt. 3. dub. 4. concl. 2.* Petrus Ledeſma *in ſumm. tom. 1. de ſacram. Euchar. cap. 21. concl. 5. dub. 3.* Suarez *in 3. p. tom. 3. diſp. 83. ſect. 3. dub. 1. in fin.* Coninch *vbi infrà*, & Filliucius *tom. 1. tract. 5. cap. 5. n. 149.* putant in caſu neceſſitatis, poſſe Sacerdotem celebrare ſine aliquo indumento, ex dictis.

Nota verò circa præſentem quæſtionem de veſtibus ſacris, quantum attinet ad materiam, amictum, & albam debere eſſe lineam, cæteras verò ex quacumque alia materia. Nec multum refert, cuius ea ſit coloris, etſi in Miſſali pro certis temporibus, certi colores deſignentur. nam talis ordinatio præceptiua non eſt, ſed directiua. Ita Homobonus *de exam. Eccleſ. part. 1. tract. 4. cap. 15. quæſ. 144.* & alij.

Nota etiam ſecundò, ſtolam poſſe deſeruire pro manipulo, & manipulum pro ſtola, quia talia indumenta non habent figuram determinatam. Ita Villalobos *in ſum. p. 1. tr. 8. dub. 28. n. 3.* & alij.

Nota tertiò, ſi cingulum perfringatur, & vtraque pars ſufficiat ad cingendum, vtraque eſt benedicta, & poteſt deſeruire celebrationi Miſſæ. Adde plus, quòd ſi cingulum ita frangatur, vt neutra pars ſufficiat ad cingendum, poteſt cingulum ſic fractum necti. Ita Coninch *de Sacram. q. 83. art. 3. dub. 3. n. 250.* Emmanuel Sà *ver. Miſſa, n. 12.* & Ioan. de la Cruz *vbi ſuprà*.

Nota quartò, caſulam, manipulum, & ſtolam ſeruire ab vtraque parte poſſe, etiamſi vnica tantùm conſecratione ab Epiſcopo ſacrata eſſent, vt ſi gemino colore afficerentur ad varios dies feſtos. Item ſupradictæ veſtes tunc conſecrationis formam amittunt, cùm ita ſcinduntur, vt aptæ ampliùs non ſint ad eos vſus, ad quos ſacrantur, alioquin formam conſecrationis retinent, etiamſi aliqua pars, quæ ſacrata non eſt, vnà cum filo profano aſſuatur. Ita Azorius *p. 1. lib. 10. c. 28. quæſ. 9. & 10.* Bartholomæus ab Angelo *in examin. confeſſ. dial. 5. §. 275.*

### *An Sacerdos poſsit celebrare capite cooperto ex aliqua infirmitate?*

RESOLVT. LVIII.

REſpondeo negatiuè, ſi non adeſt licentia Epiſcopi, ſeu Prælati cum Regularibus. Ita Homobonus *de exam. Eccleſ. par. 1. tract. 4. c. 15. quæſ. 145.* Scorzia *de ſacr. Miſſæ, lib. 3. cap. 4. num. 2.* Henriquez *lib. 9. cap. 26. num. 2.* Fagundez *de præc. Eccleſ. part. 1. lib. 3. cap. 21. num. 33.* Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 5. c. 6. n. 6.* & notat Scorzia Gregorium XIII. vix diſpenſaſſe cum Niceæ Epiſcopo, vt pro infirma valetudine, publicè (excepto tamen Canone) celebraret.

Verum eſt quod notat Suarez *in 3. part. tom. 3. diſp. 83. ſect. 3.* & Filliucius *tom. 1. tract. 5. c. 5. num. 152.* Syluius *in 3. part. quæſt. 83. art. 5. in fin.* Si grauis infirmitas id exigeret, nec poſſet tamen facilè diſpenſatio poſtulari, id poſſe ſine graui culpa. Sed Petrus de Ledeſma *in ſum. tom. 1. de ſacram. Euchar. c. 21. concl. 7.* abſolutè docet non eſſe peccatum mortale ſecluſo ſcandalo, & contemptu celebrare cooperto capite, ſine licentia Epiſcopi. Et in hanc ſententiam inclinat Villalobos *in ſum. part. 1. tract. 8. dub. 29. num. 11.* ſecluſo tamen tempore Canonis. Opinio Ledeſmæ mihi videtur probabilis, non eſt enim grauis materia, vt poſſit inducere peccatum mortale, ſi non adſit ſcandalum, & contemptus. Sed poſt hæc ſcripta, facultatem diſpenſandi cooperto capite ſpectare ad ſummum Pontificem, docet Gauantus *in comment. ad Rubr. Miſſal. tom. 1. part. 2. tit. 2. littera F.* & ita declaraſſe Sacram Cardinalium Congregationem ſuper negotia Epiſcoporum die 2. Ianuarij 1590. & Sacram Rituum Congregationem die 31. Iulij 1626. affirmat.

### *An Sacerdos, qui in Miſſa omittit voluntariè Credo, ſeu Gloria, peccet mortaliter?*

RESOLVT. LIX.

FOrtè non peccare, putauit Nugnus *tom. 1. in 3. part. quæſt. 83. art. 4. dub. 2. ad 3.*

Sed ſine vlla formidine, & abſolutè docet non peccare mortaliter, ſed venialiter ex materiæ leuitate, Filliucius *tom. 1. tract. 5. c. 5. n. 155.* & idem putat, vt diximus, ſi omittatur in Canone nomen alicuius Sancti, vel tempore Paſchali, ea quæ interponuntur in *Communicantes*, aut in actione, *Hanc igitur oblationem*: quod vltimum eſt maximè notandum.

### *An Sacerdos, qui ex carentia Confeſſarij propter ſcandalum celebrauit, teneatur quamprimum confiteri?*

RESOLVT. LX.

AFfirmatiuè reſpondendum, ex verbis Concilij Tridentini *ſeſſ. 13. c. 7. quòd ſi neceſſitate vrgente, Sacerdos abſque præuia confeſſione celebrauerit, quamprimum confiteatur*. Quæ quidem verba continere præceptum, ex communi DD. ſententia putauit Suar. *tom. 3. q. 66. ſect. 7.* Reginaldus *tom. 2. lib. 29. c. 6. q. 4. ſect. 3. n. 110.* Peſantius *in addit. ad 3. p. q. 10. diſp. 5. de præcepto confeſſionis*, Nugnus *in 3. par. tom. 1. q. 80. art. 4. diffic. 4.* Coninch *de Sacram. q. 80. art. 4. dub. 2. n. 24.* Filliucius *tom. 1. tr. 4. c. 8. quæſ. 5. n. 221.* Nauarr. & alij.

Non deſunt tamen DD. aſſerentes, in dictis verbis Concilij non adeſſe præceptum, ſed conſilium, ſicque Sacerdotes ita celebrantes, non peccare mortaliter, ſi quamprimum non confiteantur. Ita docuit Villalobos *in ſum. tom. 1. tr. 7. dub. 37. n. 7.* & Petrus de Ledeſma *in ſum. p. 1. tract. de Euchar. c. 11. ante concl. 9.*

Sed ſtando in prima opinione difficultas eſt, quomodo intelligenda ſint verba illa Concilij, *quamprimum?* Sancius *in ſelectis, diſp. 32. n. 14.* putat illico finita Miſſa Sacerdotem aſtrictum eſſe confiteri per dicta verba Concilij, & citat Suarez, & Vaſquez. Vide etiam Henriquez *lib. 8. c. 45. num. 4.*

Ego olim illa verba, *quamprimum*, id eſt, intra triduum, exponebam. nam, vt notat Gonzalez *in 8. regul. Cancell. gloſſ. 43. num. 51.* Riccius *p. 2. dec. 88. num. 9.* & Sanchez *de matrim. tom. 1. diſp. 51. num. 14.* & Coninch *de Sacram. diſp. 23. dub. 2. num. 6.* dicitur quamprimum, & incontinenter fieri, quod intra triduum fit, *C. de error. aduoc.* vbi *in continenti, primo triduo, & l. fin. C. de iudic.* ibi, *illico autem, id eſt, intra triduum*. Et tunc, nimis benigna hæc opinio aliquibus videbatur.

Sed poſtea inueni apud grauiſſimos authores benigniorem opinionem. Ideo Fagundez *de præc. Eccleſ. tract. 3. lib. 3. cap. 8. num. 9.* & ante illum noſter Molfeſius *in ſum. tom. 1. tract. 3. c. 10. n. 28.* & ante illum Petrus Binsfeldius *in Enchir. theol. paſtoral. cap. 5.* aſſerunt ſatis eſſe, pro adimplendo ſupradicto præcepto Concilij, ſi Sacerdos, qui ſic celebrauit, confiteatur ſuo tempore, nempè ante aliam celebrationem, & ſic illud *quamprimum* exponunt, *cùm primum iterum celebrauerit*.

Sed poſſet aliquis dicere, ſi talis opinio eſſet vera, ad nihil obligaret ſupradictum præceptũ Concilij: nam talis Sacerdos ante aliam celebrationem neceſſariò tenetur confiteri, propter ſcientiam peccati mortalis. Adde, quòd ſi talis Sacerdos v. g. celebraret, & confiteretur poſt ſex menſes, vel annũ, ſecundùm hos authores, adimpleret præceptum Concilij. At hoc eſt abſurdum. nam ſi quis faceret aliquid poſt ſex menſes, vel annũ, non faceret quamprimum. Ergo, &c. Vnde Zanardus *in direct. conf. par. 1. tr. de Euchar. c. 7.* aſſerit, quòd ſub præcepto talis Sacerdos tenetur confiteri, non immediatè, nec eo die, ſed non differendo per longum tempus confeſſionem. Sed his non obſtantibus opinio



opinio dictorum Authorum eſt probabilis, ſaltem per principia extrinſeca.

Nota verò, quòd dictum præceptum Concilij quamprimum confitendi, non extenditur ad laicos, contra Nauarrum, Fagundez, Zanardum. & alios; voluntariè enim dicunt, quòd ſi Concilium interrogaretur, ita fuiſſet reſponſurum, quis enim hoc illis reuelauit, vt tradit Syluius *in 3. p. q. 80. art. 2. dub. 1.* & alij communiter.

Ex quo ſequitur, Sacerdotem, qui ſacramentum Euchariſtiæ inſtar ſæcularis accepit, non obligari hac lege, quia in illa communione non ſe habet vt Sacerdos, ſed vt laicus. Ita Villalobos *in ſum. p. 1. tr. 3. dub. 37. n. 8.* & alij. Secus eſſet, ſi talis Sacerdos celebraret in die Paraſceues, vel ſi aſſumeretur ad complendum Sacrificium ab alio inchoatum: nam in huiuſmodi caſibus obligaret hoc præceptum Concilij. Vide citatos DD.

### *An Sacerdos, qui in ipſa actione celebrandi recordatur alicuius peccati mortalis, licet tunc eliciat actum contritionis, teneatur poſtea quamprimum confiteri, ſtante ſupradicto præcepto?*

RESOLVT. LXI.

AFfirmatiuè reſpondet Suarez *in 3. par. tom. 3. diſp. 66. ſect. 7.* Reginald. *in praxi, tom. 2. lib. 29. c. 7. n. 110.* Bonacina *de Sacram. diſp. 4. q. 6. punct. 1. n. 39.* Squillante *de obligat. cler. p. 1. n. 132.* & ex noſtris Megala *in 1. p. lib. 5. c. 4. n. 2.* Molfeſius *in ſum. tom. 1. tr. 3. cap. 10. n. 28.* cum aliis. Ratio verò eſt, nam talis Sacerdos celebrat vrgente neceſſitate, ſine præuia confeſſione.

Sed mihi ſemper viſa eſt opinio Vaſquez probabilior, quam ipſe publicè docuit in Collegio Romano anno 1587. vt teſtatur *in 3. par. tom. 3. diſp. 208. cap. 3. n. 19.* Dico igitur, ſi ante ſumptum Sacramentum quis recordetur alicuius mortalis, illud tamen non confiteatur, non quia deſit copia confeſſarij, neque prætextu illius, ſed propter ſcandalum aliorum, & ne incurrat infamiæ notam: non tenetur poſtea, ex præcepto Concilij quamprimum confiteri: quod probatur ex verbis, & mente Concilij. Nam poſtquam Concilium explicuit nobis vim præcepti de præmittenda confeſſione, addidit, *modò non deſit copia confeſſarij, quòd ſi neceſſitate vrgente, abſque præuia confeſſione celebrauerit, quamprimum confiteatur*; hoc autem non accidit, quando Sacerdos ideo ſolùm non confitetur, ne notam infamiæ incurrat, cùm tamen aliàs copiam habeat confeſſarij. Ergo, &c. Itaque ſecundùm Vaſquez, prædictum præceptum Concilij ſolùm obligat, quando Sacerdos non habens copiam confeſſarij, & vrgente neceſſitate compulſus, non præmiſit confeſſionem, cùm tamen antequam celebraret conſcius eſſet peccati mortalis. Quare ſi aliquis Sacerdos, bona fide, accedit ad altare, abſque conſcientia peccati mortalis, ibi autem recordatur alicuius, non tenebitur prædicto præcepto. Et hanc opinionem Vaſquez docuerat antea Sayrus *de Sacram. lib. 2. cap. 7. art. 2.* & poſtea Syluius *in 3. par. quæſt. 80. art. 4. dub. 2.* vbi aſſerit contrarium eſſe dicendum de Sacerdote, qui ex malitia celebrat, non confeſſus, vel qui in ipſo Sacrificio mortaliter peccaret ante communionem, licèt aliqui hoc negent, & probabilius, vt Nugnus *in 3. part. tom. 1. quæſt. 88. artic. 4. diffic. 4.*

### *An quando accidit feſtum Annuntiationis B. Virginis in die Paraſceues, ſit Miſſa illius diei audienda ſub reatu peccati mortalis?*

RESOLVT. LXII.

SEntentiam affirmatiuam docet Nugnus *tom. 1. in 3. part. qu. 83. art. 1. diffic. 2. fol. mihi 484.* & Vaſquez *tom. 3. in 3. part. diſp. 232. cap. 2. n. 18.* vbi ait: [Feria ſexta in Paraſceue Miſſam à nullo Sacerdote celebrari poſſe: ab hoc tamen non tollitur, quin eo die ſi feſtum aliquod conſuetum ab Eccleſia ſeruari incidat, totus populus intereſſe debeat illi officio, in quo Sacramentum præſanctificatum conſumitur, ex vniuerſali præcepto audiendi Miſſam, ſiquidem illud loco Miſſæ haberi poteſt. Per officium autem, cui populus intereſſe debet, intelligo non paſſionem, neque cæteras orationes. quæ poſt illam, antequam Sacramentum ex ſuo loco in altare deferatur, dicuntur; ſed illud tantùm, quod extracto Sacramento, & in altari poſito à Sacerdote celebratur.] Hæc Vaſquez.

Sed aduersùs illum, contrariam ſententiam ego ſemper tenui, quam docet ex noſtris P. Naldus *in ſum. ver. Miſſa, n. 20.* & P. Molfeſius *in ſum. tom. 1. tract. 3. c. 17. n. 40.* Ratio eſt, quia Miſſa illius diei non eſt Miſſa, neque propriè Sacrificium, cùm non adſit noua Hoſtiæ conſecratio, vt probat contra Nugnum *vbi ſuprà*, Franciſcus Suarez *tom. 3. in 3. part. diſp. 75. ſect. 4.* Bellarmin. *tom. 2. lib. 4. de Euchar. cap. 22.* Sebaſt. Perecius *tract. de ſacrific. Miſſæ, cap. 14.* Bonacina *de Sacram. diſp. 4. q. vlt. punct. 2. num. 3.* Henriquez *in ſum. lib. 9. c. 9. n. 6.* Ledeſma *in ſum. tom. 1. cap. 19. concl. 5. fol. mihi 123.* Scorzia *de ſacrif. Miſſæ, lib. 1. cap. 5. ad 3. arg. ſecundæ opinionis*, qui citat Richardum, Maiorem, Gabrielem, & alios.

Ad argum. Vaſquez poſſet aliquis reſpondere, fideles ex vi præcepti Eccleſiaſtici teneri audire tantùm Miſſam, quod eſt præceptum de re indiuidua, & non omne id, quod ſuccedit loco Miſſæ, vel partem Miſſæ. Et poſt hæc ſcripta, inueni Sancium *in ſelectis, diſp. 32. num. 13.* & Gauantum *in comment. ad Rubr. Miſſal. par. 3. tit. 29. n. 24.* docere hanc poſteriorem ſententiam, & ita declaraſſe Sacram Cardinalium Congregationem ſub die 19. Februarij 1622. teſtatur Gauantus; vnde non eſt ampliùs Vaſquez in poſterum audiendus.

### *An ſimplex Sacerdos, deficiente copia Confeſſarij, poſsit celebrare contritus, dum iter facit propter Miſſam præcepti, quam tenetur audire?*

RESOLVT. LXIII.

REſpondeo affirmatiuè; quod intelligendum eſt, modò deficiat Miſſa, quam ab alio poſſit audire. Ita Rodriquez *in ſum. tom. 1. c. 247. n. 6.* Vega *in ſum. tom. 2. c. 41. caſ. 4.* Toletus *lib. 2. c. 15. §. maior diffic* Henriq. *lib. 8. c. 48. n. 8.* Syluester *ver. Euchar. 2. §. 7.* Adrian. *in 4. diſp. 19. qu. 4. concl. 10.* quicquid in contrarium aſſerat Corduba *in ſum. q. 142.* Sot. *in 4. diſt. 13. q. 2. art. 6.* & nouiſſimè Coninch *de Sacram. q. 80. art. 4. dub. 2. num. 17.* Villalobos *in ſumm. p. 1. tract. 7. dub. 37. n. 2.* Filliucius *tom. 1. tract. 4. c. 8. n. 217.* Peſantius *in addit. ad 3. p. q. 10. diſp. 5. de præcepto confeſſionis*, Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 3. c. 5. §. 8. num. 2.* Suarez *in 3. part. tom. 3. diſp. 67. ſect. 4.* qui tamen noſtram ſententiam vocant probabilem.

Nec valet dicere, quòd præceptum de præmittenda confeſſione ante communionẽ, eſt præceptum diuinum. Præceptum autem audiendi Miſſam in die feſto, eſt Eccleſiaſticum; ergo fortius debet eſſe illud, quàm iſtud, atque ideo neceſſitas implendi præceptum Miſſæ non debet excuſari ab obligatione diuini præcepti. Nam reſpondetur, eſſe nonnullos caſus, in quibus propter probabiles rationes, hinc inde occurrentes, poſſit Sacerdos eligere, quam partem maluerit, & hunc caſum, de quo loquimur, eſſe ex illorum numero, quia Concilium *ſeſſ. 13. cap. 7.* & DD. dicunt, ſi vrgeat neceſſitas, & copia confeſſarij deſit, id eſſe licitum. Adde, quod probabile eſt, ſecundùm Concil. *vbi ſuprà*, hoc præceptum de præmittenda confeſſione eſſe tantùm iuris humani:

Sed dices, ſi Sacerdos in tali caſu poteſt cum ſola contritione celebrare, ergo tenetur. Reſpondeo minimè, nam ſequi poteſt opinionem negantem cum Suarez, & aliis.

An

*An talis Sacerdos ſimplex, etiam non Parochus, poſſit celebrare Miſſam, ſine præuia confeſſione, dum non adeſt Sacerdos, vt alij Miſſam audiant, & non eſt alius, qui celebret?*

RESOLVT. LXIV.

NEgatiuè reſpondet Peſantius in addit. ad 3. par. q. 10. diſp. 5. de præcepto confeſſ. Suarez tom. 3. in 3. part. diſp. 67. ſect. 4. Et ratio eſt, quia alij non peccabunt, ſi ipſe Miſſam non celebret.

Sed ego contrariam ſententiam ſemper tenui, quia, vt ſuprà probatum eſt, talis Sacerdos iter faciens, poteſt contritus Miſſam dicere, propter adimpletionẽ præcepti Eccleſiaſtici dicẽdi, vel audiendi Sacrum. Ergo poteſt dicere Miſſam, vt alij ſupradictũ præceptum adimpleãt, & quando vrget præceptũ, neceſſitas proximi reputanda eſt tanquam propria. Nec valet dicere cum Suarez, quòd alij nõ peccabũt, ſi Sacerdos non celebret. Nam reſpõdetur, poſſe Sacerdotẽ in articulo mortis, ſi non adeſt copia cõfeſſarij, celebrare contritũ, vt ægrotus præceptum communicandi adimpleat, & tamen ſi Sacerdos in illo caſu minimè celebraret, ægrotus quidem non peccaret. Vnde ſatis probabilis eſt noſtra opinio, licèt contraria ſit etiam probabilis.

*An Sacerdos, qui habet caſus reſeruatos, à quibus præſens Confeſſarius illum non poſſet abſoluere, poſſet contritus, ſine præuia confeſſione, Sacrum conficere?*

RESOLVT. LXV.

NEgatiuè reſpondet Suar. vbi ſuprà, & Sotus in 4. diſp. 17. qu. 2. art. 5. putat enim eo caſu teneri talem Sacerdotem præmittere confeſſionem omnium peccatorum, ſi habeat alia peccata minimè reſeruata, & ita ab omnibus ſaltem indirectè abſolui; non autem tenetur hoc facere, ſi nulla habeat peccata non reſeruata.

Sed Ægidius de Coninch de Sacram. q. 80. art. 4. dub. 2. n. 21. etiamſi talis Sacerdos habeat cum aliquo peccato reſeruato, tantùm alia peccata venialia, putat teneri confiteri omnia ſupradicta peccata, venialia, videlicet, & reſeruata, vt poſſit ſaltem ab illis indirectè abſolui.

Aliqui verò contrariam ſententiam abſolutè docent, quæ aſſerit in tali caſu poſſe Sacerdotem, ſi adeſt ſcandalum, celebrare, ſine præuia confeſſione, quia eadem peccata bis confiteri graue onus videtur. Ita Armill. ver. communio. §. 8. qui citat D. Antoninum, & Palud. Victoria in ſumm. n. 79. Syluius in addit. ad 3. p. q. 20. art. 2. dub. 3. §. 4. & Sancius in ſelectis, diſp. 32. n. 10.

Ego cum Filliucio tom. 1. tr. 4. c. 8. n. 213. probabilem, & tutam in praxi hanc ſententiam eſſe exiſtimo.

Nota tamen, quòd Filliucius ibidem, exiſtimat etiam eſſe probabilem illam ſententiam, quæ aſſerit, quòd Sacerdos habens peccatum reſeruatum, poſſit omittere confeſſionem, etiamſi habuerit facultatem, vt poſſit illud confiteri inferiori, ſed cum onere poſtea comparendi coram ſuperiore.

*An Sacerdos poſſit celebrare poſt cibum ad communicandum infirmum, qui eſt in articulo mortis?*

RESOLVT. LXVI.

AFfirmatiuam ſententiam docuit Maior in 4. diſt. 19. quæſt. 3. ad 5. & Zanardus in director. confeſſ. part. 1. tract. de Euchar. c. 7. & Zambranus in dec. caſ. tempore mortis, c. 4. de Euchar. dub. 6. n. 3. in caſu quo moriens non poſſet recipere aliud Sacramentum, ceſſante omnino ſcandalo. Videtur in hanc ſententiam inclinare, & adducit ſex rationes pro hac ſententia, quam probabilem vocat Filliucius tom. 1. tract. 4. c. 8. num. 242. contra Vaſquez in 3. p. tom. 4. diſp. 211. cap. 5. num. 61.

Sed communis opinio omnium DD. contrarium docet. Et ratio eſt, quia maior ratio habenda eſt reuerentiæ huius Sacramenti, quàm neceſſitatis proximi, & tale præceptum obligat infirmum, cùm decenter, & reuerenter Sacramentum confici, & ſumi poteſt. Ita Ledeſma in ſum. tom. 1. c. 13. de Euchar. concl. 5. dub. vlt. Nauarr. c. 25. n. 88. ſeu 51. Toletus lib. 2. cap. 13. Syluius in 3. p. quæſt. 80. art. 8. Armilla ver. Miſſa, n. 25. Syluius ver. Miſſa, 1. q. 7. dub. 2. caſ. 3. D. Antoninus p. 3. tit. 13. cap. 6. §. 2. Henriqu. lib. 3. cap. 46. n. 1. & c. 50. n. 1. Victoria in ſumm. n. 83. & Sotus in 4. diſt. 13. q. 2. art. 2. & omnes recentiores.

Notandum eſt verò hîc, quòd Sacerdotes in tribus præcipuè caſibus, poſſunt non ieiuni ſumere, & conſecrare Euchariſtiam. Primò, propter integritatem Sacrificij, vt quando Sacerdos aquam pro vino in calice poſuit, & illam poſtea poſt ſumptionem hoſtiæ aſſumpſit, tunc enim vel de nouo debet conſecrare hoſtiam, & calicem, vel ſaltem ſanguinem tantùm propter integritatem Sacrificij. Ita D. Thom. in 3. p. quæſt. 83. art. 6. ad ſecundum. Tabiena ver. communicare, §. 42. Victoria in ſum. n. 10. Henriqu. lib. 8. cap. 50. n. 3. Sotus in 4. diſt. 13. q. 2. art. 6. & alij.

Secundus caſus eſt, quando poſt aſſumptionem calicis, & eius ablutionem, videt reliquias hoſtiæ in patena, vel corporali, tunc licet Sacerdoti ſumere illas reliquias. Ita contra Paludanum in 4. diſt. 9. quæſt. 1. D. Antoninum par. 3. tit. 13. cap. 6. §. 9. Roſellam ver. Euchariſtia 3. §. 13. aſſerunt communiter DD. vt Caietanus in ſumm. ver. Miſſa. Sylu. ver. Euchariſt. 4. §. 8. Victoria in ſumm. n. 83. Nauarr. c. 25. n. 89. Henriquez in ſum. lib. 8. c. 50. n. 2. Armilla verb. Miſſa. §. 26. & alij. Ratio eſt, quia totius omnino hoſtiæ, & calicis conſumptio, prout includit etiam ſumptionem ablutionis, cenſetur vna actio, ad ipſam communionem decenter perficiendam pertinens. Ergo illæ reliquiæ per modum vnius cibi, & complementi vnius integri conuiuij, & Sacrificij ſumuntur. Vnde hæc doctrina intelligenda eſt de reliquiis hoſtiæ à ſe conſecratæ, quia ſecus videtur de reliquiis ab alio Sacerdote in altera Miſſa conſecratis, quia talis aſſumptio non eſſet completio, vt ſuprà diximus, conuiuij à Sacerdote parati, & ſupradicta procedunt, etiamſi reliquiæ poſt ablutionem inuentæ, ſint paruæ, vel magnæ quantitatis, contra Sotum in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 8.

Tertius caſus eſt, quando celebrans poſt conſecrationem recordatur ſe non eſſe ieiunum, vel ſi poſt conſecrationem hoſtiæ deficiat, ſi adeſſet Sacerdos alius non ieiunus, deberet Sacrificium illud perficere, & communicare, dummodo alius Sacerdos ieiunus ibi non adeſſet. Ita ex cap. nihil. 7. q. 1. docet Ægidius de Coninch de Sacram. q. 60. art. 8. n. 63. & Villalobos in ſum. p. 1. tract. 7. diſp. 39. à num. 12. Vaſquez in 3. p. tom. 3. diſp. 211. cap. 5. & Syluius in 3. part. quæſt. 60. art. 8.

*Vtrùm Sacerdos in caſu neceſſitatis, ſecluſo etiam ſcandalo, poſſit celebrare cum lumine olei?*

RESOLVT. LXVII.

NEgatiuam ſententiam docet Henriquez lib. 9. de Miſſa, cap. 26. num. 4. & cap. 29. num. 7. vbi ex conſuetudine à tempore Apoſtolorum introducta, & ex authoritate multorum Patrum, probat vſum celebrandi cum lumine cerei igniti, & in hanc ſententiam inclinat Bellarm. lib. 2. de Miſſa, cap. 14.

Sed ego exiſtimo in graui neceſſitate, & ſecluſo ſcandalo, & contemptu, non eſſe mortale peccatum celebrare cum lucerna ex oleo, quia olim in Sanctuario lampades in cultum Dei ardebant, vt ait D. Thom. in part. 2. q. 101. art. 1. ad ſecundum, ita Sacerdotem celebrantem non damnarem, ait Suarez in 3. part. tom. 3. diſp. 81. ſect. 6. quem poſtea ſequitur Fagundez de præc. Eccleſ. tract. 1.





lib. 3. c. 3. num. 17. licèt addant, hoc ante factum, non eſſe conſulendum.

Sed ego in tali neceſſitate conſtitutus, ſi non adeſſet aliorum ſcandalum, cum lumine olei celebrarem. Vide ſuprà q. 45. & mecum ſentit Reginaldus in praxi, tom. 2. lib. 29. cap. vlt. par. 3. ſect. 6. n. 196. Filliucius tom. 1. tract. 5. c. 4. num. 126. & nouiſſimè Layman lib. 5. tract. 5. c. 6. n. 17. vbi ita ait: [Licet communi Eccleſiarum conſuetudine receptum ſit, vt lumen ſit geminum, & in cera, ob cauſam tamen, etiam non valdè grauem celebrari poſſet cum vno cereo, vel igne ardente in oleo, aut ſeuo, modò ſcandalum abſit.] Ita ille.

*An Sacerdos poſſit celebrare ſine cingulo benedicto?*

RESOLVT. LXVIII.

MOrtaliter peccare ſic celebrantem, putauit Filliuc. tom. 1. tract. 5. cap. 5. num. 148. Villalobos in ſumma, part. 1. tract. 8. dub. 28. n. 8. Vaſquez in 3. part. tom. 3. diſp. 233. cap. 4. n. 38. Molfeſius in ſumm. part. 1. tract. 3. cap. 12. num. 31. Ioan. de la Cruz in direct. conſc. part. 2. de ſacrific. Miſſæ, quæſt. 3. dub. 4. concl. 20. Nugnus in 3. part. tom. 1. quæſt. 83. art. 3. concl. 3. Suarez in 3. p. tom. 3. diſp. 82. ſect. 3. §. 2. cum Nauarr. in manual. c. 25. num. 84. qui aſſerit, contrariam opinionem non eſſe tutam, atque ideo in Miſſali Romano, inuenitur benedictio cinguli, ac benedictio pro aliis ſacerdotalibus indumentis, quam vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudo obſeruat. Et quod dicitur de aliis indumentis, dicendum etiam videtur de cingulo, eſt enim eadem ratio.

Sed contraria ſententia probabilis etiam apparet, & ideo Sacerdos, qui ſine neceſſitate celebraret cum cingulo non benedicto, peccaret tantùm venialiter, vel cum eo & toto fracto, & abrupto, & hoc ratione paruitatis materiæ. Ita docuit Henriquez lib. 9. de Miſſa, c. 29. n. 5. in gloſſ. litt. A, & B. Paludanus in 4. diſt. 13. quæſt. 2. art. 5. Richard. ibid. q. 4. art. 3. Scotus ibid. diſt. 13. q. 2. & doctiſſimus Syluester ver. Miſſa, 1. n. 2. Sà ver. Miſſa, n. 10. & Fagundez tract. 1. lib. 3. c. 23. n. 13. eſt enim, vt diximus, materia leuis, & indumentum minus in ſe conſiderabile, quàm quodcunque aliud; imò indumentum non eſt, ſed indumentorum ligatura.

Ad argumentum verò de benedictione poſita in Pontificali, reſpondeo, quòd ibi reperiuntur etiam benedictiones pro Miſſalibus, & pro libris Eccleſiaſticis, & tamen non eſt peccatum lethale, celebrare ſine Miſſali benedicto.

Nota tamen, quòd celebrare cum cingulo non benedicto, ex cauſa iuſta, non erit neque peccatum veniale. Iuſta verò cauſa erit neceſſitas audiendi, vel celebrandi Miſſam ex præcepto alicuius feſtiuitatis feruor magnæ deuotionis, neceſſitas ſuperandi tentationes aliquas, etſi Sacerdotes pauperes habeant ſtipem pro celebrando ſacro.

*An Sacerdos poſſit celebrare in patena, & calice nondum conſecrato, & cum veſtimentis nondum benedictis, ſi alius Sacerdos bona fide, cum ipſis Miſſam antea celebraſſet?*

RESOLVT. LXIX.

REſpondet negatiuè Fagundez tract. 1. lib. 3. cap. 21. num. 15. & ita aſſerit reſpondiſſe multos Patres Societatis IESV.

Sed ego contrariam ſententiam probabilem etiam eſſe exiſtimo, nam in prima celebratione à Sacerdote bona fide facta, iam conſecrata remanſerunt. Vnde poſtea non indigent alia noua conſecratione, vel benedictione. Et ita Caſtrus lib. 2. de leg. diſp. penult. cap. vlt. aſſeruit, Eccleſiam pollutam non egere noua reconciliatione, ſi in ea bona fide ab aliquo Sacerdote celebratum eſt. Quam ſententiam docuit etiam poſt illum Auila de cenſ. par. 5. diſp. 7. dub. 3. concl. 1. & Emmanuel Sà, ver. Eccleſia, licèt Portel in addit. ad dubia regul. ver. Eccleſ. n. 5. in contrariam videatur inclinaſſe ſententiam. Sed noſtra (vt diximus) probabilis eſt, & tuta in praxi.

*An Sacerdos, ſumpto iam corpore, ſi videt ſe conſecraſſe calicem per inconſiderationem cum ſola aqua, debeat non ſolum vinum apponere, ſed de nouo conſecrare aliam hoſtiam, incipiendo ab iis verbis,* Qui pridiè quàm pateretur.

RESOLVT. LXX.

AFfirmatiuam ſententiam docuit D. Thomas in 3. p. q. 83. art. 6. ad quartum, Paludanus in 4. diſt. 11. q. 1. art. 2. & Syluester ver. Euchariſt. 2. q. 10. n. 14. Ratio eſt, quia aliter faciendo, non ſeruaretur debitus ordo conſecrandi, & ideo Pius V. in ſuo Miſſali ordinauit, vt hic defectus tali pacto ſuppleatur.

Sed cum omni reuerentia D. Thomæ, Doctori maximo debita, puto contrariam ſententiam eſſe probabilem. Sufficit igitur, vt Sacerdos in tali caſu, ſtatim vinum apponat, & incipiat ab illis, *Simili modo*, &c. conſecrando calicem, quia talis modus ſufficiens eſt ad ſupplendum defectum, & aptior, vt ſine ſcandalo efficiatur, & populus non intelligat inaduertentiam, & defectum Sacerdotis. Et contrarium facere, vt D. Thom. putat, non eſſet Sacrificium perficere, ſed potius nouum, & integrum facere, priori imperfecto relicto. Et licèt hoſtia fuerit à Sacerdote conſumpta, quamdiu non conſumitur calix, adhuc actio ſacrificandi, & ſubſtantia Sacrificij moraliter durat. Vnde quamuis conſumpto corpore, ſolus calix poſtea conſecretur, non cenſetur vna ſpecies confici ſine altera. Nam ſubſequens conſecratio ſanguinis moraliter cum priori conſecratione hoſtiæ coniungitur, & ſic ex vtraque conficitur vna actio moralis, & vnum morale Sacrificium. Et ſic patet reſponſio ad argumentum contrariæ ſententiæ.

Ad Rubricas Miſſalis reſpondeo, vt ſæpe dictum eſt, eſſe doctrinales, & non inducere præceptum, ſed tantùm inſtruere, & conſilium præbere; Authores verò, qui docent noſtram ſententiam aduersùs D. Thom. ſunt Scotus in 4. diſt. 8. q. 3. ipſemet D. Thom. in 4. diſt. 11. Nauarr. in manuali cap. 25. n. 91. Angelus ver. Miſſa, num. 17. Villalobos in ſum. p. 1. tract. 8. dub. 32. n. 5. & omnes ferè neoterici. Hæc opinio fuit poſtea approbata in Miſſali iuſſu Clem. VIII. edito.

Notandum eſt verò, quod aliqui aſſerunt, opinionem D. Thomæ practicandam eſſe, caſu quo Sacerdos celebraret ſecretò, non autem publicè, nam in primo caſu ſi hoſtiam iterum conſecraret, non adeſſet ſcandalum, ſecus autem ſi publicè Miſſam diceret. Ita explicant mentem D. Thom. Nugnus in 3. parte, tom. 1. qu. 83. art. 6. dub. 2. concl. 1. & Ioan. de la Cruz in direct. conſ. p. 2. de ſacrif. Miſſ. q. 5. dub. 1. concl. 1. qui citat Ledeſmam, & Syluius in 3. p. q. 80. art. 8. caſ. 2. vide etiam Henriquez in ſum. lib. 9. cap. 37. n. 3. quæ quidem omnia probabiliter dicta ſunt.

Notandum eſt etiam cum Nauar. & Syluio vbi ſuprà, quòd Sacerdos non peccaret mortaliter, ſi cui hæc fortaſſe acciderint, ſi inopinato caſu perturbatus, non ſuſciperet, nec conſecraret vinum, vt ſuprà ex diuerſis ſententiis, neceſſariò conſecrandum.

*An oblatione Hoſtiæ iam facta, ſi offeratur Sacerdoti particula pro communicando laico, poſſit illam conſecrare?*

RESOLVT. LXXI.

NEgatiuam ſententiam videtur docere Bonacina de Sacram. diſput. 4. quæſt. vlt. punct. 2. num. 6. Sed contrariam ſententiam probabilem etiam eſſe puto, quam

nouiſſimè docet Bartholomæus Gauantus *in comment. ad Rubric. Miſſalis, tom.1.p.3.tit.10.num.19.* non tamen hoc fieri debet remotius ab oblatione Hoſtiæ, puta iam cœpta Præfatione, & quando fit, efficiatur oblatione eiuſdem mente concepta; ſed magis amplè circa præſentem quæſt. loquitur Poſſeuinus *de off. Curati, c.2.n.17.* Vide illum.

*An ſi Sacerdos Regularis applicet Miſſas contra intentionem Superioris, valeat talis applicatio.*

RESOLVT. LXXII.

RESpondeo, dictum Regularem peccare quidem contra votum, ſed applicationem Miſſæ contra mentem Superioris validam eſſe, quia Chriſtus Dominus liberum actum celebrationis & conſecrationis inſtituit, vt tota applicatio pendeat ex Sacerdotis libera intentione. Ita Sylu. *ver. Miſſa, primò, n.12.* Angelus *ver. eodem, n.36.* Henriquez *lib.9.c.21.n.6.* Fagundez *tract.1.lib.3.c.10.n.4.* Villalobos *in ſum.p.1.tract.8.dub.11.n.2.* & ita determinaſſe Theologos Salmantinos notauit Rodriquez *in ſum. tom.1. cap.241. concl.10.* & alij.

Iſta opinio eſt probabilis, ſed contrariam etiam non minus probabilem exiſtimo, quam docet nouiſſimè doctus Fraxinell. *in tract. de oblig. Sacerd. ſect.6.§.7. num.1.* & Gauantus *in comment. ad Rubr. Miſſal. p.3. tit.12. num.28.* Nec valet argumentum Suarez *in 3. par. tom.3. diſput.79. ſect.9.* poſitum ſuprà. nam reſpondetur eſſe diſparem rationem inter intentionem conſecrationis, & applicationem Miſſæ. nam intentio Sacerdotis in conſecratione, eſt de eſſentia ſacrificij. Ideò non poteſt Prælatus illam irritare, aliàs non eſſet ſacrificium. At quòd valor Miſſæ huic, vel illi applicetur, non eſt de eſſentia ſacrificij; & ideo ſi à Prælato alteri, quàm ei, in quem Sacerdotis intentio dirigitur, applicetur, eſt ſacrificium. Hanc etiam opinionem docuit Sotus *quodlib. 20.* Corduba *lib.1. q. 3. opin.6.* Ledeſma *2.4.q.16.art.14.* & alij.

Notandum eſt verò, cum Villalob. *vbi ſuprà, n.3.* quòd ſi Sacerdos Regularis non faceret vllam applicationem Miſſæ, licèt Prælatus illam Miſſam applicaret, non haberet dicta Prælati applicatio vllum effectum, quia Prælatus non eſt miniſter Sacrificij, ſed hoc procederet ſtante prima opinione, non autem in ſecunda ſententia.

*An Sacerdos Regularis tempore Paſchali poſſit miniſtrare Euchariſtiam ſecularibus, vt adimpleant præceptum Eccleſiaſticum annuæ Communionis?*

RESOLVT. LXXIII.

NEgatiuè reſpondet Suarez *de relig. tom. 4. tract. 10. lib.9.c.3. n.8.* Portel *in dubiis regular. tom. 1. ver. Sacramentorum adminiſtratio, n.5.* Villalob. *in ſum. par.1. tr.7. dub.47.n.4.* Nugnus *tom.1. in 3. par. q.83. art.4. concl.5.* Et in hanc negatiuam ſententiam videtur inclinare Fagundez *de præcep. Eccleſ. tract.3. lib.1.c.5.n.16.*

Sed affirmatiuam ſententiam non ignobiles authores docuiſſe conſtat: hi ſunt Ioan. de la Cruz *de ſtat. Religioſ. lib.2.cap.5.dub.4. concl.3.* Beia *in reſponſ. p.4.caſ.4.* Rodriquez *tom. 1. quæſtionum reg. quæſt.56. art. 3.* Sorbo *in compend. priuil. ver. communicare*, & alij. Et hoc ex priuilegio Nicolai V. conceſſo Monaſterio Beatæ Mariæ de Guadalupe Ordinis Diui Hieronymi anno 1458. Quod priuilegium confirmauit viuæ vocis oraculo Paulus III. deinde Pius IV. facultates conceſſas particulariter huic Monaſterio, fecit communes omnibus Monaſteriis eiuſdem Ordinis, vt probat Rodriquez *tom. 1. quæſt.55. art.9.* Qua conceſſione, & extenſione poſita, id eſt, quòd tale priuilegium ſit commune omnibus aliis Monaſteriis ſupradicti Ordinis D. Hieronymi, ſequitur euidenter poſſe per cõmunicationẽ eo frui, & vti omnes alios Mendicantes, ac proinde ſequitur, poſſe Sacerdotem regularem miniſtrare Euchariſtiam laicis tempore Paſchali, & fideles ſatisfacere præcepto annuæ Cõmunionis in Eccleſiis Regularium, & in Luſitania ita fuiſſe iudicatum in cauſa Fratrum Minorum, cũ quodam Parocho, teſtatur Fagundez.

Nec ſupradictum priuilegium videtur per non vſum reuocatum. Nam priuilegia Minorum, & per conſequens aliorum Ordinum, ſunt à Pio IV. confirmata ex certa ſcientia, & de plenitudine poteſtatis, quæ verba, vt notat Rodriquez *tom.1. quæſt.8. art.3.* confirmant priuilegia, per non vſum reuocata. Adde etiam, quia idem Pontifex non ſolùm confirmauit, ſed de nouo conceſſit dicta priuilegia, & ſic de nouo conceſſit Minoribus per communicationem dicta priuilegia Nicolai V. & Pauli III. Deinde nouiſſimè Paulus V. confirmauit, & de nouo roborauit priuilegia Minorum & Prædicatorum, etiam per non vſum reuocata. Alia verò argumenta in contrarium inuenies ſoluta apud Beiam. Vnde ex dictis remanet ſatis probabilis iſta ſententia. Sed ego conſulerem, vt Regulares in tali caſu faueant Parochis, & talem ſententiam in praxim non deducant.

*An Miſſa Regularibus conceſſa poſſit ab aliis dici in ipſorummet Regularium Eccleſiis; & quid de Miſſa ſanctiſſimi Roſarij.*

RESOLVT. LXXIV.

NEgatiuam ſententiam docui in caſu Miſſæ prima vice, nobis conceſſæ de B. Andrea contra nonnullos Theologos, vt *infra, in tract. Miſcell.* videri poteſt; & ita declaraſſe ſacram Rituum Congregationem die 19. Nouembr. 1622. teſtatur nouiſſimè Gauantus *in comment. ad Rubric. Miſſalis, tom.1. part.3. tit.10. num.16.* qui etiam *part.4. tit. 15. num.11.* notat, quòd vbi celebratur feſtum ſanctiſſimi Roſarij ex Decreto Gregor. XIII. ne dicatur ea Miſſa, quæ nomine Roſarij circumfertur, quia conceſſa tantùm Ordini Prædicatorum à ſacra Rituum Congregatione die 25. Iunij 1622. & prohibita fuit aliis eodem die: ſed fiat Miſſa, vt in feſto ſanctæ Mariæ ad Niues, quod obſeruatur in æde Lauretana ex Synodo diœceſana 1626. vel in Natiuitate, mutato nomine Feſtiuitatis, quod fit Bononiæ, ſed illud prius magis placet. Ita Gauantus.

*An Sacerdos poſſit iterum ſubminiſtrare Euchariſtiam infirmo, qui ſemel in articulo mortis ſumpſit communionem per modum viatici non ieiunus?*

RESOLVT. LXXV.

NEgatiuam ſententiam prorſus ſuſtinet Vaſquez *in 3. part. tom.3. diſput.211. cap.4. num.38.* & nouiſſimè Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. p.2. tract. de Euchar. q.5. dub.4. concl.3.* Ratio eſt, quia cum vna communione infirmus iam ſatisfecit præcepto ſumendi Euchariſtiam in articulo mortis. Ergo.

Sed affirmatiuam prorſus amplectendam eſſe docet vſus communis Eccleſiæ, & communis DD. ſententia, nam ita docet Tabiena *ver. communicare, num.48.* Armilla *ver. communio, n.18.* Toletus *in ſumma, lib. 10. c.15.* Sà *ver. Euchariſtia, num.5.* Sot. *in 4. diſt.12. q.1. art. 8.* Victoria *in ſum. n.82.* Graffius *dec. part.1. lib. 2.c. 38. num.32.* Nugnus *in 3.p. tom.1. quæſt.80. art.8.* Coninch *de Sacram. quæſt. 80. art.8. num.53.* Reginaldus *tom.2. lib 29. cap. 6. num. 120.* Henriquez *lib.8. cap.4.n.1. & cap. 50.n.1.* Suarez *in 3. par. tom. diſp.68. ſect. 1.* & omnes neoterici, quia non ſolùm contra rationem, quam pro ſua ſententia adducit Vaſquez, tunc permittitur ægroto non ieiuno communio, vt poſſit implere præceptum diuinum. Sed etiam, quia moriturus



moriturus valde indiget tanti Sacramenti præſidio, & id ſæpiùs, & ita maximè indigentem ope, & ſubſidio huius Sacramenti ad vincendas occurrentes tentationes, & peccandi pericula ſuperanda, pia Mater Eccleſia non videtur velle ſuo præcepto cum tanto ſpirituali diſpendio adſtringere. Deinde in Conc. Conſtantienſi *ſeſſ.13.* dicitur in caſu infirmitatis poſſe Euchariſtiam dari non ieiuno. Ergo cùm non limitet ad vnam tantùm vicem, quare nos limitare debemus? Maximè, vt diximus, quod in ſecunda & tertia vice adſit eadem neceſſitas, quæ in prima, ſcilicet ne priuetur auxilio tanti Sacramenti. Igitur hanc ſecundam ſententiam prorſus tenendam eſſe exiſtimo.

*An in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis, quando caſus occurrit, debeant cantari duæ Miſſæ, vna de feſto poſt Tertiam, alia de feria poſt Nonam; & an Eccleſiæ Regularium dicantur Collegiatæ?*

RESOLVT. LXXVI.

HIc caſus frequenter ſolet accidere, nec ita facilè eius ſolutio apud Doctores inuenitur. Gauantus *in comment. ad rubric. Miſſalis, tom.1. par.3. tit.10. num.8.* affirmatiuam ſententiam docet, & *n.11.* aſſerit, ita declaraſſe ſacrã Rituum Congregationem in his verbis: [Tanquam de re grauiſſima ſtatuit ſacra Congregatio Miſſam de feria priuilegiata in Cathedralibus & Collegiatis nullatenus omittendam eſſe, ſed omnino aſtantibus Canonicis, & aſſignata diſtributionum portione cantandam eſſe, aut cum Diacono & Subdiacono; aut, ſi eorum copia non ſuppetit, abſque eis, & poſt Nonam, non obſtante quacunque conſuetudine cõtraria, quam ſacra eadem Congregatio ſuſtulit, & in poſterum admitti vetuit, & addit pœnas contentas in Bulla Pij V. quæ præceptum continet.] Ita Gauantus. Non reticebo tamen contrariam ſententiam docere noſtrum P. Andream Caſtaldum *in ſua praxi cærem. lib. 2. ſect.6. cap.3. num.20.* Sed dicet aliquis, an ſi opinio Gauanti eſſet vera, & de dicta declaratione Cardinalium conſtaret authenticè: an, inquam, in Eccleſiis Regularium duæ Miſſæ eſſent cantandæ? Reſpondeo negatiuè. Nam declaratio ſupradicta loquitur de Collegiatis ſecularibus: & contra Portel *in dub. Reg. ver. Miſſa, n.7.* & alios, Eccleſiæ Regularium non dicuntur Collegiatæ, vt probat Rodriquez *qq. Regular. tom.1. q.43. art.12.* & in terminis noſtri caſus Villalobos *in ſum. tom.1. tract.8. diff.19.n.4.* vbi ſic ait: [En las ferias de Quatro temporas, Vigilias, y Rogaciones, ſiendo dobles, ò ſemidobles en las Igleſias Cathedrales, y Collegiales ſe dizen dos Miſſas, vna de la fieſta à la prima, y otra de feria deſpues de nona, conforme à las Rubricas del Miſſal Romano. Los Religioſos no eſtan obligados à dezirlas, que ſus Igleſias no ſon Collegiales.] Ita ille. Notandum eſt etiam cum Layman *in Theol. mor. lib.6. tract.5.c.3.n.5.* Filliucius *tom.1. tract.5. num.4. n.104.* & aliis penes ipſos, quòd Prælatis Eccleſiarum Cathedralium, Collegiatarum & Conuentualium obligatio incumbit, vt in talibus Eccleſiis, quotidie ſaltem vnam Miſſam celebrari curent. Sed Victoria *in ſum. num.94.* abſolutè negat mortaliter peccari, ſi aliquo die Miſſa in his Eccleſiis intermittatur.

*Quando Sacerdos iterum præbet ægroto non ieiuno ſacram Euchariſtiam, quænam temporis intercapedo habenda ſit inter vnam, & alteram communionem?*

RESOLVT. LXXVII.

MVltum tempus, arbitrio boni viri, reſpondet Nau. *tom. p.2. lib.5. de pœnit. & rem. conſ.41.* quod aliqui aſſerunt eſſe 30. dies, vt obſeruat Villalobos *vbi infrà.* Hæc ſententia eſt nimis rigida, ideo poſt octo, vel decem dies, poſſe iterum infirmo non ieiuno Sacerdotem præbere viaticum, putauit Nugnus *in 3.p. tom.1. q.80. art.8.* Villalobos *in ſum. p.1. tract.7. dub.38. n.8.* Suarez *in 3.p. tom.3. diſp.68. ſect.4.* Henriquez *in ſumm. lib.8. c.5.* Fagundez *de præcep. Eccl. tract.3. lib.3. c.5. n.10.* & amiciſſimus ac pariter doctiſſimus noſter P. D. Andreas Caſtaldus *in ſua praxi cærem. lib.4. ſect.14. c.8. n.5.* cum aliis. Syluius verò *in 3.p. q.80. art.9.* putat poſt ſeptem dies poſſe ægrotum iterum ſumere viaticum.

Ego autem puto ſex dies ſufficere, nixus authoritate Tabienæ *ver. communicare, n.48.* Armill. *n.18.* Zambrani *in deciſ. caſ. conſc. tempore mortis, c.3. dub.5. n.4.* Poſſeuini *de off. Cur. c.8. n.21.* Filliuc. *tom.4. c.8. n. 238.* & fauet huic ſententiæ Ioan. Maior *in 4. ſentent. diſt.9. q.3. ad 5. q.32.*

*An Sacerdos poſſit præbere viaticum infirmo deliranti, qui propter febrim in amentiam incidit?*

RESOLVT. LXXVIII.

REſpondeo affirmatiuè, ex D. Thom. *in 3.p. q.88. art.9. & ex cap. qui recedunt 26.q. & c. 15.* quia in pluribus decretis ſtatuitur, vt pœnitentia non negetur phreneticis, ſi conſtiterit priùs confeſſionem deſideraſſe, & ſigna contritionis dediſſe, & conſequenter idem colligitur de Euchariſtia: non tamen neceſſe eſt, vt tempore vſus rationis petierit expreſsè, & oſtenderit ſigna contritionis, confeſſionis, & communionis, vt nimis ſcrupuloſè putauit Zanardus *in direct. confeſſ. p.1. tr. de Euchar. c.7.* & alij. Sed omnis fidelis, qui non eſt notorius excommunicatus, nec notorius peccator ſine ſignis pœnitentiæ, & de quo non conſtat in complacentia peccati mortalis amiſiſſe vſum rationis, debet Euchariſtiam tempore mortis ſumere, in quo quidem tempore omnis fidelis illam interpretatiuè cenſetur petere, & ſic Sacerdotes debent huiuſmodi ægrotis communionem præbere. Ita Sancius *in ſelectis, diſp.38. n.10.* Zambranus *in deciſ. caſ. conſc. tempore mortis, c. 3. dub.4. n.2. & 7.* cum Coninch *de Sacr. q. 80. art.9. num.74.* & aliis.

Tales igitur amentes tunc communicandi non ſunt, quando clarè & euidenter conſtat eos in peccato mortali vſum rationis amiſiſſe, quod vix poteſt conſtare, vt bene aduertit Sot. *in 4. diſp. 15.* nam vnuſquiſque præſumitur bonus, donec oppoſitum probetur, *c. fin. de præſum.* Sed hæc omnia procedunt, quando infirmus poteſt ſine irreuerentia, & periculo vomitus dictam communionem ſumere, aliàs danda non erit: & ideo Syluius *in 3. part. q.80. art.9.* Emmanuel Sà *ver. Euchar. num. 3.* aſſerunt in mortis articulo non eſſe amentibus dandam Euchariſtiam, ob irreuerentiæ periculum.

Sed hi Doctores nimis abſolutè loquuntur, nam in tali caſu poteſt fieri experientia, vt optimè notat Zambranus *vbi ſuprà, n. 5.* Ita quòd detur primo huiuſmodi infirmo aliqua forma non conſecrata, vt appareat quomodo ſe habeat in tali ſumptione, & ſi ſe habuerit decenter, detur illi forma conſecrata: ſin autem, minimè: & hæc eſt optima praxis. Quæ quidem omnia procedunt in adminiſtratione ſacramenti Extremæ Vnctionis. In quo caſu notanda erit etiam alia optima praxis ex Zambrano *vbi ſuprà c.5. dub.2.* qui citat Paludanum, D. Antoninum, Ledeſ. Henriq. & alios, ſcilicet phreneticum, vel furioſum, ſi reſiſtat, eſſe ligandum, excluſis tamen laicis ad tollendum ſcandalum, id facere aliquando erit neceſſarium, quando phreneticus non poſſet recipere aliud Sacramentum, niſi Extremam Vnctionem.

*An Sacerdos poſſit aliquando in ſanitate communicare ſupradictos amentes?*

RESOLVT. LXXIX.

REſpondeo negatiuè cum Zambrano *in deciſ. caſ. conſc. c.3. dub.6. n.8.* & aliis, nam hoc conceditur illis

tantùm in articulo mortis, quia in articulo neceſſitatis toleratur aliqua minor diſpoſitio & reuerentia, quæ non impediet gratiam habitualem, quæ tamen non debet tolerari extra talem neceſſitatem.

His tamen non obſtantibus Ioſeph Angles *in* 4. *ſent.* docuit quotannis dictos amentes debere communicari, & hanc ſententiam videtur etiam docere Villalobos *in ſum.p.1.tr.7. dub.*40. *n.3.* & quia codex rarus eſt, ponam eius verba. [ La duda es ſi à eſtos freniticos ſe les ha de dar fuera del articulo de la muerte, mi parecer es, que ſe les puede dar algunas vezes, mayormente ſi tienen reuerencia à eſte Sacramento, y algun vſo de razon, como ſon algunos Religioſos Sanctos, que por el tiempo vinieron à caducar. [ Sed hæc opinio admitti non poteſt in perpetuò, & abſolutè fatuis, ſed in ſemifatuis, in quibus etiam Henriquez *lib.*8.*c.*42.*n.*3. *&* 4. putat Euchariſtiam in Paſchate dari debere: immò Sancius *in ſelectis, diſp.*26. *n.* 5. *& diſp.* 38. *n.*9. probat illis Euchariſtiam miniſtrandam eſſe toties, quoties eam ſibi miniſtrari poſtulauerint, quia ſi in Paſchate, vel aliquando communicant, nullam committunt irreuerentiam, nec etiam committent, pluries communicando, cùm tam homo ſuſcipiens, quàm Sacramentum ſuſceptum ſemper vnum, & idem ſint. Neque imaginari poteſt, quomodo hodie communicando oriatur de nouo irreuerentia, quæ heri ſuſcipiendo Euchariſtiam non fuit orta, dummodo actio ſit eadem in ſpecie, Sacramentum idem, & homo, qui ſuſcipit, ſit cum eodem vſu rationis, quo fuit heri. Ita Sanchez. Sed an probabiliter, iudicent viri docti. Nam hic Author nimis laxas opiniones tenet circa frequentiam ſacramenti Euchariſtiæ. Primò enim docet, ad communicandum quotidie non aliam requiri diſpoſitionem, præter nullius peccati mortalis conſcientiam, aut quòd ob inanem gloriam non ſuſcipiatur Euchariſtia. Secundò, eſſe magis expediens coniugatis die habitæ copulæ Euchariſtiam ſuſcipere; idem de illo qui fornicationem, aut pollutionem voluntariam commiſit, ſi de illa confiteatur. Tertiò, pueros ſtatim, ac habent vſum rationis eſſe communicandos. Quartò, non eſſe expediens Confeſſariis impedire aliquoties pœnitentes Euchariſtiam ſumere, cauſa emendandi venialia peccata, ſiue imperfectiones illorum. Quintò, non eſſe etiam expediens Prælatis Religionum priuare aliquoties ſuos Religioſos ſuſceptione ſacræ Euchariſtiæ cauſa illos mortificandi: & idem Confeſſariis erga ſuos pœnitentes. Hæc omnia Sancius *in ſelect. à diſp.* 22. *vſque ad* 31. Sed aduerſùs illum adeſt communis opinio Doctorum, & nouiſſime Salazar Societatis Iesv *in pract. de frequen. commun.* edita Matriti anno Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo, omnes ſupradictas propoſitiones refellit.

*An qui tenetur in aliqua Eccleſia celebrare ſine Sacrificij applicatione, vt vulgò dicitur,* con la ſola preſenza *poſſit aliud ſtipendium pro illa Miſſa accipere, & alteri applicare?*

Resolvt. LXXX.

Affirmatiuam ſententiam docet Alphonſus de Leone, vir huius literaturæ conſultiſſimus, *in tr. de Iubilæo, p.*3.*q.*20.*num.*27. vbi ſic aſſerit: Quando datur ſtipendium, non pro applicatione Sacrificij, ſed pro cultu Eccleſiæ, vel commoditate populi: tunc poteſt Sacerdos aliam eleemoſynam accipere pro applicatione Sacrificij, abſque peccato & obligatione reſtitutionis. In dubio autem non præſumitur datum, vel relictum pro cultu Eccleſiæ, ſed pro applicatione Sacrificij, niſi aliud conſtet ex claris verbis teſtatoris, vel circunſtantiis perſonarum. Vnde cùm fratres in Oratorio, ſeu eorum Eccleſia faciunt celebrare feſtis diebus, vel ob commoditatem ipſorum, vt Miſſam audiant, & ibi communicent, aut ob commoditatem gentis vicinæ abſque alia expreſsione: non intelliguntur Sacrificij applicationem velle, vt in praxi vidi multoties conſultum, & practicatum à viris timoratis, & doctis.] Ita ille. Et antea hanc ſententiam docuerunt etiam Fraxinellus *de oblig. Sacerd. ſect.*4. *concl.*4. §.8. & Homobon. de Bonis *de exam. eccleſ. par.*1. *tract.*4.*c.*13.*q.*121.

Sed his non obſtantibus, nouiſsimè negatiuam ſententiam tenet Gauantus *in comm. ad rubr. Miſſalis, tom.*1.*p.*3. *tit.*12.*n.*5. vbi ita ait: [Qui tenetur alicubi celebrare abſque applicatione Sacrificij ad diuinum cultum tantùm, ita debet ibi celebrare, vt nullo modo accipiat ſtipendiũ ab alio, vt illi applicet Sacrificium ſibi liberum, quod expreſsè vetuit ſacra Concilij Tridẽtini Cõgregatio in Declarationibus Decreti *de celebrat. Miſſ.* ſub Vrbano VIII. emanati.] Ita Gauant. Verba verò ſacræ Congregationis hæc ſunt: [Ad quartum reſpondetur, Sacerdotes quibus diebus tenentur Miſſas celebrare, ratione Beneficij, ſeu Capellæ, legati, aut ſalarij, ſi eleemoſynas pro aliis etiam Miſsis celebrandis, ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa vtrique obligationi ſatisfacere.] In quibus verbis ſacra Congregatio abſolutè, & ſine vlla diſtinctione videtur prohibere Sacerdotibus, ne pro vna Miſſa duplicatum ſtipendium accipiant; vnde corrueret etiam opinio poſita *ſuprà in reſol.* 14. Ratio horum omnium eſſe poteſt, quia ſtipendium non datur pro Sacrificio ipſo, & fructu ſpirituali: nam hoc eſſet ſimonia, ſed exhibetur pro labore extrinſeco, quod eſt pretio æſtimabile. Vnde Epiſcopus his omnibus conſideratis, ſtatuit quantitatem iuſti ſtipendij. Ergo vna Miſſa non meretur, niſi vnicum ſtipendium iuxta Epiſcopi taxationem, niſi occurrerent aliæ circunſtantiæ, quas ſupponimus non accidere in caſu noſtro.

# TRACTATVS XV.

## & I. Miſcellaneus.

*In Tabella caſuum reſeruatorum Diœceſis Panormitanæ adeſt peccatum ſodomiæ: quæſitum ſæpiùs à me fuit, an pueri ante annos pubertatis includantur in tali reſeruatione?*

Resolvt. I.

Dvas inuenio apud Doctores ſententias circa hanc quæſtionem. Prima affirmat, ſic Homobonus *de caſ. reſer. part.* 1. *cap.* 3. *fol.* 60. ait: [Peccata impuberum, vt maſculorum ante 14. annum, reſeruationibus Epiſcoporum ſubduntur, niſi aliud eorum ſtatutis caueatur: ita etiam docuit Lazarius *tractat. de Blaſphemia, quæſt.* 9. *num.* 42. & nouiſsimè Floronus *de caſ. reſeru. part.* 1. *cap.* 3. *num.*3.

Secunda opinio negat, ita doctiſsimus Paludanus *in* 4. *ſent. diſt.*34. *quæſt.*2. *art.*1. & nouiſsimè Iacobus de Graffis *tom.*1. *Conſiliorum lib.*5. *de adult. conſ.*3. *num.* 13. *& ſeq.* vbi quærit, an pueri ſuccubi & muliebria patientes comprehendantur ſub caſu reſeruato; & reſpondet negatiuè, quia ſicut minor ætas in foro exteriori excuſat à pœna ordinaria, ita & in animæ iudicio. Et ita etiam docet Bellochius *de caſ. reſer. p.*2.*q.*1.*n.*203. *& q.*17.*n.*66.

*An intra pyxidem, vbi Sacramentum reſeruatur, debeat permanere aliqua palla ex lino confecta, & benedicta?*

Resolvt. II.

Affirmatiuè reſpondet Vaſquez *in* 3. *diſp.*233. *c.* 4. *n.* 36. vbi ait: [Exiſtimo ex conſuetudine neceſſarium, vt intra pyxidem, in qua Sacramentum ſeruatur, ſit vas aliquod ex lino, quod benedictione corporalis benedictũ ſit. Nam quandiu celebratio Miſſæ durat, Corpus Chriſti ſemper eſſe debet ſupra pallam corporalem benedictam, quæ ſindonem repræſentat, qua Chriſti Corpus mortuum in ſepulchro inuolutum fuit, ita etiam finita Miſſa quamdiu Corpus Chriſti ſeruatur.] Hæc ille.

Sed hæc ſententia mihi non placet, & conſuetudo quam affert Vaſquez eſt in contrarium. Ad argumentum verò reſpondetur ex Nugno *in* 3.*p.tom.* 1.*q.*83.*art.* 3.*dub.* 5. in his rebus non valere argumentum à paritate rationis, eſt etiam differens ratio, quoniam corporale tangit Corpus Chriſti in ipſomet Sacrificio: vnde licèt non ſit ſanctior confectio Corporis Chriſti, quàm ipſummet Corpus conſecratum, ac præſens perſeuerans. Tamen propter conficiendum Sacramentum ſunt neceſſaria vaſa conſecrata, non autem propter cuſtodiendum. Ex his patet reſponſio ad illam quæſtionem, an pyxis, in qua Corpus Chriſti ſeruatur, benedici debeat. Reginaldus *in praxi, tom.*3.*lib.*29.*c.*9.*ſect.*6.*n.*201. Molfeſius *in ſum. tom.*1.*tr.* 3. *c.*12.*n.*55. Pet. de Ledeſma *in ſum. tom.*1. *de ſacr. Euchar. c.*21. *fol. mihi* 150. affirmant, & in hanc ſententiam videtur inclinare Pitigianus *in* 4. *ſent. tom.*1. *diſt.* 13. *q.*2. *art. vnic.* cum aliis.

Sed in rigore mihi placet opinio negatiua, quam tuentur, & docent Paludanus *in* 4.*diſt.*13. *q.*1. *art.*4. Tabiena *ver. Euchar. n.* 31. Sylueſt. *eodem ver.* 3.*q.*4. Sotus *in* 4.*diſt.* 14.*q.*1.*art.* 3. & ex neotericis Nugnus *vbi ſup.* Azorius *p.* 1. *lib.*10.*c.*27. *quæſ.*7. Henriq. *lib.*9.*c.*8. & Vaſquez *loco cit.* vbi aſſerit, pyxidem non eſſe benedicendam, eo quòd nullo iure id præcipiatur. Quòd verò in Pontificali pro illa peculiaris benedictio aſſignetur, non ſatis eſt, vt dicamus neceſſariò eſſe benedicendam. Nam & in Pontificali aſſignantur benedictiones pro aliis ornamentis Altaris, & pro vaſis Reliquiarum, & pro campanis, quæ tamen omnia non ſemper benedicuntur.

*Vtrùm Calix qui vſu aurum amiſit, & iterum poſtea deauratur, quoad illam ſuperficiem, quæ tangit ſanguinem Chriſti, debeat de nouo conſecrari. Idem quæritur de Patena.*

Resolvt. III.

Affirmatiuè reſpondent communiter DD. ſic Pitigian. *in* 4.*ſent.tom.*1. *diſp.*13. *q.*2.*art.vnic.* Molfeſ. *in ſum. tom.*1.*tr.* 3.*c.*12.*n.* 53. Pet. Ledeſma *in ſum. tom.*5.*de ſacr. Euchar.c.*21. *fol. mihi* 148. Scorzia *de ſacrif. Miſſæ, lib.*2.*c.* 14.*n.*8. Barthol. ab Angel. *in exam. Confeſſ. dial.*5.§.324. qui citat Sylueſtrũ, Angelũ, Armillã, & Tabienã, *ver. Calix*; & alij communiter, vt dixi. Et ratio eſt, quia conſecratio fit propter contactum Corporis & Sanguinis Domini, id autem in quo proximè fit contactus, non eſt conſecratum. Ergo conſecrandum eſt: & ita certam eſſe hanc ſententiam putant aliqui, vt Reginaldus, qui *in praxi, tom.*2. *lib.* 29.*c.*9.*ſect.*6.*n.*199. contrariam docet periculoſam.

Sed his non obſtantibus, probabilem ego puto cum Layman *in Theol. mor. lib.*5.*tract.*5.*c.*6.*num.*7. & illam amplexus eſt Ægid. de Coninch *de Sacr. q.* 83.*art.* 3. *dub.* 3. *n.*246. quam his rationibus probat. Quia cùm res ſemel conſecrata nunquam amittat conſecrationem, quandiu manet eadem & integra, vt docet D. Thom. *in* 3.*par.q.*83. *art.* 3.*ad* 3. & communiter Doctores, difficile videtur, cur Calix conſecrationem perdat per deaurationem, cùm non frangatur, nec ita mutetur, quin maneat idem. Videtur ergo omnino eam retinere ſimili ratione, qua Eccleſia retinet ſuam conſecrationem, quando paulatim reficitur, in qua pars noua cenſetur conſecrata hoc ipſo, quo conſecratæ additur.

Sed aduerſùs hanc rationem conſurgit Suarez *in* 3. *p. tom.*3.*diſp.*81.*ſect.*7. & Pitigianus *vbi ſuprà*, & ali, dicendo hoc verum eſſe, quando pars quæ additur, eſt minus principalis. Sed in caſu noſtro, licèt pars argentea Calicis





videatur principalior quoad magnitudinem materiæ, tamen quoad vſum id quod per deaurationem additur, principalius eſt; quia tangit & continet immediatè ſanguinem Chriſti. Ergo. Hæc Pitigianus, & alij.

Sed contrà, nam ex hoc ſequeretur, Primò Calicem recenter deauratum poſſe dici alium à præcedenti. Secundò eum in ratione Calicis, & vſus quem habet ad Sacrificiũ, deſtrui, ſi interius aurum omninò deteratur, quæ tamen communiter negantur. Vtraque autem ſequela probatur, quia res abſolutè dicitur deſtrui, ac fieri noua, quando ſecundùm ſuam præcipuam partem ſimul deſtruitur, aut renouatur. Et patet in Eccleſia, quæ amittit ſuam conſecrationem, quando præcipua pars parietum ſimul corruit. Et ob has rationes ait Ægidius, viri quidam doctiſſimi putant hanc ſententiam eſſe probabiliorem: at ego addo, quòd probabilem illam etiam vocauit ex aduerſariis Gabriel Vaſqu. nam *in* 3.*p.tom.*3.*q.*83.*art.* 2. *diſp.*233. *c.*3.*n.* 31. contrariam ſententiam, quam ipſe tenet, vocat tantùm probabiliorem. Ergo ſecundùm Vaſquez, ſententia Ægidij eſt probabilis. Ad argumentum Pitigiani in principio poſitum, reſpondetur, quòd illa noua deauratio cenſetur conſecrata, hoc ipſo quo conſecratæ additur.

*Vtrùm cingulum perdat benedictionem, ſi ita frangatur, vt neutra pars ſufficiat ad cingendum Sacerdotem, licèt ipſe aliquo modo vniat partes illas ſeparatas?*

Resolvt. IV.

In ſimili caſu cingulum benedictionem amittere putat ex Paludano, Franc. Pitigianus *in* 4. *ſent. tom.*1. *diſt.* 13. *q.*2.*art.*4. & hanc ſententiam videtur etiam docere Bonacina *de Sacram. diſp.*4.*q.vlt. punct.*9. *n.*26. & Valerius Reginaldus *in praxi tom.*2.*lib.*29.*c.*6.*ſect.*3.*n.*160.

Sed ego contrariam ſententiam puto eſſe probabiliorem, quam tuetur noſter P. Molfeſ. *in ſum. tom.*1. *tract.* 3. *c.*12.*n.*3. & præter Suarez & Scorziam, quos ipſe citat, tenet etiam hanc opinionem ex neotericis, Coninch *de Sacr.q.*83.*art.*3.*dub.* 3.*n.* 251. vbi aſſerit: [Si cingulum ita frangatur, vt neutra pars ſufficiat ad cingendum Sacerdotem, amittere benedictionem. Secus ſi longior pars adhuc ſufficeret ad cingendum: aliqui tamen putant, etiam in prima fractione licere partibus ſimul nexis vti. Ita Emmanuel Sà *ver. Miſſa, n.*12.] Hæc Ægidius.

*Difficilis eſt illa quæſtio, an ſi quis inualidè contraxit matrimonium ob defectum conſenſus, vel cum impedimento dirimente, obtenta diſpenſatione teneatur iterum conſentire coram Parocho & teſtibus?*

Resolvt. V.

Aliqui affirmatiuè reſpondent apud Sanchez & Ceuallos *vbi infrà*, & nouiſſimè docuit hanc ſententiã Baſilius Pontius *de matrim. lib.* 5.*c.* 6. *n.* 5. Ioan. Guttierez *tract. de matrim. c.*79.*num.*32. Pet. Cenedo *in ſuis practicis quæſtionibus, q.* 30.*num.*11. *& in Collectaneis ad Decretales, Collect.*58.*n.*4. Spino *in ſpeculo teſtam. gl.* 15.*princ.n.*52. Et ex Societate Iesv Paul. Comitolus *in ſuis reſponſ. moral. lib.*1.*q.*120.*n.* 3. *& q.* 122. *n.* 10. qui aſſerit ſe de hac controuerſia dediſſe litteras ad Patrem Stephanum Tuccium Romanæ Pœnitentiariæ Rectorem. Et cùm conſuleret is Pater Clementem VIII. Pontifex affirmatiuè reſpondit. Quare, addit Comitolus, poſt Apoſtolicæ Sedis adiudicationem, nemini eſt amplius integrum de hac re ſecùs opinari, & non ſolùm authoritate, ſed etiam rationibus ſuadetur hæc opinio. Nam Concilium Tridentinum abſolutè docet, matrimonia non poſſe validè contrahi, niſi coram Parocho & teſtibus. Ergo ſublato impedimento requiritur etiam præſentia Parochi & teſtium, quando denuò celebratur matrimonium, cùm tunc verè contrahatur. Nec valet dicere, quòd

quòd ex hac opinione ſequerentur multa incommoda, præſertim ſcandalum: nam in tali caſu nōn debent contrahere, ſed petere diſpenſatione à Pontifice contrahendi ſine præſentia Parochi,& teſtium ratione ſcandali.

Verùm contraria ſententia probabilior eſt, & illam in praxi ſæpiùs conſului, quam amplexi ſunt, Andr. Victor. mutans ſententiam *in Notis ad Manuale Martini Nauarri cap.22.n.* 70. Franciſcus Syluius *in addit.ad 3.part. D. Thom.q.45.art.2.quæſ.2.concl.*4. Sanchez *de matr. tom.* 1.*lib.2.diſp.*37.*n.*3. Poſſeuinus *de officio Curati,c.* 10.*n.*24. Rebellius *de oblig.iuſt.p.2.lib.3.q.9.punct.5. & 6.* Ægidius de Coninch *de Sacram.diſp.*24.*dub.*10. *n.* 83. Reginaldus *in praxi,tom.2.lib.*31.*c.*23. *n.* 283. & Bonacina *de matrim. q.2.punct.9.n.5.& 6.* præter Doctores, quos ipſe citat, & Sanchez *vbi ſuprà.*

Dico igitur, quòd non tenentur iterum coram Parocho & teſtibus contrahere, qui ſemel coram eiſdem contraxerunt, inualidè tamen ex defectu cōſenſus, vel propter occultū impedimentū dirimens; ſed ſatis erit, quòd rurſus ſecretè verè conſentiant, impetrata priùs diſpenſatione impedimenti, niſi periculum ſit, vt detegatur ab aliquibus impedimentum, & probetur in foro externo; tali enim periculo exiſtente, celebrandum iterum eſt coram Parocho & teſtibus, maximè ſi ipſi tale impedimentum noſſent, quantumcunque aliàs eſſet occultum, quia cùm ipſis conſtet in foro Eccleſiæ matrimonium eſſe nullum, non ſunt teſtes valoris, ſed nullitatis matrimonij. Ita DD. citati. Ratio noſtræ concluſionis eſt, quia hic caſus cenſetur iure ipſo exceptus, nec comprehenſus in generali Concilij Decreto. Nam, ſecundùm mentem Tridentimi in illo loco, illud ſolum matrimonium dicitur clandeſtinum, quod non poteſt probari in facie Eccleſiæ eſſe contractum: ſed id, de quo agimus, non eſt tale, quia eodem modo poteſt probari in facie Eccleſiæ contractum, quo alia omnia. Ergo ex mente Concilij, nec clandeſtinum, nec irritum erit.

Reſtat modò reſpondere ad argumenta Comitoli. Ad primum dico, de illa reſponſione Clementis VIII. non conſtare authenticè, vel Summum Pontificem tunc reſpondiſſe, tanquam priuatum Doctorem. Ad ſecundum reſpondetur, negando, tale matrimonium eſſe omninò nullum, nam fuit quidem validum ſecundùm externam apparentiam, & quoad præſumptionem Eccleſiæ ignorantis impedimentum, in cuius facie contractum eſt. Ergo ſufficit tantùm renouare conſenſum, & non adhibere præſentiam Parochi, & teſtium, quia fuerunt præſentes externo contractui. & eorum præſentia requiritur, quando matrimonium contrahitur ſecundùm omnes partes, non verò quando ſuppletur aliquis defectus occultus. De hac tota quæſtione vide etiam Zambranum *in ſuis deciſionibus caſuum conſcientiæ,cap.7.dub.2.*& Riccium etiam *in ſuis deciſionibus,p.2.deciſ.*98.& Hieronymum Ceuallos *in ſpeculo aureo opinionum commun.q.*604.*n.*28.

*Olim per effuſionem humani ſanguinis iniurioſam, fuit violata quædam Eccleſia conſecrata, quæſierunt, an ſimplex Sacerdos de licentia Epiſcopi, poſsit illam reconciliare?*

RESOLVT. VI.

Reſpondi negatiuè; nam hæc eſt differentia inter Eccleſiam benedictam, & conſecratam: nam Eccleſia ſi ſit benedicta, poteſt reconciliari per ſimplicem Sacerdotem, & cum aqua benedicta communi; ſi verò ſit conſecrata, debet reconciliari per Epiſcopum proprium, vel per alium Epiſcopum de eius licentia, & cum aqua à ſe, vel ab alio Epiſcopo benedicta cum vino, & cinere. Ita communiter Doctores. Auila *de cenſ.part....diſp.* 7 *dub.* 4. Filliuc. *in ſuis quæſtionibus moral.tom.*1. *tract.5.c.4. n.*118. Sayrus *de cenſuris,lib.5.c.16.n.*31. Graffius *deciſ. aur. p.* 1. *lib.1.c.48.n.*10. Henriquez *lib.9.c.27.n.6.* Nugnus *in 3. p. tom.1,q.63. art.3.dub.* 2. & alij. Probatur hæc opinio ex *c.aqua.de conſecr. Eccl.* vbi dicitur quòd cōſuetudo Eccleſiæ Bracharēſis, vbi ſolebāt Epiſcopi cōmittere Sacerdotibus, reconciliare Eccleſiam, potiùs ſit dicenda corruptela.

Non reticebo tamen, contrariam ſententiam extare apud Victoriam *in ſum. Sacr.q.*99. & apud Emmanuelem Sà poſt correctionem Magiſtri ſacri Palatij, *ver. Eccleſ. n.*20. Et quod mirum eſt, nouiſſimè Franciſcus Syluius *in ſuis commentariis in 3.par.D. Th.p.*83.*art.* 3. docet etiam hanc ſententiam, & teſtatur de praxi, ait enim: [Quibuſdam videtur, quòd Eccleſia priùs conſecrata, ſic debeat reconciliari per Epiſcopum, vt hic vices ſuas nequeat ſimplici Sacerdoti committere: contrarium tamen tradunt Victoria, & Sà, quod credimus eſſe in praxi, non contradicente, ſed potiùs concedente Pontifice.] Hæc ille. Quæ quidem ſententia an ſit probabilis, iudicent viri docti, videtur enim contra *cap. aqua. vbi ſuprà*, & conſuetudo, & praxis, quam affert Syluius, eſt in contrarium.

*Quidam Confeſſarius ex negligentia culpabili non interrogauit pœnitentem de circunſtantia neceſſaria ad Confeſsionis integritatem, quæritur, an teneatur pœnitentem monere de defectu commiſſo?*

RESOLVT. VII.

Reſpondeo Antonium Fernandez *in exam. Theol. moral.p.4.c.5.§.11.n.*3. affirmatiuam ſententiam docere, putat enim hunc defectum eſſe vrgentem cauſam, obligantem confeſſarium ad petendam à confitente facultatem, vt illum moneat de re neceſſaria circa factam confeſſionem. Ac proinde ſi monitio abſque ſcandalo fieri poteſt, tenetur talis confeſſarius pœnitentem monere, dummodo illi non adueniat graue detrimentum.

Sed Vincentius Filliucius ex Societate IESV, in ſuis eruditis quæſtionibus moralibus, quas nuper edidit, *tom.* 1. *tract.3.c.12.q.7.n.*374. *& ibid. in inſtructione pro confeſſionibus excipiendis, c.*4. contrarium docet. Etenim confeſſarius, duplici de cauſa poteſt male abſoluere. Primò, quia inualidè, non habendo intentionem, vel iuriſdictionem, vel cum aliquo alio defectu, circa ipſam ſubſtantiam confeſſionis. Secundò, quia cum peccato, ſed validè. In primo caſu, tenetur confeſſarius, prout ſuprà ait Fernandez, & communiter Doctores, petere licentiam, & admonere pœnitentem. In ſecundo caſu, regulariter ad nihil tenetur; præterquam ad dolorem de peccato facto. Ratio eſt, quia pœnitens non tenetur illam confeſſionem iterare, ſed ad ſummum explicare circunſtantiam illam, vel ſpeciem, vel numerum peccatorum, quæ omiſit, quando reſciuerit ſe ad id fuiſſe obligatum. Hæc ille. Quam ſententiam limitat, niſi defectus eiuſmodi eſſet coniunctus cum damno tertij, vt quia pœnitens retinebat alienum; tunc teneretur Sacerdos eum reuocare, & admonere, quando poſitiuè contrarium dixiſſet, nempe eum non teneri ad reſtitutionem: quando autem tantùm tacuiſſet, non teneretur; ſed de hoc alibi.

Ex hac ſententia Filliucij apparet, tunc confeſſarium teneri admonere pœnitentem, quando defectus verſatur circa ſubſtantiam, & validitatem Sacramenti, & non eſt in præiudicium tertij, vel ipſius pœnitentis, relinquendo illum, videlicet in occaſione proxima peccandi; ſecus autem ſi abſolutio fuit valida, ſed ob ignorantiam cum peccato à confeſſario collata, non faciendo videlicet explicare aliquam circunſtantiam neceſſariam, vel numerum peccatorum; nam in hoc caſu ſufficit, ait Filliucius, confeſſarium pœnitere. Et ita etiam tenet Nugn. *in addit. ad 3.part.tom.2.q.8. art.4.dub.3.fol. mihi* 275. & Reginaldus *tom.1.lib.8.cap.3.ſect.2.num.*31.

Notandum eſt tamen, pro conſolatione confeſſariorum, quòd omittere aliquam interrogationem neceſſariam per inaduertentiam, aut obliuionem, non erit peccatum mortale, vt ex Nauarro docet Bannes, & Valerus *in differentiis vtriuſque fori, verſ. Iudex, diff.6.n.*4. Sed circa præſentem quæſtionem vide Vaſquez *in 3.p.tom.4. q.*93. *art.3.dub.*8. Bonacinam *de Sacram.diſp.3.q.7. punct.6. n.2.* Suarez *in 3.part.tom.4.diſt.32. ſect.6.* Franciſcum Ortiz *in ſum. c.24. n.*8. Onuphrium *opuſc. de ſigillo,ſect.4. q.5.§. ſequitur ſecundò,* Sotum *de teg. & deteg. ſecr. membr. 3. q.*4. Nau. *cap.26.n.*14. Reginaldum *vbi ſuprà*, & alios.

*Quidam habebant facultatem diſtribuendi pauperibus, certam pecuniarum ſummam, quæſierunt à me documenta aliqua ad tollendos ſcrupulos?*

RESOLVT. VIII.

Reſpondi, quòd is cui committitur electio pauperum, non habet neceſſe eligere pauperiorem. Ita Bartol. *in l.vnum ex familia, §. in fine, de legat.* 2. Bald. *in l. cùm quidam, ad fin.de legat.*2. Nam locus eſt gratificationi, nec peccat, qui vnum pauperem alteri prætulit. Idem Bald. *in repet.l.1. num.31. verſ. item quæritur, de ſacroſ. Eccleſ.* Hæc omnia Cardinalis Mantica *de coniect. vltim. volunt. lib.* 5. *tit.5.num.6.*

Sed difficultas manet, quiſnam dicatur pauper. Reſpondeo, & dico primò, id totum eſſe arbitrio boni viri remittendum, qui iuxta qualitatem perſonarum iudicet, quis dicatur pauper. Ita Maſcardus *vbi infrà, num.*14. & DD. *in l.ſi conſtante. ff. ſolut. matrim.* At ita generaliter loquendo, res adhuc manet intricata ſcrupulis. Dico igitur ſecundò, ſub nomine pauperum intelligi omnia loca pia, vt Hoſpitalia, Eccleſias indigentes luminaribus, ornamentis, ædificiis, & Monaſteria Religioſorum; vnde habens facultatem diſtribuendi aliquam eleemoſynam inter pauperes, poteſt etiam eligere Religioſos. Ita Ioan. Andr. *in cap.1.in Nouella de teſtam. lib.6.* & Imol. *in l. captatoriæ. in fine, de leg.* 1. Et etiam Religioſus, cui data eſt electio, poteſt bona diſtribuere inter Religioſos ſui Monaſterij, vt notat Card. *in Clem.1.num.*22. Imol. *num.*18. & Anch. 16.*de teſtam.* Dico igitur, quòd tertiò ille etiam dicitur pauper, qui victum poteſt quærere, vel quærit ex labore ſuo. Ita Baldus per illum textum cum gloſſa *in l. paupertas, ff. de excuſat.tutor.* & Iaſon *in l. niſi conſtante, n.*151. *ff. ſolut. matrim.* Vnde M. Antonius Genuenſis *in ſuis practicabilib. Eccleſ. tricenar.* 13.*q.*387.*n.* 2. aſſerit legatum relictum pro dote puellæ pauperis, etiam deberi, ſi illa poteſt viuere, vel viuat ex labore ſuo: quod eſt valdè notandum. Dico quartò, quòd pauper etiam dicitur ille, qui non ſolùm non habet vnde viuat, ſed etiam, qui non poteſt commodè, & honeſtè viuere ſecundum ſuam conditionem, vt ſunt multi artifices, & perſonæ etiam altioris conditionis, quæ ægrè admodum vitam ſuſtentant. Vnde Iacobus Mandellus *lib.1.conſ.69.n.*7. ex Bald. *in l.ſi quis ad declinandum, col. 2. verſic. circa tertium.C. de Epiſc.& cler.* ſub nomine pauperis intelligit nobilem, cui imminet onus dotandi filias, & eas nuptui tradere, & commodè dotare non poteſt, licèt habeat tantum, quantum ſufficit ad alimenta, & ſic, ait Mandellus, debet ei tanquam pauperi diſtribui legatum factum pauperibus. Vide noſtrum Megal. *in par.2.lib.2.c.2.q.2.n.*12. & præter Doctores, quos ipſe citat, tenet etiam hanc opinionem ex Ciuilitis, Natta *vol.3. conſ.* 590. *n.*14. Alciat. *in l.quos nos hoſtes.§. locuples,n.*11.*ff.de ver.ſign.* & alij. Ex Theologis Molina *de iuſt.tract.2.diſp.*747.*n.*1. Reginald. *in praxi, tom.1.lib.10.c.14.ſect.1.n.*197. Filliuc. *in quæſt. moral. tom. 2.tract.32.c.4.n.*95. Nauar. *de reſt.lib.4.c.2.n.*50. Nauar. *in manual.cap.17.n.*93. Vaſquez *opuſc.de reſt.c.5.§.4. dub.* 1. *n.6. & 12.* cum aliis.

Ex his apparet, me olim rectè conſuluiſſe, pauperem dicendum eſſe quendam, licèt vncias quadraginta annuales haberet: nam cùm ſimul haberet matrem, non poterat ſecundùm ſuam conditionem decenter viuere. Et, vt ait Bannez, & Caiet. 2.2.*quæſt.*43. *art.*8. pauperes non ſolùm dicuntur, qui egent cibo, potu, & veſte, quæ ſunt neceſſaria naturæ, ſed qui egent opportunis ad conuenientiam ſui ſtatus.

Notandum eſt verò, quòd omnia ſupradicta ſunt admittenda, quando aliter non conſtaret clarè, vel ex coniecturis de mente, & intentione teſtatoris, vel legatarij: nam tunc eleemoſyna eſſet diſtribuenda inter illos pauperes, quos ipſe in particulari voluerat.

*An aliquis, qui non æquè dubitat, ſed magis in eam partem inclinat, vt votum emiſerit; an, inquam, propter iſtam ſuſpicionem voti, teneatur ad illud implendum, non integrè quidem, ſed ad partem pro ratione huius maioris propenſionis?*

RESOLVT. IX.

Prima opinio eſt Filliucij *in quæſt. mor.tom.2. tract.*22. *c.4. n.*165. & Ferdinandi Rebellij *de obligatione iuſtitiæ,p.2.lib.1. quæſt. 2.ſect.2. num.* 10. vbi abſolutè aſſerit, quòd ſi quis ita dubitet, vt tamen veriſimilius ſit, votum fuiſſe emiſſum, tenetur ſub mortali illud ſeruare; & hoc, ait, à nemine negatur.

Secunda opinio eſt Sanchez *de matrim.tom.1. lib.2. diſp.* 41.*n.*34. vbi ait, quòd ſi quis non dubitet, ſed opinetur, ſe vouiſſe, ita vt magna ſit determinatio iudicij ad hoc, tenetur ad votum adimplendum; ſi verò fuerit mediocris, diuidendam eſſe rem promiſſam, ſicut de poſſidente rem opinatur, aut magis propendet eſſe alienam, diximus teneri diuidere, pro dubij qualitate, quia maior iudicij determinatio etiam cum formidine, ſufficienter compenſat exceſſum poſſeſsionis, quam alter habet. Hæc ille, & alij.

Sed re meliùs conſiderata (& hæc ſit tertia opinio, cui tanquam probabiliori adhæreo) poſtea *in Decal.tom. 1. lib. 1.c.10.n.*36. mutauit ſententiam, & ſimpliciter docuit, ſic dubitantem ad nullam voti partem teneri, & abſolutè non eſſe obligatum ad illud votum; & vltra Sanch. ex parte, & Salas, quem ipſe citat *in p.2.q.21.tr.4. diſp. vnic.ſect. 25.n.* 254. tenet etiam nouiſſimè hanc opinionem Fernandez *in exam. Theol. mor.p.1. c.6.§.2.n.*4. & Martinus Bonacina *tract.de leg.diſp.2.q.4.punct.2.n.*18. vbi aſſerit, quòd quando dubium eſt inæquale, ita vt dubitans magis propendeat in hanc partem, vt credat ſe votum emiſiſſe; iudicandum eſſe in tali euentu in fauorem dubitantis. Ratio huius ſententiæ eſt iſta, quia poſſeſsio certa præualet rationibus inducentibus in partem oppoſitam, ſed non generantibus aſſenſum.

Quid ſentiam, dicam breuiter. Omnes iſtæ tres opiniones ſunt probabiles, & tutæ in praxi: vnde non bene aſſerit Rebellius, ſuam opinionem à nemine negari, & immeritò dixit Salas opinionem Rebellij eſſe falſam: ſed meritò huic quæſtioni ſequens erit adiuncta.

*An poſſeſſor bonæ fidei, ſi inæqualiter dubitet, & magis inclinet in eam partem, vt res ſit aliena, teneatur iuxta inclinationem, & propenſionem aliquid reſtituere?*

RESOLVT. X.

Affirmatiuè reſpondet Bannez 2. 2. *ante quæſt.* 62. *in præambulo ad illam, dub.vlt.concl.*2. Ledeſm. *de matr. q.45.art.1.ad 3.primæ ſententiæ dubij ſecundi.* Salon. *in* 2.2. *q.62.art.6.contr.4.concl.*4. Sanch. *de matr. tom.1. lib.2. diſp.* 41. *n.* 10. & hanc ſententiam puto etiam tenere Sayrum, *in Claui Regia, lib.10.tr.2.c.3. n.*29. Barthol. à S. Fauſto *in ſpeculo confeſſ.diſp.4.qu.*260. vbi aſſerunt, in dubio æquali poſsidentem bona fide, non eſſe obligatum ad reſtitutionem.

At mihi ſemper contraria opinio viſa eſt probabilior, qaam tuetur, & docet Vaſquez *in part. 2. tom.1. diſp. 66. art. 7.num.* 42. vbi loquens de ſupradicta opinione aſſerit: [Ego hanc ſententiam exiſtimo nulla ratione eſſe admittendam

mittendam. Nam quamuis pro altero, qui non poſſidet rem, fortiores videantur rationes, & coniecturæ circa res proprietatis, tamen ſi non ſunt vſque adeò efficaces, vt generare poſſint aſſenſum illius partis, ſed rem adhuc dubiam relinquant, non debet cenſeri maius, & potius ius proprietatis vnius, quàm alterius, cùm adhuc in dubio res maneat, dubia enim res æquè videtur vtramque partem reſpicere. Ergo ſi rei in dubio exiſtenti accedat certa poſſeſſio, potior erit cauſa poſſidentis. Quocirca quamuis vrgentiores videantur rationes pro eo, qui non poſſidet, ſi tamen non ſufficiunt aſſenſum generare, non obligabunt ad vllam reſtitutionem. Doctrina verò de dubio, in quo melior eſt conditio poſſidentis, intelligitur, quando nullus eſt aſſenſus pro altera parte.] Hæc Vaſquez. Igitur in caſu, quando poſſidens bona fide inclinat, vt res ſit aliena, non tenetur iuxta talem propenſionem aliquid reſtituere; quia poſſeſſio certa eſt potior, quàm rationes inducentes in partem contrariam, ſed non generantes aſſenſum.

Poſt hæc ſcripta, inueni etiam Bonacinam docere hanc ſententiam *de reſtit. diſp. 1. q. 2. punct. 2. n. 6.* qui citat Salas *in p. ...2. q. 21. tract. 8. diſp. vnic. ſect. 23. num. 231.* & notat Sanchez *in ſumm. tom. 1. lib. 1. cap. 10. num. 9.* retractaſſe dicta de matrimonio *vbi ſuprà*, quod non ſolùm retractauit in iſto loco, quem citat Bonacina, ſed etiam *in lib. 2. cap. 23. num. 179.*

*Quis emit rem aliquam bona fide, & poſtea dubitat eſſe alienam, nec veritas oppoſita debita diligentia ſciri potuit; quæritur an qui illam vendidit, teneatur paratus eſſe ad illud pretium, quo vendidit, reſtituendum domino, quoties comparuerit?*

RESOLVT. XI.

CLarum eſt, quòd qui rem per viam emptionis, ſeu permutationis, etiam bona fide manu latronis accepit, ſed deinde incipit dubitare probabiliter, quòd ſit furtiua, ſi facta diligentia debita ſit dubius, poteſt illam tuta conſcientia retinere. Ita Vaſquez *in p. 2. q. 19. art. 6. diſp. 66. c. 7. n. 42.* Salas *in p. 2. q. 21. tract. 8. diſp. vnic. ſect. 23. n. 231.* Leſſius *lib. 2. c. 14. dub. 4. n. 23. & c. 6. dub. 3. n. 11.* Molina *tom. 3. part. 2. diſp. 721. n. 4.* Rebellius *p. 1. lib. 2. q. 5. n. 10.* Salon. *2. 2. q. 62. art. 6. contr. 4. concl. 4.* Et non ſolùm retinere, ſed etiam vendere, dummodo emptori hanc conditionem exponat, ne poſtea domino comparente damnum emptori ſequatur; & quia ratione huius vitij, res illa minus valet, quod ſi non admoneat, tenetur damnum ſequutum reſarcire, vt tradunt Graffius *dec. aur. p. 1. lib. 2. c. 130. n. 5.* Ledeſma *in ſum. tom. 2. tr. 8. cap. 14. concl. 9.* Rebellius *vbi ſuprà, n. 11. & p. 2. lib. 9. q. 18. ſect. 2. num. 14.* Vega *in ſum. tom. 1. c. 60. caſ. 17.* Bannez, & Salonius, Leſſius, & Molina, *vbi ſuprà.*

His poſitis, in quibus communiter Doctores conueniunt, dubium eſt, an qui rem ita vendidit, teneatur paratus eſſe pretium vero domino reddere, ſi conſtiterit rem eſſe furtiuam.

Affirmatiuam ſententiam tenet Sayrus *in Claui Regia, lib. 2. tr. 2. ... 4. n. 29.* cuius ratio, ait, hæc eſt: [Nam ſi rem illam haberet, & apud ſe ſeruare vellet, eius animi eſſe oporteret, vt rem domino vero reſtitueret, ſi conſtiterit cuius ſit. Ergo etiam eam vendendo, & pretium pro ea recipiendo, parati animi eſſe debet, vt cognito vero domino pretium rei venditæ domino reſtituat, cùm pretium loco rei ſuccedat.] Hæc ille qui citat pro hac ſententia Medinam *C. de rebus reſtit. qu. 10. concl. 3. §. dico ſecundò,* Couar. *in reg. peccatum, de reg. iur. lib. 2. p. 2. §. 12. n. 4.* & Salonium *vbi ſuprà.*

Sed hæc opinio meritò reiicitur à Sanchez *in Decal lib. 2. c. ... n. 18.* quia ſolùm eſt vera, & admittenda, quando ex pretio vendens locupletior euaſit, inſtar aliorum poſſeſſorum bonæ fidei, ex quibus ipſe quoque iam eſt. Nec ratio contraria intentum probat: quia ſi res illa extaret, teneretur poſſeſſior ratione rei acceptæ illam integrè reſtituere: at re vendita non tenetur ratione rei acceptæ, niſi quatenus locupletior factus. Ex his negatiuè reſpondendum eſt ad dubitationem ſuprà poſitam.

*Vtrùm Confeſſarius in aliquo caſu, ſine licentia pœnitentis, poſſit loqui cum illo de peccatis auditis in confeſſione, videlicet, Confeſſor commiſit aliquem defectum in abſoluendo pœnitentem; quæritur an poſſit ille hoc manifeſtare extra confeſſionem, etiamſi pœnitens non dederit licentiam manifeſtandi?*

RESOLVT. XII.

DOctores communiter negatiuè reſpondent. Ita Reginaldus *in praxi, tom. 1. lib. 8. cap. 3. ſect. 2. num. 30.* Suarez *in 3. p. tom. 4. diſp. 32. ſect. 5. n. 3.* Onuphrius *de ſigillo, ſect. 4. q. 5. §. ſequitur ſecundò* qui citat Sotum, Toletũ, Rodriquez, & nouiſſimè docuit hanc ſententiã noſter Megala *in 1. p. lib. 1. c. 16. n. 22.* Graffius *in deciſ. ... 1. lib. 1. c. 24. n. 73.* Valentia *tom. 4. diſp. 7. q. 13. punct. 3.* Bonac. *de Sacram. diſp. 5. q. 6. ſect. 5. punct. 4. n. 8.* & Franc. Syluius *in ſuis aureis comment. in 3. part. D. Thom. in add. 1. q. 11. art. 4. fol. 65. & q. 8. art. 5. quæſit. 4. concl. 2.* vbi ait: [Qui aliquem errorem in confeſſione commiſit, non debet pœnitenti ſimpliciter extra confeſſionem dicere, ne arguatur ſigilli fractor, ſed ei ſi præſens ſit dicat, Vellem quòd adhuc ſemel venires ad me pro confeſſione, quia habeo vnum verbum tibi vtile. Si acquieſcit, officium ſuum tunc adimpleat. Si verò nolit, pœnitentiam agat confeſſor ſui errati, non enim poteſt, niſi de præuio pœnitentis conſenſu, aliquid extra confeſſionem manifeſtare.] Hæc ille.

At his non obſtantibus, non deſunt Doctores, qui contrariam opinionem amplectuntur, hi ſunt ex Dominicana familia, Nugnus *in addit. ad 3. p. tom. 2. q. 11. art. 1. fol. mihi 346. col. 2. circa med.* & ex Societ. IESV Filliuc. *in qu. mor. tom. 1. tr. 7. c. 11. q. 5. n. 324.* vbi ſic aſſerit: [Si confeſſor defectum aliquem commiſiſſet in confeſſione, ex quo eſſet obligatio denuò cum pœnitente colloquendi, debet primò ſignificate illi voluntatem ſuam, & ſi conſentiat, iam id facit de licentia ipſius: quòd ſi non conſentiat, poteſt tamen colloqui, quia verè non loquitur extra confeſſionem, ſed complet eam, quæ iam erat inchoata, & imperfecta, & pœnitens eſt irrationabiliter inuitus.] Hæc ille. Notandum eſt etiam Puteanum *in 3. p. D. Thom. p. 2. q. vlt. dub. vlt. concl. 3. notab. 2.* docere, ſigillum confeſsionis non ſolui, quotieſcunque ſine licentia pœnitentis, Sacerdos extra confeſsionem agit cum pœnitente ſolo, de peccatis auditis in confeſsione, modò tamen id faciat ſtudio promouendi pœnitentis ſalutem. Ita ille. Sed hæc opinio prorſus eſt tenenda.

*Olim interrogatus fui, an Confeſſarius dicens in aliqua ciuitate, vel alio loco vbi confeſsiones audit, committi peccatum ſodomiæ, vel aliud, frangat ſigillum confeſsionis, & vt fractor talis ſigilli ſit puniendus?*

RESOLVT. XIII.

DOctiſſimi viri (quod mirum alicui videbitur) docent, in tali caſu, confeſſarium frangere ſigillum confeſſionis. Ita Vaſquez *in 3. p. tom. 4. q. 93. art. 4. dub. 3. n. 3.* vbi aſſerit: [Mihi placet quod Ledeſma docet, contra ſigillum confeſſionis eſſe, ſi aliquis confeſſarius infamaret ciuitatem alicuius peccati, vt ſodomiæ, vel alterius, quod audiuit in confeſſione, etiamſi non exprimat perſonam, quia iam ex parte reuelatur id, quod auditum fuit



in confeſſione, quod ita limitarem, niſi illud alia via iam publicum eſſet, & vt tale Sacerdos referret.] Hæc Vaſquez. Et hoc multò magis aſſerunt aliqui, de locis non ita amplis, vt de villis, & caſtris; vel ſi confeſſus eſt Religioſo, nominaret Religionem ad quam pertinet, vel monaſterium talis ciuitatis. Ita Filliuc. *in quæſt. mor. tom. 1. tr. 7. c. 11. q. 3. n. 322.* Suarez *in 3. p. tom. 4. diſp. 33. ſect. 3. n. 8.* Coninch *de Sacram. diſp. 9. dub. 1. n. 16.* & Bonacina *de Sacr. diſp. 5. q. 6. ſect. 5. punct. 4. n. 3.* qui citat aliquos Doctores, pro ſua ſententia contrarium aſſerentes.

His tamen non obſtantibus, non ignobiles authores ſentiunt in his caſibus, confeſſarium peccare, non tamen frangere ſigillum. Ita Onuphrius *opuſc. de ſigillo, ſect. 4. q. 4. §. ſequitur vltimò, fol. mihi 236.* & nouiſſimè Syluius *in addit. ad 3. p. qu. 11. art. 3. quæſ. 2. fol. 60. col. 1.* vbi aſſerit: [Qui ſolitus in aliquo loco excipere confeſſiones, dicit in eo committi grauia crimina, non quidem frangit ſigillum, ſed nihilominùs, ſi abſque ſpirituali vtilitate, vel coram infirmioribus hoc dicat, exiſtimantibus confeſſionem tali ſermone reuelari, grauiter peccat, tum contra Sacramentum, à quo ſic alienari poſſunt, tum per ſcandalum.] Hæc Syluius. Et ante ipſum hoc idem docuerat Nauar. *in man. c. 7. num. 16.* Viualdus *in Candelabro, tract. de ſigillo, num. 26.* Megala *in 1. part. lib. 1. cap. 16. num. 11.* Henriquez *in ſum. lib. 6. cap. 21. num. 6.*

Sed quoad alterum ſupraſuppoſitum, audiamus Nugnum *in addit. ad 3. par. tom. 2. quæſt. 12. art. 1. fol. mihi 355. col. 2.* ita loquentem: [Aliqui verò dicunt, peccare peccato reuelationis ſigilli illum, qui etiamſi non nominet perſonam, nominat tamen Religionem ſpecialem, cuius erat Religionis, talis pœnitens, & eſt ſententia probabilis: non tamen videtur ita certa, vt poſſit talis confeſſarius puniri, tanquam reuelator confeſſionis.] Sic ille, & Fagundez *præc. 2. lib. 6. cap. 4. n. 2.* Et ratio harum opinionum erit iſta proculdubio, nam in iſtis loquendi modis, nulli pœnitenti fit iniuria: cùm non ſit periculũ (vt ſuppono) quòd auctor illorum peccatorum cognoſcatur, licèt, vt diximus, peccauerit confeſſarius ita loquendo, non ſolùm peccato, ait Onuphrius *vbi ſuprà*, contra præceptum de non ſcandalizando proximum, ſed etiam contra præceptum de non infamando proximum, nam id cederet in infamiam illius loci, de quo diceret, ſe hoc, aut illud peccatum audiuiſſe ſacramentaliter.

*In quadam ciuitate huius Regni Confeſſarius, cum licentia pœnitentis in ordine ad conſilium petendum, manifeſtauit cuidam Sacerdoti aliqua peccata, de quibus ipſe poſtea cum aliquibus loquutus eſt, quæſitum à me fuit tunc, an dictus conſiliarius fregerit ſigillum confeſsionis?*

RESOLVT. XIV.

VIcarius illius ciuitatis ſententiam affirmatiuam tenebat, adducens Suarez *in 3. part. tom. 4. diſp. 33. ſect. 4.* Sed præter Suarez docet etiam hanc opinionẽ Pitigianus *in 4. ſent. tom. 2. diſt. 21. q. 2. art. 5.* Bonacin. *de Sacram. diſp. 5. q. 6. ſect. 5. punct. 3. n. 4.* Filliucius *in quæſt. mor. tom. 1. tr. 7. c. 11. quæſ. 4. n. 523.* Syluius *in addit ad 3. part. D. Thomæ, q. 11. art. 2. §. 3.* Fernandez *in exam. Theol. moral. p. 3. c. 6. §. 9. n. 26.* & alij. Probatur hæc opinio tribus modis. Primò, ait Pitigianus, & Suarez, Conſiliarius in hoc caſu participat actum clauium; ſcilicet quoad clauem ſcientiæ, & ſupplet defectum miniſtri, ita vt ex vtroque quaſi coaleſcat miniſter, habens omnia neceſſaria ad hoc munus. Ergo tenetur ad ſigillum.

Secundò, aſſerit Bonacina, & alij, peccata audita in confeſſione ad quemcunque tranſeunt, tranſeunt cum obligatione, & onere ſigilli confeſſionis; quia, vt habetur *in cap. paſtoralis, de decimis*, obligatio ſequitur rem ipſam, & non perſonam, ſic res pignorata tranſit ad quoſcunque cum ſuo onere, quia obligatio rei pignoratæ, priùs afficit rem ipſam. Et tandem probatur tertiò, quia pœnitens ea conditione licentiam concedit, vt tamen maneat ſecretum ſub ſigillo confeſſionis.

Sed licèt hæc opinio ſit probabilis, probabilior tamen contraria mihi ſemper viſa eſt; quam mordicus tuetur Vaſquez *in 3. p. tom. 4. q. 93. art. 4. dub. 2. n. 10.* Onuphr. *opuſc. de ſigillo, ſect. 3. qu. vnic. dub. 6. fol. mihi 226. §. ſequitur primò.* Nugnus *in addit. ad 3. p. q. 11. art. 1. fol. mihi 347. col. 1.* & ex noſtra Religione P. Megala *in 1. p. lib. 1. c. 16. n. 6.* Et ratio eſt, quia Conſiliarius iſte accipit notitiam peccatorum non ab ipſa confeſſione, quaſi ſigillata, ſed ab ipſo pœnitente, ac ſi ipſe referret: (quia idem eſt, ſi de conſenſu illius referat Sacerdos:) iam verò non nouit ex confeſſione pœnitentis, ſed relatione facta extra confeſſionem ab ipſo pœnitente, vt à Sacerdote de conſenſu illius, quod idem eſt ac ſi ipſe referret; quod verò ita refertur, nec in confeſſione, neque ex confeſſione refertur. Ergo non oritur obligatio ſigilli confeſſionis.

Reſtat modò reſpondere ad argumenta oppoſita. Ad primum reſpondetur ex Megala, quòd licèt reuera conſilium ordinetur ad claues: attamen conſulere peritiorem, non eſt pars clauium, nec pars confeſſionis, ſed tantùm inſtructio eſt Confeſſarij, vt poſſit legitimè munus ſuum exercere. Ergo.

Ad ſecundum reſpondetur, diuerſam eſſe rationẽ obligationis in re pignorata, & ſigillo confeſſionis: quia obligatio rei pignoratæ, non eſt obligatio præcepti, ſed obligatio quæ fit creditori, vt in eam rem habeat prælationem ad ſui ſolutionem, & ideo obligatio priùs afficit rem vnde debet fieri ſolutio: & quomodocunque tranſeat ad aliquem, ſemper tranſit cum iſto onere. At verò obligatio ſigilli, eſt obligatio præcepti, quod licèt feratur de re aliqua facienda, vel non facienda, tamen non obligat rem ipſam; quia perſona eſt, quæ tenetur operari ſecundùm illud præceptum. Ob id non eſt accipienda ratio obligationis ex ipſa quæ tranſit ad alios, ſed in ordine ad perſonam: quare quando quis peccata cognouit ex ipſa confeſſione, tenetur ſigillo, quia tunc ſemper eſt reſpectus in fauorem pœnitentis. Quando verò innoteſcunt, non confeſſione ſacramentali, non eſt aliqua obligatio ſigilli. Ergo, &c.

Ad tertium reſpondetur, non eſſe in poteſtate pœnitentis apponere obligationem ſigilli, niſi quando obligatio naſcitur ex ipſa confeſſione. Ex his tunc conſului, ſupradictum Sacerdotem non fregiſſe ſigillum confeſſionis, ſed tantùm ſecretum naturale. De hac tota quæſtione vide Coninch *de Sacr. diſp. 9. dub. 3. à n. 38. vſque ad 5.*

*Vtrùm liceat ad honorem tuendum, inuaſorem poſt impactam alapam, fuſtem, vel vulnus, fugientem inſequi, & occidere?*

RESOLVT. XV.

NEgatiuè reſpondet Ioan. de la Cruz *in directi. conſc. p. 1. præc. 5. dub. 6. concl. 1.* Toletus *lib. 1. c. 6. n. 16.* Rodriquez non bene à Bonacina pro contraria ſententia citatus *in ſum. tom. 1. c. 135. n. 11.* Turrianus *in 2. 2. tom. 2. diſp. 27. dub. 3. n. 9.* qui citat Sotum & Bannez, Salon. *in 2. 2. q. 64. artic. 7. contr. 2. concl. 1.* & nouiſſimè Malderus *in 2. 2. D. Thom. tr. 3. c. 1. dub. 14.* vbi aſſerit, ſi poſtquam alapam impegit, quæ tibi ignominioſa eſt, ſeſe in fugam conuertat offenſor, non licebit eum perſequi, & tantum referire, quantum poſtulare videtur honoris reparatio, habet enim potius ſpeciem vindictæ, quàm defenſionis. Hæc ille.

Et ita in praxi contrariam ſententiam non eſſe conſulendam docent, licèt ſpeculatiuè probabilem eſſe aſſerant, Leſſius *de iuſt. lib. 2. c. 9. dub. 12. n. 80.* Reginaldus *in praxi, tom. 2. tr. 21. cap. 5. num. 63.* Filliuc. *in ſuis quæſt. mor. tom. 2. tract. 29. cap. 3. num. 51.* Bonacina *de contract. diſp. 2. quæſt. vltim. ſect. 1. punct. 10. num. 8.* & alij. Et ratio eſt, primò ob periculum odij, vindictæ, & exceſſus. Secundò, ob periculum pugnarum, & cædium in Reipublicæ perniciem.

perniciem. Deinde, qui iniuriam intulit, eo ipſo quòd ab iniuria ceſſat, ſiue per fugam, ſiue quouis modo ceſſet, vim non infert; ac ideo repercutiens, vim vi non repellit, ſed potiùs punit, & vindictam ſumit, nec honorem defendit, cùm iam per iniuriam amiſſus ſit, & quamuis illum recuperaret, hæc honoris recuperatio ad vindictam potius, quàm ad defenſionem pertinet. Hæc noſter Megala *vbi infrà.*

Sed his non obſtantibus, contrariam ſententiam pij, & doctiſsimi viri docuerunt, Nauarr. *in manual. cap.* 15.*n.*4. *ad fin.* Petr. à Nauar. *de reſt.lib.*2.*cap.*3.*num.* 383. qui citat Mercatum, Victoria *de iure belli, q.*2.*num.*5.& ex Societate IESV P.Henriqu.*in ſum.lib.*14.*c.*10.*n.*3.*in gloſſ.litt.T*: vbi citat Cordubam, Mantium, Pegnam, & alios, & tandem tenet etiam hanc ſententiam Fernandez *in exam.mor.p.* 1. *c.*9.§.1.*n.*16. vbi ait, referens opinionem Nauarri *vbi ſuprà*: [Qui affectus iniuria, magnā honoris iacturam faceret, ſi fugientem non perſequeretur, inuaſorem perſequi poſſet, & percutere tantum, quantum ad ſui honoris defenſionem opus eſſet: etiam occidendo, ſi id opus eſſet. Ratio eſt, quia ego poſſum perſequi furem, & illata vi etiam mortis illius damno, rapta recuperare: ergo maiori cum ratione infamatorem, & ab eo raptum honorem extorquere.] Hæc Fernandez.

Sed ad hoc argumentum reſpondet Megala, & alij, eſſe diſparem rationem: nam res illa furata adhuc extat apud furem, & manet tua: ſed contumelia illata, & honor iam periit: ergo illa non erit defenſio, ſed aggreſſio, & vindicta. Reſpondet Leſſius, in eo eſſe paritatem rationis, quòd ſicut res poteſt recuperari; ita etiam honor, qui in ſignis excellentiæ, & hominum exiſtimatione conſiſtit. Deinde, ſi res non extarent apud furem, qui illas abieciſſet in flumen, poſſet tamen, damnum paſſus, talem furem, non minus quàm de facto aſportantem, inſequi, vt tantumdem reſtituere cogat, de qua re Nauarr. *vbi ſupra, num.* 384. Ergo, &c.

Sed magis clarebit hæc ſententia, ſi notemus rationem, qua vindicta, & defenſio inter ſe differunt. Nam vindicta propriè eſt velle reddere malum pro malo, quod non licet priuatæ perſonæ. Defenſio autem eſt aggreſſorem compeſcere, & impedire damnum quod iam imminet, vel ſi illatum eſt, (ſicuti in noſtro caſu) vt adhuc maneat in ſuſpenſo. Iſtas enim eſſe defenſionis partes, manifeſtum eſt, vt diximus ex facto illius, qui furantem res ſuas, vel auferre molientem impedit, vel iam auferentem inſequitur: vt enim illa impeditione, ſic iſta inſecutione cenſetur res ſuas defendere, ſi quidem recuperari valeant: & vt inſequar eum qui damnum intulit, non poſſum ob aliam cauſam id facere, quàm vt reddam malum pro malo, & eſſet vindicta. Cùm verò damnum illatum reſarciri poteſt, eum qui intulit, licitè inſequi poſſum, non quidem vt malum referam pro malo, ſed vt mihi illatum malum reſarcire curem, cùm mihi ad id nulla alia ratio ſuppetat, quia ſi ſuppeteret, non daretur propoſitæ inſecutioni locus tanquam vindicatiuæ. At cùm hæc ita ſint, patet illud non habere rationem vindictæ, ſed defenſionis, quando aliquis vir nobilis eum à quo vulneratus eſt, inſequitur: non quidem vt malum pro malo reddat, ſed vt conſeruet honorem ſibi ablatum, dummodo tamen id fiat incontinenti, cùm res adhuc eſt in ſuſpenſo, non autem poſtquam inimicus domum ſe iam recepit, vel alia negotia gerit.

His ita poſitis, cenſeo etiam ante factum, ſi non adſit periculum odij, appetitus vindictæ & exceſſus, hanc ſecundam ſententiam eſſe probabilem, & tutam in praxi; quia dum aduerſarius fugit, & percuſſus inſequitur, moraliter adhuc durat congreſſus. Ergo, &c. Dixi, ante factum, nam poſt factum etiam aliqui Doctores ex contrariis illam admittunt, neque ita aggreſſorem occidentem obligant ad vllam reſtitutionem, Ita Megala *in p.* 2.*lib.* 3. *c.*1.*n.*12.& Lopez *in ſuo inſtruct.p.*1.*c.*62.

Nota verò, quòd Azorius *p.*3.*lib.*2.*c.* 1.*qu.* 13. contrariam ſententiam vocat tantùm probabiliorem. Ergo ſecundùm Azorium, noſtra opinio eſt probabilis: & dum ipſe non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus, aſſerendo illum intellexiſſe de probabilitate ſpeculatiua, & non practica: nam ipſe abſolutè loquutus eſt, dicens ſuam ſententiam eſſe probabiliorem. Ergo ſicut eius opinio erit ſecundùm ipſum probabilior ſpeculatiuè, & practicè, ita & noſtra practicè, & ſpeculatiuè erit etiam probabilis.

*Quidam vir nobilis occidit Titium, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, ſed poterat fugiendo vitam ſeruare; modò pœnitentia ductus vult ſacros Ordines ſuſcipere: quæſiuit à me, an propter illud homicidium incurrerit irregularitatem, ita vt egeat diſpenſatione.*

RESOLVT. XVI.

QVidam Theologus Societatis IESV, vt ipſe conſulens aſſerebat, partem affirmatiuam illi conſuluit, & probabiliter quidem: nam hanc ſententiam cum 19. Doctoribus docet Sayrus *de cenſ.lib.*6.*c.*17.*n.*16. & nouiſſimè tenet hanc opinionem Auila *de cenſ.par.*7. *diſput.* 5. *ſect.*3.*dub.*2. Reginald. *in praxi, tom.*2.*li.*30.*tr.*2.*c.*9.*n.*105. & Fernand. *in exam.Theol.mor.p.*2.*c.*10.§.14.*n.*9. Farin. *p.* 2.*fragment.crim.num.*490. Et ratio eſt clara. Nam in Clementina, *Si furioſus, de homicidio*, excuſatur quis ab irregularitate aliquem occidendo, quando aliter vitam ſuam tueri non poteſt; ſed in noſtro caſu hic mortem vitare poteſt fugiendo. Ergo, &c. Adde, quòd ita occidens non videtur occidere pro defenſione vitæ, ſed pro defenſione honoris. Ergo, &c.

Sed quia conſulens erat vir nobilis, & fugiendo magnam infamiæ notam incurriſſet, exiſtimaui irregularitatem propter tale homicidium minimè incurriſſe. Fateor quidem, in hac ſententia multos habere aduerſarios, ſed illam audacter, & ſine metu amplector, quia pro me ſtat Suarez *in* 3.*p.tom.*3.*de cenſ.diſp.*46.*ſect.* 1.*n.* 6. vbi noſtram opinionem docet, & ita aſſerit: [Dicendum eſt, quòd ſi quis non poteſt fugere, ſine graui nota, & amiſſione honoris, non teneri ad fugiendum, nec irregularem fieri, ſi aliū occidat, ſe defendendo. Probatur, quia quod vitari non poteſt ſine magna infamia & dedecore, moraliter ineuitabile eſt, & ideò meritò hic caſus ſub verbis Clementinæ comprehenſus intelligitur.] Hæc Suarez. Et poſt illum docent etiam hanc ſententiam nouiſſimè Filliuc. *in quæſt.mor.tom.*1.*tr.*20.*c.*5. *num.* 134. Bonacina *de cenſ.diſp.*7.*qu.*4. *punct.* 6.*n.*4. & Coninch *de Sacram. diſp.* 18.*dub.*9.*n.*90.

Ex his patet reſponſio ad argumentum contrariæ ſententiæ. Nam dicendum eſt in caſu, de quo loquimur, illum qui occidit, moraliter vitam ſuam alio pacto tueri non poſſe. Nota verò, quòd Suarez ſuam ſententiam limitat; niſi præceſſerit culpa, & iniuria, ex parte eius, qui fugere cogitur, vt ſi ille dedit alteri alapam, vel iniurioſum verbum dixit, vel cum vxore inuentus eſt, aut pallium tollere eſt aggreſſus, & alter in eum inſurgit, non ſolùm, vt vim repellat, ſed etiam, vt vindicet, & occidat. Nam tunc licèt hic excedat, non poteſt alter iuſtè ſe defendere, ſed poteſt fugere, cùm ipſe dederit occaſionem rixæ. Et ideò ſi fugiendo amittit honorem, ſibi, & non alteri imputare debet. Sed hæc limitatio Suarez ita abſolutè prolata non mihi placet; ſed cum Filliucio *vbi ſupra, num.* 135. tunc veram eſſe cenſeo, cùm id omne præuiſum eſt, vel præuideri potuit ab inferente iniuriam. At quando omninò per accidens ea conſecuta eſſent, non video, cur non poſſit vti iure ſuo permanendi; & ſi aliter non poſſet ſe tueri, quàm occidendo, non eſt cur deterioris conditionis fieri debeat, quàm alij.





*Quidam mandauit Petro, vt occideret Caium, non præcogitando aliquid de morte Petri, & veriſimiliter credere poterat, non eſſe ſequuturam, quia Caius longè debilior erat Petro. Accidit verò his non obſtantibus, quòd Caius occidit Petrum; interrogatus fui, an mandans incurrerit in irregularitatem, ita vt non poſſit ampliùs miniſtrare, quia iam erat ſacris Ordinibus inſignitus?*

RESOLVT. XVII.

REſpondi, communiter DD. contra mandantem reſpondere; aſſerunt enim, in irregularitatem incurriſſe; teſte Bonacina *vbi infrà.* Ita Sayrus *de cenſ.lib.*7.*c.*2. *n.* 12. Reginald. *in praxi, tom.*2.*lib.* 30.*tract.*2.*c.*11.*ſect.*1.*n.* 126. Nauar. Cou. Armilla, Tabiena, Syluester, Maiolus, Viual. Summa confeſſ. Vgolin. & alij. Probatur, ait Tabiena, *ver. irregularitas* 2.§.12. quia fuit in culpa, & hoc euenire poſſe, debuit cogitare.

At mihi contraria opinio Henriquez *lib.*14.*cap.*16.*n.*1. *litt.*K. probabilis videtur, ſicut etiā probabilis viſa eſt Bonacinæ *de cenſ. diſp.*7.*q.*4. *punct.*7.*n.*17. Imò, & Auila *de cenſ.p.*7.*diſt.*6.*concl.*4. ſtat pro noſtra ſententia; nam contra Syluium, & Panormitanum admittit quandam limitationem Innocentij, & Hoſtienſis; ſcilicet quòd opinio contraria, quam ipſe Auila tenet, etiam aduersùs Henriquez, ſolùm procedat, quando erat veriſimile, quòd Petrus occidi poterat à Caio inuadendo, vt quia erat longè debilior Caio, vel quid ſimile; quæ quidem circunſtantia non adeſt in caſu, de quo loquimur, imò totum contrarium, nam Caius inuadendus, erat debilior Petro.

Ex his omnibus putaui dictum conſulentem non incurriſſe irregularitatē, ſed quia ſcrupulis angebatur, ad maiorem conſcientiæ ſuæ tranquillitatem conſului, vt diſpenſationem ab Epiſcopo obtineret, virtute Concilij Tridentini *ſeſſ.*24.*c.*6. qui dat illi authoritatem, vt poſſit diſpenſare in irregularitate ex homicidio caſuali occulto proueniēte. Sed iſta irregularitas, de qua loquimur, prouenit ex homicidio caſuali, vt notat Filliucius *in qq.mor.tom.*1.*tract.* 20. *cap.*2.*n.*36. & Suarez *de cenſ.diſp.*44.*ſect.*3. *n.*16. quia nemo directè intēdit homicidium eius, cui mandat, vt alium occidat. Indirectè igitur tantùm imputabitur, & ideo caſualis occiſio erit, & irregularitas ex homicidio caſuali, ergo poterit Epiſcopus circa illam diſpenſare.

*In quadam ciuitate huius Regni plures non ex conſilio, ſed ex rixa ſubitò contingente, percuſſerunt aliquem, ſed vnus tantùm percuſſit vulnere lethali, ex quo mortuus eſt, & cognitus fuit iſte percuſſor, quæſierunt poſtea à multis Theologis, an omnes incurrerint in irregularitatem, ſeu ſolus ille, qui mortale vulnus inflixit?*

RESOLVT. XVIII.

MVlti ex Societate IESV, & ex Dominicana familia affirmatiuè reſponderūt, vt ipſe conſulēs mihi affirmabat, quorum ſententiam probabiliſſimam eſſe aſſerui, nam illam docet Stephanus de Auila *de cenſ.par.*7.*diſp.*6. *ſect.* 3.*dub.*3. & Suarez *in* 3.*p.tom.*5.*de cenſ.diſp.*45. *ſect.*3. *n.*11. vbi ait: [Etiamſi vulnus inflictum, vnum tantùm ſit, illudque lethale: omnes impugnantes occiſum fiunt irregulares, non ſolùm quando incerta eſt perſona percutiens, quod eſt indubitatum; ſed etiamſi certa ſit, quia alij manent irregulares, propter incertitudinem. ]Sic ille.

Sed ego, dictos conſulentes ab incurſu irregularitatis immunes feci, & multos Authores adduxi: præcipuè Gregor. Sayrum *de cenſ.lib.*7.*c.*4.*n.*13. vbi ait: [Quando vnus à pluribus in rixa ſubitò contingenti, non præmiſſo conſilio vulneratus eſt; & in occiſo reperitur vnicum lethale vulnus, ſi conſtat quis id intulerit, tenebitur de homicidio, cæteri de percuſſione, *l. item Mela*, §. *ſed ſi ſeruum, ff. ad leg. Aquil.* & *l. ſi rixa. ff. de ſicariis.* Vnde ille ſolus irregularis erit, cæteri verò, vt ab homicidio, ita etiam ab irregularitate excuſantur. DD. cōmuniter *in c. ſignificaſti* 2. *de homicidio.*] Hæc Sayrus. Cuius ſententiam docent etiam Couar. *in Clem. ſi furioſus.p.*2.§. 2. *n.* 3. *ver. ſecundus caſus, de homicidio*, & Bonac. *de cenſ.diſp.*7.*q.*4.*punct.*8.*n.* 29. & Villadiego *c.*6.*n.*47. apud Auilam, *vbi ſuprà.* Qui quidem Auila noſtram ſententiā probabilē vocat. Ex his omnibus, vt dixi ad caſum, de quo loquimur, negatiuè reſpondi.

*Frequens hic caſus accidit: In rixa ſubitò, & inopinatè contingenti, quis occidit alium; quæritur an hoc homicidium non dicatur voluntarium ſimpliciter, ſed caſuale, ita vt occidens poſſit impetrare diſpenſationem ab Epiſcopo, qui poteſt vigore Concil. Trid.* ſeſſ. 24. c. 6. *diſpenſare ſuper irregularitates occultas, contractas ex homicidio caſuali?*

RESOLVT. XIX.

FAteor opinionem affirmatiuam eſſe probabiliorem; & illam docet Molina *de iuſt.tom.*4. *tract.* 3. *diſp.* 79. *num.*7. & Franc. Suar. *in* 3.*part. tom.*5.*de cenſ.diſp.* 44. *ſect.* 1. *num.* 3. qui reddit rationem huius ſententiæ, nam licèt rixa inopinatè, & ex tempore orta ſit, poteſt tamen quis, libera voluntate, directè intendere mortem alterius. Ergo tale homicidium eſt in ſe directè voluntarium, & ſub hac appellatione in iure comprehenditur, niſi fortaſſe inducat rationem defenſionis, cuius alia eſt conſideratio.

Sed contrariam opinionem negatiuam, probabilem etiam eſſe iudico. Dico igitur ad irregularitatem homicidij voluntarij, ſuper quam non poſſit diſpenſare Epiſcopus, requiri, quòd illud homicidium deliberato animo, & inito conſilio fiat: nam ſi ex rixa repentè orta, vel ex inimicitia, ob iniurioſa verba, ſubitò contracta homicidium perpetratur, caſuale puto eſſe, & non voluntarium, ita vt poſſit Epiſcopus circa irregularitatem ex ipſo contractam diſpenſare. Hanc ſententiam primus docuit Didacus Perez *in lib.*8.*ordinamenti, tit.* 13. *in Rubr.fol.*256.*col.* 1. *ante medium*, vbi id latè tractat, & ait in praxi ita ſæpè reſpondiſſe conſultum, poſt Concilium Tridentinum, & poſt illum Henriquez, Rodriquez, Salzedo, Auila Societatis IESV Theologus *in tr. de cenſ. p.*7.*diſp.*6.*ſect.*2.*dub.* 1. & *ſect.* 5.*dub.*5.*concl.*2. & nouiſſimè ex eadem Societat. Coninch *de Sacram.diſp.*18.*dub.*14.*n.*111.

Probatur hæc opinio ex Trident. *ſeſſ.* 14. *c.* 17. *de refor.* dicente: [Eum etiam, qui per induſtriam occiderit proximū, & per inſidias, &c.] & ex illis verbis; [ſi verò homicidium non ex propoſito, ſed caſu, &c.] quæ verba non ſunt intelligenda, vt aſſerit Sayrus *de cenſ.lib.*7. *c.*7.*n.*8. & alij, de homicidio caſuali non volito in ſe, ſed in cauſa; ſed intelligenda ſunt de homicidio, quod caſu ſolo contingit, ad differentiam homicidij voliti ex propoſito. Quod patet, nam Concilium ibi loquitur de homicidio occulto, cuius diſpenſatio reſeruatur Papæ: & tamen certum eſt, quòd poſt Concilium Epiſcopus poteſt diſpenſare in homicidio occulto caſuali, volito non in ſe, ſed in cauſa. Ergo non loquitur de hoc homicidio, quod contingit caſu, id eſt, non ex propoſito. Ita ferè Rodriq. *in ſum.p.*1.*c.*177. *n.*2. Ex his patet reſponſio ad argumenta primæ ſententiæ.

*Quis in rixa præſcindit alteri digitum, quæritur, an ſit irregularis?*

RESOLVT. XX.

CAietanus, & Sotus apud Sayrum *vbi infrà* affirmatiuè reſpondent; & nouiſſimè docuit hanc opinionem,

cum aliqua limitatione, Doctor Suarez *in 3.p.tom.5. diſp. 44.ſect.2.n.9.* vbi ait: [Non reputatur ſufficiens ad inducendam irregularitatem, abſciſſio vnius digiti, ſi ſit alter ex duobus minimis; de quolibet autem aliorum mihi videtur res ſatis grauis, & ad minimum dubia, & diſpenſatione indigẽs.] Putant igitur hi authores ad irregularitatem ſatis eſſe, ſi pars quæ abſcinditur, ſpecialem ad principalis membri munus cooperationem habeat. Secundò probatur hæc ſententia. Nam ſi aliquis careret pollice, eſſet irregularis. Ergo, & qui pollicem abſcindit, etiam irregularis erit.

Verùm mihi contraria ſententia probabilior videtur, Dico igitur abſolutè non eſſe irregularem qui præſcindit digitum, etiam contra Suarez, ſi eſſet pollex, vel index. Ita Sayrus *de cenſ.lib.6.c.15.n.15.* & præter Doctores, quos ipſe citat, docuerunt etiam hanc ſententiam Auila *de cenſ. p.7.diſp.5.ſect.2.dub.1.* Fernãd. *in exam. Theol.mor.p.2.c.10. §.14.n.4.* Filliuc. *in qq.mor.tom.1.tr.20. c.1. n.14.& c.9.n. 235.* Bonacin. *de cenſ.diſp.7.q.4.punct.8.n.8.* & alij. Et ratio eſt, quia irregularitas non incurritur, niſi propter mutilationem alicuius membri, ſed digitus non eſt membrum, vt probat Bartolus, & DD. *in l.publicorum.ff.de publ.iud.* & alij apud Salzedum *in pract.crim.c.101.fol. mihi 475.* Ergo, &c. Reſtat modò reſpondere ad argumenta contraria.

Ad primum dico, illam partem hominis dici propriè membrum, quæ habet diſtinctum officium ab aliis partibus, vt oculus ad videndum, manus ad palpandum, &c. ſi autem non habet ſpeciale officium, quamuis opem ferat aliis, non dicitur propriè membrum. Probatur ex Ariſt. *lib.10.de part. anim. c.5.* dicente, quòd membra ſunt in corpore operationis gratia. Et colligitur etiam ex D.Paulo *1.Cor.12.* dicente, quòd membra in corpore diſtinctam habent operationem: ſed, quia irregularitas, vt diximus incurritur (& eſt certum) tantùm propter abſciſſionem membri: ergo, quia ſumus in pœnalibus, non erit extendenda ad abſciſſionem partis, licèt principalis, & acceſſoriæ alicuius membri.

Ad ſecundum dico cum Cou. *in Clem.ſi furioſus, p.3. in initio, n.8.corollar.* Nau. Henriquez, Filliucio. Sayro, Auila, & aliis communiter, poſſe contingere quòd quis efficiat alium irregularem, & ipſe non maneat irregularis, & è contra. Exemplum primi, vt qui præſcindit alteri naſum, vel pollicem, vt in caſu noſtro non manet irregularis, quia naſus, vel pollex non eſt membrum, & tamen præſciſſus manet irregularis. Idem eſt in eo qui impreſſit alteri cicatrices in vultu cum magna deformitate. Exemplum verò ſecundi eſt: vt qui præſcindit alteri membrum virile, iſte enim fit irregularis, quia mutilauit membrum: & tamen ſic præſciſſus (ſi contingat abſque propria culpa) non fit irregularis, *cap.ex parte, el 1. de corpore vitiatis.* Notent Confeſſarij, non eſſe etiam irregularem, qui abſcindit mammillam fœminæ, vel auriculam, id eſt, cartilaginem, quia ſolùm deſeruit ad ornatum, & tutelam auris, vel dentem, vel teſticulos, abſque membro genitali, vel naſum, vt ex Henriquez vult Auila *vbi ſupr.diſp.3.dub.1.* quia iſtæ partes, vt diximus de digitis, non ſunt membra. Vide DD. citatos.

*Vtrùm illegitimus occultus poſsit diſpenſationem obtinere ab Epiſcopo vigore Concilij Tridentini,* ſeſſ.24 c.6. *ad recipiendos ſacros Ordines?*

RESOLVT. XXI.

NEgant communiter DD. Epiſcopum poſſe diſpenſare ſuper illegitimitate ex delicto occulto proueniente. Sic Suarez *vbi infrà.* Piaſecius *in praxi Epiſcopi, p. 1.c.1.n.56.& 60.* Sayrus *de cenſ.lib.6.c.11.n.8.* vbi 20. Doctores citat pro hac ſententia, & nouiſſimè illam docet, Bonac. *de cenſ.diſp.7.punct.3.q.2.n.15.* Reginald. *in praxi tom.2.lib.30.tr.2.c.7.n.73.* & Filliuc. *in quæſt.mor. tom. 1. tract.19.c.6.n.152.* Ratio eſt, quia Concilium tribuit Epiſcopis authoritatem diſpenſandi ſuper irregularitates contractas ex delicto; ſed irregularitas ex defectu non eſt ex delicto. Ergo, &c.

His tamen non obſtantibus Stephanus de Auila Societatis IESV Theologus contrariam docuit ſententiam *in tract.de cenſ.p.7.diſp.3. dub.7.* Nam licèt hæc irregularitas cauſet in homine quendam defectum, tamen intrinſecè dependet à crimine parentum. Ergo ſi huiuſmodi crimen ſit occultum, comprehenditur ſub decreto Concilij. Secundò probatur, nam licèt diſpenſatio poſtquam eſt conceſſa in particulari caſu, eſt odioſa, & ſtrictè interpretanda, at verò poteſtas diſpenſandi eſt fauorabilis, & latiſſimè interpretanda, *cap.fin.de ſimonia.* Hæc Auila, cuius ſententia, licèt improbabilis vocetur à Suar. *in 3.p. tom.5.de cenſ.diſp.50.ſect.5.n.5.* tamẽ nouiſſimè Ægid. de Coninch ex eadem Societate *de Sacram.diſp.18.dub.14.n.117.* tanquam probabilem illam admittit. Ad argumentum contrariæ ſententiæ reſponderi poteſt ex dictis. Nam, cùm hæc irregularitas intrinſecè dependeat à crimine parentum, videtur etiam incluſa ſub verbis Concilij.

*Olim hoc facti genus mihi propoſitum fuit. Vir nobilis accepit in domo ſua quendam infantem expoſitum in Hoſpitali, modò cùm ſit adoleſcens bonæ indolis, vult illum ad ſacros Ordines promouere, quærit, an iſte ſit irregularis propter periculum illegitimationis, ita vt egeat diſpenſatione?*

RESOLVT. XXII.

AFfirmatiuè reſpondit Tolet. *lib.1.cap.52.* Rebell. *de obligatione iuſt.p.2.lib.1.q.2.n.15.* Auila *de cenſ.p.7. diſp.3.dub.9.* Sayrus *de cenſ.lib.7.c.10.n.39.* Vaſquez *in p. 2.diſp.66.n.48.* Caſtillo *quotid. ... 19.lib.2.c.1... 51.* Honded. *lib.2.conſ.47.n.23.* Cou. Maiolus, Salzed. Vgolin. Henriquez, Lopez, Rodriquez, & Candelabrum aureum, *apud Garſiam de benefic.tom.2.p.7.c.2.n.8.* & nouiſſimè Bonac. *de cenſ.diſp.7.q.2.punct.3.n.10.* Ratio eſt, quia expoſiti frequentiùs ſunt ex turpi conceptione, in obſcuris autem ſolet inſpici, quod eſt veriſimilius, & cùm expoſitus ſit dubius de ſua legitimatione, debet in dubiis tutior pars eligi, *cap.illud, de cleric.excom.miniſtr.*

Hæc opinio eſt probabilis, ſed contraria non caret etiã ſua probabilitate, vt notauit Suarez *in 3.p.tom.5. de cenſ. diſp.50.ſect.4.n.4.* & Filliuc *in q.mor.tom.1.tr.19.c.5.n.141. & 143.* & illam amplexi ſunt Ananias *in c.1.n.11.de infant. expoſ.* Felin. *in cap. ... de ... iudiciis.* Cardin. Paleot. *de ſpuriis, c.63.à n.3.ad finem.* & ex neotericis Gratian. *in diſcept.forenſ.p.1.c.135.n.1.* cum Molfeſio *in p.2.q.19. art.5.diſp.87.in fin.* Salas *in p.2.D.Thom.tom.2.trac.8.diſp. vnic.ſect.24.n.246.* Sanctarel. *var.reſol.q.44.* & Coninch *de Sac.diſp.18.dub.12.n.105.* Ratio eſt, quia quilibet præſumendus eſt legitimus, dum non probetur contrarium: tum quia in dubiis præferenda eſt pars benignior; ideo ſtante dubitatione, præſumendum eſt pro legitimatione.

Verum eſt quod Filliucius, Suar. Sayrus, Bonac. *vbi ſuprà,* & Henriq. *lib.14.c.8.n.10.* cum Reginal. *in praxi, tom. 2.lib.30.tract.2.c.7.n.77.* putant in hoc caſu ad tollendos ſcrupulos, tutius eſſe, tales expoſitos ſaltem petere diſpẽſationem ab Epiſcopo, non quia Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitate proueniente ex defectu, ſed quia illius facultas prodeſſe poteſt ad pacandam conſcientiam, adiuncta opinione probabili aſſerente expoſitum non eſſe præſumendum irregularem: ſed hæc doctrina à Nicolao Garſia *vbi ſup.n.10.* non admittitur.

Sed quidquid ſit de illa, dico abſolutè, & ſimpliciter expoſitos, ſine diſpenſatione, non ſolùm Papæ, ſed etiam Epiſcopi, ſine vllo ſcrupulo poſſe ſacros Ordines recipere. Ex his patet reſponſio ad argumentum contrariæ ſententiæ: & illa regula, quòd in dubiis tutior pars eſt eligenda, intelligitur, & procedit generaliter quoad hoc,

vt



vt non poſſit quis facere id, de quo eſt dubium, an ſit prohibitum, ſed debet ab illo abſtinere. Non tamen procedit quoad hoc, vt in dubio debeat quis ſpoliari, ſeu priuari re poſſeſſa, vel facere actum poſitiuum, de cuius obligatione non conſtat, vt eſt in caſu noſtro: nam tunc intrat alia regula, quòd in dubio, & pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis. Quæ quidem regula non ſolùm procedit in materia iuſtitiæ ſed etiam in aliarum virtutum; vt nos contra Vaſquez, & Azorium alibi demonſtrauimus. Circa præſentem quæſtionem præter citatos DD. vide Piaſec. *in praxi Epiſc.p.1.cap.1.n.27.* Mandoſium *de ætate min.c.14. n.24.* Hoſtienſem *in ſum.tit.qui filij ſint legitimi, n.8.* Andr. Victorell. *in Notis ad Manuale Nauar.cap.27.num.201.*

*An decretum Pij V. quod incipit,* Decori, & honeſtati, *editũ anno 1569. in quo conceditur Monialibus poſſe propter morbum lepræ, & epidemiæ, exire de Monaſterio, an, inquam, hoc decretum extendendum ſit ad aliam infirmitatem, non tantùm aliis, ſed ſoli Moniali nociuam, cui exeundo à Monaſterio remedium adhiberetur, ſi aliàs periculum vitæ, aut grauis & diuturnæ infirmitatis probabiliter timetur?*

RESOLVT. XXIII.

NEgatiuè reſpondendum eſt. Ita tenet Guttier. *in Can. qq.lib.1.c.14.* Zerola *in praxi, p.1.ver.Moniales, q.16. & p.2.eodem ver.in fine,* Barboſa *de poteſt. Epiſc.p.3.alleg. 102.n.20.* Megala *in 3.p.lib.4.c.3.q.1.n.5.* Sanchez *in ſum. tom.2.lib.5.c.15.n.39.* & Rodriquez *in ſum. Hiſpana,* quam nuper edidit, *tom.3.c.96. n.3.* vbi notat, quòd quia in Hiſpania aliqui Medici aſſerebant morbum gallicum includi ſub nomine epidemiæ, & ſtrumæ, & cancros ſub nomine lepræ, quæ quidem omnia negabat Ludouicus de la Valle Medicus Regis, ideò ad Sacram Cardinalium Congregationem delata fuit hæc quæſtio, cui ita reſpondit:

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum, ſupradicta opinionum varietate, ſingularúmque rationibus diligenter perpenſis, declinauit in ſententiam Doctoris Ludouici de la Valle Medici Cameræ Hiſpaniarum Regis. Cuius in reſponſo à ſe edito, zelum & prudentiam in aſſequenda ſanctæ memoriæ Pij V. mente plurimum in Domino commendauit, eiuſdem Pij V. conſtitutionem de clauſura Monialium loquentem nomine epidemiæ, eam tantùm epidemiam intelligere, quæ eſt vera, & realis peſtis: ita vt ob alias infirmitates huic aliquo pacto conſimiles, ſed tamen benigniores, etiamſi epidemiæ nuncupentur, nullo pacto Monialibus profeſſis ex Monaſterio exire liceat, atque hoc decretum ab omnibus, ad quos pertinet, inuiolabiliter obſeruari mandauit Ioannes Garſia Cardin. Mellinus.

Multas rationes adducunt DD. pro hac ſententia, ſed præcipuè illam, quia Pius V. in Bulla dicit, nulla alia occaſione & prætextu, quàm illius triplicis infirmitatis, licere Monialibus exitum à Monaſterio. Vnde excludit quamcumque extenſionem ad alios caſus, cùm vtatur dictione illa taxatiua, *nulla ratione.* Ergo, &c.

Verùm non deſunt DD. qui contrariam ſententiam tuentur. Hi ſunt ex Societ. IESV P. Ioan. Azorius *p.1. lib.13.cap.8.q.1.ad fin.* doctiſſimus ſenex Nauar. *comm.4. n.48.de Regul.& in c. ſtatuimus 19.q.3.n.49.* Franc. Zipæus *in praxi iuris Pontif.lib.3.§. de regul.n.42.* Ioan. de la Cruz *de ſtat.relig.lib.1.cap.5.dub.4.concluſ.2.* Graffius *in dec.p.1. lib.4.cap.23.num.17.in fin.* & nouiſſimè Bonacina *tract. de leg.diſp.1.q.1.punct.3.n.19.* vbi ait: Pius V. in Extrauaganti, quæ incipit, *Decori.* ſtatuit, ne Monialis exire poſſit è Monaſterio alia de cauſa, quàm occaſione incendij, vel infirmitatis lepræ, vel epidemiæ; negandum tamen non videtur, quin liceat Monialibus exire, etiã aliis de cauſis conſimilibus, dum imminet probabile periculum vitæ, aut grauis & diuturni morbi. Ratio eſt, quia iſti caſus videntur per epiikeiam excepti, & Eccleſia non obligat cum tanto incommodo. Hæc ille.

Ad argumenta contraria poſſet aliquis ita reſpondere. Ad primum, de illa reſponſione Illuſtriſſ. Cardinalium, non conſtat authenticè. Ad ſecundum, licèt in Bulla Pij V. adſit dictio taxatiua, tamen Euerardus *in ſuis topicis legalibus, loco à natura dictionum taxatiuarum, n.4.* Gomez *tom.1.variarum, c.11.n.12.* & alij, aſſerunt dictionem taxatiuam non excludere caſus ſimiles, & in quibus eadem ratio, vel vrgentior militat. Ita licèt *in l.fin. C. de reuocand. donat.* decernatur ob ſolas cauſas ibi numeratas poſſe reuocari donationem, tamen docent plures DD. poſſe quoque ex aliis grauioribus, aut æquè grauibus. Ita Abb. *cap.fin.de donat.n.3.* Molina Iuriſconſultus *lib.1.de primog.c.9.n.32.* Leſſius *lib.2.c.18.dub.14.n.104.* & alij. Et tandem Clem. VIII. interdixit ſuo motu proprio, qui incipit, *Religioſæ Congregationes,* munera à Regularibus dari, præterquam in caſibus ibi exceptis, & tamen Bulla de largitione munerum Religioſis interdicta, *n.38.39.* & 40. docet eos caſus exceptos, extendi ad ſimiles, in quibus eadem ratio militet. Idem poteſt dici in caſu noſtro.

*Quidam Hæreticus externus, ſed occultus impetrauit in foro conſcientiæ abſolutionem ab hæreſi Romæ à quodam Pœnitentiario Summi Pontificis, modò vult ſacros Ordines ſuſcipere. Quæritur primò, an propter illam hæreſim incurrerit in irregularitatem. Secundò, an Epiſcopus poſſit ſuper illam diſpenſare vigore Concilij Trident.* ſeſſ.24.c.6.

RESOLVT. XXIV.

AD primum affirmatiuè reſpondet Azorius *p.1.lib.8. c.11.q.13.& c.21.q.8.* Bonacina *vbi infrà, n.6.* Suarez *n.4.* Sanchez *n.2.* Rodriquez *in Addit.ad Bull. Cruc.§.13. n.12.* Vgolin. *de irregul.c.36.n.6.* Perez *in leg.3.tit.4.lib.8. ordinam.in tract.de hæret.p.1.fol.99.* Filliuc. *vbi infrà, n.228.* Farin. *tract.de hæreſi, q.192.n.78.* Reginald. *in praxi, tom.2. lib.3.tract.2.c.15.n.193.* & alij. Ratio eſt, quia ſententia declaratoria non requiritur ad irregularitatem, cùm ipſo iure incurratur.

Quando autem ipſo iure incurritur, nõ requiritur, vt factum ſit notoriũ, ſed ſatis eſt eſſe exteriùs cõmiſſum. Hæc ſententia eſt tenenda, licèt probabiliter, vt opinatur Reginald. *vbi ſuprà,* contrariã amplexi ſint non ignobiles Authores. Ita Henriquez *lib.14.c.4.§.6.* Garſias *vbi infra, n.86.* Auila *de cenſ.p.7.diſp.4.dub.2.* Viualdus *in Append.ad Cãdel.aur.c.1.n.13.* Sayrus *de cenſ.lib.7.c.12.n.16.in fin.* & alij.

Sed tota difficultas eſt in ſecundo quæſito, de quo inſtanter interrogatus fui. Nam quidam Theologus Societatis IESV, ad quem etiam hic caſus peruenit, negatiuè reſpondit. Putabat enim poteſtatem per Concil. Tridentinum Epiſcopis conceſſam eſſe per Bullam Cœnæ abrogatam, & ſic argumentabatur. Epiſcopi modò non poſſunt vigore Concilij abſoluere ab hæreſi occulta; ergo neque diſpenſare ſuper irregularitate ex ipſa hæreſi occulta contracta. Maior patet ex declaratione Clement. VIII. apud Azor. *tom.1.lib.8.cap.19. quæſt.3. & c.10.quæſt.10.* Greg. XIII. apud Fuſcum *de viſit. lib.2. c.31. n.1.* Pij V. apud Nauarrum *in Manuali c.27.n.275.* & Illuſtriſſ. Cardinalium apud Suarez *in 3.p.tom.4 diſp.30.ſect.2.num.11.* Minor probatur *ex c.cùm illorum, de ſent. excomm.* vbi habetur Epiſcopũ non poſſe in his caſibus diſpenſare, in quibus eſt illi prohibita abſolutio, nã maiora illis intelliguntur prohibita, quibus prohibita ſunt minora. Cùm ergo Epiſcopis prohibita ſit abſolutio hæreſis, prohibita etiam cenſetur diſpenſatio irregularitatis, eo quòd poteſtas diſpenſandi maior vocetur poteſtate abſoluendi ab excommunicatione. Et ita hanc ſententiam extra dictos admodum RR. PP. tenet, & docet Suarez *in 3.part.tom.5. de cenſ.diſp.1.ſect.43.n.7.* Bonacina *de cenſ.diſp.7.quæſt.3. punct.6.*

*In vltimo Iubilæo Pauli V. Pontificis Maximi, fuit orta magna diſſenſio inter Theologos, an qui die Dominico confiteretur, ſatisfaceret Iubilæo?*

RESOLVT. XXVIII.

REuerendiſſimus ſimul & doctiſſimus Dominus D. Franciſcus de la Riba Vicarius Generalis Illuſtriſſimi Cardinalis ab Auria Archiepiſcopi, ſubtiliter & ſolidè, vt in omnibus ſemper ſolet, negatiuam ſententiam ſuſtinebat, & licèt tunc pro illius opinione, rationes inueniebam, non autem authores; tandem inueni illam ſententiam docere Filliuc. *in quæſt. moral. tom. 1. tract. 8. c. 10. num.* 272. vbi reſpondens ad noſtrum quæſitum, ait. Fertur Clem. VIII. de hoc interrogatum reſpondiſſe non ſatisfacere, & vigore ſui Iubilæi non poſſe pœnitentem abſolui à reſeruatis die Dominico, vnde expirabit, quoad hanc ſaltem facultatem, media nocte Sabbathi. Conceſſit tamen Pœnitentiariis S. Petri, vt abſoluerent etiam die Dominico, quod etiam fertur præſtitiſſe Innocent. IX. cuidam Epiſcopo idem petenti. Itaque de rigore textus, confeſſio debet fieri ante diem Dominicum, dicitur enim, intra hoc tempus primæ, ſcilicet, vel ſecundæ hebdomadæ confiteantur, & Dominica prima, vel ſecunda ſumant Euchariſtiam. In die Dominico tamen quo ſolet promulgari, non videtur dubium, confeſſionem in illo factam valere a tempore poſt publicationem. Hæc Filliucius. Et hanc ſententiam docet etiam Portel *in dubiis Regularium, tom. 1. ver. indulgentia 2. num. 6.* & inclinat noſter Alphonſus de Leone *tract. de Iubilæo, p. 2. ſect. 4. n.* 161.

Attamen tunc ſuſtinui, & nunc etiam teneo contrariam ſententiam eſſe probabilem, quam docet, & tenet multis citatis, Sebaſtianus Acoſta *in expoſ. Bull. Cruc. q. 14. dub. 3.* vbi aſſerit. Dubitatur tertiò, vtrùm in aliquibus Iubilæis, quæ confeſſionem intra hebdomadam requirunt, ſatis ſit die Dominica confiteri? Cui dubitationi affirmatiuè reſpondendum exiſtimo cum Soto *diſt. 21. quæſt. 2. ar. 3.* Nauarr. *notab. 19. n. 19.* Henriquez *c. 10. §. 8.* Rodriquez *§. 2. dub. 5.* aſſerente ita viuæ vocis oraculo declaratum fuiſſe ad inſtantiam PP. Societatis Ieſu, à Pio V. Sed cùm ego rem inueſtigarem, accepi ab eiſdem Societ. PP. non à Pio V. ſed à Greg. XIII. hanc declarationem emanaſſe Anno Domini 1576. menſis Maij die 10. hanc rationem reddente: Quoniam dies Dominica habetur pro complemento hebdomadæ tranſactæ, in quo ieiunatum eſt. Ita Acoſta, & poſt illum docet etiam hanc ſententiam Reginald. *in praxi, tom. 1. lib. 3. cap. vlt. num.* 173. Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 26. dub. 11. n. 17.* Sanctarell. *de Iubilæo, cap. 6. dub. 1.* Bonacina *de Sacram. diſp. 6. quæſt. 1. punct. 5. num. 34.* Sà *ver. Indulgentia, num. 13.* Vega *in ſum. tom. 2. cap. 7. caſ. 5.* & noſter P. Molfeſ. *in ſum. tom. 1. cap. 16. tract. 7. n. 43.* & ita etiam multi viri docti noſtræ Religionis, & Societatis Ieſu, à me de hac re conſulti.

*Quidam Sacerdos abſoluit pænitentem, qui rem habuerat cum fæmina in vaſe præpoſtero, tenens illam opinionem, hanc non eſſe verā ſodomiam, neque includi in caſu reſeruato ſodomiæ, poſitæ in Tabella Illuſtriſſimi Archiep. quæſiuit poſtea, an peccauerit, & an illud Sacramentum fuerit nullū, quia ille pænitēs aliud peccatum in illa confeſſione non fuerat confeſſus?*

RESOLVT. XXIX.

ALiqui, vt ipſe aſſerebat, reſponderunt affirmatiuè. Nam licèt in aliis poſſit quis ſequi opinionem probabilem, relicta etiam probabiliori & tutiori, vt nos ſuprà probauimus, tamen hoc non eſt licitum in adminiſtrandis Sacramentis. Sed talis Sacerdos tenuit opinionem probabilem, & cum illa Sacramentum adminiſtrauit; ergo. Et ita hanc ſententiam docuit Sancius *in ſelect. diſp. 44. n. 19.* Nugnus *in addit. ad 3. p. tom. 2. q. 8. ar. 5. dub. 1.* Salas *in p. 2. tom. 1. tract. 8. diſp. vnic. ſection. 10. n. 101. & ſect. 27. n. 286. & 287.* & nouiſſimè Filliuc. *in q. mor. to. 2. tract. 17. c. 4. n. 139.* vbi ait. In caſu opinionum circa iuriſdictionem Sacerdotis confeſſiones excipientis, magis tutam opinionem ſequendam eſſe cenſeo, vbi tamen adeſſet communis error, cum titulo colorato ſatis tuto, poteſt talis haberi pro vero Confeſſario. Hæc ille.

Sed ego ad propoſitum dubium negatiuè reſpondi. Nam licèt verum ſit, quòd in materia Sacramentorum non ſit ſequenda opinio probabilis, relicta probabiliori & tutiori, non ſolùm ratione obligationis charitatis erga proximum, vt voluit Vaſquez *in p. 2. tom. 1. diſp. 63. cap. 3.* verùm etiam ratione reuerentiæ debitæ Sacramento, & ita abſolutè tenuit hanc opinionem Suarez *in 3. p. tom. 4. diſp. 26. ſect. 6. n. 5.* licèt mihi diſtinctio Vaſq. magis placeat, tamen ab hac regula, & ex iſta concluſione excipitur caſus, de quo loquimur: nam ſi aliquæ opiniones circa iuriſdictionem Sacerdotis ad audiendas confeſſiones verſantur, & opinio probabilis doceat illam habere, probabilior autem neget, licitum eſt Sacerdoti relinquere probabiliorem, & ſequi probabilem. Ita Malder. *in p. 2. quæſt. 19. ar. 5. diſp. 86. ante dictum 7.* Martinez *tom. 1. in p. 2. q. 19. art. 9. dub. 6. concl. 7.* Bonac. *tract. de leg. diſp. 2. q. 4. punct. 9. n. 19.* Reginald. *in praxi, tom. 1. lib. 1. c. 8. n. 102. & 103.* Coninch *de Sacr. diſp. 8. dub. 3. concl. 6 n. 2. & dub. 6. num. 46.* & Leſſius *de iuſt. lib. 2. c. 29. dub. 8. n. 68.* vbi aſſerit. Adde nō ſolùm errorem communem, ſed etiam probabilem DD. opinionem efficere, vt Eccleſia det iuriſdictionem, etiamſi fortè opinio illa ſit falſa: vt ſi probabile ſit, talem poſſe abſoluere à reſeruatis, vel cenſuris, & ſimilibus. Ita Leſſius, qui citat pro hac opinione etiam Henriquez *lib. 2. de pœnit. c. 14. n. 3. & 4.* & illam etiam poſt Leſſium & alios docet Sanchez *in ſumma, tom. 1. lib. 1. cap. 9. num.* 35. Quoniam (ait ipſe) in talibus confeſſionibus ſemper quiſpiam fatetur aliqua venialia cum mortalibus, de quibus mortalibus eſt opinio probabilis; ſed quilibet Sacerdos habet certam iuriſdictionem circa venialia, & ideò cùm pœnitens non ponat obicem, & ſit certa iuriſdictio in aliquam materiæ partem, erit certus confeſſionis valor: & quamuis talis Confeſſarius careat iuriſdictione in mortalia ea indirectè, & per accidens, virtute illius iuriſdictionis remittuntur, quicquid in contrarium aſſerat Nugnus *vbi ſupra.*

Dico igitur non ſolum adeſſe valorem Sacramenti in illa confeſſione, in qua pœnitens cum mortalibus, de quibus adeſt opinio probabilis, confitetur aliqua venialia, vt modò aſſerebat Sanchez: ſed etiam quando in illa confeſſione (vt fuit in caſu, de quo interrogatus fui) non confitetur, niſi illud peccatum, de quo extabat opinio probabilis, confeſſarium poſſe illum abſoluere; nam tunc opinio DD. probabilis efficit, vt Eccleſia tali ſacerdoti in illo caſu conferat iuriſdictionem.

Ad argumentum pro contraria ſententia in principio poſitum, patet reſponſio ex dictis. Nam in aliis caſibus in materia Sacramentorum, ſequendo opinionem probabilem, relicta probabiliori & tutiori, eſſet periculum irritandi Sacramentum, quod in caſu de quo loquimur, non poteſt euenire. Nam licèt illa opinio probabilis ſit falſa à parte rei, tamē in tali caſu iuriſdictio ſuppletur & confertur ab Eccleſia. Illud verò quod ait Filliucius mihi diſplicet. Nam ſi non eſſet admittenda doctrina ſuperiùs poſita in caſu, de quo loquimur, ſequerentur eadem incommoda, quæ ſequerentur, Eccleſia non ſupplente iuriſdictionem, quando eſt error communis, & titulus coloratus, in quo caſu vult ipſe iuriſdictionem ab Eccleſia ſuppleri. Ex his omnibus apparet, me rectè conſuluiſſe, Sacerdotem abſoluentem cum opinione probabili illum pœnitentem, qui rem habuerat cum fœmina in vaſe præpoſtero, non obſtante reſeruatione peccati ſodomiæ, non peccaſſe, neque irritum effeciſſe Sacramentum. Salua ſemper, &c.





*An fœmina ornans ſe ſecundùm conſuetudinem patriæ, ſi ſciat ex hoc ornatu, laſciuè ab aliquo amari, peccet mortaliter ſe ornando, vel domo exeundo?*

RESOLVT. XXX.

REſpondeo negatiuè. Ita Azorius *p. 2. lib. 12. c. 18. quæſt.* 11. Ratio, quam adducit, eſt, quia taliter ſe adornando vtitur iure ſuo. Eandem ſententiam docuit Caiet. *in 2. 2. quæſt. 169. ar. 2. ad 5. dubium.* Sanchez *vbi infrà, n. 17.* Bonacina, & nouiſſimè Petr. de Lorca *p. 2. tom. 2. quæſt. 73. art. 8.* vbi ait: [Effectum per accidens, etiamſi ſit præuiſus, dummodo non ſit formaliter intentus, non imputari, oſtendunt multa exempla. Si videlicet mulier ornet ſe. vt placeat marito, vel vt procedat iuxta conſuetudinem patriæ, etiamſi præuideat ſe ab aliquo turpiter amandam, non tenetur abſtinere, neque imputatur illi: & ratione id probatur, quia quando effectus ſequitur per accidens, etiamſi præuiſus ſit, non eſt virtualiter intentus, nam virtualiter intentum in cauſa intenditur, cauſa autem per accidens, non eſt ſimpliciter cauſa, neque continet effectum, vt in ea dicatur volitum. Et certè eſſet graue iugum, & animas mille laqueis implicare, ſi teneremur vitare effectus per accidens præuiſos. Hæc ergo habenda eſt regula generalis, vt ille effectus non augeat malitiam, neque imputetur, qui ſequitur per accidens, etiamſi præuiſus ſit, dummodò non ſit formaliter intentus.] Hæc Lorca. Vide etiam illum *quæſt. 20. art. 5.*

Ex his oritur & ſoluitur alia dubitatio, quid dicendum de fœmina domo ſua exeunte, cùm videat ſe laſciuè concupiſcendam ab amaſio. Noſter P. Megal. *in 1. part. lib. 4. cap. 6. num. 9.* & Turrian. *in 2. 2 tom. 1. diſp. 96. dub. 2.* Becan. *in 2. 2. tom. 1. c. 27. quæſt. 6. n. 4.* diſtinguunt: nam propter ſcandalum futurum ex malitia alterius, non debet talis fœmina domi manere, ſed exire poteſt; vel ad audiendam Miſſam, quando non eſt in præcepto; vel etiam alicuius recreationis gratia: ſed ſi ſciat quòd proximus peccat ex fragilitate, putà ex magna ratione amoris erga illam, vel quid ſimile, tunc tenetur mulier ſe occultare, & nec etiam ex vtilitate domo exire, ſi aliter proximi ſcandalum ſedare non poteſt. Concordat ex parte cum Megala, & Turrian. Martinez *in p. 2. q. 24. ar. 6.*

Secunda opinio eſt D. Antonini, Medinæ, Cordubæ, Lopez, Zumel, & aliorum apud Sanchez *vbi infrà, n. 6.* & Filliuc. *in quæſt. mor. tom. 2. tract. 28. cap. 10. n. 132.* qui aſſerunt eam peccare mortaliter, ſi exeat domo, ſine vlla neceſſitate, ſed ex curioſitate indifferenter hac, vel illac diſcurrendo: non autem ſi hoc faciat ob cauſam neceſſariam, vt inuiſendi vicinas, ſeu affines, ne minus vrbana habeatur, vel eundi ad Eccleſiam, &c.

Tertia opinio, cui tanquam probabiliori adhæreo, eſt Caiet. *in 2. 2. q. 169. ar. 2. ad 5. dubium,* quem poſtea ſequuti ſunt recentiores aliqui, vt præter alios Sanchez *in ſumm. tom. 1. lib. 1. c. 6. n. 17.* & Bonac. *tract. de leg. diſp. 2. quæſt. 4. punct. 2. §. vnic. n. 27. & tract. de matrim. quæſt. 4. punct. 9. num. 17.* qui aſſerunt fœminam in tali caſu non peccare, non enim tenetur ſua ſe libertate priuare egrediendi domo, ſtandi ad oſtium domus, vel feneſtram, diſcurrendi per ciuitatem, &c. Et ratio eſt, quia etiamſi ita faciendo daret occaſionem amaſio ad concupiſcendum, tamen iſta occaſio potius prouenit ex ipſius amaſij malitia, & ideò eſt occaſio ab ipſo accepta, & non à muliere data, quæ iure ſuo & libertate ſua vtitur, & iſte effectus, vt ſuprà diximus de muliere ornante ſe, prouenit per accidens, & licèt ſit præuiſus, non tamen eſt intentus, & ideo non debet ad culpam imputari.

Limitanda tamen eſt hæc doctrina, niſi fœmina, data opera, ſe offerret conſpectui adoleſcentis, illius amoris conſcia, etſi illum non intenderet. Secus autem ſi hoc faciat, vt diximus, non ſolùm propter aliquam neceſſitatem, ſeu vtilitatem ſed etiam propter hoc ſolum, ne videlicet ſe priuet ſua libertate, & iure exeundi domo. Ex his omnibus mihi olim rigida viſa eſt cuiuſdam confeſſarij reſolutio, qui noluit abſoluere mulierem nobilem, quæ in curru ſolebat ambulare, ſecundùm morē patriæ, cum aliis fœminis nobiliſſimis, quia ita ſe præbebat conſpiciendam adoleſcenti, à quo ſciebat ſe turpiter amari, non enim tenebatur propter malitiā amaſij, priuare ſe iure & libertate ſua.

Adde quòd exire domo iuxta morem patriæ, ab Azor. *p. 2. lib. 12. cap. 18. q. 12.* connumeratur inter cauſas iuſtas, quas habent mulieres in hoc caſu domo egrediendi. Sed circa præſentes quæſtiones vide etiam. Med. *p. 2. q. 20. ar. 5.* Aluar. etiam *in p. 2. q. 73. art. 8.* & tandem Suarez *de char. diſp. 10. ſect. 4. n. 10.* vbi aſſerit, fœminā nō peccare, etiamſi ſequatur ſcandalum, adornando ſe, dummodo ornatus ſit moderatus, & decens, ſecus ſi eſſet ſuperfluus, & maximus. Sed ego puto non peccare, etiamſi eſſet ſuperfluus, & maximus, dummodo ſit ſecundùm morem patriæ, & de ſe non ſit quaſi prouocatiuus ad malum. Vnde bene aſſerit Turrian. *in 2. 2. tom. 1. diſp. 96. dub. 2. §. ex traditis.* ornatum non habere ſpeciem mali, quantumuis illuſtrem, ſi ſit iuxta conſuetudinem patriæ fœminarum, quæ honeſtæ ſunt; ſecus ſi eſſet peculiaris habitus meretricius.

*Cuidam Confeſſario olim hic caſus accidit; Quædam mulier inter confabulationem cum viro ſibi in matrimonium coniungendo, dicebat illi verba, non quidem turpia, ſed affectuoſa, & amatoria, vnde poſtea in pollutionem, & diſtillationem incurrebat, ſine tamen vlla delectatione, vel periculo alicuius conſenſus, imò cum maxima diſplicentia, quia erat timoratæ conſcientiæ: interrogatus fui, an peccaret mortaliter, & ſi nollet deſiſtere ab his confabulationibus, an eſſet ei abſolutio deneganda?*

RESOLVT. XXXI.

REſpondi omninò illi conſulendum eſſe, ab his ſermonibus abſtinere, ſed in rigore loquendo non eſſe denegandam abſolutionem, quia illa pollutio, & diſtillatio in hoc caſu, non eſt peccatum mortale, & hoc ita probabam. Pollutio licèt præuiſa, non tamen intenta, ex cauſa venialiter peccaminoſa non eſt peccatum mortale; ſed illa verba, ex quibus prouenit pollutio, de qua loquimur, ſunt tantùm peccata venialia. Ergo talis pollutio non erit peccatum mortale. Maior propoſitio probatur, quia cùm illa pollutio non ſit in ſe ſe volita, ſed in cauſa in qua præuidetur, in tantum mala erit, in quantum mala eſt cauſa, in tantum enim culpa eſt, in quantum eſt voluntaria; ſi ergo cauſa eſt venialiter mala, talis erit & pollutio. Et ſic hanc ſententiam tenet Vaſq. *in p. 2. tom. 1. diſp. 115. c. 3. n. 9. & in opuſc. de reſtit. c. 3. § 1. dub. 6 n. 14.* Salas *in p. 2. tom. 1. q. 74. tr. 13. diſp. 6. ſect. 18.* Henriq. *in ſumm. lib. 11. c. 16. n. 6.* Leſſius *de iuſt. lib. 4. c. 3. dub. 14. n. 100.* & nouiſſimè Bonacina *tract. de matr. q. 4. punct. 10. n. 9.* vbi ait pollutionem non eſſe peccatum mortale, quando prouenit ex cauſa venialiter luxurioſa, & leuiter influente in pollutionem. Et tandem docet etiam hanc ſententiam Filliuc. *in quæſt. mor. tom. 2. tract. 30. c. 8. num.* 162. vbi aſſerit, ſolum reperiri culpam mortalem in cauſa, ratione pollutionis præuiſæ, & non intentæ, quando abſque vrgenti neceſſitate exercetur actio ex ſua natura turpis, & per ſe tendens ad actus venereos excitandos, & conſummandam pollutionem, qualis tantum eſt in actionibus mortalibus pertinentibus ad ſextum præceptum, vt cogitationibus moroſis, aſpectibus & tactibus mortalibus. Si enim ſint tantùm veniales, ex defectu plenæ aduertentiæ, vel ex ſuo genere, vt quia ob curioſitatem tantùm, tunc tantùm venialis erit pollutio inde ſequuta. Ita Filliucius. Ex his omnibus veram eſſe maiorem propoſitionem noſtri argumenti, apparet; & hoc etiam verum eſt, vbi neceſſitas, nec cauſę vtilitas adeſt. Filliucius *vbi ſuprà,* Sanchez cum aliis infrà.

Reſtat modò probare minorem, & oſtendere illa verba dicere, eſſe tantùm peccatum veniale, quod probat, & docet Ioan. Salas *in p.2. tom.2. tract.13. diſp.6. ſect.42. n.163.* & Sanchez, qui citat Nauar. & Cordub. *in tom. 3. de matrim. lib.9. diſp.46. n.37.* vbi ait: [Loqui verba amatoria, quæ vulgo *requiebros* appellamus, vt videlicet cor meum, bonum meum, anima mea, ob ſolam vanitatem, & conciliandum vanum amorem, non excedunt culpam venialem.] Quæ quidem doctrina intelligenda eſt, ſecluſo ſcandalo, & periculo proprio, vel alieno, videlicet illa verba audientis, vt ſuccedebat in noſtro caſu. Ergo concludendum eſt, pollutionem ex talibus verbis ſequentem non eſſe peccatum mortale, quia, vt diximus, prouenit ex cauſa tantum venialiter peccaminoſa, & non adeſt periculum conſenſus, ſeu delectationis. Vnde Henriq. *vbi ſuprà* ait, non eſſe peccatum mortale, ſi quis pollutionem patiatur ex viſione fœminæ curioſa, vel eſu cibi calidi, aut lectione etiam turpi, quia hæc non ſunt, ait ille, cauſa phyſica, & moralis, quæ prouocent pollutionem.

Vt autem regula generalis tradatur confeſſariis, vt poſſint in hac materia caſus particulares decidere, hæc erit. Quando cauſa pollutionis præuiſæ notabiliter, & per ſe influit, nec adeſt vrgens neceſſitas illam exercendi, tribuitur culpæ mortali pollutio: eáque culpa afficiet cauſam, quamuis aliàs licita eſſet: huiuſmodi autem cauſæ, ſolæ ſunt res venereæ, vt tactus, aſpectus, & turpia verba. Nota verò me ſignanter dixiſſe, *huiuſmodi cauſæ ſolæ ſunt res venereæ*. Nam multi DD. probabiliter docent, etiamſi gula, vel aliud peccatum non pertinens ad vitium luxuriæ, mortale ſit, non propterea pollutio ex eo ſequens, & in eo præuiſa, mortalis erit. Quamuis ergo in ebrietate, vel eſu, aut potu mortali, præuiſa ſit pollutio, non imputabitur ipſa ad peccatũ mortale; nec quando homo dat eam cauſam, peccabit mortaliter contra caſtitatem, ſed contra abſtinẽtiam, & ſobrietatem, aliámve virtutem. Imò quamuis gula eſſet mortalis ex circumſtantia luxuriæ, nimirum quia eſſet ordinata ad fornicationem, ob quam ſumerentur cibi calidi, non ideo pollutio eſſet mortalis, quia finis ille nihil in eã influit. Eſt Caietani *2.2. quæſt.54. art.3. paulò antè 8. in reſp. ad 5.* Et idem eſt, cùm quis peccaret mortaliter, in cibo, vel potu, eo quòd ſe exponeret periculo conſentiendi formaliter in pollutionẽ; ſi enim poſtea non conſentiret formaliter in illam, nec procuraret illam, quamuis ſequeretur, non eſſet peccatum mortale. Ita Granad. *in part.2. controuerſ.6. tract.4. diſp.6. n.12. & 18.* Salas *in part.2. tom.2. tract.13. diſp.6. ſect.18. n.117.* Sanchez *loc. cit. lib.9. diſp.45. num.17. 18. & 21.* Vaſquez *vbi ſuprà*, cum aliis Patribus Societatis IESV, de hac re conſultis, vt ait Salas. Sed ſi cupis videre aliquos authores, extra citatos, teſtantes de hac quæſtione, vide Reginald. *in praxi, tom.2. lib.21. cap.3. ſect.9. n.43.* Valent. *in 2.2. diſp.9. q.3. punct.3. §. Itaque duo requiruntur, & §. ſunt autem, & §. Itaque ad cognoſcendum*, & Medinam *in p.2. q.74. art.6. ad 3. & 4.*

*Rem ſatis controuerſam propono, An in communibus pauperum neceſſitatibus, ſicut in extremis, & grauibus, ſit obligatio faciendi eleemoſynam ex bonis omninò ſuperfluis.*

### RESOLVT. XXXII.

IN duas diuiſi partes hac in re Doctores, affirmant enim D. Thom. *in 2.2. quæſt.32. art.7.* & *ibi* Caietanus, & Bannez, Paludanus *in 4. diſt.15. q.2. art....* Richardus *q.3. art.2.* & ex neotericis Nauar. *in Manu.24. num.1.* Valent. *tom.3. diſp.5. q.9. punct.4. §.2.* Becan. *in 2.2. cap.21. num.8.* Bellarmin. *lib. de eleemoſyn. cap.7.* Ledeſma *in ſum. tom.2. tract.4. c.3. concl.13. fol. mihi 109.* & Beia *in reſp. caſ. conſc. p.1. caſ.1. in Sabb. die 19. Octobr.* & alij. Et ratio eſt, quia diuiſio rerum, quæ communi gentium conſenſu facta eſt, ſine dubio rectè facta eſt. Ergo, qui poſt factam diuiſionem abundant rebus, tenentur aliis, qui indigent, ex ſuperfluis ſuccurrere; alioquin ſi non tenerentur, iam licitè retinerent omnia ſuperflua, & ſic diuiſio facta eſſet in præiudicium facta. Secundò, qui non dat eleemoſynam ex ſuperfluis, oſtendit ſe non habere charitatem erga proximum; ergo charitas, & miſericordia obligabit in tali caſu. Secundùm ergo hanc opinionem, tenentur diuites ex ſuperfluis ad decentiam ſtatus, eleemoſyna ſuccurrere communibus pauperum neceſſitatibus; ſeu, vt clariùs loquar, tenentur ſub mortali, in pauperes diſtribuere ſuperflua ad decentiam ſtatus.

Sed licèt hæc opinio ſit probabilis, probabilior ſemper mihi viſa eſt contraria. Dico igitur neminem teneri diſtribuere ſub mortali ſuperflua ad decentiam ſtatus, niſi in extrema, vel graui proximorum neceſſitate. Ita tenet Fernandez *in ſuo exam. theol. p.4. c.20. §.2. n.12.* Victorel. *in notis ad Nauar. c.23. n.74.* Turrian. *in 2.2. diſp.82. dub.2.* Vaſquez *opuſc. de eleemoſ. cap.1. dub.3. num.21.* Malderus *in 2.2. q.27. art.6. dub.4.* Ioan. Medina *in tract. de eleemoſ. q.3.* Pet. à Nauar. *lib.2. cap.1. num.358.* Couar. *lib.3. var. cap.14. n.5.* & ex veteribus Gabriel *in 4. diſt.16. quæſt.11. concl.5.* Alenſis *p.4. quæſt.113. memb.1.* Abb. *in cap. ſi verò, de iureiurando.* D. Anton. *p.2. tit.1. cap.24.* & alij. Probatur hæc opinio, nam ſi quis teneretur pauperibus erogare ſuperflua, conſequens erit, vt non poſſit talis ea donare, cui velit, aut ex eis pios aliquos ſumptus ad diuinum cultum facere, vt Eccleſiam, vel collegium ædificando, &c. Hoc eſt abſurdum; ergo.

Adde, quòd ſi contraria opinio eſſet vera, oporteret plurimos, imò omnes diuites damnare, qui habent ſuperflua, & conſequenter etiam illorum Confeſſarios. Et tandem, quia ſi ea de cauſa mortale de ſe eſſet, ſuperfluum habere in alium finem, quàm in ſubuentionem pauperum, pariter eſſet mortale iſtud acquirere. Hoc eſt abſurdum; ergo. Maior probatur, nam quod non poteſt licitè retineri, non poteſt etiam licitè acquiri. Ergo.

Quæ cùm ſint duriora, neque de talibus ſoleat pœnitentibus eſſe ſcrupulus, vel à confeſſariis eis iniici, neque detur ratio efficax, quæ illam admittere compellat; relinquitur ſanè, nec eſſe admittendum, quòd peccatum mortale ſit ſuperfluum, tam naturæ, quàm ſtatui retinere in alium finem, quàm in pauperum ſubuentionem; excepto caſu extremæ, vel quaſi extremæ, ſeu grauis neceſſitatis, & non communis: pro communi autem neceſſitate, intelligo illam, quam patiuntur pauperes oſtiatim mendicantes, & hi qui vtcunque quidem tuentur ſuum ſtatum, ſed non ſine magno labore, nec ſine difficultate: quos quidem pauperes, non tenentur diuites inquirere ad ſubleuandam eorum egeſtatem, vt ex Nauarro notat Reginaldus *in praxi, tom.2. lib.4. cap.20. ſect.1. n.146.*

Ex his omnibus reſpondeo ad propoſitam quæſtionem negatiuè: & licèt opinio affirmatiua eſſet vera, tamen in praxi nunquam, aut rariùs eueniet. Nam, vt ait Vaſquez *opuſc. de eleemoſ. cap.4. dub.4. n.14.* laici poſſunt de bonis patrimonialibus ſeruare ad ſtatum ſuum, vel conſanguineorum mutandum, & tunc illud non dicitur ſuperfluum. Vnde vix in ſæcularibus inuenies, etiam in Regibus, ſuperfluum ſtatui. Hæc Vaſquez, quæ quidem confeſſariis diuitum multum plauſibilia erunt.

*Vxor cuiuſdam nobilis viri ſecundùm conſuetudinem aliarum mulierum ſuæ conditionis, ſolebat facere moderatas donationes, & eleemoſynas, poſtea maritus hoc ſciens vxori prohibuit: quæſitum à me fuit, an non obſtante dicta prohibitione, vxor poſſet ſine ſcrupulo, dictas eleemoſynas facere?*

### RESOLVT. XXXIII.

TVrrianus ex Societate IESV *in 2.2. diſp.84. dub.1.* partem negantem ſequutus eſt, ait enim: [Placet poſſe maritum reſeruare facultatem faciendi eleemoſynas, & vxorem



vxorem tunc poſſe illas facere, etiamſi maritus non manifeſtet illi cauſam, vtitur enim iure ſuo: vix autem poteſt mulier cognoſcere certò maritum non facere aliquas communes eleemoſynas, aut illas omittere ſine cauſa: & ideo conſulendum eſt vxori, vt in hoc obediat marito. Vnde meritò Aug. *cap. quod Deo 33. quæſt. 5.* cuidam coniugatæ dixit, Nihil de tua veſte, nihil de tuo auro, vel argento, vel quacumque pecunia, aut rebus vllis terrenis tuis, ſine arbitrio mariti facere debuiſti. deſumptum eſt verò illud caput *ex epiſt. 199.* & vniuerſim vult, nihil omninò elargiendum eſſe ſine conſenſu viri. Reſpondent verò aliqui, ibi eſſe ſermonem de magnis eleemoſynis: ſed, vt dixi, licèt cauſa eſſet nimia quædam eleemoſyna eius fœminæ, vt conſtat ex ea epiſt. tamen doctrina Auguſtini, ſine reſtrictione vlla videtur explicanda. Alij volunt, ibi non eſſe præceptum, ſed conſilium, quæ explicatio in contextum non cadit, vt legenti conſtabit. Alij docent Auguſtinum velle, nihil eſſe elargiendum in eleemoſynam cum ſcandalo mariti. Verùm licèt hanc rationem indicet Auguſtinus, tamen nihil omninò vult eſſe elargiendum ſine conſenſu viri, & tamen ſi de ſolo ſcandalo ageretur, ſolùm loqueretur de eleemoſyna publica, & nota marito.] Hæc Turrianus. Cuius ſententiam docuerunt antea Nauar. *in manu. c.17. num.154.* D. Anton. *p.2. tit.2. cap.19. §.1.* & Iac. de Graff. *dec. aur. p.1. lib.2. c.60. n.8. in fin.*

Sed ego ſemper in praxi contrariam opinionem ſequutus ſum, cum Fernandez *in ſuo exam. theol. p.1. cap.16. §.7. n.1.* Bonacina *de contr. diſp.3. q.10. punct.2. n.6.* Regin. *tom.1. lib.4. cap.27. n.282.* Leſſio *lib.2. cap.12. dub.14. n.85.* Coninch *de act. ſuperu. diſp.27. dub.5. num.52.* qui citat Molin. *tom.2. diſp.274.* & Nauarr. *lib.3. c.p.1. n.83.* Et ratio eſt, quia in tali euentu maritus eſt irrationabiliter inuitus, vxor enim non eſt mancipium, ſed ſocia bonorum, ac proinde eam vt ſociam in decenti ſtatu tenetur maritus ſuſtentare: ſed ad decentiam ſtatus pertinet, has donationes, & eleemoſynas facere. Ergo.

Sed dicet aliquis, Quæ quantitas particularis poteſt dari ab vxore, neſciente viro? Reſpondeo vigeſimam partem lucri annualis. Ita Bannez *in 2.2. quæſt.32. art.8.* vbi ait: [Nullus eſt ſcrupulus affirmare, quòd mulier diuitis diſpenſet, neſciente viro, vigeſimam partem lucri annualis: nam talis diſpenſatio debet eſſe interpretatiuè volita à bono viro.] Malderus in eandem 2.2. *D. Thom. quæſt.32. art.8.* ait: [Banneſius vxori permittit diſpenſationem vigeſimæ partis annui prouentus inſcio viro.] Et hanc ſententiam amplexus eſt etiam nouiſſimè Hieronym. Cenedo *de pauper. relig. dub.32. n.14.* vbi aſſerit: [No ay eſcrupulo en dezir, que la muger de vn rico puede dar cada año la vigeſima parte de ſu renta, ſin licentia de ſu marido, como ſi tiene dos mil ducados de renta, puede dar ciento.] Sic etiam Ledeſm. *in ſum. tom.2. tract.4. c.3. concl.38. fol. mihi 116.* & Vegha *in ſum. tom.2. c.17. caſ.25.*

*Solent Ruſtici in diebus feſtis inter ſe, vel cum dominis celebrare contractus, quæritur an Notarij, & ipſi contrahentes, ſine peccato poſſint hoc facere. Item quæritur, an vſus tonſorum ſit licitus, qui feſtis diebus tondent omnes qui ad tonſtrinam accedunt.*

### RESOLVT. XXXIV.

QVoad primum reſpondetur, diſcrepare inter ſe Doctores, an iuramentum extraiudiciale ſit die feſto licitum, vel prohibitum. Nam affirmatiuè reſpondet Abb. *in c.1. de feriis, num... §...* & clariùs *cap. vlt. num. 18.* cum Suarez *de Relig. tom.1. lib.2. c.30. num.17.* & Molfeſio *in ſum. tom.1. tract.11. c.17. num.61.* & ita habet conſuetudo, vt non fiant contractus in diebus feſtis, niſi de licentia Epiſcopi. Nihilominus Caiet. *in 2.2. quæſt.122. art.4.* ait prohibitionem *cap.1. de feriis*, intelligendam eſſe de iuramento ſolenniter in iudico præſtando. Et probari poteſt, tum quia textus iuxta ſubiectam materiam, videtur loqui de iudicialibus actionibus, tum quia aliàs omne iuramentum ex eo ſolùm, quòd in feſto fiat, eſſet ſpeciale peccatum: hoc autem eſt abſurdum. Ergo.

Vnde ſecundùm hanc opinionem Caietani, ſi abſit ſcandalum, non peccant Notarij, qui in diebus feſtis celebrant ruſticorum contractus; & hanc ſententiam Caietani probabilem putat nouiſſimè Layman *in Theol. mor. lib.4. tract.7. c.2. num. 8.* ſicut & ego etiam puto; Rodriquez *tom.1. c.122. n.3.* & Philiarch. *tom.1. p.4. lib.3. cap.23.* illos à peccato excuſant ratione neceſſitatis: nam ruſtici in profeſtis non adſunt in Ciuitate; & ob ſimilem cauſam, ait Suarez *vbi ſuprà, n.25.* in paruis oppidis ſolent iudicia litigantium in feſtis permitti, quia in profeſtis non adſunt ruſticani, & agrorum cultores.

Quoad ſecundum de tonſoribus dico, ratione paruitatis materiæ, non peccare ſi barbam vnius, vel alterius radant, vt notat Graffius *dec. aur. part.1. lib.2. cap.23. num.14.* Nauar. *cap.13. num.9.* Vega *tom.1. cap.114. caſ.2.* Rodriquez *tom.1. cap.121. num.4.* Sayrus *vbi infrà, num.9.* Molfeſius *vbi ſup. num.68.* & Azorius *lib.1. cap.28. quæſ.6. tom.2.* Sed ſi omnes radant ratione conſuetudinis, ſi adſit, etiam à peccato excuſantur. Nam cùm prohibita in die feſto ſint humano iure introducta, nihil obſtat, ea tolli per contrariam conſuetudinem toleratam à Prælatis, vt notat Sotus, & Caietanus, apud Regin. *vbi infrà. num.52.* & alij apud Sayr. *in Claui Regia, lib.7. cap.2. n.11.* Sed non reticebo, Fernandez *in ſuo exam. theol. p.1. cap.7. §.1. n.6.* alia ratione illos excuſare, ait enim: Vſus tonſorum, qui feſtis diebus tondent omnes, iuxta conſuetudinem ſcitam à Prælatis, excuſatur, quamquam ex alio capite id licere mihi perſuadeam; nimirum, ex occaſione ceſſantis lucri, quoniam aliis diebus propter laborum occupationes, tondendi non accedunt. Cuius rationis quamquam nullus Doctorum, quem ſciam meminit, tamen deducitur *ex cap. licet, de feriis.* Hæc Fernandez. Pro qua ratione intelligenda, notandum eſt, quòd *in cap. licèt, de feriis*, Summ. Pontifex indulſit in die feſto piſcationem halecum, quæ vno anni tempore tranſire ſolent, parique ratione, idem eſſe dicendum de piſcatione aliorum piſcium, qui ſimiliter certo anni tempore occurrunt. Sed Fernandez *vbi ſup.* cum Angelo *num.34.* & Caietan. *in ver. feſtos dies, cap.1.* idem quoque dicendum eſſe exiſtimant de quouis alio lucro tranſitorio, quomodolibet repentè occurrente, tanquam, inquit Caietanus, eiuſmodi lucrum ceſſans, damnum reputetur. Ex qua opinione ſequeretur, non ſolum propter neceſſitatem vitandi damnum, ſed etiam pro acquirendo aliquo vtili, & lucro, quod alio tempore acquiri non poſſet, licitum eſſe vti facultate in illo *cap. licèt*, & facere opera ſeruilia in diebus feſtis. An hæc opinio ſit probabilis, tu lector iudica, ſed ſcias illam reprobare Reginald. *tom.2. lib.19. cap.3. num.51.* cum Suarez *de relig. tom.1. lib.2. cap.33. n.9.* Nam in eo tantùm lucro, quod ſolet vno anni tempore euenire, cernitur rationis paritas, cum eo, de quo ſermo eſt *in cap. licet*, memorato. In eo enim ſermo eſt tantùm de tranſitorio lucro, quod ſolummodò occurrit vno anni tempore, quæ circonſtantia, cùm non inueniatur in omni lucro tranſitorio, fit, vt à Sum. Pontifice data diſpenſatio *in illo c. licet*, non habeat ob rationis identitatem, locum in omni lucro tranſitorio: vnde diſpenſatio illius textus non eſt extendenda ad priuatam vtilitatem priuatæ perſonæ, ſed ad vtilitatem publicam, quam Pontifex in illo textu conſiderauit, vt notat Andreas Barb. *in ſcholio ad Abbatem.* Sed ego opinionem Caietani, Fernandez & aliorum *vbi ſupra*, tunc amplectendam eſſe iudico, quando vtilitas, & lucrum tranſitorium, quod ceſſat, tanti ſit momenti, vt prudentis arbitrio æſtimari poſſit eius amiſſio, non mediocre nocumentum.

X 4 An

*An Notarij, Commiſſarij, & alij Officiales Curiæ poſſint in diebus feſtiuis acta tranſcribere. Idem quæritur de illis, qui ſermones Prædicatorum, & allegationes Doctorum, vt vulgò dicitur, pro mercede copiant?*

RESOLVT. XXXV.

NEgatiuè reſpondet Fernandez in ſuo exam. theol. p. 1. cap.7.§.1.num.10.Syluius in 2.2.D.Thom.quæſt.122.art.1.Toletus lib.4.cap.24.num.11.Roſella ver.feria,§. 12. Angel.eodem.ver.§.3.Nauarr.in manuali, cap.13.n.14.Tabien.ver.feria,n.40. D.Anton.p.2. tit.9.c.7.§.quantum, & in terminis docet hanc ſententiam Vega in ſumm. tom. 1. c.114.caſ.3.Ant.de Litteratis in ſum.p.2.c.17.n.21.Comitolus in reſp.moral.lib.4.q.58.num.3. Caiet. in 2.2. q. 122. art.4.§.ad 2.& Reginald.tom.1.lib.19.c.3. num. 40. in fin. cum Azor.p.3.lib.1.c. 22. q.5. Ratio eſt, quia ſic tranſcribere chartas ex officio, & mercede pacta, eſt opus ſeruile, non quidem ratione lucri, ſed ratione operis, & officij ſimul; latum eſt enim diſcrimen inter ſcribere, & tranſcribere pro officio, & mercede pacta.nam ſcribere ſimpliciter eſt opus honeſtum, & liberale, ingenuorúmque hominum: tranſcribere verò pro officio, & mercede pacto, eſt mechanicus, & purè corporalis labor, nec eſt opus mentis, neque artis liberalis, quia ſolùm eſt ita pingere characteres, ſicut in originali leguntur. Et confirmatur, quia imprimere librum, mechanicum eſt ſine vlla dubitatione, & tamen eſt genus quoddam tranſcriptionis.

At ego, dictos Notarios, & alios ſic tranſcribentes, peccati mortalis non condemnarem, cum Sayro in Claui Regia lib.7.cap.2.num.25.Franc. Galleti in Margarita caſuum conſc. verb.feſta, Molfeſ.in ſum.tom.1.tract.11.c.17. num.42. Medina lib.1.cap.14.§.8. Lopez in inſtructor. p.1. c.52. & nouiſſimè Suarez de relig.tom.1.lib.2. cap.25.n.4. vbi doctè, vt ſemper ſolet, probat, tranſcribere non eſſe opus ſeruile, etiamſi fiat non gratia addiſcendi, ſed ſine proprio profectu.nam talis actio de ſe mentalis, & ſpiritualis eſt, & per accidens ad illam eſt, quòd hac vel illa intentione fiat ab operante. Ergo inde non efficitur ſeruilis ex officio, vel lucro, ſeu mercede. Ergo nullo modo eſt ſeruilis. Ex quibus patet reſponſio ad argumenta in contrarium poſita. Cæteras rationes vide apud ipſum loc. cit. Hoc etiam docet Emmanuel Sà verb.feſtum, & Rodriquez in ſum.tom.3.c.168.n.3. & nouiſſimè Layman Theol.mor.lib.4.tract.7.c.2.n.3.

*An Agaſones, ſeu Muliones poſſint cum beſtiis, aut rhedis oneratis iter inchoare in diebus feſtis.*

RESOLVT. XXXVI.

REſpondet Suarez de Relig.tom.1.lib.2. cap.27.num. 3. diſtinguendo. nam ſi iter ante diem feſtum bona fide inchoatum eſt cum his oneribus, excuſatur continuatio, vel propter publicam vtilitatem, ad quam neceſſarium ſæpè eſt, vt ſine mora hæc tranſportatio rerum, & mercium fiat; vel certè propter vitandum graue nocumentum, quod paterentur dicti agaſones, ſeu muliones, ſi cogerentur omnibus diebus feſtis quieſcere, quocumque iter agendo peruenirent. De inchoatione verò cum dictis rhedis, ſeu curribus, & beſtiis oneratis non eſt facile admittenda conſuetudo, quam Caiet.2.2.q.122.art.4. abuſum vocat, qui aduertit, quòd ſi iſti muliones ducant mulos ſine oneribus, non eſt illicitum ita progredi, vel ab vno in alium locum transferre animalia in die feſto, quia id ſolum eſt iter facere, & non habet adiunctum opus ſeruile.Hoc etiam docet Regin.tom.1.lib. 19.cap. 4. n.50.& Franc.Galleti in margarita caſ.conſ.verb.feſtum.

Sed ego puto, audita Miſſa, raró in praxi dictos agaſones inchoando iter cum beſtiis oneratis, peccare mortaliter. Nam inchoatio talis itineris ideo eſt prohibita, quia habet adiunctam circunſtantiam, includentem opus ſeruile, & onera leuare, vel imponere; quod quidem de ſe ſeruile eſt. At dicti agaſones in his oneribus leuandis, vel imponendis tempus notabile non conſumunt; ergo ratione paruitatis materiæ, à peccato mortali excuſabuntur.

Quænam verò ſit paruitas materiæ excuſans à tali peccato, incertum eſt. Azor.p.3. lib.1.c.2.q.5.Bonac.tract.de leg.diſp.5.q.vnic.punct.3.n.2.& Reginald.in praxi, tom.2. lib.16. cap.c.n.53. putant ſpatium vnius horæ eſſe partem notabilem.Suarez de Relig.tom.2.c.31.n.2 putat hanc eſſe nimiam, & religioſam reſtrictionem, quia reſpectu totius diei pars vigeſimaquarta non apparet nimia, nec multum impedire finem præcepti, qui eſt cultus Dei. Ego, ſaluo ſemper meliori iudicio, eum qui per ſpatium duarum horarum, in diebus feſtiuis ſeruilia exerceret, ratione paruitatis materiæ, excuſarem à peccato mortali.Nam paruitas materiæ, excuſans à mortali non abſolutè, & ſecundùm ſe, ſed reſpectiuè ad totam materiam præceptam, ſpectanda eſt, vt notat Sanchez in ſum.lib.1.cap.4. n.18. At ſpatium duarum horarum, licèt conſideratum ſecundùm ſe, videatur tempus notabile, & magnum, non ita tamen videtur, reſpectiuè, & in ordine ad totam materiam præceptam vnius diei. Ergo, qui per duas horas laboraret, ratione paruitatis materiæ non peccabit.

Et poſt hæc ſcripta inueni etiam Filliuc. in ſuis quæſt. mor.tom.2.tract.27.c.11.n.205. docere hanc ſententiam.

*Quidam Patronus, qui non erat primus Fundator beneficij, quæſiuit à me an ſub peccato mortali deberet præſentare digniorem?*

RESOLVT. XXXVII.

TVrrianus in 2.2.tom.2.diſp.22.dub.5. num.6. Vaſquez opuſc.de benef.c.2. §.2. dub.5. num.74. Ioan. Malderus Epiſc. Antuerpienſis in ſuis doctiſſ. commentariis ad 2. 2. tract.9.cap.2.dub.2.Leſſius lib.2.c.34. dub.14. n.65.in fin. Azor.p.2.lib.6.c.21.q.5.Guttier.Canon.qq.lib.2.c.11. n.26. Molin.Iuriſconſ.de primog H.ſp.lib.2.c.5. n.69. Illephõſus Azeuedo conſ.24. dub.4.n.41.Couar.Sotus, & alij, affirmatiuam ſententiam amplexi ſunt. Nam hoc ius, quod ipſi patrono competit à iure, ea conditione conceſſum eſt, vt ipſi tantùm incumbat, quod Epiſcopo, aut alij Prælato incumbebat; debet igitur ſeruare modum debitum in beneficiis diſtribuendis, quod eſt eligere digniores.

Sed contrariam ſententiam probabilem etiam puto, quòd patronus laicus non tenetur præſentare digniorem etiam quoad beneficia curata. Sic docet Lambertin. de iure patron.p.1.lib.2.q.10.art.3. n.17. Ricc. in dec. part. 3. dec.306.n.4.Bellet.in diſq.cleric.p.1 §.4. n.50. Ioan. Valer. in diffic.vtriuſque fori, verb. electio, n.1. & ſeq. & hanc opinionem probabilem vocãt, Ledeſm.in ſum.p.2.tract.7.c.2. concl.7.diffic.9.fol. mihi. 164. & Bannez in 2.2.q.63. art.2. dub. 4. & in terminis illam ſequitur nouiſſimè Garſias de benef.tom.2.p.7.c.19.num.19.& Petrus à Nauarr. de reſtit. lib.2.c.2.n.150.Et ratio eſt, quia Conc. Trid. in ſeſſ.24. de Reform.c.28.in Parochialibus iuriſpatr. Eccleſ.eligendum eſſe digniorem, ab approbatis examinatoribus in concurſu: dicit, quòd ſi iuſpatronatus laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono præſentatus erit, examinari, & ſi idoneus repertus, admitti, in quibus verbis cùm Concil. Trid.non arctet Patronum laicum, ad præſentandum digniorem, neque nos arctare debemus. Salua ſemper, &c.

*An in Canonicatibus, Perſonatibus, & dignitatibus, cæteríſque prębendis, & dimidiis præbendis Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum, & in præſtimoniis, & aliis ſimplicibus beneficiis curam animarum non habentibus, licitum ſit eligere dignum, prætermiſſo digniori?*

RESOLVT. XXXVIII.

PRima opinio abſolutè negat. Sic Vaſq. opuſc. de benef. c.2.§.2.dub.8.n.78. vbi ait: Mihi videtur in omnibus beneficiis,



beneficiis, eſſe mortale, digniorem prætermittere; quoniam vniuerſaliter docet S.Thom. 2. 2. quæſt. 63. quòd acceptio perſonarum committitur in beneficiis; ergo etiam in beneficiis non habentibus curam animarum. Ita etiam multi alij, inter quos eſt Bannez 2.2. quæſt.63. art.2. dub.5.

Secunda opinio eſt Ferdinandi Rebellij de oblig. iuſt. part.1. lib.3. q.4.n.12. vbi diſtinguit inter electionem ad beneficia ſimplicia maiora, & ad beneficia ſimplicia minora, ait enim. Peccatum lethale eſſe videtur, eligere minus dignum ad Cardinalatus, Canonicatus, Decanatus, & alia beneficia ſimplicia magni momenti, quando notabilis, & euidens eſt inter promotum, & digniorem prætermiſſum exceſſus. Si verò paruus ſit, veniale videtur, vel ſi beneficium ſimplex non tanti momenti ſit. Probatur, quia violatio iuſtitiæ diſtributiuæ, per acceptionem perſonarum ex genere ſuo mortale eſt. Quare niſi ex paruitate materiæ per reſpectum ad exceſſum eligendorum, vel beneficiorum excuſetur, lethale erit: ſic etiam tenet hanc ſententiam ex neotericis, Ioan. Malder. in 2.2.tract.9. cap...... dub.7. & Leſſius vbi ſuprà, num.64.

Tertia opinio eſt Regin. tom.2. lib. 30. tract.3. cap. 15. num.179. in fine, & Leſſij lib. 2. cap.34. dub.14. num. 66. qui aſſerunt, in Canonicatibus, & cæteris beneficiis ſimplicibus minoris momenti non videri peccatum mortiferum ſemel, vel bis prætermittere digniorem, modò conferatur ei, qui verè dignus ſit: videtur tamen eſſe mortiferum, ſi quis id paſſim faciat, aut ſi raró curet, vt digniores præferantur. Et ratio eſt, quia quòd ſemel, vel iterum dignior prætermittatur in huiuſmodi beneficiis, non cenſetur notabile incommodum, aut notabilis iniuria Eccleſiarum, paucorum enim mediocritas, aliorum virtute facilè compenſatur.

Quarta opinio, quam ego libẽter amplector, eſt Nauar. de reſtit.lib.3.cap.2.n.172. Ledeſm. in ſum. par. 2. tract.7. cap.2.concl.7. diffic. 15. fol. mihi 170. Guttierrez Can. qq. lib.2.cap.21.num.12.& Garſiæ de benef.tom.2. p. 7. cap.16. num.16. vbi abſolutè, & ſimpliciter aſſerit, omnia beneficia, quæ curam animarum non habent, ſatis eſt, vt conferantur dignis, etiam prætermiſſis dignioribus. At ſi hæc opinio non eſſet vera, ait, vbi ſuprà, Guttierrez, omnes Prælati eſſent in ſtatu damnationis, nam paſſim in beneficiis ſimplicibus eligunt dignos, dignioribus prætermiſſis. Et ratio eſt, quia dum Concilium Trident. in diuerſis capitibus ſola Epiſco. alia beneficia, & curata dignioribus eſſe conferenda decreuit, videtur conceſſiſſe cætera beneficia ad arbitriũ Prælati diſtribui poſſe: præſertim, quia dum de Canonicatibus loquitur ſeſſ. 24. de Reform. cap.12. hortatur, vt in prouinciis, vbi id commodè fieri poteſt, dignitates omnes, & ſaltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Eccleſiis, & Collegiatis inſignibus conferatur tantùm Magiſtris, & Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, ſeu iure Canonico: ergo neceſſariò conferri non debent graduatis, & ſic dignioribus, ſed arbitrio ſuperioris legitimi videtur relictum. At verò iura antiqua non ita plana ſunt in beneficiis ſimplicibus, ſicuti in curatis: quæ ſi eſſent, adhuc oppoſitum videtur introductum, & ipſemet Sum Pontifex prædicta beneficia ſimplicia dignis confert, abſque concurſu; beneficia verò curata, per præuium examen, & concurſum coram ordinariis faciendum, vt quotidie videmus. Ex hoc igitur videtur abrogata conſtitutio iuris antiqui: & talia beneficia ſimplicia non videntur ex natura rei eſſe bona communia, & decertantibus debita, & ita nullam committi injuſtitiam per acceptionem perſonarum, ſi dignioribus non conferantur, ſed tota res commiſſa videtur Papæ, & aliis Prælatis, vt ipſi arbitrio prouideant bonos miniſtros, qui etſi non ſint meliores, non tamen otioſi, & cum ſcandalo viuant.

* * *

*Sæpiùs in praxi occurrit hæc quæſtio, an executores alicuius teſtamenti, vel legati, qui debent inter pauperes diſtribuere aliquam pecuniarum ſummam, teneantur eligere pauperiores? Idem quæritur de Confeſſariis, & Religioſis, qui habent à ſæcularibus facultatem diſtribuendi aliquam eleemoſynam?*

RESOLVT. XXXIX.

DE hac quæſtione dictum eſt etiam ſuprà in Reſol. ſed modò aliquid amplius addam. Dico igitur, quod Illephonſus de Azeuedo conſ.24.dub.4. n.44. affirmatiuè reſpondet, quam ſententiam priùs docuerat ſapientiſſimus Philippus Decius conſ.72.num.3. his verbis. Bona relicta pauperibus debent diſtribui inter illos, qui ſunt pauperiores, arg. text. not. in l. ſi quis ad declinandam.C.de epiſc.& cler. ibi, qui pauperior eſſe agnoſcitur; & dato quòd diſtributio, quæ facta eſſet inter pauperes, non deberet retractari, licet alij pauperiores reperirentur, tamen peccauit ita diſtribuendo, &c. Hanc opinionem ſequuntur etiam Feder. de Senis conſ.95. n.2. Simon de Prætis de interpr.vlt.volunt.interpr.1.dub.2.n.94. & alij.

At mihi opinio contraria ſemper placuit, & in praxi ſæpiùs illam cõſului: ſi quis authores qui illam tuentur, ſcire deſiderat, hi ſunt, ex Theologis Cordub. in ſumm. q.22. & nouiſſimè noſter Siculus D. Bartholomæus à S. Fauſto in ſpeculo confeſſariorum diſp. 4. q. 176. n.2. qui citat Sylueſt. Rodriquez, & Petr. à Nauarr ex Iuriſt. Cardinal. Mantica de coniect.lib.8.tit.5.num.6.& Ioan. Matienzo lib. 5. tit.4. leg.14.gloſ.1 n.12. qui citat Bartol. in l. vnum ex familia, §. 1.de legat.2. & Bald. in l.cùm quidam, ad fin.eod.tit.

Hinc colligo, quòd qui habet facultatem diſtribuendi inter pauperes, poteſt etiam eligere Religioſos mendicantes pro ſuis neceſſitatibus, vt notat Ioan. Andr.in c.1.in nouella de teſtam.lib.6.& Imola in l.captatoria.in fi. de leg.1. Vnde etiam Religioſus, cui data eſt electio, poteſt bona diſtribuere inter Religioſos ſui Monaſterij. Sic Cardinal. in Clem.1. num.22. Imol. num.18. & Anchar. num.16. de teſtam. Pariſ. conſ.26. n.14. vol.4. Matienzo lib.1. Recopil. tit.4 leg.14.gloſ.1.n.14. Roſella ver. Reſtitut. 15. n.8. Syluius ver. teſtam.2.q.2.diſt.5. Peralta l. vnum ex familia, §. rogo, num.7. ff. de legat. 2. Rationes pro hac ſententia videndæ ſunt apud citatos Doctores.

Nota verò circa hanc materiam, quòd quando in teſtamento relinquitur, vt pauperioribus aliquid detur, quamuis pauperibus detur: ſufficit vt non teneatur ad reſtitutionem, dummodo non fuerint ſignati, & nominati, licèt malè fecit, qui pauperioribus non dederit, factum tamen ſic tenet per executorem teſtamenti: ſic Conradus in ſuis reſponſ.part.1.quæſt.101.

*Diximus ſuprà in beneficiis ſimplicibus, non teneri electores eligere digniores, ſed tantùm dignos; quæritur modò, an hæc ſententia procedat etiam in beneficiis curatis, vt ſunt Epiſcopatus, &c. quæ conferunt Pontifices, & Reges?*

RESOLVT. XL.

NEgant omnes, & eſt communis ſententia. Fernand. in ſuo exam.theol.p.4.c.4.§.1. n.2. Caſtellinus in tract. de elect.canon.c.9.per totum, Molfeſius in ſum.tom.1.tract. 6. tit. de beneficiis, n.6.& 61. Turrianus in 2.2.tom.2. diſp.22. dub.1.n.2. & alij, quos citat & ſequitur Barboſa in collect. to.1.lib.1.tit.6.c.19.n.4. Valentia tom. 3. diſp.5. q.7. punct.2. Vega in ſum.tom.1.c.109.caſ.1.Malder. in 2.2.tract.9. c.2. dub.7.Vaſqu. opuſc.de benefic.c.2.§.3.dub.1.& 8. Azor p.2. lib.6.c.15.q.18.& 9. & D.Thom. 2.2.q.63.art.2.ad 3.cum Caiet. Aragonio, Salonio & Bannez ibid. Verba D. Thomæ hæc ſunt. Vt electio non poſſit impugnari in foro iudiciali,

iudiciali, ſufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia ſic omnis electio poſſet habere calumniam: ſed ad conſcientiam eligentis, neceſſe eſt eligere meliorem. Rationes vide apud DD. citatos. Addam tantùm verba Innocentij III. *in cap. vnico, tit. vt eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur*, vbi ait. Non ex affectu carnali, ſed diſcreto iudicio debuiſti Eccleſiaſticum officiũ in perſonã magis idoneam diſpenſare: & meritò quidem: nam dimittendo digniorem ſine cauſa debita, violatur iuſtitia diſtributiua, ex qua beneficia ſunt bona communia, & præmia meritorum, & committitur peccatum acceptionis perſonarum, quod eſt mortale ex genere ſuo.

Sed licèt hæc omnia abſolutè ſint vera, quidquid in contrarium aſſerat gloſſa *in cap. licet ergo 8. quæſt. 1. & in c. Monaſterium 16. quæſt. 7. & in c. 2. de officio cuſtodis, & c. 3. de iure patron.* cum Roccho *de iure patron. ver. honorificum q. 15. ad finem*, & Pedrazza *in ſum. præcit. 7. §. 36.* qui aſſerit abſolutè, ſolum eſſe peccatum veniale, eligere dignum prætermiſſo digniore, quamuis peccetur contra iuſtitiam diſtributiuam. Vnde non eſt audiendus Filliucius *tom. 3. tract. 41. cap. 4. n. 181.* qui aſſerit, hanc ſententiam eſſe probabilem, & Alexander de Ales *p. 2. q. 136. §. 2.* qui putat, ſolùm in Epiſcopatibus eſſe peccatum prætermittere digniorem, non autem in cæteris beneficiis, etiam curam animarum habentibus.

Tamen difficultas conſiſtit, an opinio communis, quæ prorſus eſt amplectenda, procedat etiam quoad illos, qui ius habent conferendi beneficia per prouiſionem liberam, vt ſunt Reges, & Sum Pontif. ita vt illi teneantur eligere digniores. Pater Leſſius *lib. 2. c. 34. dub. 14. num. 64.* affirmatiuè reſpondet, vbi ait. Qui liberè conferunt beneficia, grauiter peccant, ſi digniores prætermittant, ſiue ſit Papa, ſiue Princeps ſæcularis; non enim ſunt domini beneficiorum, ſed œconomi. Si hæc opinio eſſet vera, magnum pondus haberent Pontifices, & Reges. Sed mihi probabilis videtur etiam contraria ſententia, quam ex neotericis ſuſtinet Reginald. *tom. 2. lib. 30. tract. 3. c. 14. num. 197.* vbi ſic aſſerit. Qui ius habent conferendi beneficia per prouiſionem liberam, vt Papa, ac nonnunquam Princeps ex priuilegio, vel conſenſu tacito Eccleſiæ, non tenentur eligere digniores, niſi in promptu ſint; ſed ſufficit eligere dignos; alioquin enim ſemper tenerentur digniorem quærere, quod à Papa, vel à Regibus exigere, durum eſt. Hæc Reginaldus. Cuius doctrina non procedit, quando beneficia per concurſum competentium, & oppoſitorum conferuntur, ſed quando, vt diximus, conferuntur per prouiſionem liberam.

### *An obligatio eligendi digniorem, extendatur etiam ad reſignantem beneficium ſuum in fauorem alterius?*

#### Resolvt. XLI.

NAuarrus *in Miſcellan. 38. num. 7.* Sot. *de iuſt. lib. 3. q. 6. art. 2. in fin.* & nouiſſimè P. Vaſquez *opuſc. de benefic. cap. 2. §. 4. dub. 7. n. 100.* aſſerunt extendi. Vnde Vaſquez ait. Cauere debent renuntiantes, ne prætextu conſanguinitatis, vel alia via, prætextu maioris penſionis renuntient beneficium indigno, aut ſaltem minus digno. Vt enim ſuprà diximus, ſicut & electores, ita & renuntiantes tenentur conſideratis omnibus, digniorem eligere, in quo forſan plura peccata committuntur, quàm aduertantur. Hæc Vaſquez, ſatis quidem rigidè.

Opinio igitur contraria amplectenda mihi videtur, & amplexi ſunt Regin. *tom. 1. lib. 30. tract. 3. c. 14. n. 170.* Leſſius *lib. 2. c. 34. dub. 13. n. 61.* & Malderus *in 2. 2. tract. 9. c. 2. dub. 7.* qui citat Caietanum, Sà, & Salonium. Et ratio eſt, quia cùm iſte reſignans non ſit diſtributor, ſi iure permittatur in fauorem reſignare, poteſt reſignare digno, cui voluerit; neque hîc eſt locus concurſui, tamquam ad cõmune bonum, ex parte totius diſtribuendum, ſed pars parti ius ſuum transfert. Vnde patet, etiam tunc collatorem non peccatorum acquieſcendo reſignationi minus digno, relicto digniori: & ſic Petrus de Aragona *in 2. 2. q. 63. art. 2.* ait, hanc ſententiam eſſe conformem praxi receptæ, etiam ipſius Summi Pontificis.

### *Solent litigantes conducere Aduocatos, & Procuratores ad annum, vel annos, ſub certa annua mercede, ſeu ſalario ad omnes cauſas, quas habent, vel habituri ſunt, quæritur modò an ſi nullas cauſas, in illo anno, partes habuerint, Aduocati licitè petant ſalarium?*

#### Resolvt. XLII.

NEgatiuè videtur reſpondendum per ea, quæ adducit Flores de Mena *var. qq. lib. 1. q. 8. n. 54.* & Azor. *p. 2. lib. 13. c. 29. q. 10.* vbi ex Bartolo *l. diem functo, ff. de officio aſſeſſorum*, ait ſalarium tantùm deberi pro rata temporis, quo laboratum eſt in lite: labor enim recipit diuiſionem, ſicut & tempus: & conſequenter, merces promiſſa pro labore, recipit diuiſionem.

Sed Ioan. Gutierr. contrariam ſequutus eſt ſententiam, quam multis rationibus confirmat. Primò, quia non ſtetit per eum, vt *in l. fin. C. de cond. cauſa data, & l. qui operas, §. fin. ff. locati.* Ille enim paratus erat ex ſua parte adimplere promiſſum, hoc eſt, aduocare omnes cauſas clientis ſui; quare ſi illas non habuit, Aduocato non erit imputandum. Secundò, probatur ratione vinculi obligationis, qua ipſe Aduocatus adſtrictus erat ad aduocandum pro ſuo cliente: quæ quidem obligatio in habitu, licèt ad actũ non ſit reducta, propter defectum cauſarum, tamen pecunia eſt æſtimabilis, maximè cùm talis Aduocatus, propter hanc obligationem non poſſit pro aliis contra ſuum clientem aduocare, ſicque priuatur ſua libertate, ſpéque lucrandi ab aliis. Potuit enim veriſimiliter contingere, vt auctius ſalarium ſibi ab aduerſis partibus offerretur, ſi pro ſuo cliente non teneretur, quæ omnia cõſiderabilia ſunt, atque pecunia æſtimanda. Tertiò, quia ſtante dicta conuentione, etiamſi cliens plures cauſas haberet, & reſpectu earũ exiguum eſſet ſalarium, non poſſet hoc caſu Aduocatus maius ſalarium petere. Ergo eodem modo ſi cliens nullas cauſas habeat illo anno, quas Aduocatus exoret, tenetur ad totum ſalarium. Hæc Guttierez *pract. qq. lib. 1. qu. 32. num. 1. & 2.* cum Matthæo de Afflictis *in conſtit. huius Regni Sicil. rubr. 82. de ſalario Aduocatorum, n. 4.* & Azeued. *in leg. 10. tit. 16. lib. 2. n. 4. nouæ collectionis Reg.*

Sed ego media via incedendo, puto ſaltem in foro conſcientiæ, non eſſe tali Aduocato ſalarium denegandum, neque verò integrè ſoluendum, ſed diminuendum iuxta prudentiam, & arbitrium boni viri. Ita Bobadilla *in polit. tom. 1. lib. 3. c. 14. n. 63.* Et ratio eſt, quia ſi pro ſuo cliente in illo anno aduocaret, multas occupationes, & labores ſuſtineret, quibus non adhibitis, non ſuſtinuit. Verum eſt quòd ſi talis Aduocatus eius foret ingenij, vt optabilius ei eſſet, ita laborare, quàm otiari, nihil de ſalario minuendum eſſet, niſi alia diminuendi cauſa ſubeſſet. Et hæc deciſio eſt de mente Rebellij *de oblig. iuſt. par. 2. lib. 14. q. 14. num. 7. & 8.*

### *An puer exiſtens in vtero matris poſſit baptizari?*

#### Resolvt. XLIII.

NEgat Bonacina *de Sacr. diſp. 2. q. 2. punct. 6. n. 6.* & Comitolus *in reſp. mor. lib. 1. q. 13. num. 2.* Alexander de Ales *p. 4. q. 8. membr. 7. art. 2. §. 1.* Richard. *in 4. diſt. 6. art. 2. q. 1.* D. Anton *par. 3. tit. 14. cap. 15. §. 1.* Syluest. *ver. Baptiſmus 6. n. 3.* & alij. Nam, vt ait D. Thom. *in 3. p. q. 68. art. 11. ex D. Auguſt. Epiſt. ad Dardanum*, nemo renaſcitur ſpiritualiter, niſi priùs naſcatur naturaliter. Sed Baptiſmus

eſt



eſt quædam ſpiritualis regeneratio; ergo non debet aliquis baptizari, priuſquam ex vtero naſcatur.

Sed ego puto, poſſe puerum in vtero matris baptizari, ſi in aliqua ſui parte aqua lauari poſſit. Ita contra Comitolum, qui mordicus contrariam ſententiam tenet, ſentiunt hi omnes, Zambran. *in ſuis deciſ. caſ. conſc. cap. 1. dub. 3. n. 6.* Ledeſma *in 4. q. 9. art. 11.* Suarez *tom. 3. in 3. part. q. 68. art. 11.* Valent. *tom. 4. diſp. 4. q. 1. punct. 2.* Alphonſ Viuald. *in Candelabro aur. part. 1. n. 16.* Victoria *in ſum. q. 32.* Gabriel *in 4. diſt. 4. q. 2. art. 3. dub. 2.* & Coninch *de Sacram. quæſt. 68. art. 11. n. 90.* Nam in tali caſu reperiuntur omnia eſſentialia ad Baptiſmum requiſita, nempè ablutio cum debita forma verborum.

Ad argumentum verò Comitoli, & aliorum reſpondetur, vt quis poſſit per Baptiſmum renaſci, ſufficit, vt ea procedat natiuitas, qua quis de non homine fit homo, modò poſſit lauari, vt patet in iis, qui tantùm manum exerunt, aut exſecantur ex vtero matris mortuæ, quo caſu non naſcerentur naturaliter. Ergo cùm dicitur debere hominem priùs naſci ex vtero matris, vel ex parte antequam baptizetur, hoc non eſt intelligendum de propria natiuitate Quacunque enim ratione fieri poſſit, vt abluatur, id ſatis erit ad valorem Baptiſmi, etiamſi propria natiuitas humana non præcedat, quia ſubſtantia Sacramenti cõſiſtit in ablutione, cum debita forma verborum; quæ quidem ſubſtantialia, vt diximus, adſunt in noſtro caſu.

### *An mulier condemnata ad mortem poſſit priùs ſecari, ſi adeſſet periculum, ne ex aliquo morbo ante partum vnà cum prole moreretur, & ſpes adſit, vt infans hoc modo poſſit baptizari?*

#### Resolvt. XLIV.

NOtandum primò ex Coninch *de Sacr. tom. 1. qu. 66. art. 7. dub. 1. n. 75.* ſecundùm communem ſententiam DD. non licere matri conſentire ſe adhuc viuam ſecari, vt poſſit puer baptizari, quia illa ſectio eſſet directa occiſio matris; mortua autem ſtatim ſecanda eſt, vt puer baptizari poſſit, ſi adhuc viuat.

Notandum ſecundò, ex Couarr. *lib. 4. var. reſol. cap. 4.* Reginald. Viualdo, Barth. ab Angelis, Victoria, & aliis, quos citat, & ſequitur Bonac. *de Sacr. diſp. 2. q. 2. punct. 6. n. 9.* ſi mater grauida per iudicis ſententiam damnetur ad mortem, differendam eſſe executionem ſententiæ, donec mater pepererit. His notatis ad propoſitam quæſtionem negatiuè reſpondet Comitol. *in reſp. mor. lib. 1. q. 14. n. 2.* & Malder. *in 2. 2. tract. 1. cap. 1. dub. 16.* nam in maximum diſcrimen partus adduceretur, ſi è viuentis matris vtero excidendus eſſet.

Sed Ægidius de Coninch *de Sacr. tom. 1. q. 68. art. 11. num. 9.* aſſerit hoc fieri poſſe, ait enim. Si aliqua mulier eſſet merita mortem, & ad eam iam condemnata, eſſétque periculum, ne ex aliquo morbo ante partum, vnà cum prole moreretur, poſſet ſeruato iuris ordine priùs ſecari, ſi eſſet ſpes, fore, vt proles hoc modo poſſet baptizari. Ratio eſt, quia in hoc facto, nihil fit contra vllum ius. Hanc ſententiam priùs docuerat Suarez *in 3. part. tom. 3. quæſt. 68. art. 11.* Ad argumentum Comitoli, reſpondetur hanc opinionem tunc eſſe practicandam ex mente Suarez, quem ipſe tacito nomine impugnat, quando ſpes ſit infantem non eſſe moriturum.

### *Vtrùm liceat baptizare infantes, filios infidelium, inuitis parentibus?*

#### Resolvt. XLV.

PRima ſententia eſt D. Thom. qui aſſerit *in 3. p. q. 68. art. 10. & 2. 2. q. 10. art. 10.* id non licere, etiamſi parentes infideles ſint ſubditi Principibus Chriſtianis; imò etiamſi fuerint Chriſtianorum ſerui. nam parentes iure naturali habent cuſtodiam, & curam ſuorum filiorum, antequam ad vſum rationis perueniant. Ergo nulla authoritate humana, ſiue Principum, & Dominorum, poſſunt hoc iure licitè priuari; priuarentur autem, ſi ipſis inuitis eorum filij baptizarentur, &c. Hanc ſententiam amplectuntur omnes diſcipuli D. Thom. Caietanus, Sotus, Capreolus, Paludanus, Victoria, & alij.

Secunda ſententia eſt Suarez *in 3. part. tom. 3. diſp. 25. sect. 4.* Petri de Cabrera *de Sacr. q. 68. art. 10. diſp. vnic. concl. 4. §. 7.* Nugni *tom. 1. in 3. p. q. 69. art. 10. diff. 2. concl. 3.* Qui aſſerunt, paruulos infidelium, qui ſunt mancipia Chriſtianorum, poſſe à dominis ſuis vendi, ſeu donari; & poſtquam hac via fuerint à parentibus ſubtracti, licitè baptizari poſſunt, etiam parentibus inconſultis, & reluctantibus; etiamſi ipſi domini hac intentione, & fine venderent, ſeu donarent tales paruulos, vt à parentum cura ſubſtracti baptizentur. Prior pars concluſionis eſt certa: nam qui eſt dominus alicuius rei, poteſt illam pro libito donare, & vendere. Secunda pars concluſionis probatur, quia illi paruuli tunc non ſunt ſub cura parentum, ſed ſub cura illorum, quibus venditi, vel donati ſunt; ergo parentibus inconſultis ex conſenſu eorum, qui illorum curam gerunt, poterunt baptizari.

Tertia ſententia eſt Vaſquez *in 3. p. tom. 3. diſp. 155. c. 4. num. 50.* Luiſij Turriani *in 2. 2. tom. 1. diſp. 54. dub. 2.* Greg. Ruiz *in ſuis controuerſ. theol. controuer. 19.* vbi ait. Non modò filios ſeruorum infidelium vendi, & ſeparari poſſe à parentibus, vt baptizentur, & ita ſeparatos baptizari rectè poſſe, ſi diligentia adhibeatur, ne à parentibus aliquo modo poſſint conueniri, & ſubuerti. Verùm etiam antequam ſeparentur, & vendantur, ſub cura parentum exiſtentes, ſine peccato baptizari poſſe, ſi res ipſa ex ſe conſideretur. Et ad incommoda, quæ ex iſta ſententia ſequi videntur, reſpondet *num. 55. & 57.* Nam ante adultam ætatem à parentibus ſeparari poſſunt, & ſic nullam memoriam habebunt paternæ infidelitatis, & cæremoniarum, quibus contra Religionem noſtram parentes vti conſueuerant. Alterum incommodum, quoad ſcandalum patris, quia ipſe videns filium baptizatum contra voluntatem ſuam, Iudaicis, aut Mahumetanis cæremoniis, circa filium vtetur in Baptiſmi opprobrium, & Religionis noſtræ, ipſum circumcidendo, nihil obſtare poteſt, quoniam neceſſaria non ſunt omittenda propter ſcandalum, huiuſmodi autem eſt Baptiſmus, quem tanquam neceſſarium, dictis infantibus tribuimus. Hæc Vaſquez, qui *in cap. 7.* cum Turriano *vbi ſupra*, probat dominos præcepto charitatis teneri tales paruulos ſub cura parentum exiſtentes baptizare.

Ad argumentum primæ ſententiæ reſpondetur, ipſos parentes fieri indignos tali iure naturali, ratione abuſus, ideo nulli irrogatur iniuria, dum à dominis deſtituuntur ſuo iure iniuſtè poſſeſſo. Vnde Vaſquez *vbi ſuprà*, probat, parentes infideles non habere ius, vt ipſi ſolùm curam gerant ſalutis ſpiritualis filiorum, nec permittant vllum alium in filio emendare id, in quo ipſi errant. Neque enim ius paternum naturale id concedere poteſt, neque diuinum id conceſſiſſe conſtat.

Omnes iſtæ tres ſententiæ ſunt probabiles, ſed vltimam Vaſquez libenter amplector, propter fauorem animarum dictorum infantium. De tota hac quæſtione vide Lorcam *in 2. 2.* Reginaldum *tom. 2. lib. 27. cap. vlt. à n. 68.* Bonac. *de Sacr. diſp. 2. quæſt. 2. punct. 6.* Valent. *tom. 4. diſp. 4. quæſt. 3. punct. 3.* Barthol. ab Angelis *in exam. confeſſ. dial. 2. §. 27.* Vegam *in ſumm. tom. 1. cap. 33. caſ. 17.* Syluium *in 3. part. D. Thom. quæſt. 68. art. 10. concl. 1. & ſeq.* Azeued. *tom. 5. lib. 8. tit. 2. leg. 1. num. 5.* Afflict. *dec. Neapol. 151.* Ferretum *vol. 1. conſ. 76. num. 4. & 5.* Perez *leg. 1. tit. 4. lib. 8. ordinat. fol. 117.* Sot. *in 4. diſt. 15. quæſt. 1. art. 10.* Ledeſmam *in ſum. tom. 1. de ſacr. Baptiſmi, cap. 8. à concl. 10. vſque ad concl. 16.* Coninch *de Sacr. tom. 1. quæſt. 69. art. 10. num. 63.* Henriquez *lib. 1. cap. 25. per totum*, Zambran. *in ſuis deciſ. caſ. conſ. cap. 1. dub. 11.* Yribarne *in 4. ſent. tom. 1. diſp. 18. sect. 1.* Molfeſius *in ſum. tom. 1. tract. 4. cap. 1. num. 50.* Mutrinum *in ſua Theolog. mor. de ſacr. Baptiſmi, quæſt. 14* Poſ-

Poſſeuin.

ſeuin. *de offic.Curati,cap.6. num.*14.& Azor. *part.*1. *lib.* 8. *cap.*25.*quæſ.*2.

*Vtrùm obſtetrices teneantur ſcire formam Baptiſmi, & modum baptizandi?*

RESOLVT. XLVI.

TEneri putat Paludan. *in* 4.*ſent.diſp.*5.*q.*1.*art.*1. *num.*7. D.Anton. *p.*3.*c.*15.§.4. Turrecrem. *in cap. ſi mulier.de conſecr.diſt.*4.*in fin.* & ex Neotericis Nauar. *in manu.c.*21. *n.*6. Henriquez *lib.*2.*c.*29.*n.vlt.* Sà *ver. Baptiſmus,num.*12. Zambran. *in ſuis deciſ.c.*1.*dub.*16 Reginald. *tom.* 2. *lib.*17. *c.*6.*n.*45. & nouiſſimè Rodriq. *in ſum.Hiſpan.tom.*3.*c.*26. *n.*5.vbi ait. [Viſta la neceſſidad del Baptiſmo, y que muchas vezes no ſuffire dilacion, por muy pequeña, que ſea, y que ninguno major, y con mas breuedad puede acudir a ella ſi no es la partera, no puedo dexar de tener, que la charidad las obliga à ſaber la dicha forma, pues ſu officio es eſtar mas propinquas al parto, que las demas perſonas, y por reſpeto de la dicha propinquidad pueden en vn punto remediar la criatura, que no perezca eternamente; y para la ſalud eterna della obligacion tiene ſaber la dicha forma.] Putant igitur hi authores, cùm caſus iſte ſit nimis frequens, vt experientia docet, & tali neceſſitati extremæ vix poſsit ſuccurri, præterquam ab obſtetrice, maximè quando puer nondum integrè eſt natus; teneri dictas obſtetrices ratione ſui officij ſuccurrere neceſſitati extremæ; quæ annexa eſt ſæpiſſimè tali officio, ac conſequenter ſcire formam Baptiſmi, ſaltem lingua vernacula, & modum baptizandi.

Sed licèt hæc opinio ſit pia, & conſulenda; tamen probabilem puto contrariam ſententiam, quam tuentur Suarez *in* 3.*p.tom.*3.*diſp.*21.*ſect.*5.vbi ait: Aliqui aſſerunt teneri fœminas, quæ ex officio ſunt obſtetrices, ad ſcienda ea, quæ ſunt ſubſtantialia ad Baptiſmum, ſcilicet materiam, & formam, ſaltem vernacula lingua, quæ opinio eſt pia, & conſulenda, tamen in rigore non video, quale ſit hoc præceptum, quia non eſt poſitiuum Eccleſiaſticum, vt conſtat, nullibi enim reperitur ſcriptum. Neque eſt naturale, quia non pertinet ad iuſtitiam, qua ex vi ſui muneris non obligatur obſtetrix, ad curandam ſalutem animæ pueri, ſed ſolùm ad rectè cooperandum natiuitati corporali eius. Neque etiam pertinet ad charitatem, quia licèt ſuppoſita neceſſitate pueri, teneatur quilibet illum baptizare, ſi poteſt, non tamen tenetur vnuſquiſque eſſe paratus, aut inſtructus ad dandum Baptiſmum, ſi fortaſſe inueniat proximum in neceſſitate conſtitutum. Ergo, neque charitas obligat obſtetricem ad huiuſmodi præparationem, ſeu diſpoſitionem.

Ad argumentum Rodriquez, & Zambrani reſpondetur, quòd licèt fortaſſe ſæpiùs in eo munere accidat talis neceſſitas, tamen rariſſimè euenit, vel non adeſſe aliquem alium, à quo poſſit infans baptizari, vel neceſſitatem eſſe tantam, vt non poſſit citò vocari, & expectari. Ergo propter rariſſimum euentum non obligabit charitas ad prædictam ſcientiam. Vide Poſſeuin. *de officio curati,c.*6. *n.*26.

Nota verò, quòd non ſolùm obſtetrices, & laici poſſunt baptizare ſine vllo peccato in vernacula lingua, ſed Sacerdotes peccant ſolùm venialiter, proferendo formam Baptiſmi in lingua vulgari. Sic Nugnus *in* 3.*par.tom.*1. *q.*60. *art.*8.*diffic.*3.& Bonac. *de Sacram.diſp.*2.*q.*2.*punct.*4. *n.*17.

*Quidam parochus olim quæſiuit à me, an qui in forma Baptiſmi relinqueret iſtas particulas,* In, &, *dicendo,* Ego te baptizo in nomine Patris, Filij, & Spiritus ſancti, *conficeret Sacramentum? & ſi conficiat, an ita baptizando peccet mortaliter?*

RESOLVT. XLVII.

QVoad particulam, *in*, Reginald. *tom.*2.*lib.*24. *cap.*1. *num.*30. Comitolus *in reſponſ.moral.lib.*1.*q.*9. *num.*3. Tolet. *lib.* 2. *cap.*19.*num.*2. Barthol. ab Angelis *vbi infrà*, & alij putant, ſi in forma Baptiſmi omittatur, ſacerdotem non conficere Sacramentum, & conſequenter peccare mortaliter. Sed mihi placet opinio Henriquez *in ſumm. lib.*2.*c.*8.*num.*6. Bonac. *de Sacr.diſp.*2.*q.*2.*punct.*4. *num.*16. Coninch *vbi infrà*, & aliorum: nam relicta illa particula, *in*, non deſtruitur ſenſus formæ. Ergo validum erit Sacramentum. Probatur antecedens. nam idem omninò eſt ſenſus, ſiue dicas, In nomine Patris, ſiue nomine Patris. Immo, *in*, videtur, tanquam per Hebraiſmum adiungi, ſicut quando dicimus, Credo in Deum, pulſo, vel cano in cithara, quæ phraſi Hebræa, idem ſignificant, quod Credo Deum, & cano cithara.

Quantum verò ad particulam, *&*, Viuald. *in Candelabro aur.tr.de forma Baptiſmi, num.*11. Barthol. ab Angelis *in ſuo exam.confeſſ.dial.*2. §.115. Conrad. *in reſponſ.caſ.conſc. tom.*2.*q.*84. Reginald. *vbi ſupra*, qui citat Sylueſtrum, & Innocentium, putant eſſe de eſſentia formæ. Et ratio eſt, quia perſonæ diuinæ conſtituuntur, & diſtinguuntur per relationes paternitatis, filiationis, & ſpirationis paſſiuæ, quæ quidem perſonæ debent in forma Baptiſmi exprimi, ſecundùm eas maximè rationes, quibus conſtituuntur, & inter ſe diſtinguuntur, ad quam diſtinctionem indicandam particula, *&*, facit aliquid; ergo non eſt relinquenda in forma Baptiſmi.

Ego verò contrariam ſequor ſententiam, cum Comitolo *vbi ſup. n.*5. & Toleto, quam ſequutus eſt etiam Coninch *de Sacr.tom.*1.*q.*66.*art.*6.*n.*61. & Pitigian. *in* 4.*ſent. p.*1.*diſt.*3.*q.*2. *art.*12. Nam in forma, quæ caret coniunctione, *&*, ſignificatur, & inuocatur tota Trinitas. Ergo erit verum Sacramentum; relicta enim illa particula, *&*, remanet adhuc integer ſenſus formæ. Ex his igitur apparet, Sacerdotem conficere Sacramentum, ſi baptizaret hac forma; Ego te baptizo nomine Patris, Filij, & Spiritus ſancti, relinquendo particulam, *in*, cum, *&*, nam mutatio non eſt ſubſtantialis, nec deſtruit ſenſum formæ.

Quantum attinet ad peccatum ratione paruitatis materiæ, excuſarem à culpa lethali, ſic Bonacina *ſupra*; ſicuti etiam de omittente particulam, *enim*, in forma Euchariſtiæ diximus *ſuprà*; & licèt hoc ſit contra communem vſum Eccleſiæ, tamen ſi hæ particulæ omittantur, ſine ſcandalo, & contemptu; non erit, niſi peccatũ veniale, vt in caſu ſimili notauit Vaſquez *in* 3.*p.tom.*2.*diſp.*142.*n.*30 & Sotus *in* 4. *diſt.*3.*q.vnic.art.*5.§.*quodſi*, & Rubeus *de Sacr.in* 4.*ſent.diſt.* 3. cum ſumma Corona *p.*4.*de forma baptizandi, n.*14.

*An ſi quis adderet aliquid formæ Baptiſmi, dicendo, v. g.* Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & B. Mariæ Virginis, *vel* omnium Sanctorum, *conficeret Sacramentum?*

RESOLVT. XLVIII.

IAcobus de Graffiis *in ſuis dec.aur. p.*2. *lib.*1. *c.*3.*num.*24. reſpondet negatiuè; ait enim. Additio ſemper vitiat Baptiſmum, quia formæ nihil addendum eſt, ſiue detrahendum, *c.firmiſſimè,c.ſi non ſignificatur,& c.de Arrianis,de conſecr. diſt.* 4. & in hoc Hoſt. *in ſum.* concordat, dicens, quòd ſi quis dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & omnium Sanctorum*, non eſt baptizatus, quia nihil debet iungi formæ. Ita etiam tenet Archidiaconus *in d.cap.ſi non ſignificatur.* Hæc Graffius.

Sed hæc ſententia, ita abſolutè prolata, non eſt vera, non enim ſemper, vt vult Graffius, additio vitiat formam. Dico igitur diſtinguendo, cum Bonac. *de Sacram. diſp.*2.*q.*2.*punct.*4. *n.*16. Barthol. ab Angelis *in ſuo exam. conf.dial.*2.§.116. Suarez *tom.*3.*in* 3.*p.diſp.*2.*ſect.*5. Henriquez *lib.*2.*c.*8.*n.*2. Coninch *de Sacr.q.*60.*art.*8.*dub.*1.*n.*70. Summa Corona *p.*4 *de forma Baptiſmi. num.* 14. Durand. *in* 4.*diſt.*3.*q.*2. & Paludano *quæſt.*1. & Yribarne *in* 4. *ſent. tom.*1. *diſp.*3. *ſect.* 6. ſi Sacerdos, ſic baptizans intelligit in



in nomine B.Virginis baptizare, ſicut in nomine Trinitatis, talis ſenſus eſt contrarius veræ fidei, & per conſequens tollit veritatem Sacramenti. Sed ſi addit in Baptiſmo, vt eius interceſſio proſit baptizato ad conſeruandam gratiam baptiſmalem, non tollitur perfectio Sacramenti. Sic D. Thom. *in* 3.*p.q.*60.*art.*8.*tom.*2.*diſp.*129.*c.*7. *num.*107. putat illa verba, in nomine B.Virginis, non eſſe æquiuoca ad vtrumque ſenſum, quem ſuprà diximus ex D. Thoma, ſed ſemper falſum continere, eo quòd illud *in nomine*, denotat authoritatem, neque enim quis dicitur facere aliquid in nomine alterius, niſi authoris. Hæc namque vox hoc communi vſu ſignificat, ac proinde eius ſignificatio non pendet ex intentione miniſtri. Hinc Rubeus *de Sacram.in* 4.*ſent.diſt.*2. valde dubitat de Baptiſmo ſub hac forma lato; nam, ait, talis additio, (nempe in nomine B. Virginis) ex ſe prorſus tollit ſignificationem, ac mutat formæ ſenſum; atque perinde non obſtante miniſtri legitima intentione, aufert veritatem Sacramenti. Hæc ille, & Pitigian. *in* 4.*ſent.part.*1.*diſt.*3.*q.*2.*art.*12. ſed non rectè; nam, etſi verba illa omnia ſimul ſumpta ſignificent errorem contrarium formæ, verba tamen eſſentialia etiam, vt hîc, & nunc proferuntur, tam ex intentione proferentis quàm ſecundùm commune Chriſtianorum audientium iudicium, prius tempore, quàm illa additio fiat, habent perfectam ſuam ſignificationem, & conſequenter operantur eodem inſtanti ſuum effectum, qui per verba ſubſequentia tolli nequit, qualemcunque hæc errorem ſignificent. Non eſt ergo à communi ſententia recedendum, quæ aſſerit, vt diximus, ſacerdotem conficere Sacramentum, etiamſi addat formæ Baptiſmi, *in nomine B. Virginis*, dummodo per illa verba non intendat baptizare in nomine Virginis, ſicuti in nomine Patris, &c. ſed tantùm executione intendat auxilium B. Virginis baptizato implorare.

Ad argumentum verò Iacobi de Graffiis reſpondetur, additionem non ſemper vitiare Baptiſmum, ſi non tollat prorſus ſignificationem formæ, quod non accidit ex dictis in noſtro caſu. Vide Alciat. *in l.*1.§.*ſed ſi mihi,n.*6.*ff.de verb. oblig.* & Gaſparum Caballinum *in ſuo milleloquio iuris,p.*1.*milleloq.*248.

*Olim fuit inter me, & Religioſum Dominicanæ familiæ orta hæc quæſtio, an debitor moroſus inculpabiliter teneatur ſuo creditori ad intereſſe damni emergentis, ſeu lucri ceſſantis?*

RESOLVT. XLIX.

NOtandum eſt, pro deciſione huius caſus, debitorem ex delicto, vel quaſi delicto, teneri ſub mortali ſtatim reſtituere, dum commodè poteſt, alioquin cenſetur eſſe in mora, *l.in re furtiua ff.de condict.furt.* Debitor verò ex contractu, vel quaſi cõtractu tenetur reſtituere, ſtatim ac elapſus eſt terminus ſolutioni conſtitutus, etiamſi non admoneatur, nam dies definita interpellat pro domino, *c.fin.de locato,& conducto.* Si verò non fuit conſtitutus terminus ad ſoluendum, debitor non videtur eſſe in mora, aut grauiter peccare, non reſtituendo antequam admoneatur. Nam creditor ſciens, & potens petere, videtur dilationem concedere, non petendo. Secus dicendum eſt, ſi petat, vel ſi non petat ob timorem, vel impotentiam, vel obliuionem; tunc enim debitor dicitur alienum retinere, inuito domino, & cenſetur eſſe in mora, non reſtituendo. Ita Petrus à Nauarr. *lib.*4.*c.*3.*n.*12. Azor. *p.*3.*lib.*4.*c.*24. *q.* 2. Salonius *in* 2.2.*q.*77.*art.*2.*cont.* 8. *n.*17. Rebellius *p.*1. *lib.*2.*q.*17.*ſect.*1.*n.*4. Couarru. *in reg.peccatum, part.*1.§.1. *n.*1.& iterum Rebell. *part.*2. *lib.*1. *de contr.in genere, q.* 4. *n.*2. Reginald. Medina, Sylueſt. & alij.

His ſuppoſitis, ad propoſitam dubitationem, affirmatiuè reſpondit Molina *de iuſt.tom.*1.*diſp.*315.*n.*2. vbi ait, Dicendum eſt eo ipſo, quòd aliquid mutuò datur ad certum terminum, teneri mutuatarium ad damnum emergens, atque ad lucrum ex eo mutuanti ceſſans, quando in termino præfixo ſolutio non fiat, idque eſto, abſque mutuatarij culpa ſolutio non fiat, vel quòd ſoluendo non fuerit, vel alia ſimili de cauſa; quæ tamen ex parte mutuantis non proueniat. Ratio eſt, quoniam eo ipſo, quòd terminus ſolutioni mutui præfigitur, tacitè, ac virtute cenſetur interuenire pactum, quod mutuatarius teneatur ad intereſſe, quo mutuans defectu ſolutionis in eo termino priuatur. Quare cùm obligatio illa ex contractu oriatur, conſequens eſt, vt eſto, abſque culpa etiam iuridica mutuatarij ſolutio ſit omiſſa, teneatur ad eiuſmodi intereſſe, nulla expectata ſententia. In hanc ſententiam inclinat etiam Emmanuel Sà *verb. mora,n.*2. vbi in fine aſſerit, hanc opinionem videri vſu mercatorum receptam. Reginaldus verò *tom.*2.*lib.*23.*c.*7.*n.*77. cum Lælio Zechio *in ſum.tom.*2. *tr.de vſuris, c.* 16.*n.*... putat ex mora inculpabili oriri obligationem tantùm ad intereſſe intrinſecum, id eſt, quod ex re mutuata profluxit, v. g. mutuaui fœnum, quod à tempore moræ vendere poſſem 20. & nunc tantùm vendere poſſum 15. teneris reſtituere illius intereſſe; ſed non oriri obligationem ad intereſſe extrinſecum, quod procedit quidem ab alio, quàm à mutuo non ſoluto, ipſa tamen non ſolutio dedit illi occaſionem, vt v. g. quando occaſione fœni non ſoluti, fame mortua eſt vacca creditoris.

Sed ego abſolutè exiſtimo, cum Ioan. Salas *tract. de vſuris, dub.*19. *n.*5. quem nouiſſimè ſequitur Bonacina *de contract.diſp.*3.*q.*3.*punct.*3.*n.*5. Malderus *in* 2.2.*tract* 5.*c.*3. *dub.*12.*quæſ.*4 Leſſius *lib.*2.*c.*20.*dub.*10.*num.*70. Rebellius *part.*2.*lib.*8.*quæſt.*7.*num.*4. *& ſeq.* quando mora eſt inculpabilis, & non præceſſit pactum de ſoluendo intereſſe procedente etiam ex mora inculpabili, debitorem non teneri de damnis, quia non poteſt obligari, niſi ex culpa, vel pacto, quorum neutrum interuenit. Et hoc videntur docere apertè Sylueſter *verb.mora,quæſt.*1.& Armilla *n.*2. *de reg. iuris, in* 6. vbi dicitur, Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri; & omiſſio ineuitabilis nullam habet rationem acceptionis, aut retentionis iniuſtæ, quæ conſtituatur radix obligationis ad reſtitutionem.

Ad argumentum Molinæ reſpondetur, quòd tacitum pactum non videtur extendi ad hunc caſum, alioquin enim nimis durum eſſet, cùm ad impoſſibile nullus obligetur; ex regula ſexta *de reg.iuris, in* 6. ex his apparet, non benè illum Religioſum dixiſſe, me de hoc caſu conſultum, opinionem improbabilem, & nimis laxam conſuluiſſe, eſt enim hæc opinio communior, & probabilior, quidquid aſſerat Molina.

*Petrus mutuauit centum Ioanni, quæritur vtrùm poſſit cum eo paciſci, vt ſibi ſtatim reddantur quinque ratione lucri ceſſantis?*

RESOLVT. L.

ANimaduertendum eſt cum Petro à Nauarr. *de reſt. lib.*3. *cap.*2. *num.* 303. & aliis de lucro ceſſante dupliciter poſſe fieri pactum; vno modo indeterminatè, vt ſcilicet intereſſe quomodocumque poſtea euenerit, mutuatarius teneatur, quantum ipſum fuerit, reſarcire. Altero modo pactum fieri poteſt determinatè, nempe paciſcendo à principio de certo pretio, quod mutuatarius ſoluat pro lucro ceſſante, ſiue maius, ſiue minus, ſiue etiam nullum poſtea comperiatur ceſſare, quia tale pactum non innititur veritati lucri non euenturi, ſed veriſimilitudini rationabiliter habitæ; ſic Medina *Cod. de acquiſit.is per vſuram,c.*3. *ver. eſt ergo reſolutio.* Sotus *lib.*6. *de iuſt.quæſt.*1.*art* 3 Nauarrus *in enchirid.cap.*17. *num. vlt.* & alij.

Hoc ſuppoſito, ad quæſtionem reſpondendum eſt negatiuè, quia quod pro intereſſe ſoluitur, eidem ſubrogatur, neque eius, quod nondum extitit, ſubrogatio exigi

exigi poteſt; & certè ſi æſtimatio fiat, vt lucrum ceſſans exigatur ab initio mutuationis, ipſum non eſt tantum, quantum æſtimatur. Namque ſi pro lucro ceſſante ex 1000. aureis mutuatis, ſtatim recipiatur aliquid, vt 100. aurei tunc reuera lucrum non ceſſat ex 1000. aureis, quia in effectu tantùm 900. mutuantur. Accedit, quòd alioquin fieri poſſet, vt mutuatarius obligetur ad ſolutionem mutui, nihil accipiens; nam fieri poteſt, vt lucrum ſperatum adæquet ſortem, quod ſi ab initio mutuator capiat, nihil reſtabit mutuatario obligato ad ſolutionem ſortis, quod iniquiſſimum eſt. Sic Petrus à Nauarra *de reſtit. lib. 3. c. 2. num. 305.* Reginaldus *tom. 2. lib. 23. cap. 8. n. 90.* Rebellius *de oblig. iuſt. part. 2. lib. 8. quæſt. 6. n. 4.* Nauarrus *comment. de vſur. num. 54.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. q. 1. punct. 4. concl. 3.* Rodriquez *in ſum. tom. 1. c. 100. n. 10.* Megala *in 2. 2. lib. 2. c. 15. q. 2. num. 25.*

Sed licèt hæc opinio ſit vera, oſtendam confeſſariis duos modos, in quibus pœnitentes mutuando, poſſunt paciſci, vt ſtatim ſibi lucrum reddatur ex illo mutuo. Primus modus eſt Leonardi Leſſij *lib. 2. c. 20. dub. 11. n. 100.* ſcilicet, mutuando, v.g. 100. aureos ea lege, vt ſtatim mutuatarius reddat 9. ratione lucri ceſſantis ex 91. quos ipſe retinet. Et hanc non eſſe vſuram probatur; quia hoc nihil eſt aliud, quàm mutuare 91. cum intereſſe, & alios nouem ſine intereſſe, qui tamen ſtatim ſunt reddendi ad ſoluendum intereſſe ex 91. prouenìens, in quo contractu non magis grauatur mutuatarius, quàm ſi differretur ſolutio intereſſe.

Secundus modus eſt Ioan. de Salas *tract. de vſuris, dub. 10. n. 11.* & Ioan. Azorij *part. 3. lib. 5. cap. 5. quæſt. 3.* ſcilicet, non accipiendo illud lucrum ceſſans, ex ipſa ſumma pecuniæ, vel ex aliqua re fructifera, ſed v.g. in tanta quantitate olei, frumenti, vini, &c. Notabunt hæc confeſſarij, & in praxi ſi expedierit, ad tollendas occaſiones peccatorum, his monitis vtantur. Salua ſemper, &c.

## *An reliquiæ alicuius Sancti nouiter inuentæ, debeant approbari ab Epiſcopo?*

### RESOLVT. LI.

RESpondeo affirmatiuè, ex Concil. Trid. *ſeſſ. 25. de reliq. & vener. Sanctorum*, vbi ait, Nulla eſſe admittenda noua miracula, nec nouas reliquias recipiendas, niſi eodem recognoſcente, & approbante Epiſcopo, qui ſimul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in conſilium Theologis, & aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati, & pietati conſentanea iudicauerit. Quòd ſi aliquod dubium, vel aliqua de iis rebus grauior quæſtio incidat, Epiſcopus antequam controuerſiam dirimat, Metropolitani, & comprouincialium Epiſcoporum, in Concilio Prouinciali ſententiam exſpectet. Ita Tridentinum. Ex quibus verbis oriuntur aliquæ difficultates, vnde ad elucidationem huius materiæ,

Quæritur primò, quænam certitudo requiratur in approbandis ſupradictis reliquiis? Reſpondeo, eſſe neceſſariam certitudinem moralem, deductam ex probabilibus argumentis, non autem euidentiam, & argumenta infallibiliter concludentia. Ita in terminis notauit Ambroſius Morales *in 2. par. Hiſtoria generalis Hiſp. lib. 17. c. 5. in fin.* narrans inuentionem Sanctorum corporum, quæ Cordubæ inuenta ſunt anno 1575. & quia codex rarus eſt, ponam per extenſum eius verba. [Para todo lo que deſto ſe tratara conuiene mucho aduertir, como en la materia deſte Sancto negocio no puede haber euidencia, ni argumentos, que del todo concluyan, ſino vna buena probabilidad moral, deduzida de buenos principios, y fundamentos, de donde ſe forman razones, que tienen toda la fuerza, de que es capaz la materia, por ſer eſtas coſas de ſuyo dificiles de aueriguar, y que ſe deue tener en mucho qualquier aparencia de buena razon, y conuertencia, que ſe puede hallar.] Et *in lib. 13. cap. 37.* loquens de Cruce ab Angelis fabricata, tempore Regis Alphonſi, cognominati *el caſto*, ſic aſſerit. [Es meneſter, que tengamos en ſemejantes coſas vna piadoſa affecion en nueſtra alma, la qual ſin falta andando examinandolo todo, no ay nada, que deſheche, y condemne. Porque yo pregunto, que milagro podra haber auerigado, que reliquias de Santos ciertas, ſino queremos creer con blandura de corazon, ſino porfiar contradiziendo? En todas ſe hallara ſiempre algo, de que ſe puede dudar, ſi ſe andan eſcudrinando menudencias con rigor ſi ſe deſembueiben particularidades, ſi poniendolo todo à pleyto queremos, que todo eſte aueriguado, y manifieſto.] Sic ille, quæ omnia ſatis explicant verba illa Concilij, quæ pietati, & veritati conſentanea iudicauerit, & alia, quæ habentur *in c. placuit, de conſecr. diſt. 1.* vbi aſſeritur a Pontifice, quòd illæ reliquiæ ſunt honorandæ, quæ certæ ſunt, certæ videlicet non euidenter, ſed ex rationibus probabilibus. Nam, vt notat noſter Naldus *in ſum. ver. certum, n. 11.* & Sylu. *ver. matrimonium, q. 13.* ille dicitur certus, qui probabiliter, & non temerè credit.

Quæritur ſecundò, an reliquiæ Sancti nondum canonizati, poſſint approbari ab Epiſcopo?

Affirmatiuè videtur reſpondere Petrus de Lorca *in 3. part. D. Thom. quæſt. 25. art. 6. diſp. 98. n. 10.* Sed contraria ſententia prorſus eſt amplectenda, vt contra Lorcam rectè adnotauit Zipæus *in analyt, &c. lib. 3. de reliquiis, & vener. Sanctorum, num. 3.* vide etiam Azorium *tom. 1. lib. 9. cap. 8. q. 8.* Suarez *in 3. p. tom. 1. diſp. 55. ſect. 2.* & Barboſam *de poteſt. Epiſc. par. 3. alleg. 97. n. 10.* qui citat multos alios, & ideo illa verba Concilij, *Reliquias nouas*, accipienda ſunt pro, nouiter repertas.

Quæritur tertiò, an vota Theologorum ſint in hoc caſu conſultiua tantùm, ita vt Epiſcopus poſſit decernere aduersùs eorum placita. Reſpondeo affirmatiuè. Ita Bonacina *tract. de leg. b. diſp. 3. quæſt. 1. punct. 4. n. 5.* & Sanchez *in ſumma, tom. 1. lib. 2. cap. 43. num. 15.* Et ratio eſt, quia vbi ſolum alicuius conſilium petitur, non eſt neceſſe illud ſequi, vt patet ex *l. cum pater, §. mando. ff. de legat. 2.* & probat Menoch. *volum. 1. conſ. 69. n. 17. & 18.*

Quæritur quartò, an ſi oriatur aliqua grauis quæſtio, & ideo conuocetur Concilium Prouinciale, an vota dictorum Epiſcoporum ſint deciſiua, & non conſultiua, vt de votis theologorum diximus ſuprà. Reſpondeo eſſe vota deciſiua. Ita Bonacina, & Sanchez, *vbi ſuprà*, quia Concilium non petit conſilium ab Epiſcopis, ſed ſententiam. Notandum verò, quòd maior pars eorum ſententiã faceret, vt ſuprà dicti Auctores notant, nam ſententia, quam maior pars Concilij tulit, cenſetur à toto Concilio lata, *l. quod maior, ff. ad municip. & cap. Apoſtolorum, diſt. 16.* Et non ſufficeret, vt maior pars Epiſcoporum ſeorſim, & extra Concilium ſententiam ferat, ſed ipſam conciliariter ferre debet in ipſomet Concilio, vt fecerunt Epiſcopi in Concilio Prouinciali Toletano anno 1583. approbando reliquias nouiter inuentas Sanctorum Fauſti, Ianuarij, & Martialis, quas antea approbauerat Epiſcopus ciuitatis Cordubæ, quæ omnia inuenies apud Ambroſium Morales *in hiſtor. Hiſpan. lib. 17. cap. 12.*

Quæritur quintò, an Epiſcopus extra Diœceſim reliquias approbare poſſit, vigore dicti Conc. Trid. Reſpondet affirmatiuè Barboſa *de poteſt. Epiſc. p. 3. alleg. 97. n. 14.* vbi aſſerit, poſſe Epiſcopum extra ſuam Diœceſim exiſtentem, abſque aliqua Epiſcopi Diœceſis licentia, approbationem facere, & facultatem concedere, vt in ſua Diœceſi publicè reliquiæ collocentur venerandæ. Et ratio eſt, quia hæc non eſt iuriſdictio contentioſa, ſed voluntaria; iuriſdictio autem voluntaria exerceri poteſt extra Diœceſim propriam, etiam ſine facultate Epiſcopi illius loci, in quo exercetur iuriſdictio; vide Bonacinam, & Sanchez *vbi ſuprà.*

* * *

An



## *An pœnitens teneatur acceptare iniunctam à Confeſſario pœnitentiam?*

### RESOLVT. LII.

ITa affirmatiuè reſpondendum videtur aliquibus, vt improbabilem negantem ſententiam iudicet Nugnus *in 3. p. tom. 2. q. 15. art. 1. & q. 13. ar. 2. diffic. 2. concl. 1.* plus addit Suarez *in 3. p. tom. 4. diſp. 38. ſect. 7. n. 2.* & Coriolanus *tr. de caſ. reſer. p. 1. ſect. 3. concl. 16. n. 3.* cum aliis. Imò Vaſq. *in 3. p. tom. 4. q. 94. art. 2. dub. 1. n. 5.* de fide hanc ſententiam definitam eſſe exiſtimat, quod antea docuerat Victoria *in ſum. n. 109.* Et ſic præter DD. antiquos, ferè omnes neoterici aſſerunt, pœnitentem, ſub onere peccati mortalis, debere acceptare iniunctam pœnitentiam à confeſſario. Ita docet Sanctarell. *tract. de Blaſphemia, c. 7. dub. 1. n. 8. in fin.* Valent. *tom. 4. diſp. 7. q. 14. punct. 4.* Sylu. *in 3. p. q. 18. art. 3. dub. 3.* Fagundez *de precep. Eccl. tr. 2. lib. 2. c. 3. n. 18.* Tolet. *in ſum. lib. 3. c. 9. n. 3.* Henriq. *lib. 2. c. 3. n. 11.* Bellarm. *de pœn. lib. 4. c. 13.* Filliuc. *tom. 1. tr. 8. c. 2. q. 8. n. 53.* Ledeſma *in ſum. tom. 1. de pœnit. c. 23. concl. 8. dub. 1.* Bonac. *de Sacram. diſp. 5. q. 5. ſect. 3. punct. 4. n. 1.* Megala *in 1. p. lib. 6. c. 3. n. 3.* Conin. *de Sacramentis, diſp. 10. dub. 9. n. 79.* Villalobos *vbi infrà*, & alij DD. afferunt pro hac ſententia multas rationes, ſed præcipuè authoritatem Concilij Tridentini, aſſerentis, Sacerdotes habere poteſtatem ligandi, ſed ſi pœnitens poſſet reſpuere pœnitentiam, Sacerdos non haberet talem poteſtatem. Ergo, &c.

His tamen non obſtantibus, non deſunt Doctores, qui poſt Concilium Tridentinum, contrariam docuere ſententiam. Hi ſunt Gregor. Ruys *in controu. ſup. 4. ſent. contr. 94.* Raphael de Cæſare *in conſol. anim. dial. 8. c. 26.* Beia *in reſponſ. caſ. conſc. p. 3. caſ. 3.* Nauarrus *in man. c. 20. n. 26.* & nouiſſimè Yribarne *in 4. ſent. tom. 2. diſt. 19. q. 1. diſp. 17. ſect. 3.* & Pitigianus etiam *in 4. eodem diſt. 19. q. vnic. art. 3.* præter DD. qui ante Concilium ſcripſerunt, & etiam poſt Concilium probabilem vocant hanc opinionem Sotus *in 4. diſt. 20. q. 2. art. 1.* Zerola *in praxi pœnit. c. 25. q. 9.* ex ordine Prædicatorum P. Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. p. 2. de ſacram. Pœnit. q. 4. dub. 3. conc. 1.* & nouiſſimè Villalobos *in ſum. tom. 1. tract. 9. dub. 28. n. 4.* vbi ſic ait. [En practica ſe ha de dezir, que ſi el penitente no quiere acetar la penitencia, y en lo demas llegò biẽ diſpueſto, debe el Sacerdote abſoluelle, contra ſu opinion, porque la opinion contraria, es probable practicè, pues la tienen hombres tan doctos.] Ita Villalobos, qui ad partes hanc opinionem ibi doctè pertractat. Et ratio eſt, quia peccator in hac vita non tenetur ſatisfacere pro pœna temporali; & ideo poteſt eam remittere in Purgatorium, ac proinde non tenetur, quoad hoc obedire Iudici, ac Confeſſori, id præcipienti. Reſpondent verò ad argumentum Concilij, dicendo poſſe Sacerdotem ligare ad pœnam, ſicut in eodem Concilio, & abſoluere à culpa; ſed conſtat apud omnes non poſſe abſoluere nolentem, ſed tantùm volentem, ita concedendum eſt poſſe ligare pœnitentem volentem, & pœnitentiam acceptantem: ſed non ſequitur, hoc poſſe etiam nolentem, ſicut, vt dictum eſt, abſoluere nolentem non poſſet.

Notandum eſt etiam, aliquos Doctores aſſerere pœnitentem, non reſpuentem omnem pœnitentiam, ſed aliqualem, licèt paruam, vt vnum Pater noſter, &c. acceptantem, non eſſe à confeſſario, ſine abſolutionis beneficio, dimittendum. Ita Reginald. *in praxi tom. 1. lib. 7. cap. 2. n. 15.* Homobonus *in exam. Eccleſ. p. 1. tr. 5. cap. 15. q. 92.* Hoſtienſ. *in ſum. d. pœn. §. & an ſit, ver. quid de operibus.* Abb. *in cap. ſignificauit, n. 2. eod. tit.* Molfeſius *in ſum. tom. 2. tr. 7. c. 25. n. 57.* & alij. Sed ſufficiat, in re tam graui, varias ſententias propoſuiſſe, & DD poſt Concil Trident. maximè pro ſecunda ſententia non ſine labore, in gratiam ſtudioſorum collegiſſe, nihil tamen de eorum placitis approbando, vel reprobando.

## *Virùm vnus Confeſſarius poſſit impoſitam pœnitentiam ab alio commutare?*

### RESOLVT. LIII.

NEgantem ſententiam amplexus eſt Nugnus *in 3. p. tom. 2. q. 13. dub. 4.* Vaſq. *in 3. p. vbi infrà n. 8.* Ledeſma *in ſum. tom. 1. tract. de pœnit. c. 23. concl. 8. dub. 2.* Sot. *in 4. diſt. 20. q. 2. art. 3.* & alij, eo quòd par in parem non habeat imperium, vt habetur *in l. ille a quo, §. tempeſtiuum, ff. ad Trebell.* & quia ad retractandam, ſeu reuocandam ſententiam vnius Iudicis, adiri debet ſuperior per viam appellationis, quia æqualis id facere nequit, ex *cap. dilectus, 2. de reſcriptis, cap. vt debitus honor, de appellat. l. ſi quis aduerſus, C. de precibus Imper. offer.* & aliis iuribus.

At his non obſtantibus affirmatiuam ſententiam, & rectè docet Syluest. *ver. confeſſ. 6. n. 4.* Roſel. *ver. confeſſ. ſacr. n. 11.* & omnes neoterici infrà citandi. Et ratio eſt, quia ſicut abſolutio poteſt ſuper eadem peccata repeti, ita iudicium, & ſententia. Nec obſtant in contrarium adducta, quod par in parem non habet imperium, nam ſecundus Sacerdos, pœnitentiam commutans, nullum exercet imperium in priorem, ſed in pœnitentem, nec propriè reuocat ſententiam prioris, ſed ſuam profert, & hoc poſterius iudicium non inſtituitur ad derogandum priori, ſed ad conſulendum pœnitenti, in cuius fauorem talis iteratio conceditur. Neque totum hoc efficitur per modum appellationis, vt putant aduerſarij, ſed per modum noui iudicij æqualis iudicio præcedenti, quorum iudiciorum neutrum aduerſatur alteri, ſed ipſum in ſua integritate relinquit. His tamen ita ſuppoſitis, difficultas in praxi occurrens eſt, an Sacerdos poſſit commutare pœnitentiam, non audita priori confeſſione eorundem peccatorum. Non poſſe docet Vaſq. *vbi infrà, n. 7.* Suar. *tom. 4. diſp. 38. ſect. 10. n. 8.* Filliuc. *tom. 1. tr. 8. c. 2. n. 50.* Peſantius *in add. ad 3. p. q. 18. de ſatisfact. ſacram. diſp. 2. concluſ. 3.* Coninch *de Sacr. diſp. 10. dub. 12. concl. 3. n. 101.* Reginald. *in prax tom. 1. lib. 7. c. 8. n. 93.* Fagundez *de precept. Eccl. tract. 2. lib. 9. c. 4. n. 15. 17. & 22.* & ex noſtris Molfeſius *in ſum. tom. 1. tr. 7. c. 23. n. 71* Megala *in 1. p. lib. 6. c. 5. q. 3. n. 5.* qui aſſerit, nullo modo ſuſtineri poſſe contrariam ſententiam. Ratio eſt, quia omnis actus iudicialis debet fieri cognita cauſa, circa quam verſatur.

Sed ego exiſtimo, ſupradictos Doctores in Cathedra, vel in cella hanc opinionem docuiſſe; ſed in confeſſionario, contrariam ſententiam practicaſſe. nam onus nimis magnum eſſet pro confeſſariis, & pœnitentibus in commutatione alicuius pœnitentiæ præteritas iterare confeſſiones. Ideò exiſtimo probabiliſſimam eſſe illam ſententiam, quæ docet poſſe confeſſarios, non audita priori confeſſione eorumdem peccatorum pœnitentias commutare. Et ita docet Nauarr. *in man. c. 26. n. 22.* Tolet. *in ſumm. lib. 3. c. 11. num. 5.* Portel. *in add. ad dub. reg. ver. pœn. ſacr. n. 8.* Henriq. *in ſum. lib. 15. de pœn. c. 22. n. 1.* Beia *p. 1. caſ. 15.* Raphael de Cæſare *in conſol. anim. dial. 8. c. 26.* Victoria *in ſum. c. 211.* Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. p. 2. de pœnit. q. 4. dub. 4. concl. 2. in fin.* Villalobos *in ſum. p. 1. tr. 9. dub. 79. n. 5.* Emmanuel Sà *ver. ſatisfactio, n. 5.* Rodriq. *in ſum. tom. 1. c. 56. concl. 7. n. 8.* Viualdus *in candel. de ſatisfact. n. 31.* Ioan. Valerus vir doctiſſimus, *vbi infrà*, & alij, vel vt meliùs dicam, communis vſus confeſſariorum; & hanc etiam ſententiam probabilem, & practicè ſecuram vocauit Anton Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 3. c. 6. §. 7. n. 20. in fine*, & Syluius *in addit. ad 3. p. q. 18. art. 3. dub. 4. concl. 1.* Ratio eſt, quia præſens confeſſor poteſt de tota ſimul cauſſa pœnitentis, iuxta præſentem diſpoſitionem iudicare, provt magis expedire iudicauerit ipſi pœnitenti.

Sed graue hîc emergit dubium, an ſecundus confeſſarius, qui nõ habet poteſtatem abſoluendi à peccatis reſeruatis, ſuper quibus pœnitentia impoſita eſt, poſſit hoc non obſtante, pœnitentiam illam commutare. Negatiuè reſpondet Suarez, Filliucius, Molfeſius, Megala, Fagundez,

dez, & ferè, omnes DD. ſuprà citati. Sed contrariam ſententiam docet Vaſquez *in 3. p. tom. 4. q. 94. art. 2. dub. 3. n. 9.* Fernandez Societat. Ieſu *in inſtruct. confeſſ. p. 1. docum. 9. n. 5.* & Io. Valerus *in differentiis vtriuſque fori, ver. iuriſdictio, differ.* 1. n. 7. Et ratio eſt, quia conſtat quòd per abſolutionem caſuum reſeruatorum, remanent illa peccata non reſeruata; ergo, & conſequenter non remanebit reſeruata pœnitentia pro eis impoſita. Hæc ſententia eſt probabilis, & tuta in praxi.

Sed pro coronide huius diſputationis, videamus, an dicta commutatio facienda ſit in ſacramentali confeſſione, vel extra. Megala, Suarez *tom. 4. diſp. 38 ſect. 4. n. 8.* & alij aſſerunt Nauarrum docuiſſe, confeſſarium poſſe commutare pœnitentiam extra ſacramentum Pœnitentiæ: ſed falluntur, quia Nauarrus ſolummodo dicit non eſſe neceſſariam iterationem confeſſionis peccatorum, ſuper quibus data fuit pœnitentia, quando poſtulatur commutatio eiuſdem: hoc autem non eſt dicere, extra confeſſionem ſacramentalem fieri poſſe dictam commutationem. Bonacina *de Sacramentis diſp. 4. q. 5. ſect. 3. punct.* ... *n. 7.* aſſerit Rodriquez, & Summam Coronam docere hanc ſententiam, ſed apud ipſos illam non inuenio, ſed illam docet Victorellus *in notis ad Emanuelem S. ver. ſatisfactio, n. 5.* & Valentia *tom. 4. diſp. 7. q. 14. punct. 4.* vbi ſic aſſerit. Eſt notandum, vt pœnitentia rectè commutari poſſit, omnino fore neceſſe, vt peccata pro quibus impoſita fuit, illi pateſiant aliquo modo, qui eſt eam commutaturus, quamuis non eſt quidem opus, vt ei manifeſtentur rurſus per ſacramentalem confeſſionem. Ita Valentia.

Sed contrariam ſententiam omnino amplectendam eſſe iudico ex communi Doctorum ſententia. Vide omnes citatos authores. Ratio eſt, quia tam ſolutio, quàm ligatio pœnitentis, actus ſunt clauium, qui neceſſariò requirunt Sacramentum: ergo ſicut poſterior confeſſarius non poteſt ligare abſque Sacramento, ita neque ſoluere. Dicta igitur commutatio facienda erit à confeſſario ſecundo in ſacramentali confeſſione, & non extrà. Limita tamen hanc ſententiam, niſi ab eodemmet confeſſario pœnitentia commutaretur, nam ſi id fiat intra vnum, aut alterum diem, poſſet pœnitentiam extra Sacramentum commutare, quia in iſto caſu adhuc cenſetur idem iudicium. Ita Sotus *in 4. diſt. 20. q. 2. art. 3.* Valerus *vbi ſuprà, ver. iudex, differ. 23. n. 5.* & alij. Vnde nimis ſcrupuloſè in hoc loquitur noſter Megala *vbi ſuprà*, aſſerẽs hoc fieri nõ poſſe, niſi intra ſpatium mediæ horæ; ſed Henriq. *lib. de pœnit. c. 21. §. 5.* cum Ledeſma, & Viualdo, & Valero *vbi ſuprà*, putat idem fieri poſſe intra triduum, aut hebdomadam, ſi redeat pœnitens. Sed notandum eſt, quòd ſi pœnitentia ſit tantùm medicinalis; poteſt vtique tunc omnis confeſſarius extra confeſſionem ſacramentalem, dictam pœnitentiam commutare, ſuſpendere, atque ſuper ea diſpenſare, & hoc ſæpè practicaui, ait Valerus *vbi ſuprà*, qui etiam putat eundem confeſſarium poſſe commutare pœnitentiam ſine cauſa: quia ſicut fuit in eius arbitrio illam imponere, ita in eodem debet eſſe illius commutatio, nam vnaquæque res propter quaſcumque cauſas naſcitur, propter eaſdem diſſoluitur, ſed cum petitur commutatio ab alio Sacerdote, requiritur cauſa.

Et ideò reaſſumens omnia ſupradicta, aſſero poſſe quemlibet confeſſarium ex iuſta cauſa commutare pœnitentiam, etiamſi fuerit data ſuper peccata reſeruata, & etiam non iterata priori confeſſione, dummodo hoc efficiat in ſacramentali confeſſione, non autem extrà, quòd ſi commutauerit, idem confeſſarius poterit quidem extra confeſſionem, ſi ad plurimum intra hebdomadam pœnitens redeat.

Et hæc dicta ſufficiant circa præſentem quæſtionem. Sed ſi aliquis quæreret, an pœnitens auctoritate propria commutare poſſit pœnitentiam à confeſſario ſibi impoſitam, in opus euidenter melius. Reſpondeo affirmatiuè; & ita etiam probabiliter docet Portel *in addit. ad dub. reg. ver. pœnitentia ſacramentalis, n. 6.* vbi ſic aſſerit. Poteſt pœnitens, authoritate propria commutare pœnitentiam ſibi impoſitam in aliud opus euidenter melius. Probatur à ſimili. Nam omnes dicunt poſſe quemlibet ſuum votum cõmutare auctoritate propria in opus euidenter melius, vt qui vouit dicere tertiam partem Roſarij, poterit commutare in vnum diem ieiunij; eſt autem eadem ratio, in præcepto orto ex voto, & ex mãdato confeſſoris. Ita probabiliter Portel, licèt aliqui etiam magis probabiliter contrarium aſſerant. Sed hæc dicta ſufficiant circa pœnitentiæ commutationem; hoc vnum addam valde notandum, poſſe pœnitentem pœnitentiam à confeſſario iniunctam per annum differre. Ita docet ex Societate Ieſu Antoninus Fernandez *in inſtruct. confeſſ. p. 1. docum. 7. §. 2. n. 2.* vbi ſic ait. [Tiene obligacion el penitente de cumplir la penitencia por lo menos de vn año, ſi no le obligo el Confeſſo dentro de menos tiẽpo, coligeſe del *cap. omnis, de pœnit.* ibi, *Et iniunctam ſibi pœnitentiam.*] Sic Fernandez, qui hoc etiam docuerat *in docum. 4. n. 5.*

*An Equites Commendatarij D. Ioannis inſumentes redditus bonorum ſuorum in vſus illicitos, peccent contra paupertatem & accipientes teneantur ad reſtitutionem?*

RESOLVT. LIV.

AFfirmatiuè reſpondet Azorius *tom. 1. lib. 13. cap. 4. q. 29.* & ante illum hoc etiam docuerat Molina Iuriſconſultus, Nauarrus, Motta, Ayala, & alij apud Sanchez *vbi infra*, vide etiam Riccium *p. 3. dec. 321. n. 4.* & Suarez *de Relig. tom. 3. lib. 8. c. 16. n. 24.*

Sed contrariam ſententiam amplexus eſt Pater Franciſcus Alcozer *in ſuo tract. de ludo, c. 39.* & quia codex tarus eſt, ponam per extenſum eius verba. [Los Comendadores de San Iuan de San Iago, de Calatraua, y de Alcantara, diſponen libremente de ſus bienes en vida, y los gozan, y dan, y enagenã, y traſpaſſan en las perſonas, que quiere, como qualeſquier otros ſeglares libres, diſponen de los bienes, que tienen. Eſto ſe entiẽde de los fructos, y rentas de las encomiendas, que de la orden tienen. Mas las heredades, villas, y lugares de las dichas encomiendas no la pueden dar, ny enagenar. Aſsì miſmo ſe entiẽde, que gozan, y enagenan, como quieren los bienes muebles, y fructos de los bienes, que han adquirido por titulo herencia, ò donacion, ò otro titulo juſto de ſus poderes, y deudos, y amigos, y ſeñores, ò oficios, ò de otra manera. Eſto preſupueſto digo, que los, que juegan, y ganan alos tales lo adquieren juſtamente, y no ſon obligados à reſtitucion, porque los tales bienes ellos los gozan, y poſſeen, y diſponen dellos, como los ſeglares libres, diſponen de los bienes, que tienen.] Ita Alcozer. Sed pro maiori elucidatione, & intelligentia, ſuppono, quòd ſupradicti Equites, licèt voueant paupertatem, vouent tamen illam, prout vſus permiſſus & toleratus apud eos recipit. Non itaque Religioſorum Clauſtralium rigidam paupertatem vouent, ſed bona ſua retinent, amouibilia tamen ad nutum Magni Magiſtri, & de illis diſponunt, licèt in morte non poſſint, abſque Superioris licentia teſtari, & ideo votum eorum de proprio non retinendo, intelligendum eſt quoad dominium, non autem quoad vſum, diſtributionem, & vſumfructum. Ita de Equitibus D. Ioannis loquuti ſunt Sanchez *in ſum. tom. 2. lib. 7. cap. 8. n. 39.* Genuenſis *in practicab. Ecc. tricenar. 1. q. 20. num. 3.* Barthol. à S. Fauſto *in theſ. Relig. lib. 8. q. 8. n. 2.* Homobon. de Bonis *in exam. Eccleſ. part. 1. tr. 7. c. 12. q. 58.* Graffius *tom. 1. lib. 3. conſ. 11. n. 24.* Vide etiam Vazquez *opuſc. de redditibus, c. 3. dub. 9. n. 40.* & alios: & licèt eorum regula, & forma Profeſſionis aliquid plus præſeferat, & ab illis requirere videatur, attamen longæuus vſus, & antiquiſſima conſuetudo ita interpretata eſt dictam eorum Regulam, & Profeſſionẽ, & hoc cum ſcientia, & ſine contradictione Superiorum. Adde



Adde quòd multi eorum, imò ferè omnes, minimè profeſſionem emitterent, ſi ſub onere peccati mortalis tenerentur ad aliam ſtrictiorem paupertatem, & vitæ rationem, quàm quod hodie inter illos ſeruare conſuetum eſt. Cùm igitur ſupradicti Milites bona ſua retineant, & de illis liberè diſponant, inſumendo illa in vſus illicitos, peccabunt quidem non autem contra paupertatem, nec recipientes obligationem reſtitutionis habebũt: nam probabilis illa eſt opinio, quæ aſſerit Religioſos, etiam mendicantes, ſi licentiam habent de aliquibus bonis diſponendi, ſi illa in vſus illicitos inſumant, peccare quidem, ſed non contra votum paupertatis, nec ab illis recipientes aliquo reſtitutionis nexu vinciri.

Et ita loquens in caſu noſtro de Militibus Religioſis docet ex Societate Ieſu Pater Salas *tract. de ludo, dub. 11. n. 6.* qui citat Angles, Lopez, Medinam, & alios; & etiam probabilem vocauit hanc ſententiam Ioan. de la Cruz *de ſtatu Relig. lib. 1. cap. 3. dub. 1. concl. 2.* & Petrus Ledeſma *in addit. ad 2. part. ſumma, tract. de ſtatibus, c. 4. diffic. 4.* vbi aſſerit, illam docuiſſe doctiſſimum, & Religioſiſſimum Magiſtrum Gallo, & multos alios Magiſtros, ex ſchola D. Thomæ, & ex Societate Ieſu tenet etiam hanc ſententiam Rebellius *part. 2. lib. 12. q. 4. ſect. 7. n. 6.* licèt contrariam opinionem probabiliorem eſſe puto, quam præter Doctores, quos citat Salas *vbi ſuprà, n. 1.* tenet Sanchez *in ſum. tom. 2. lib. 7. cap. 19. n. 81.* & nouiſſimè Fagundez *de precept. Eccl. tract. 2. lib. 8. cap. 6. n. 15.* Cenedo *de paupert. Religioſa, dub. 17. n. 7. & ſeqq.* cum Llamas *in ſum. p. 3. meth. c. 9. §. 13.* & alij.

Ex his apparet, meretrices dictorum Equitum, & ludentes cum ipſis, & ipſos quoque Equites, ſi reſtitutionem facere noluerint, poſſe à Confeſſariis, ſecundùm ſupradictam opinionem probabilem, ſacramentalem abſolutionem, ſine vllo onere reſtitutionis obtinere. Poſt hæc ſcripta inueni ſupradictam opinionem in terminis docere Michaelem Zanardum *in direct. Confeſſ. p. 2. præc. 4. c. 31. quæſt. 8.* vbi ſic aſſerit. Si Eques (loquitur etiam de Militibus D. Ioannis) redditus commendarum ſuarum in peſſimos vſus expendat, quamuis peccet mortaliter, cùm hæc bona ſint ei data, vt viuat iuxta ſtatum ſuum, & non vt ea dilapidet in peſſima contra proprium ſtatum: tamen non obligatur ad reſtitutionem, quia hæc bona ſunt ei data, vt de eis faciat, quicquid ei placuerit, vel expedierit, non intendendo eum obligare ex contractu, & vi iuſtitiæ commutatiuæ, vt ſi ea in malos vſus conſumpſerit, teneatur ad reſtitutionem. Hæc Zanardus. Vnde remanet ſatis probabilis noſtra ſententia.

Scripſi hæc in re tam graui, quaſi coactus, & Deus ſcit ſi cum magna & intima cordis triſtitia, vt fragilibus conſcientiis aliquod remedium exhiberem. Nam ſi contraria ſententia in praxi omninò amplectenda eſſet, vt olim cum Azorio mordicus conſulebam, mille laqueis reſtitutionis penè innumeri tenerentur, & nemo reſtitueret. Et hanc opinionẽm, tanquam probabilem, tenent etiam multi viri docti, de hac re à me conſulti, tam ex noſtra Religione, quàm ex Societate Ieſu, & inter illos præcipuè P. Franciſcus Bardi, vir Scholaſticæ, & Moralis Theologiæ peritiſſimus.

*Quando quis Beatificatus eſt, & conceſſa fuit facultas, vt Sacerdotes certæ Religionis, poſſint de illo Miſſam celebrare, vt conceſſum fuit in Beatificatione noſtri B. Andreæ Auellini, quæritur in tali caſu, an omnes alij Sacerdotes ſæculares, & regulares poſſint celebrare Miſſam de eo Beato in Eccleſia aſsignata in Decreto Beatificationis,*

RESOLVT. LV.

VIdetur reſpondendum affirmatiuè, quia fauores, & priuilegia ſunt amplianda, ex *cap. olim, de verb. ſignif. l. beneficium, ff. de conſtit. Princip. l. hoc modo. ff. de condit. & demonſtr. & l. cùm quidam. ff. de lib. & poſth.* vbi gloſſ. plura refert; & Azeued. *tom. 6. lib. 9. tit. 18. l. 10. n. 5.*

Sed hæc opinio mihi non placet, ſicut & multis doctiſſimis viris de hac re à me conſultis, & illam reprobat ex Societate Aloyſ. Turrianus *in 2. 2. tom. 1. c. 13. dub. 8.* & ex noſtra Religione P. Molfeſius *in ſumma, tom. 1. tract. 11. cap. 6. num. 51.* & ita fuiſſe determinatum per Theologos Salmanticenſes, teſtatus eſt mihi ex Prædicatorum familia vir doctiſſimus, & amiciſſimus, M. Dominicus de los Reys, confeſſarius quondam Sereniſſimi Principis Philiberti. Ratio eſt, primò, quia Alexander III. *in c. de reliq. & venerat. Sanctorum*, prohibuit aliquem colere cultu publico, ſine Apoſtolicæ ſedis facultate, ſed talis facultas non videtur conceſſa omnibus Sacerdotibus, ex eo quòd certæ Religionis Sacerdotibus expreſsè concedatur. Ergo, &c. Probatur minor, nam clarè apparet per facultatis formam ſubintellecta reſtrictio, & incluſio vnius, vt loquuntur Doctores, eſt excluſio alterius, ex authoritate *l. cùm prætor, ff. de iudic. & l. maritus, C. de procurat.*

Secundò, in dictis Bullis Pontificiis pro dicenda Miſſa Beatorum deſignantur à Summo Pontifice dies, & perſonæ; ſed, vt reſpondit ſacra Congregatio, & Cardinalis Bellarminus, teſte Turriano, Miſſa non poteſt dici extra illum diem; ergo neque ab aliis perſonis, præter illas ibi aſſignatas.

Tertiò, priuilegia, & gratiæ cenſentur ſolummodo conceſſæ iis perſonis, quæ ſunt in priuilegio expreſſæ: ſed in noſtro caſu priuilegium dicendi Miſſam conceditur Sacerdotibus illarum Religionum. Ergo, &c. Minor patet ex contextu Bullarum. Maior probatur à Martino Bonac. *tract. de leg. diſp. 1. q. 3. punct. 7. §. 2. n. 1.* & aliis. Tum quia priuilegia ad eos ſolùm extenduntur, ad quos extenditur intentio concedentis: ſed intentio concedentis non cenſetur ad alios extendi, quàm ad eos, qui exprimuntur in priuilegio. Ergo, &c.

Hinc ex communi Doctorum ſententia notauit Salas *de leg. diſp. 14. ſect. 9. num. 48.* & Suarez *lib. 8. cap. 26. n. 11.* priuilegia non eſſe extendenda de perſona ad perſonam, etiamſi adſit ſimilitudo rationis; nam vis priuilegij non eſt poſita in ratione, ſed in voluntate concedentis; ideo non ſatis eſt, quòd in alia perſona ſit ſimilis ratio, ſi voluntas concedentis ad illas non extendatur; non autem cenſetur extendi, ſi non exprimatur; nam inter homines, voluntas non operatur, niſi vt ſignificata. Ergo, &c.

Quartò, gratia cenſetur conceſſa iuxta verba ſupplicationis, vnde Princeps precibus ſibi porrectis ſolet ſe accommodare, *l. ſi preces, ff. de legibus, & c. inter dilectos, §. cæteri, de fide inſtrum.* Simon de Prætis *de interpret. vlt. volunt. tom. 2. lib. 3. interpret. 2. dub. 1. ſolut. 8. num. 23.* Moneta *de commut. vlt. volunt. cap. 6. concl. 6.* Mattienzo *lib. 5. recopil. tit. 11. l. 29. num. 2.* Iaſon *in l. Gallus, in 1. lect. §. idem credendum, num. 10. ff. de lib. & poſth.* Loaz *de matrimonio Regis Angliæ, dub. 5. num. 28.* Cacheran. *concl. 19. num. 2.* Menochius *lib. 1. conſ. 33. num. 14. & lib. 2. conſ. 180. num. 1.* Pariſius *lib. 4. conſ. 3. num. 38.* & Mandel. *lib. 2. conſil. 281. num. 15.* vbi ait, quòd ſi aliquid non fuerit petitum in ſupplicatione, eſſet abſurdum dicere, quòd cenſeatur conceſſum; ſed in procemio, & tenore Bullæ Beatificationis dicti B. Andreæ, Clericos regulares Miſſam pro ipſis poſtulaſſe apparet, & non pro omnibus. Ergo concludendum eſt, Summum Pontificem ipſis, & non aliis, talem gratiam conceſſiſſe. Quod ex verbis ipſius Bullæ ita manifeſtum eſt, vt fruſtrà argumentationes pro confirmanda hac opinione congerere mihi videar; ideo hoc vnum addam. Quod quãdo verba alicuius reſcripti, & priuilegij ſunt ſatis clara, & certam habent ſignificationem, nulla eſt adhibenda extenſio, & interpretatio; ſed tenor, & forma priuilegij eſt obſeruanda, vt obſeruauit Salas *ſect. 9. num. 53.* Bonac. *§. ... n. 3.* Marius Antoninus *lib. 5. reſol. 17. n. 11.* Franc Bec. *conſ. 32. n. 3* Bald. *in l. 1. §. ſi is qui, in lect. antiqua, in fin. ff. de exercit. act.* Tiraquell. *in l. ſi vnquam,* in

in ver.liberſis,n.8 C.de reuoc. don. & Surdus tom. 1. conſ. 140 num.21.vbi aſſerit, ad vnguem ſeruandum eſſe priuilegij tenorem, & non eſſe recedendum à forma verborum ipſius; ſed in dictis Bullis Pontificiis verba ſunt ſatis clara, & certam habent ſignificationem: ergo nulla eſt adhibenda interpretatio, & extenſio, ſed forma ipſarum eſt obſeruanda.

Reſtat modò reſpondere ad argumentum in principio poſitum. Dico igitur, fauores, & priuilegia tunc eſſe amplianda, quando id recta ratio permittit rationabiliter fieri poſſe, ſeruata verborum proprietate, quod fieri non poſſe in noſtro caſu patet ex rationibus ſuprà adductis; & ita aſſerunt Bonacina, Salas, Suarez, & alij. Vide Dec. in cap.ſanè, de priuilegiis num.10.

## *An cogentes fœminas intrare Monaſterium educationis cauſa, incidant in excommunicationem latam in Conc.Trid.*ſeſſ.35.cap.18.

### Resolvt. LVI.

REſpondeo diſtinguendo, vel dictæ fœminæ ſunt impuberes, vel ſunt puberes; ſi ſunt impuberes, dico parentes illas cogentes non incurrere in hanc excommunicationem: nam pater, & mater ex iure Canonico, vt probat Sanchez in ſum. tom.1. lib.4. cap.19. n.8. & 9. habent ius naturale offerendi filios religioni, & talis filius ſic oblatus tenetur obedire patri ordinanti ſuam educationem; & antequam annos pubertatis attingat, non poteſt à Monaſterio exire, & hoc ius Canonicum non fuit hîc à Concilio reuocatum. Et ita hanc ſententiam in terminis docet Suarez de Relig.tom.3.lib. 5.cap. 9. num. 4.& doctus Portel in addit. ad dubia regul.ver.clauſura Monialium, num.4. quidquid poſtea, quod valdè miror, dubitanter aſſerat in ver. Moniales, num.18. Si autem dictæ fœminæ cogantur intrare Monaſterium puberes, id eſt, poſt annos duodecim,

Prima opinio eſt affirmatiua, etiamſi cogentes non dicant, vt intrent ad habitum ſuſcipiendum, neque ad profeſſionem emittendam, ſed ſolùm, vt ibi maneant cum habitu ſæculari vſque ad occaſionem nubendi. Ita docet Barboſa de poteſt.Epiſcop.p.3.alleg.104.num.3. & in collect. tom.1.lib.3.tit.31.cap.12.num.4. Raynerius in catalogo cenſur.cap.6.excom. 63. Megala in 3.p.lib.4. cap. 6. num. 100. Zipæus in iure Pontificio nouo, lib. 3. de Reg. num. 30. Ledeſma in addit.ad Summ.tom.2.tract. de ſtatibus, c.5. concl. 8. Zerola in praxi Epiſc.part.2. ver. Moniales, quæſt. 13.& Filliuc.tom.1.tract.24.cap.6 n.89.& ante omnes, ſapientiſſimus ſenex Nauarrus conſil.6. de ſent.excomm.in 1.edit. & conſil.6. de regul.in 2.edit. & Filliuc. cum Raynerio citant pro hac ſententia Suarez de cenſ.diſp.23. ſect.5.num.9. Sed ipſe poſtea, vt infrà videbimus, explicuit circa præſentem materiam ſenſum ſuum, non vt citati Doctores accipiebant.

Secunda opinio limitat ſupradictam ſententiam, & aſſerit, tunc cogentes fœminas intrare Monaſterium, incurrere in dictam excommunicationem, quando coactio illa ingreſſus efficeretur in ordine, vel cum animo ad poſtea ſuſcipiendum habitum Religionis, ſiue ſuaſionibus Monialium, ſiue alia via: ſecus ſi hoc nullo modo intenderent ipſi cogentes, tunc enim non incurrerent. Ita ex Emanuele Rodriquez in ſum.tom.2.c.8.n.9. Portel in addit. ad dubia regul. verb. Moniales, num. 14. & Sanchez in ſum. tom.1. lib.4.c.4.n.12.

Tertia opinio eſt P. Suarez de Religione, tom.3. lib.5.c.9. dub. 4. vbi ait Concilium loquutum fuiſſe, non de omni ingreſſu Monaſterij, ſed de illo, qui per ſe ordinatur à parentibus ad ſuſceptionem habitus; & ſub hac conditione, ſeu pactione fit. Igitur ſecundùm Suarez, videtur tunc cogentes fœminas intrare Monaſterium, incurrere in excommunicationem, quando haberent animum, vt ibi inuitæ permaneant, & ſuſcipiant habitum; ſecus autem ſi habeant animum, vt ibi cuſtodiantur, vel etiam vt paulatim afficiantur, & poſtea ſi voluerint, habitum ſuſcipiant.

Quid ego ſentiam, dicam breuiter. Omnes ſupradictæ opiniones ſunt ſatis probabiles, & tutæ in praxi; ſed ego primã libenter amplector, quia Concilium, ſicut expreſſit ſuſceptionem habitus, aut profeſſionem; ſic etiam expreſſit diſiunctiuè Monaſterij ingreſſum, ſed in alternatiuis ſufficit alterius partis veritas. Ergo, &c. Item Conciliũ expreſſit, ac prohibuit, ſine vlla diſtinctione, ſed ſimpliciter, ingreſſum Monaſterij; ergo vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, & optimè, ſanctéque Cõcilium abſolutè loquutum eſt; quia per illum ingreſſum, vt ſic dicã, datur occaſio, vt poſtea puella in Monaſterio ob verecundiam fœmineam, & Monialium ſuaſionẽ ſuſcipiat habitum inuoluntariè. Ergo, &c. Nota verò, quòd Conciliũ non ſolum prohibet directam, ſed etiam indirectam coactionem. Vt ſi, v.g. parentes malè tractent puellas in victu, veſtitu, verbis, & aliis actionibus, contumelioſe illas tractando; nam ſi ita facerent, dictam excommunicationem vtique incurrerent. Et hæc dicta procedunt quoad excommunicationem: nam quoad peccatum, puto non excuſari parentes cogẽtes fœminas ad ingreſſum Monaſterij, etiam ſtando in quacunque opinione, ex ſuprà poſitis. Nam, vt benè obſeruat Suarez, cùm fœminæ maioris ætatis ſint ſui iuris in omnibus his, quæ ad ſtatum animæ ſuæ pertinent, non poſſunt licitè, & ſine peccato à parentibus cogi ad tã arctam cuſtodiam, & rigidam clauſuram, & talem viuendi modum, etiam temporalem; ſecus ſi ad aliquod tempus talis ingreſſus cenſeatur moraliter neceſſarius ad decentiam, & cuſtodiam ipſarum.

Ex his apparet, quàm cautè debeant parentes in hoc tam graui negotio incedere. Sed quia vt plurimùm puellæ nobilium ingrediuntur Monaſterium tantùm ex metu reuerentiali, & non ex minis, ſeu coactione, vt in ſupradictis ſuppoſitum eſt; ideò quæritur ad Confeſſariorum, & Pœnitentium conſolationem, an in tali caſu parentes incidant in excommunicationem Concilij? Reſpondeo negatiuè cum Riccio in praxi, tom.1. reſol. 99. num. 4. & Portel in addit. ad dubia regularia, verb. Moniales, num.11. & quia codex rarus eſt ponam eius verba. In hoc caſu (ait) credo metum reuerentialem non inducere excommunicationem, quia parentes, vel conſanguinei in illo timore incutiendo, non ſe habent actiuè, etiamſi manifeſtent puellæ talem ſtatum monachalem illi conuenire, & quòd non habeat dotem pro matrimonio, vel eo quòd non illi ſecurum erit manere in ſæculo, abſque matrimonio, & abſque monachatu. Et hæc eſt praxis in tota ferè Eccleſia, iuxta quam facientes parentes nemo iudicat excommunicatos; imò etiamſi parentes, vel alij importunis precibus ſuaderent puellæ, vt ingrederetur, non incurrerent, quia ſuaſio etiam importuna non eſt coactio. Ita Portel, cui etiam addam Villalobos in ſumma, part. 1. tract.17. dub.31. num. 1. vbi ſic aſſerit: [Se libran de la excommunicacion los padres nobles, que embian à ſus hijas ſiendo miñas à criarſe en los Monaſterios, para que ſean monjas, ò ſiendo y a grãdes les dizen, que no tienen dote para caſarlas, y anſi que ſolo les queda entrarſe en vn Monaſterio, que eſtos no les hazen fuerza, pues ſiempre, quedan libres para no ſer monjas. [Hæc ille. Vbi etiam obſeruat, & poſt illum etiam notauit Suarez, Cardinalium Congregationem docuiſſe, non incurrere hanc cenſuram illum, qui filiam relinquit hæredem, cum pacto, vt aliquod Monaſterium ingrediatur; quod ſi renuerit, ipſum Monaſterium hæredem inſtituit, & filiæ ſolùm alimenta neceſſaria relinquit. Ratio eſt, quia illa non eſt coactio, nec inductio per vim, ſed potiùs per modum concupiſcentiæ, quæ omnia notent Confeſſarij, ſunt enim multùm conducentia ad ſedandos multos ſcrupulos, & pro praxi Confeſſariorum. Salua ſemper, &c.





## *An ſit ſimonia vendere locum honoratiorem pro ſepultura?*

### Resolvt. LVII.

AFfirmatiuam ſententiam docet Suarez de relig.tom.1. lib.4. de Simonia, c.14.n.22. Reginald. in praxi tom. 2. lib.21.c.16.n.226. Filliuc.tom.3.tr.45.c.3.n.16. Raphaël de la Torr. in 2.2.tom 2.q.100.art.4. diſp.7. & Malderus in 2.2.tract.9.c.3.dub.9.

Sed contrariam ſententiam amplectendam eſſe puto, maximè de hoc ſtante conſuetudine vniuerſali; & ita in ſpecie contra Suarez docet Garſias de benef. tom. 1. part.5. cap.9.n.117. in additionibus, vbi citat Sotum Spin. Gratianum, Lara, Salazar, & Humadam, quibus ego addo doctiſſimos Theologos, Ioan. de la Cruz in direct. conſ. p.1. præc.7. quæſt.4. dub.9. concl.2. Rodriq. in qq. regul. tom. 3. q. 58. art.2. Arag. in 2.2.q.100. art.4. Philiarc. de offic. Sacerd. tom.2.p.2. lib.6. cap.9. ex Societate Ieſu Emmanuelem Sà verbo, Simonia, n.2. ex noſtra Religione Naldum in ſumm. verb. ſepultura, n.8.& tandem nouiſſimè Barboſ. in ſuis collect.tom.2.lib.3.tit.28. c.13. n.2. Ragucium de Eccl. diſcip. q.86.n.3. Genuenſem in praxi Archiep.c.32.n.19 cũ aliis. Dico igitur, quòd aut pretium petitur pro ſepultura ſimpliciter, aut pro aptiori loco ſepulturæ. Primo caſu pretiũ peti nõ poteſt, abſque labe Simonię, quod ceſſat ſecundo caſu, quando locus honorabilior petitur pro ſepultura; nam cum talis locus non ſit neceſſarius ad ſepulturam, non venditur ſepultura, nec ſacrum contra Suarez; & Eccleſia cœmeteria habet, vbi gratis ſepeliri homines poſſunt. Situs igitur, & locus dignior non videtur concernere ſpiritualia, vnde tanquam non neceſſarius vendi poteſt; & ideo ſi aliquis eligat honorabiliorem locum in Eccleſia propter talem præeminentiam, poteſt ille honor pretio æſtimari, & vendi, cùm hoc caſu non vendatur ſepultura, quæ gratis præſtanda eſt, ſed ille locus aptior, & honorabilior. Et ita fuiſſe deciſum in Rota, in cauſa Terraconenſis ſepulturæ 17. Maij, 1572. coram Lancellotto, teſtatur ex Gratiano, Garſias vbi ſuprà. Nec ſacri Canones aliud prohibent, quàm quod Clerici nolint mortuum in loco ſacro ſepeliri, niſi aliquid detur pro terra: ſed non ſi quis nolit ſepeliri in loco communi aliorum, ſed petit locum honoratiorem; nam in hoc caſu non erit ſimonia aliquid exigere, ſicut & vaſa ſacra, & capellæ, venduntur ratione materiæ. Et ita ego ſentio, in fauorem conſulentis.

## *An Bulla Sixti V. contra Aſtrologiam iudiciariam obliget, non ſolùm in foro exteriori, ſed etiam in foro conſcientiæ?*

### Resolvt. LVIII.

AFfirmatiuam ſententiam docent Doctores, quos citat & ſequitur Sanchez in ſumm. tom.1. lib.1. c.38. num.34. quibus ego addo Homobon. de exam.Eccl. part.1. tract. 6. cap.5. quæſt. 22. Flauium Cherubinum in compen. Bull.tom.2. conſtit. 17. Sixti V. ſchol. 1. Peirinum in priuil. Minim.tom.2.conſtit.9. Paul. V. §.2.n.24.& Farinac. de hæreſi, q.181.§.1.n.59.

Sed contrariam ſententiam non minus probabilem docet Suarez, Valentia, & Rodriquez apud Sanchez, vbi ſuprà, quibus ego addo Molfeſium in ſumm.p.1.tract.11.cap. 7.n.120. Nald. in ſumm.ver. Aſtrologus, n.4.& Raphaël de la Torre in 2.2.q.95.art.5. diſp.2. fol.mihi 271. Et ideo Homobonus, Peirinus, & Sanchez loc. cit. vocant tantùm tutiorem, & veriorem ſententiam affirmatiuam, quam ipſi tenent. Itaque, ſecundùm mentem horum Doctorum, Bulla Sixti V. lata eſt pro foro externo, vnde quicquid licitum erat de iure antiquo prædicere ante dictam Bullam, & nunc etiam in foro conſcientiæ, ſecluſo ſcandalo, erit licitum; quænam verò futura contingentia, & quomodo erant licita prædicere ante dictam, vide Caietanum in 2.2.q.95.art. 5. Valent.tom.3.diſp.6.quæſt.12. punct. 3. Delrium diſquiſ. mag.lib.4.c.3.q.1.concl.2. Tolet. in ſumm. lib.4. c.15. n.6. & alios. Ego autem non damnarem illum qui hæc prædiceret, ſola illa tenuiſſima coniectura, & certitudine, quâ ſciri poſſunt per aſtra; verum eſt quòd his non obſtantibus, contra ſupradictos poſſunt in foro externo Doctores Inquiſitores procedere. Vide etiam circa præſentem quæſtionem Filliuc. tom.2.tract.24.c.4.n.84.

## *An Aduocatus teneatur de culpa leui.*

### Resolvt. LIX.

AFfirmatiuè reſpondet Villalobos in ſum.tom.2. tr.10. diffic.1.n.10. Ioan. Valerus in differentiis vtriuſque fori, ver.damnum, differ.1.n.7. Ledeſma in ſumm.p.2.tr.8. cap. 36.concl.3. Salon. in 2.2.tom.1.q.71.art. 2. controu. vnica, concl.2. Rebell.p.2.lib.1. q.10. n.7. Molina tom.3. tract. 2. diſp.730.n.2. Sayrus in Claui Regia, lib.10.tr.2.c.8.n.11. Reginald. in prax. tom.1.lib.10.c.9.ſect.3.n.90. Nauarr. de reſt. lib.3.cap.3.n.3. Bannez in 2.2.q.71.art.4.dub.2. concl. 2. & Io. de la Cruz in direct.conſc.p.1.præc.8.art.5.dub.19. concl. 3. vbi ſic aſſerit: Ex dictis patet, peccare mortaliter Aduocatum paratum admittere plures cauſas, etiam iuſtas, cùm exponat ſe periculo morali, committendi culpas leues, ob plura negotia. Ita ille.

Sed ſi hæc ſententia eſſet tenenda, væ, væ Aduocatis, & ideo contrariam opinionem non minus probabilem eſſe exiſtimo, quam tuentur, Leſſius lib.2. c.7. dub.7.n.31. & 32. Azorius p.3 lib.13.c.29.dub.5. Malderus in 2.2.tr.6.c.3. dub.10. Fernandez in exam.Theol.mor.lib.4.q.44.n.2. Graſſius dec.p.1.lib.3.c.8.n.4. Nauarr. in man.c.25.n.28. Rodriquez in ſum.tom.1.c.6.n.6. Ortiz in ſum.c.8.n.3. Turrianus tom.2.in 2.2.diſp.11.dub.4.n.4.& 5.& alij. Dico igitur, neminem teneri in foro conſcientiæ ex culpa leui, vel leuiſſima in officio, ſed ſolùm ex graui; quia nemo tenetur in officio, vel artificio eſſe prudentior, & diligentior, quàm paſſim homines eiuſdem conditionis eſſe ſolent, & ideo Aduocatus non tenetur eſſe diligentior, aut prudentior, quàm paſſim boni Aduocati eſſe ſolent. Vnde ſi contingat cauſam amittere, eo quòd non præſtitit, quod doctiſſimus, & diligentiſſimus præſtitiſſet, tamen ſi bona fide præſtitit, quod ſolent diligentes, & docti in ſimilibus cauſis, non tenetur ad reſtitutionem. Ita Leſſius vbi ſupr.

## *Quid facere debeat Confeſſarius, qui malè abſoluit pœnitentem de aliquo caſu reſeruato, non habens iuriſdictionem,*

### Resolvt. LX.

HIc caſus in praxi poteſt frequenter accidere, & communiter reſpondent Theologi, quòd debet petere iuriſdictionem à Superiori, & poſtea ſi non adeſt ſcandalum, monere pœnitentem ad iterum confitendum, vel ſi pœnitens inſcius veniat ad ſecundam confeſſionem, petat Confeſſarius ab eo, an doleat etiam de peccatis præcedente confeſſione dictis, & cupiat, ſi qua ratione neceſſe ſit, etiam ab iis abſolui: & ſi dicat, quòd ſic, illum abſoluat; nihil de defectu primę confeſſionis dicendo. Vide Coninch. de Sacr.diſp.8.dub.17.n.141.& 143. Nugn.tom.2. in addit. ad 3.p.q.8.art.3. Floron.tr.de caſ.reſ.p.1.c.5.§.1. Poſſeuin. de offi. cur.c.7.n.64. Homobon.tr.de caſ.reſer.c.6.n.5. Conr. in reſp.caſ.conſc.p.1.q.18. Nauarr. in man.c.16.n.14. Syl. in addit.ad.3.part.q.8.art.4. quæritur 8.concl.1.& 2.& alij communiter. Sed his nõ obſtantibus, inuenio Ioan. Valerum in differentiis vtriuſque fori, ver.pœnitentia, differ.9.n.2. in fi. cũ aliquibus docere, in tali caſu, cùm pœnitens eſt ignarus, nihil à Confeſſario faciendũ eſſe, nec à ſuperiore licentiam abſoluendi impetrandam eſſe, ex arg. cap. quia circa, de cõſang.& affin. quia taliter abſolutus eſt ab omnibus; ſcilicet directè à nõ reſeruatis, & indirectè à reſeruatis per infu-

ſionem gratiæ. Ergo, &c. Ita ille, & citat Cordubam, & Henriquez. Sed tu tene communem ſententiam, quæ quidem, vt diximus, procedit, quando Confeſſarius poteſt ſine ſcandalo admonere pœnitentem; quando verò ſcandalum adſit, vel non adſit, remittitur arbitrio prudentis Confeſſarij. Non reticebo tamen, quod Philippus Faber Lector S.Theol. in Academia Patauina, difficile putat in tali caſu re vera non adeſſe ſcandalum. Ita ille in diſp. de pœnit. in 4. ſent. diſt. 19. q. vnica, diſp. 33. cap. 3. num. 18.

*An ad Prælaturas regulares Generalis teneatur eligere digniores?*

RESOLVT. LXI.

AFfirmatiuam ſententiam docent communiter Fernandez in inſtr. confeſſ. part. 2. cap. 4. n. 11. Nauarr. lib. 2. cap. 2. n. 159. Rebell. p. 1. lib. 3. quæſt. 4. concl. 5. & Portel in dub. reg. verb. electio, n. 6. vbi ſic ait: Regulares etiam tenentur ad officia eligere digniores: ſunt enim Prælaturæ regulares, & cætera officia, beneficia Eccleſiaſtica: & proinde etiam in illis militat ratio naturalis, & diſpoſitio iuris, vt eligatur dignior. Idem etiam docet Turrian. tom. 2. in 2. 2. diſp. 2. dub. 4. n. 1. vbi quærit, an Religioſi in ſuis electionibus teneantur eligere digniorem; & ita reſpondet. Eſt obligatio eligendi digniorem, conſiderata qualitate officij, & conſtitutionibus Religionis cuiuſlibet. Quòd ſi ad ſolum Generalem Religionis pertineat eligere ſuperiores, ipſe obligabitur ad eligendum digniorem, vel æquè dignum, poſt ſufficientem, & exactam diligentiam, circa cognitionem perſonarum. Ita Turrianus.

Sed his non obſtantibus, Ioan. Valerus in differentiis vtriuſque fori, ver. electio, differ. 1. n. 1 ponit aliquas cauſas excuſantes à peccato eligentes minus dignum, dummodo ſit dignus; vt cùm eligitur (ait ille) Prælatus regularis non habens ex electione beneficium, ſed tantùm onus, & officium, vt ſunt noſtri Prioratus, & Prioratus Dominicanorum, & ſimiles. Ita ſingulariter Caiet. ver. electio Prælat. Et facit Concil. Trident. ſeſſ. 7. cap. 3. vbi ſufficit eligere dignum ad curata inferiora. Vnde quod dicitur ſeſſ. 24. cap. 1. intelligitur de electione Epiſcoporum, & aliorum ſuperiorum. Ita Valerus. Et quod mirum eſt, Filliuc. Soc. Ieſu tom. 3. tract. 41. c. 4. n. 187. aſſerit abſolutè, eſſe probabilem illam ſententiam, quæ aſſerit ſufficere in qualibet electione eligere dignum, prætermiſſo digniori. Sed an hæc opinio ſit probabilis, remitto me iudicio aliorum, nam eſt contra communem, vt notat Barboſ. in collect. tom. 1. lib. 1. tit. 6. cap. 9. n. 4. qui citat 33. Doctores. Ad authoritatem verò Concil. Trid. ſeſſ. 7. cap. 3. quam adducit Valerius, & Filliucius, reſpondeo, quòd Concilium requirit, vt beneficia conferantur dignis, non vt collatio ſit ſine peccato, ſed vt non ſit irritanda in foro externo, vt patet ex verbis ſequentibus, aliter facta collatio omninò irritetur. Et eodem modo intelligi poſſunt quidam Canoniſtæ, vt Petrus Tholoſanus in partit. iur. can. lib. 1. tit. 29. cap. 1. n. 1. & alij, dum dicunt ſufficere, vt eligatur idoneus; & ſic ex Couarr. reſpondent ad authoritatem Concilij, Leſſius lib. 2. cap. 34. dub. 14. n. 69. & alij. Nec facit pro Filliucio & Valero cap. cùm nobis de elect. & electus poteſt, quatenus habet litteraturam non eminentem, ſed ſolùm conuenientem, ſufficere; nam, vt olim reſpondebam cuidam viro docto; electus in illo Canone erat Subdiaconus Pontificis, & cum competenti litteratura habebat curialitatem antiquam; ideò ob experientiam benè regendi, quam acquiſiuiſſe præſumitur, diu viuens in Curia poterat præferri digniori. Et ita explicat hunc Canonem Alexander Raudenſis dec. 66. caſ. 17. & ita declaraſſe Leonem X. refert Aloyſ. Ricc. in ſuis collectan. p. 4. collect. 931. & alij.

*An quis teneatur alloqui, ſalutare, reſalutare, & familiaritatem cum inimico habere, vel alia ſigna amicitiæ ei oſtendere, ſi ipſe hæc omnia procuret.*

RESOLVT. LXII.

CIrca præſentem quæſtionem, vide Malder. in 2. 2. q. 25. art. 9. Azor. p. 2. lib. 12. cap. 3. q. 5. & ſeq. Coninch. de fide, ſpe, & charitate, diſp. 24. dub. 6. n. 89. & ſeq. Valent. tom. 3. diſp. 3. q. 3. punct. 2. Bannez in 2. 2. q. 25. art 9. dub. 3. Nauarr. cap. 14. n. 15. Layman in Theol. mor. lib. 2. tr. 3. cap. 4. n. 2. Syluium in 2. 2. q. 25. art. 9. concl. 2. Reginald. tom. 2. lib. 17. cap. 12. ſect. 2. n. 123. & ſeq. Filliuc. tom. 2. tr. 28. c. 1. n. 19. Fernandez in exam. Theol. mor. p. 1. c. 3. §. 7. n. 1. Villalobos in ſum. tom. 2. tract. 3. diffic. 6. num. 4. Homobon. de exam. Eccl. p. 1. t. 6. cap. 25. q. 114. Molfeſium in ſum. tom. 1. tract. 11. c. 5. n. 33. Ledeſmam in ſumm. tom. 2. tract. 3. cap. 2. concl. 5. Ioan. de la Cruz in direct. conſc. part. 1. prac. 1. art. 3. dub. 1. Tanner. in 2. 2. diſp. 2. q. 3. dub. 1. n. 12. & tandem doctiſſimum Lorca in 2. 2. q. 25. art. 6. ſect. 3. diſp. 23. memb. 3. n. 28. vbi loquens, præſertim de ſalutatione, & alloquutione, ſic aſſerit. Hæc eodem modo debentur inimico, quo aliis Videndum ergo erit qualiter hominibus debita ſunt. Dicendum eſt primò, alloquutio, & conuerſatio non ſunt de generalibus ſignis dilectionis, quæ omnibus hominibus debentur, ſed de ſpecialibus: ſunt tamen de generalibus inter valdè coniunctos; & ideò non debentur, niſi coniunctis. Secundò, ſalutatio anticipata nihil debetur, niſi quibuſdam perſonis dignitate præcellentibus honoris causâ. Tertiò, reſalutatio, & reſponſio omnibus hominibus debita eſt virtute affabilitatis, præſertim conciuibus. Quartò, omiſſio alloquutionis, & ſalutationis, etiam quando debita eſt, non eſt regulariter peccatum mortale: nam opponitur affabilitati, quæ non eſt tantæ obligationis, niſi fortè ex circunſtantia perſonæ, & aliis cederet in magnam iniuriam, vel propter ſcandalum, quod rarò fit, & prudentis arbitrio diſcerni oportet. Ita Lorca, ex quibus n. 30. infert, non eſſe certum peccare mortaliter eum, qui occurrentibus pluribus, inter quos eſt inimicus, ſalutat omnes, excepto inimico. Primò, quia, vt dictum eſt, omiſſio ſalutationis, etiam debitæ, regulariter non eſt peccatum mortale. Secundò quia poteſt id facere, non in odium, & repulſam inimici; ſed in ſignificationem proprij grauaminis, & iniuriæ. Hæc Loca, licèt non approbentur à Filliucio, Syluio, & aliis vbi ſuprà, præſertim quando priùs inimicus ſalutauit. Non reticebo etiam Valer. in differentiis vtriuſque fori, ver. remiſſio, differ. 2. n. 4. aſſerere, negationem alloquutionis, & ſalutationis propter aliquam inimicitiam, non eſſe ſcandaloſam inter perſonas, de quibus non eſt dubitandum, nec ambigendum, vtrùm ſint animo in aliquem maleuolentia ſuffuſo, vt inter patrem, & filium; inter Prælatum, & ſubditum; & inter Religioſos, qui quotidie celebrant, & ſunt exemplares; ſed hoc vltimum aliquibus diſplicet. Vide etiam circa præſentem quæſtionem Zanard. in direct. confeſſ. p. 2. prac. 1. c. 17.

*An teſtis teneatur reſpondere, ſi Iudex interroget, quando crimen eſt notorium, & publicum, ſed ignoratur auctor ipſius.*

RESOLVT. LXIII.

FVit, v. gr. homo mortuus inuentus in vico, vel domus aliqua furto deprædata, & ſpoliata, Iudex ad euitandum ſcandalum, & propter bonum commune, vult recipere de vicinis informationes de ipſo negotio, & caſu. Quæritur, an ipſi ſi ſciunt auctorem delicti, teneantur interrogati reſpondere. Aliqui ſentiunt, Iudicem in tali caſu non poſſe inquirere, neque interrogare, & peccare aliter faciendo. Ita Caiet. in 2. 2. quæſt. 69. art. 2. Sotus de tegend. ſecr. memb. 2. quæſt. 6. concl. 1. & de iuſt. lib. 5. quæſt. 2.



quæſt. [illegible] art. 2. & ex veteribus Palud. in 4. diſt. 19. & Adrian. quodlib. 111. quia tunc procedendum eſt per inquiſitionem, quando de auctore eſt fama, vel indicia, cap. cum oporteat, de accuſ. cap. inquiſitionis, & cap. qualiter, & quando, eod. tit. Hæc opinio eſt probabilis. Sed contrariam probabiliorem meritò docent Doctores vbi infra, quibus adde Malder. in 2. 2. tract. 6. c. 1. dub. 18. Villalob. in ſum. tom. 2. tract 14. diffic. 7. num. 2. Valent. tom. 3 diſp. 5. q 14. punct. 1. Bannez in 2. 2. quæſt. 70. art. 1. dub. 2. & alij penes ipſos. Et ratio eſt propter magnam vtilitatem boni communis, aliàs ſæpè manerent impunita crimina, non ſine ſcandalo ſubditorum. Et licèt aliquando hoc, vel illud crimen immediatè non ſit contra bonum commune, tamen plura crimina impunita manere, non poſſet non eſſe, & cum ſcandalo, & contra commune bonum; & Canones in contrarium adducti loquuntur de inquiſitione ſpeciali, qua inquiritur de Petro, vel Paulo, non autem de ea, qua in genere quæritur, quis fecerit. His ſuppoſitis, difficultas eſt, an in tali caſu teſtis qui ſcit authorem delicti, teneatur illum manifeſtare Iudici interroganti in genere. Affirmatiuè reſpondent Aragon. in 2. 2. quæſt. 69. art. 2. dub. vlt. & ex neotericis mordicus docent hanc ſententiam Ioan. Valer. in differentiis vtriuſque fori, ver. inquiſitio, n. 9. Miranda de ordine iudiciario, tom. 1. q. 6. art. 6. concl. 3. & alij: quia cùm Iudex in propoſito caſu ius habeat procedendi propter bonum commune conſeruandum, & teſtes interrogandi, manifeſtè ſequitur quòd teneantur & ipſi propter idem bonum commune conſeruandum illi veritatem dicere, & occultum reum reuelare. Sed contrariam ſententiam docent communiter neoterici, vt Turrian. [illegible] 2. [illegible] 2. diſp. 50. dub. 5. n. 9. Filliucius tom. 2. tract. 40. [illegible] 6. [illegible] 85. Leſſius lib. 2. c. 29. dub. 14. n. 118. Bonac. de legib. diſp. 10. q. 2. punct. 5. n. 14. Nauar. de reſtit. lib. 2. cap. [illegible] 167. Salon. de iuſt. in 2. 2. tom. 1. q. 69. art. 2. contr. 7. & alij, & præter alias rationes, quas adducunt præfati Doctores, probatur hæc opinio, quia quando dubium eſt, an Iudex iuridicè interroget, & probabilis ſententia aſſerit, ipſum non interrogare iuridicè; ac proinde, quod idem eſt, ipſum non eſſe iudicem; in eo caſu, ſubditus non debet obedire, quia poteſt amplecti probabilem opinionem, quæ affirmat, Iudicem non eſſe ſuperiorem in eo caſu; vnde ſequitur in caſu noſtro poſſe teſtem vel manifeſtare, vel occultare veritatem, ſi ſciat vtramque opinionem eſſe probabilem, vt re vera eſt. Ita Turrianus, qui reprobat rationem Petri à Nauarra, nempe in hoc caſu Iudicem habere ius interrogandi, & reum non reſpondendi, ita vt detur bellum ex vtraque parte iuſtum; ſed hanc rationem defendit Filliuc. vbi ſuprà. Quicquid verò ſit de hoc, apparet me in facti contingentia, rectè olim conſuluiſſe, teſtem non teneri in tali caſu ad interrogata reſpondere, licèt aliqui tunc in contrarium ſentiebant trepidantes timore, vbi non erat timor.

*De quibuſdam dubiis circa vſum matrimonij.*

RESOLVT. LXIV.

QVidam in modo extraordinario coeundi cum vxore, aliquam ſeminis quantitatem extra vas emittebat, & procreandorum liberorum pertæſus, in fine copulæ extra vas totum ſemen effundebat, quæſitum à me fuit, an in his caſibus vxor ſine culpa poterat debitum reddere? Hi caſus poſſunt in praxi ſæpiùs occurrere; ideo ignoſcant pudicæ aures. Et ad vtrumque caſum reſpondeo affirmatiuè. Ad primum dico, non ſolùm quoad vxorem, ſed etiam quoad maritum, non eſſe peccatum mortale, ſi eo copulæ modo aliqua pars ſeminis elabatur, dũmodo retineatur alia; nam vt docent Medici, non retinetur in matrice tota ſeminis quantitas. Ergo. Neque rurſus eſſe peccatum mortale exiſtimo, quamuis & eo modo concumbendi non ita certum ſit fore conceptum, non enim coniuges tenentur vti medio certiori ad prolem ſuſcipiendam; ſed ſatis eſt, ſi vtantur conuenienti. Et hæc omnia docet Baſil. Pontius de matrim. lib. 10. c. 11. n. 3. qui etiam n. 8. affirmatiuè quoad vxorem reſpondet ad dubium ſecundum ſuprà poſitum, licèt aliqui viri doctiſſimi, vt ipſe ait, contrarium ſentirent. Dico igitur peccare quidem mortaliter virum, & feminam, ſi de eius conſenſu id efficiatur; at ſi illa non conſentiat, licitè exiſtimo poſſe petere, & reddere debitum à marito, etiamſi ille in fine copulæ ſemen extra vas effundat. Et ratio eſt, quia quoties peto actum ab aliquo, quem ille poteſt benè, vel malè præſtare, non pecco; neque præbeo cauſam peccati; alter enim ſuâ malitiâ malè facit, cùm rectè poſſit efficere. Sed hoc totum procedit in caſu noſtro. Ergo. Et ſi vera eſſet contraria ſententia, aſſerit Pontius, non ſolùm non poſſet vxor marito, ita prauè affecto, reddere petenti, ſed neque ab eo petere; eadem militat ratio.

*An Princeps poſſit concedere licentiam, vt aliquis domum exponat ludo?*

RESOLVT. LXV.

SVppono contra Scacc. tr. de commerc. §. 1. q. 1. n. 104. ludum alearum, & taxillorum de iure naturæ non eſſe prohibitum, eſt enim res indifferens, neque per ſe deſtinata ad vſum prauæ actionis. Ita Molin. de iuſt. tract. 2. diſp. 510. & Steph Coſta tract. de ludo, art. 4. n. 5. & alij.

Suppono ſecundò, contra Comitolum lib. 3. reſol. mor. q. 10. leges ciuiles prohibentes ludum taxillorum, & alearum eſſe contraria conſuetudine abrogatas. Ita Regius in ſuis reſol. caſu 23. num. 2. Homobon. de exam. Eccl. part. 2. tract. 9. cap. 24. quæſt. 23. Salas tract. de ludo, dub. 3. n. 5. Leſſius lib. 2. cap 26. dub. 1. & alij. Vnde ita ludentes, ex vi ſupradictarum legum, ſecluſis aliis circunſtantiis, puto neque peccare venialiter, vt docet Filliuc. tom. 2. tract. 37. cap. 4. n. 58. & alij penes ipſum.

His ita conſtitutis quæritur, an habentes expoſitas domos ad ludendum peccent mortaliter? Negatiuam ſententiam amplexus eſt quidam Vincentius Iuſtinianus ex Dominicana familia apud Lopez vbi ſupra, nam ex authoritate D.Thom. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 4. & exemplis adductis poſt Sanch. & Bonac tract. de legib. diſp. 2. q. 4. punct. 2. §. vn. licitũ eſt miniſtrare, & vendere res indifferentes, etiã cum cognitione praui abuſus. Sed ludus taxillorum eſt indifferens, nec per ſe determinatus ad vſum prauæ actionis; ergo præbere taxillos ludentibus, non erit peccatũ mortale, etiamſi ludendo blaſphement, & rixentur; & ideo Iuſtinianus pro ſua firmanda ſententia, adducebat licitũ eſſe vendere ornamenta meretrici, ſeu domum locare. Ergo. His tamen minimè ſuffragantibus, puto contrariam ſententiam tenendam eſſe. Dico igitur, quòd illicitum eſt miniſtrare res indifferentes, quando in tali tempore & loco moraliter quaſi ſemper deſtinantur ad prauum vſum, ſed hoc euenit in caſu noſtro. Ergo, &c. Maiorem propoſitionem docet P.Suar. tract. de charitate, diſp 10. ſect. 4. n. 2. & 6. P.Coninch. de act. ſupernat. diſp. 18. dub. 13. n 217. & alij. Ratio eſt, quia tunc talia præbere, eſſet præbere moraliter occaſionem peccandi, & moraliter loquendo eſſet ſcandalum cooperationis. Minorem propoſitionem docet lacrymabilis experientia; nam talis ludus in tali tempore, & loco ſemper moraliter deſtinatur ad prauum vſum; nam, vel ibi ludunt minores, vel blaſphematur, vel rixæ excitantur, vel dilapidantur bona, vel furta committuntur, vel adſunt periuria, vel vxorum ornamenta amittuntur, vel pro vili pretio venduntur, &c. Vnde dixit P. Sanch. in opere morali, tom. 1 lib. 1. c. 7. num. 391. quòd talis ludus rariſſimè abſque peccato mortali exerceretur, quare ex naturali lege oritur obligatio non miniſtrandi hanc materiam ita ludentibus. Sic Sanch. Et ideo in terminis noſtram ſententiam amplexi ſunt Gabr. in 4. diſt. 13. q. 13. dub. 6 Sylu. ver ludus, quæſt. 15 Nauarr. in man. c. 19. num. 15. Comitol. lib. 1. q. 7. Zanard. in direct. Theol. part. 2. prac. 3. c. 28. Ioan. de la Cruz in direct. conſc. part. 1. precept. 7. art. 5. dub. 13. concl. 4. in fin.

Pirigian.

Pitigian. *in 4. ſen. tom. 2. diſt. 25. quæſt. 2. art. 5. verſ. dico nonò.* Lopez *in inſtr. p. 2. c.* 32. Valent. *tom. 2. diſp. 5. q. 6. punct.* 5. §. 2. Molina *de iuſtitia, tract. 2. diſp.* 516. *n.* 5. Iacob. de Graff. *in dec. p. 1. lib. 2. cap. 122. num.* 17. & 19. Barth. à S. Fauſto *in ſpeculo confeſſ. diſp.* 32. *quæſt.* 28. Rebell. *de oblig. iuſt. part. 2. lib. 12. q. vlt. num.* 5. Ant. de Litteratis *in ſumm. p. 2. cap. 62. num.* 15. Conrad. *in reſp. caſ. conſ. p. 1. q.* 195. Alph. de Vega *in ſumm. tom. 2. cap.* 13. *caſ.* 11. Iterum Graff. *in pract. de caſ. reſer. lib. 1. cap.* 20. *n.* 9. & nouiſſimè Pet. Belloch. *in praxi moralis Theologia, p. 2. q. 4. à num.* 492. *vſque ad num.* 504. vbi ſic ait. Ludus ſuprà dictus, eſt ſeminarium omnium ferè peccatorum, & malorum, quorum viginti vnum enumerat D. Antonin. *p. 2. tit. 1. cap.* 23. §. 6. ſexdecim refert Hoſtienſ. *in ſum. tit. de except. priuat.* & duodecim recenſet D. Bernardus *in tom. 4. ſerm.* 33. & reuera, quid eſt barattària, niſi beccharia, in qua per blaſphemias, fruſtatim illius cæduntur membra, qui proprio ſanguine nos redemit, ac dulciſſimæ Matris eius, omniumque Sanctorum? Cùm ergo omnia ſuprà dicta eſſe vera, ſatis experientia manifeſtet; ideo Epiſcoporum, & Dominorum ſæcularium omnino officium eſt cauſſam tantorum malorum excidere, ludos huiuſmodi chartarum, & taxillorum prohibere, ludentes acriter punire, barattarias exterminare, taxillos, ac cæterorum inſtrumenta ludorum, & illa, ac domum ad ludendum condemnare, cùm omnium prædictorum ſcelerum, & malorum apud Deum iuſtiſſimum iudicem habeant reddere rationem, ſi noluerint, vel negligentes fuerint, cùm potuerint obuiare, cùm non careant ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinunt obuiare, *c. ſi. ſcut dignum* §. 1. *de homicid. & c. error, diſt.* 83. vbi dicitur, negligere quippe cùm poſſis, deturbare peruerſos, nihil aliud eſt quàm fouere. Rogo ergo, atque rogo in viſceribus Ieſu Chriſti omnes Principes Chriſtianos, vt omninò hanc contagioſam peſtem penitus à ſuis locis tollant, prohibendo ſub grauiſſimis pœnis, ne de cætero amplius domum, ſeu barattariam ad ludendum expoſitam teneant, ſeu quidpiam habeant. Ita Bellochius *vbi ſuprà.*

Ex quibus omnibus infertur, Primò, exponentes domum ſupradicto ludo, non ſolùm peccare mortaliter, ſed etiam, ſi principales luſores tenentur ad reſtitutionem, & non reſtituant, teneri ipſos reſtituere. Ita Ioannes de la Cruz *in direct. conſcient. part. 1. præcept. 7. art. 5. dub.* 13. *conc. 4. in fine.* Naldus *in ſumma, verbo, ludus, num.* 6. Ortiz *in ſumma, cap.* 18. *num.* 17. Bellochius *vbi ſuprà, in praxi de caſ. reſeru. part. 2. quæſt. 4. num.* 466. Pitigianus *in 4. ſent. tom. 2. diſt.* 15. *quæſt. 2. art. 5. ver. dico decimò*, Lopez *in inſtruct. part. 2. cap.* 32. *&. am ſcitu.* Iacobus de Graffiis *part. 1. lib. 2. cap.* 122. *num.* 19 & alij.

Secundò infertur contra Molfeſium *in ſumm. tom. 2. tract.* 12. *c.* 21. *n.* 40. Principes non poſſe præbere facultatem & licentiam exponendi domum ludo. Et ratio eſt manifeſta, nam Princeps non poteſt dare facultatem & licentiam peccandi mortaliter, ſed ſi quis exponeret domum ad ita ludendum, peccaret mortaliter, vt ex communi ſententia Doctorum ſuprà probatum eſt; ergo Principes non poſſunt ſupradictum ludum per facultatem & licentiam poſitiuam concedere. Imo, neque poſſunt hoc permittere, ſed tenentur poſitiuè ſub onere peccati mortalis talem ludum prohibere, & exponentes dictam domum punire, vt docet Bellochius *vbi ſuprà*, & Alcozer *de ludo c.* 15. cum Iacobo de Graffiis *loco citato*, & aliis. Ratio eſt clara, quia Principes ex officio tenentur, ſub pœna peccati mortalis, impedire mala, quæ extant in Republica; ſed talis ludus modo ſupradicto eſt ſentina omnium malorum. Ergo, &c. Nec valet dicere, quòd Princeps poteſt permittere ludum, in quo aliqui deſtinantur triremibus, vulgò dictum, *dili bonauoglia*, & ludum militum, vulgò dictum, *del corpo di guardia.* Nam reſpondetur in ſupradictis ludis impediri maius malum, quod eſt abundantia malorum hominum in ciuitate, & ita optimum eſt illos ad ſeruitium Regis deſtinare, & milites non ludendo per vicos, & plateas ciuitatis circuirent perpetrando maiora mala, vel per otium machinarentur aliquid contra Regem, vel quid ſimile, quæ omnia non militant, dum aliqua domus exponitur ciuibus ad ludendum.

Reſtat modò reſpondere ad argumentum contrariæ ſententiæ. Dico igitur, tunc eſſe licitum miniſtrare res indifferentes, quando in tali loco & tempore moraliter quaſi ſemper non deputarentur ad vſum prauum, quod vt diximus, non accidit in caſu noſtro. Vel reſpondeo cum Lorca *in 2. 2. q. 10. art.* 9. tunc licitum eſſe miniſtrare indifferētia, cum cognitione praui vſus, quando non miniſtrantur in ipſo exercitio, aut exercitium paranti: ſecus autem ſi miniſtrarentur exercenti actu prauam actionem, vt accidit in caſu noſtro, nam miniſtrantur taxilli, candelæ, &c. actu ludentibus, blaſphemando, rixando, &c. Et ratio eſt, quia dictæ res indifferentes tunc, vel non poſſunt hoc modo dari ſine expreſſa intentione mali euentus, vel ex circunſtanciis efficiuntur cauſa per ſe, hìc & nunc illius effectus praui. Ergo, &c. Vnde etiam patet reſponſio ad exempla, quæ pro ſua ſententia adducebat Iuſtinianus, nempè licitum eſſe locare domum, & vendere ornamenta meretrici, nam qui locat meretrici domum, non ita directè adiumento eſt illi ad peccatum, quia vſus domus non eſt ita proximè ordinatus ad malum finem, neque ita directè ſicut miniſtrare aleas, & menſam. Quia hoc perinde eſt, ac ſi quis ſubminiſtraret meretrici lectulum, vbi cum amaſio cubaret, quod nemo admittit. Et ita etiam dicendum eſt de vendentibus ornamenta, non enim ita directè adiumentum præſtant ad concubinatus crimen Si ſuſceptores luſorum in domum, qui inſtrumenta eis ad ludum ſubminiſtrant, aleas ſcilicet, & menſam, ad peccatum mortale ludi directè opem ferunt. Ergo, &c. Vnde patet ſupradictam opinionem Iuſtiniani, quam adducit & refellit Lopez, eſſe falſam, & contra communem ſententiam Doctorum, qui, vt ſuprà probatum eſt, omnes aſſerunt, ſupradictos ſuſceptores luſorum peccare mortaliter. Vnde ſequitur, non poſſe Principes licentiam præbere, vt aliqua domus ludo ſit expoſita: & ita ego olim à Sereniſſimo Principe Philiberto interrogatus conſului, & ita etiam tūc conſultus reſpondit Pater Ioſeph de Auguſtino Societatis Ieſu, vir literis, & probitate inſignis, ſatis quidem notus, ſed nunquam ſatis laudatus.

*Quonam tempore Senatores ciuitatum, & præcipuè huius vrbis Panormi, prouiſionem frumentorum facere debeant? & an poſtea dictum frumentum poſſint vilius populo vendere, quàm emerant?*

### Resolvt. LXVI.

IMplorato priùs auxilio B. Andreæ dictæ feliciſſimæ vrbis Patroni Reſpondeo ad primum, & ſuppono ea, quæ prudenter notauit politicus Bobadill. *tom. 1. lib. 3. c. 3. n.* 6. vbi ſic aſſerit. [Por ſel el pan mas principal de los mantenimientos del hombre, la abundancia del, ſuple la falta de los otros mantenimientos, pero la falta del no ſe ſuple con la abundancia dellos; y del bueno, ò mal gouierno del pan reſulta careſtia, o barato, en todas las demas coſas, por lo qual deue el Corregidor ſer muy cuidadoſo, en que ſu ciudad y prouincia eſte aſſaz proueyda, y baſtecida de trigo, y de pan cozido.] Hoc ſuppoſito conſtanter aſſero, Senatores huius vrbis debere in conſcientia eo tempore frumenta emere, quo vilius venduntur, vt ſæpiùs ſolet accidere tempore recollectionis, vel alio tempore, in quo viri prudentes conſideratis omnibus circunſtantiis id facere in vtilitatem Reipulicæ probabiliter exiſtimabunt. Probatur hæc propoſitio. Nam dicti Senatores ex iuſtitia & ratione officij tenentur in conſcientia tractare & agere rem ciuitatis vtiliter, ſed tempore recollectionis, vel paulo pòſt adeſt maior abundantia, & copia frumentorum, & vilius emuntur; ergo tunc tenentur illa emere, vel alio tempore, vt ſuprà. Vnde quia con-

trarium



trarium ſæpiùs efficitur à Senatoribus ſubſequentibus, poſteà longe carius emuntur cum magno diſpendio, & intereſſe populorum & ciuitatis.

Sed audiamus virum doctiſſimum de hac re diſſerentem: is eſt Michaël de Palatio *in ſua praxi de contractibus lib. 2. cap. 2 fol. mihi* 61. *col.* 1. & quia Codex rarus eſt, ponam eius verba per extenſum, itaque ſic aſſerit: Scito Rectores ciuitatis eſſe ſæpè culpandos, quippe cùm potuiſſent ſæpè frumenta colligere in horreum publicum, quando frumenta vilius valent, ſcilicet ſub collectione frugum, præſtolantur tempora cariora, cùm tamen teneantur prouidere Reipublicæ, minori impendio quo potuiſſent, cæterùm inertes ſunt frequenter in tanto negotio, quia non de ſua re, ſed de Reipublicæ negotio agitur. Ita Palatius, cui adiiciatur etiam Viliadiego *in inſtruct. politic. c.* 5. §. 17. *n.* 54. & Bobadill. *vbi ſuprà, num.* 42. vbi ſic ait, [El auer ſido el Agoſto fertil, no deue ſer cauſa al Corregidor, para deſcuydar en la prouiſion del trigo, porque antes en el tiempo de la abundancia ſe ha de hazer para el de eſterilidad, y por la comodidad del precio, que entonçes ay, y porque de la tierra fertil del ordinario ſuele haber ſaca, &c.] Quæ quidem vltima verba valde notanda ſunt. Nam ſæpiùs accidit Senatores, propter optimam recollectionem, non facere ſtatim frumentorum prouiſionem, ſed poſteà, cùm Regale Patrimonium concedat extractionem frumentorum, &, vt vulgò dicitur, *li tratti*, extra Regnum, cum magno intereſſe ſunt adſtricti emere frumenta non vilius, vt antè potuerant, ſed longè carius in damnum miſeræ plebis & ciuitatis. Ex quibus omnibus manifeſtè apparet, Senatores deſides circa prouiſionem frumentorum non ſine magno periculo, & onere conſcientiæ id efficere. Ideo exiſtimo neceſſarium eſſe huic malo quàm citiùs occurrere & prouidere; ex illo enim grauiſſimum Reipublicæ damnum oriri, experientia lacrymabilis quotidie nos docet. Vnde crederem pro bono ciuitatis, Prætores & Senatores in menſe Maij mutandos eſſe, nam ita vnuſquiſque (vt ſic loquar) rem ſuam ageret, & ita prouidè ac oculatim pro anno ſuæ gubernationis, victualium prouiſionem efficeret. Saluo ſemper, &c.

Ad ſecundum dubium reſpondeo negatiuè. Eſt enim peſſimus abuſus, & non ferendus, vendere, ſcilicet, frumenta vilius quàm emuntur, & hoc facientes, faciunt contra rationem, contra ius commune, contra ius particulare, contra mentem Regis, & contra Iuriſconſultorum & Theologorum ſententiam. Et primò faciunt contra rationem, nam cùm ciuitas noſtra non poſſideat redditus, neque bona aliqua, neſcio quo pacto poſſit vendere frumenta viliori pretio quàm emerat, vt poſtea ingenti ære alieno prematur. Nec valet dicere, quòd cùm ciuitas tale debitum in gratiam populi contraxerit, poſſit poſtea, quando vult, cum aliqua gabella illud ſoluere. Nam reſpondetur, cùm gabella ſit vniuerſalis, illam poſtea neceſſe eſt, vt ſoluat non ſolùm populus, ſed multi alij, qui tale beneficium non acceperunt, & ſic gabella eſſet iniuſta, quia vnus ſolueret pro alio; imò ex ipſo populo, aliqui minorem, aliqui maiorem ſummam ſoluerent, quàm antea ex vilitate dictæ venditionis frumentorum à ciuitate perceperant; quod etiam eſſet iniuſtum. Ergo, &c. Secundò, faciunt contra ius commune, nam ita habetur *in l. 3. ff. ad leg. Iuliam, de annon.* vbi textus ſic ait, Imperatores Antoninus & Pius reſponderunt minimè æquum eſſe Decuriones vilius præſtare frumenta ciuibus ſuis, quàm annona exigit: & gloſſa *ibi* adducit etiam *l. non debere. ff. ad municip. & l. Decuriones, ff. de adminiſt. rer. ad ciu. pertinent* Tertiò, faciunt contra ius particulare, nam *in cap.* 41. Ordinationum huius ciuitatis ſic habetur: [Si guarderanno li Pretori, e Giurati di vendere dette vittouaglie à manco prezzo di quel che le compraranno;] & in Ordinationibus impreſſis anno 1614. tempore Ducis Oſſunæ cap. 46. ſic habetur: [Accioche l'amminiſtratione di vittouaglie non habbia mai intereſſe alcuno, ne per queſta occaſione ſi habbia da imponere gabella con danno vniuerſale di ogni ſorte di perſone, ordiniamo, che ogni ſorte di vittouaglie, che comparanno li ſpettabili officiali per ſeruitio della Città, li debbano far vendere diſtintamente ſecondo la qualità loro, di maniera, che delle iſteſſe vittouaglie, ſe ne caui il prezzo di quanto ſi haueranno comprato, con aggregarci l'intereſſe della moneta, e tutte altre ſpeſſe per condurre, e conſeruare dette vittouaglie.] Quartò faciunt contra mentem Regis, ita enim præcepit ſapientiſſimus Philippus Secundus, vt teſtatur à Ponte *vbi infrà*, ſic aſſerens. Mandauit memorandus Rex Philippus II. per ſuas particulares litteras, etiam cum additione ſua propria manu ſcriptas à me informatus, dum Regentis officium exercebam in ſupremo Italiæ conſilio, omnino tolli abuſum emendi per ciuitatem Neapolis frumentum carè, & diſtribuendo vilius poſtea inter ciues. Sic ille. Quintò faciunt contra mentem Iuriſconſultorum, nam contra tale peſſimum factum inuehitur dictus celeberrimus Iuriſconſultus Io. Franc. à Ponte, qui tandem poſt tot dignitates in ſæculo obtentas, in noſtram Religionem ſe aſcripſit. Is *in tract. de poteſt. Proregum, tit. 2. §. 5. per tot.* clarè demonſtrat ruinam ciuitatis Neapolis ex hoc abuſu emanaſſe, quem ex multis rationibus deteſtatur: legatur quæſo dictus Author, qui ſolidè & doctè, vt ſemper ſolet, hanc materiam pertractat, & illius additionator, Ioannes Baptiſta de Thoro citat pro hac ſententia Bonifacium & Leſeum. Vide etiam doctiſſimum Ludouicum Mexiam *in pragm. taxæ panis, conclu. 4. n.* 30. Sextò, faciunt contra ſententiam Theologorum; & ita Turrian. *in 2. 2. tom. 2. diſp. 41 dub. 3. n...* ſupponit tanquam certum, ciuitates vendere frumentum eo pretio, quo emptum fuit. Et clarè hoc etiam docet Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. p. 1. præc. 7. q. 3. dub. 5. concl. 2. in fin.* & P. Salas *tract. de empt. dub. 6. num.* 3. non ſolùm hoc ſupponit, ſed etiam rectè addit, Rempublicam diuidere inter ciues expenſas, quas in tritico aduehendo, & ſeruando facit.

Imò Michaël de Palatio *vbi ſuprà lib. 2. c.* 1. aſſerit, quòd ſi aliqua Reſpublica tempore conſueto, ſolitam prouiſionem frumentorum maturè fecit, ſi poſtea ex aliquo accidenti vilius venderentur, poſſet in tali caſu nihilominus dicta frumenta carius vendere eo pretio quo emerat, inuitis ciuibus & popularibus, adiunctis etiam expēſis: & Rodriquez nouiſſimè *in ſumm. tom. 4. c.* 13. *num.* 3. ſic aſſerit. [Puede la Republica obligar à todos los mercadores ſuyos y de ſu diſtricto a gaſtar el trigo, conforme lo que coſtò, auiendole comprado, para que no huuieſſe falta en ella:] & ita accidiſſe in praxi, in quadam Hiſpaniæ ciuitate teſtatur ipſe Rodriquez, ſic conſulens Decurionibus illius vrbis, licèt frumentum ſubſequenti anno vilius venderetur, quàm anno ſuperiori fuerat ab illa Republica emptum; & ita etiam expreſsè docet Fauſt. *in ſpeculo Confeſſ. diſp. 6. q. 77. & 78.*

Ex quibus omnibus concludendum eſt, nullo modo ferendum eſſe abuſum vendendi, ſcilicet frumenta vilius, quàm fuerunt empta, & contrarium practicare, vt latè probatum eſt, contra omnem rationem erit. Itaque Illuſtriſſimi Senatores circa præſens dubium, habeant oculos ad Deum, ad Rempublicam, & ad rectam gubernationem, & non ad ſatisfactionem auræ popularis, vt loquitur à Ponte *vbi ſuprà.* Saluo ſemper meliori iudicio aliorum præſtantiſſimorum virorum, quibus hæc omnia, & meipſum humiliter ſubmitto.

Poſt hæc ſcripta, elapſo iam anno, Sereniſſimus Rex noſtram ſententiam per epiſtolam directam Excellentiſſimo Proregi Marchioni Tauaræ, ſeruandam eſſe ab omnibus ciuitatibus huius Regni determinauit; quam epiſtolam hìc per extenſum apponere non grauabor. Igitur eius verba hæc ſunt. [Ha ſe entendido, que el trigo, que compran las Ciudades de Palermo, y Meſſina, y otras deſte Reyno, ſe ſuele vender à mas buen precio, del que les ha coſtado, de que ſe les ſigue mucho interes, y daño, y porque

eſto

eſto es contra las ordenes, que eſtan dadas, y combiene al bien publico, y a mi ſeruicio à taſſar eſto para adelante, he querido encargaros, y mandaros, como los hago proueays, y deys orden que el trigo, que compraren las dichas Ciudades de Palermo, y Meſſina, y otras deſte Reyno, no ſe venda, ni pueda venderſe a menos precio, del que les huuiere coſtado, y que ſe obſeruen, y guarden las ordenes, que ay cerca deſto ſin diſpenſar à ellas, en ninguna manera, que tal es mi voluntad. De Madrid a veynte y tres de Enero 1627. Yo el Rey. ] Quæ quidem epiſtola fuit poſtea executoriata per ipſum Proregem, & Regale Patrimonium, die decimoſeptimo Aprilis, & à Senatu huius vrbis die decimonono eiuſdem menſis in eodem anno Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimoſeptimo, tempore quo erat Prætor Illuſtriſſimus Dominus Cæſar Caietanus Marchio Xiurtini, vir pro bono publico natus.

*De electionibus Officialium ritè faciendis, & præſertim ab illuſtriſsimo Senatu huius vrbis Panormitanæ.*

### Resòlvt. LXVII.

Sciendum eſt, quòd de iure communi conſtat ſpectare ad Senatores ciuitatis Officialium electionem. Sic obſeruarunt inter multos doctiſſimi Iuriſconſulti Azeued. & Matienzo *in leg. 1. lib. 5. tit. 18. recop.* cum Villadiego *in polit. c. 1. §. 17. n. 31.* Deinde ſciendum eſt etiam, quòd electio Officialium noſtræ ciuitatis ita practicatur: ex multis eliguntur tres per ſecreta ſuffragia, qui poſtea mittuntur in vrnam, & primus qui poſtea ſine fraude à deputata perſona ſumitur, is officium conſequitur. Quod autem hæc electio per ſortes ſit valida, vltra Doctores, quos citat & ſequitur Sanchez *vbi infrà lib. 2. c. 38. n. 58.* tenet Portel *in addit. ad dub. regul. verb. electio, n. 4.* & ſic Romæ olim (vt loquitur Tacitus) vrna, quid eſſet agendum, decernebat, vt & notauit eruditiſſimus Torrent. in illa verba Horat. *lib. 1. Ode 4.*

*Nec regna viri ſortiere talis.*

vbi ait: Sortiri Iudices & Magiſtratus dicebant Romani, cúmque Iudices qui Magiſtratus ac Prouinciarium Rectores futuri erant, ſorte eligebantur, quod etiam ex pluribus notauit eruditus Iuriſconſultus Turreblanca *in epitom. delict. ſed de magia, lib. 1. c. 2. n. 50.* & ad hunc morem alluſiſſe Virg. *6. Æneid.* in illis verbis:

*Quæſitor Minos vrnam mouet.*

putauit Beroaldus in Suet. *cap. 29. in vita Octauij Auguſti,* & tandem, ſic etiam olim fieri in noſtra Sicilia, ex Plutarcho obſeruat Delrius *in diſquiſ. mag. lib. 4. c. 4. q. 1.* His ſuppoſitis,

Dico primò, Senatores ante dictam electioñe præſtare iuramentum de bene eligendo, & ſic faciendum eſſe teſtatur Auendagno *de exequen. mand. c. 19. n. 14.* vnde ſi bene non eligunt, periuri efficiuntur. Nam vt notat Sanch. *in ſum. tom. 1. lib. 1. c. 13. n. 3.* & Portel *vbi ſup. ver. iuramentum, n. 20.* cum Maldero *in 2. 2. tr. 10. q. 6. dub. 9. concl. 4.* Iuramẽtum quod faciunt Rectores & Conſiliarij in Congregationibus, obligabit ad mortale, ſi materia ſit grauis. Hoc accidit in caſu noſtro, quia agitur de electione officiorum magni momenti in damnũ, ſeu vtilitatem Reipublicæ. Ergo, &c. Et ideo propter periculum tale iuramentum frangendi in multis partibus non præſtatur, vt obſeruat Bobadil. *in ſua polit. tom. 2 lib. 3. c. 8. n. 46.* his verbis: [ Aunque para juſtificacion de eligir los officios diſpone la ley, que juren los Regidores de hazer la elecion bien, y fielmente. Verdad es, que no ſe practica aſſi, por la euidente ſoſpecha de los perjurios que ſuceden de los incautos juramentos, mayormente, que de ordinario eſtas eleciones ſe hazen appaſionadamente. ] Faxit Deus hoc in noſtra ciuitate nunquam accidere. Sed quo pacto Senatores obſeruabunt iuramentum de bene eligendo? Reſpondeo, &

Dico ſecundò, vt ſupradicti Senatores bene eligant, & iuramentum obſeruent, aſſerunt multi debere ad dicta officia magni momenti eligere digniores. Sed dicet aliquis, durus eſt hic ſermo; durus quidem, ſed verus & communis inter Doctores, accipe paucos ex multis. Doctus Iuriſconſultus Auiles *in c. 17. prætorum, verb. eligant, num. 2.* De iure communi ad Conſilium ciuitatis ſpectat facere electionem Officialium, & talis electio debet fieri de magis idoneo. Ioan. Valer. *in differentiis vtriuſque fori, verb. electio, differ. 2. num. 3.* Quilibet Diſtributor, ſeu Collator munerum Reip. tenetur ea conferre dignioribus ſub pœna peccati mortalis. Bobadilla *in polit. tom. 2 lib. 3. c. 8. num. 45.* [ Toca a los Regidores la elecion de los officios, y deuen eligir los mas idoneos, eſpertos para ellos. ] Bannez *in 2. 2. quæſt. 63. art. 2. dub. 7.* Senatores infideles ſunt & iniuſti contra Rempublicam, & contra bonum eligendorum, ſi officia quæ diſtribuunt, ſuffragia omnium diſpenſent minus dignis, quia inter ipſos, & Rempublicam eſt pactum formale, vel virtuale de eligendo digniore. Ledeſma *in ſumm. 2. tom 2. tract. 7. cap. 2. diff. 5.* [ Quando la elecion de los officios ſe haze por votos y el que ha de ſer parte, ò Ciudadano de la Republica cuyos es el officio, es pecado mortal de aceptacion de perſonas no eligir el mas digno. El exemplo es, quando los Regidores eligen los Miniſtros de la Republica, eſto tienen communemente los diſcipulos de S. Thomas, y ſe confirma, porque aunque eſtos officios principalmente ſe inſtituyan por el bien publico, y por la publica neceſſidad. Pero ſecondariamente ſe ordenan al bien de los mimos Ciudadanos luego, quando ſe cumple con el bien comun, tambien ſe ha de tener atencion à la dignidad, y meritos de los Ciudadanos, y el modo de proceder por votos ſe declara, que ſe diſtribuye en los Ciudadanos, y partes de la Republica luego haſa de guardar la forma de la Iuſticia diſtributiua. ] Salon. *in 2. 2. tom. 7. quæſt. 63. art. 1. contr. 9. concluſ. 2.* Quando officia prouidentur per plura ſuffragia; ideo vult Reſpublica fieri electionem illam à pluribus, vt multorum iudiciis & rationibus propoſitis meliùs Reipublicæ conſulatur. Repugnat autem omnino huic fini, & ſcopo eligere dignum, relicto digniore; ergo id non licet. Leſſius *lib. 2. cap. 32. dub. 3. num. 17.* Mens Reipublicæ, & Principis eſt, vt officia conferantur digniſſimis, & cum tali onere permittit quædam conferri à ſupremis ſuis Officialibus, vel à Gubernatoribus oppidorum, vel à Præfectò militum in militia. Ergo hi omnes tenentur conferre maximè idoneis, alioquin peccant in re graui contra fidem, quam Principi & Reipublicæ debent. Ioan. Maderiaga *in tract. de Senatu, c. 42.* [En las eleciones, que los apuntamientos Conſiſtorios, o Conſejos hazen de los Officios, que los Ciudadanos acoſtumbran proueer, y diſtribuir entre ſi miſmos, es neceſſario guardar las reglas de la Iuſticia diſtributiua sò pena de pecado mortal, y anſi ſe han de proueer de ordinario en los mas dignos, y mas bien quiſtos, y menos codicioſos: ſi no es, que ſean officios de poca importancia. ] Pet. de Arag. *in 2. 2. q. 63. art. 2.* Si Reſpublica ad plura ſuffragia eligeret miniſtros, quilibet ſub peccato mortali teneretur ſuffragari digniori.

Docet etiam hanc ſententiam Innóc. *in c. cùm olim, de reſtit. n. 2.* & Platea *in l. bon. lib. 10. C. de ſuſceptor. n. 2. lib. 10.* cum aliis communiter. Ratio potiſſima eſt, quia hæc officia ſunt bona communia, quæ ordinantur in bonum Reipublicæ, & in dignitatem & honorem perſonæ; ergo diſpenſanda ſunt dignioribus. Probatur antecedens. Nam dicta officia inſtituta ſunt ad conſeruationem & gubernationem Reipublicæ, & fructuoſa ſunt, & honorifica. Ergo reſpondent meritis, tanquam præmia. Ex his apparet, vt notat Leſſius *vbi ſupra, n. 15.* quam peſſimè faciant illi Senatores, qui promouent eos tantùm, qui ſanguine, vel amicitia ipſis iuncti ſunt, vel munera obtulerunt, vt priuatis ipſorum intentionibus meliùs ſeruiant, præteritis aliis longè aptioribus. His tamen non obſtantibus,

Dico



Dico tertiò, aliquos aſſerere eſſe opinionem probabilem illam, quæ docet in officiis ſæcularibus ſufficere eligere dignum, relicto digniori. Ita Caietanus *in ſumm. ver. electio.* Vaſquez *opuſc. de benefic. c. 2. §. 5. dub. 13. n. 97.* cum Molfeſ. *in ſum. tom. 1. tr. 6. c. 6. n. 83.* & Homobon. *in exam. Eccleſ. par. 2. tract. 9. c. 4 q. 7.* Sed poſſet aliquis reſpondere, ſupradictos authores loqui in caſu, quo Princeps ſupremus officia diſpenſaret: ſecus autem ſi dicta officia diſpenſarent miniſtri inferiores, & maximè ſi hoc efficerent per ſecreta ſuffragia, vt eſt in caſu noſtro, & ita videtur ſentire Maderiaga *vbi ſuprà.* Vel reſpondetur, ſupradictam ſententiam eſſe contra communem opinionem Iuriſconſultorum & Theologorum, & præter DD. ſuprà citatos illi aduerſantur Gaugericus Hiſpanus *in ſummam Caietani, ver. electio, litera B,* Petr. de Ala *in tract. de decur. Chriſt. c. 16.* Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. part. 1. præc. 7. q. 7. art. 2. dub. 11. concl. 2.* Malder. *in 2. 2. tr. 1. c. 1. dub. 5.* Reginald. *tom. 2. lib. 25. cap. 3. n. 35. in fin.* Valent. *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 7. punct. 2. §. 5* Rebellius *part. 1. lib. 3. q. 4. n. 13.* Turrian. *in 2. 2. tom. 2. diſp. 23. dub. 1. n. 6.* Vega *in ſum. part. 1. c. 8. n. 4.* Sed quidquid ſit de probabilitate huius opinionis,

Dico quartò, Senatores eligentes indignos non ſolùm peccare mortaliter, ſed teneri ad reſarcienda damna ex tali electione ſequuta. Ita DD. citati, & Naldus *in ſumm. ver. eligere, num. 6.* Fernand. *in inſtruct. Confeſſ. part. 2. cap. 21. n. 5.* Couarr. *in reg. peccat. §. 7. n. 6.* cum Miranda *in manu. prel. tom. 2. q. 23. art. 13. concl. 2.* Sed ponam hic verba, quæ doctus Pet. Maderiaga *in citato lib. de ſenatu, cap. 42.* piè & ſolidè ſcripſit, [ Quantos deſtos pecados ſe beuen algunos pidiendo el officio, que no merecen, y los, que ruegan por ellos, y los que conſienten ſin acordarſe jamas de confeſſarlos, ni de reſtituir los daños, que aquel hizo a la Republica, que no faltara, que hazer con ellos, el dia del juyzio. ] Itaque Senatores peccabunt mortaliter, cum onere reſtitutionis, & erunt periuri eligentes indignos, non autem ad reſtitutionem tenerentur, nec peccarent mortaliter, ſecundùm opinionem Caietani, & Vaſquez *vbi ſuprà,* ſi eligerent dignos omiſſis dignioribus, ſecus ſecundùm aliam opinionem poſitam in dicto ſecundo. In altero etiam caſu peccabunt mortaliter, de quo dicemus in ſequenti dicto.

Dico quintò, electi ad ſupradicta officia poſtquam in pileo poſiti ſunt (vulgo dicitur *in birrett*) æqualiter, ſi aliquis ex Senatoribus vnum pro alio legat, vel aliquam chartulam ex tribus paulo grandiorem efficiat, vt illam faciliùs aliis in pileo relictis ſumat, is peccat mortaliter, propter iniuriam, quam fraudulenter infert aliis duobus in re graui. Nam, vt diximus, ſupradicta officia non ſolùm ordinantur ad vtilitatem Reipublicæ, ſed etiam ad vtilitatem & honorem ciuium; ſunt enim fructuoſa, & honorifica. Et ita in terminis docet Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 22. num. 16.* vbi ſic ait. Quartò poteſt hoc eſſe peccatum ex modo, vt ſi quis fraudibus vtatur in ſortibus, ſicut in ludo, tunc enim eſſet iniuſtitia. Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 2. cap. 38. num. 68.* ſic etiam aſſerit. Eſſet iniuſtitia miſſis ſortibus inter eos, qui non habent partem ad rem illam, vel ſi excluderentur aliqui habentes partem, quia in priori caſu æqua ſtatuetur conditio habentium ius impar, in poſteriori autem defraudarentur potientes æquali iure. Sic ille, quod antea docuerat Toletus *lib. 4. cap. 15. n. 2* cum Sayro *in Claui Regia, lib. 4. cap. 5. num. 20.* & poſtea docuit Martinus Bonacina *de leg. diſp. 3. quæſt. 5. punct. 3. num. 12.*

Scripſi hæc ad inſtantiam Vincentij Vanni Syndici meritiſſimi huius ciuitatis, viri integerrimi & amiciſſimi.
Faxit Deus, vt ſint profutura, ſi non ad electionem dignioris, vt probaui dicto ſecundo, ſaltem ad abominationem fraudis, de qua paulò ſuprà in dicto quinto.

* * *



# TRACTATVS XVI. & II. Miſcellaneus.

*An Confeſſarius, qui culpabiliter non obligauit pœnitentem ad reſtituendum, teneatur ipſe reſtituere?*

### Resolvt. I.

Didacvs Nugnus *in addit. ad 3. part. tom. 2. p. 8. art. 4. dub. 6. fol. mihi 275.* & Zanard. *in direct. Confeſſ. par. 2. pr. 7. cap. 26. dub. 3.* docent ſententiam affirmatiuam, ſic etiam docet Gabriel *in 4. diſt. 15. quæſt. 2. art. 3.* Syluester *ver. vſura, 7. quæſt. 2.* præter alios neotericos, quos citat Bonacina *vbi infra.* Et ratio eſt, quia tam Parochus, quàm alius Confeſſarius (nam gerit vices Parochi) tenetur ex officio docere pœnitentem neceſſaria. Ergo, cùm admonet pœnitentem reſtituere, non adimplet id quod debet. Ergo, ait Nugnus, tenetur ipſe ad reſtitutionem, quia non admonendo virtualiter dicit illum non teneri, atque adeò eſt cauſa moralis, vt pœnitens non reſtituat, & conſequenter eſt cauſa damni alterius tertij, & ideo ſi non eſt aliud remedium, ipſe tenebitur ad reſtitutionem, quia vere intulit damnum contra iuſtitiam, tacendo, quando loqui tenebatur.

Verùm contraria ſententia ſemper viſa eſt mihi probabilior, & ſæpiùs illã in praxi ſequutus ſum. Dico igitur nõ ſolùm Confeſſarios, ſed Prælatos & Parochos, quando ex ignorantia etiã vincibili non obligant pœnitentẽ ad reſtituendũ, ad nullam reſtitutionẽ teneri: nam officium, quod Confeſſario ex iuſtitia incũbit, ſolum eſt in ordine ad ſpiritualia, & negligens in officio, contra religionem peccat potius, quàm contra iuſtitiam. Et ita amplexi ſunt hanc ſententiam nouiſſime Martinus Bonacina *de reſt. diſp. 1. q. 2. punct. 11. num. 13.* & præter DD. quos ipſe citat, tenent etiam hanc opinionem Filliuc. *in qq. moral. tom. 1. tract. 7. cap. 2. n. 374.* Malderus *in 2. 2. tract. 5. c. 3. dub. 24.* Bartholomæus à S. Fauſto *in ſpeculo Confeſſar. diſt. 4. q. 121. n. 7. & 8.* Ægidius de Coninch *de Sacram. diſp. 8. dub. 16. n. 144.* & Rebellius *de oblig. iuſt. p. 2. lib. 17. q. vlt. n. 12. & p. 1. lib. 2. q. 14. ſect. 8. n. 65.* Hæc ſententia limitanda eſt, modò Confeſſarius non dicat pœnitenti obligato reſtituere, vt non reſtituat, vel faciat reſtituere, cùm non teneatur. Ita Suarez *in 3. part. tom. 4. diſp. 32. ſect. 6.* Rebellius, & alij.

Ad argumentum Nugni, patet ex dictis reſponſio. Nam Confeſſarius non tenetur ex officio temporalibus creditorum bonis proſpicere, cùm ab illis mercedem non accipiat, nec eorum gratia officium habeat, ſed ſolùm ad procurandum bonum pœnitentis. Vnde quamuis ipſi quidem pœnitenti teneatur Confeſſarius ex officio iniungere reſtitutionem, non tamen ad hoc tenetur obligatione iuſtitiæ, quam habet erga creditorem, ſed ex obligatione erga pœnitentem, qua tenetur ſaluti ſpirituali eius conſulere: quare ſi id negligat, peccabit quidem, ſed non tenebitur ad reſtitutionem.

*An Parochus teneatur audire confeſsionem ſubditi, quoties ille voluerit confiteri?*

### Resolvt. II.

Prima opinio eſt affirmatiua. Ita Bonac. *de Sacr. diſp. 5. quæſt. 7. punct. 4. §. 2. num. 23.* & præter DD. quos ipſe citat, docent etiam hanc ſententiam Ioan. Azorius *p. 1. lib. 2. cap. 17. q. 10.* Ægidius de Coninch *de Sacram. diſp. 8. dub. 17. num. 129.* & P. Molfeſius *in ſumma, tom. 1. tract. 7. capit. 22. num. 36.* qui omnes aſſerunt Parochum teneri,

vel per ſe, vel per alium confeſſiones ſubditorum audire, non ſolùm quando alter tenetur confiteri, ſed etiam aliàs, quoties id rationabiliter petit, ſiue ratione feſti occurrẽtis, aut indulgentiarum propoſitarum, ſiue quia tunc temporis (v.g. ſingulis menſibus, aut decimoquarto die) ſolet confiteri, aut quia habet aliqua peccata, quæ ipſius conſcientiam grauant, aut aliam ſimilem ob cauſam. Ratio eſt, quia ex officio tenetur ſuis ſubditis Sacramenta miniſtrare, & ſubditi habent ius petendi. Ergo, &c. Limitat hanc ſententiam Vaſquez *in 3.part.tom.4.q.93.art.3.dub.6.n.3.* quando tanta frequentia confeſſionis expediret ſaluti, & profectui ſpirituali ſubditi: ſunt enim qui ita frequenter confitentur, vt omnino ſit inutile, quia & confeſſionis virtus contemnitur, immo & aliquando expedit conſcientiæ ſubditi ceſſare à confeſſione propter ſcrupulorum perturbationem. Denique diligenter inſpiciendum eſt, quid vnicuique pœnitenti conueniat. Limitat ſecundò hanc ſententiam Didacus Nugnus *in addit.ad 3.part.tom.2.q.8.art.4.dub.3.* & excuſat Parochum à mortali peccato, qui ſemel, aut iterum denegat confeſſionem petenti rationabiliter.

Secunda opinio eſt negatiua, quam poſt Medinam *C. de Confeſſ.q.37.* Richard. *in 4.diſt.18.art.2.q.2.* Syluestrum *verb.Confeſſor,1.n.14.* Armil. *ver.abſol.n.28.* docet nouiſſimè ex neotericis Valerius Reginald. *in praxi, tom.1.lib.1.c.8.n.81.* vbi exiſtimat Curatum non teneri ſub pœna peccati mortalis audire ſubditorum confeſſiones extra caſum, quo confiteri tenetur, vel iure humano, vt ſemel in anno; vel iure diuino, vt in veriſimili mortis periculo; aut quoties tale remedium eis neceſſarium eſſe videtur, ad aliquod peccatum mortale vitandum. Et ratio eſt, quia aut tenetur Parochus audire confeſſiones ſubditorum ratione charitatis, aut ratione officij: non primum, quia teneretur audire etiam aliorum confeſſiones, qui non ſunt ipſius ſubditi; & cùm alius Sacerdos non peccet mortaliter contra charitatem, nolendo audire alicuius confeſſionem, neque peccabit Curatus. Nec etiam ratione paſtoralis officij mortaliter peccare contra iuſtitiam patet, quia officio ſuo ſatisfacit, ſi onera ſibi à iure, vel à ſuperiore impoſita compleat: ſed neque ius, neque ſuperior imponit Curato ſacramentum Pœnitentiæ miniſtrare ſubditis, niſi cùm neceſſarium eſt hos illud recipere. Ergo. Vnde quamuis Curato commiſſa ſit cura ſubditorum, tanquam patri filiorum ſpiritualium, tamen ſicut pater carnalis ſatisfacit ſuo officio, dando filiis neceſſaria, aliis abundantioribus denegatis: ita etiam Curatus ſuo muneri ſatisfacere iudicandus eſt, Sacramenta neceſſaria tunc miniſtrando ſubditis, cùm eorum ſuſcipiendorum neceſſitas vrget. Ergo, &c.

Tertia opinio eſt Io. Baptiſtæ Poſſeuini *de offic. Curati, c.5.q.7.* qui diſtinguendo aſſerit Curatum teneri dare Sacramenta toties, quoties petuntur ſub mortali, quando qui petit, eſt in Paſchate, aut morte. At ſi communicatur, vel confitetur ex deuotione, tunc teneri ſub mortali, quando ſi non dederit, qui petit, non habet alium, à quo recipiat: ſi verò habet à quo poſſit recipere, & recipiat, non teneri ſub mortali. Quia ſi Curatus teneretur ſub mortali, teneretur ratione damni notabilis, quod Parochianus ſuſtinet. At cùm nullo damno afficiatur ſub diſtinctione dicta, videtur etiam Curatum non peccare mortaliter Sacramentum non cõferendo. Omnes iſtę tres ſententiæ ſunt probabiles.

*Quidam Diaconus cùm ordinem ſacerdotalem ſumeret, tetigit Calicem cum patena, ſed non tetigit Hoſtiam, quæſiuit à me poſtea, an talis contactus ſit de neceſſitate Sacramenti?*

RESOLVT. III.

ALiqui, vt notat Coninch *de Sacram.diſp.20.dub.7.n.57.* putant ordinandum Sacerdotem, non ſolùm debere tangere phyſicè ipſum Calicem, ac patenam, ſed etiam ipſam Hoſtiam.

Sed contraria opinio prorſus eſt tenenda, quam docent Sotus *in 4.diſt.24.q.1.art.2.* Zambranus *in deciſ.caſ.conſc.c.6.dub.vnico, n.11.* Summa Corona *part.3.cap.8. de cauſa materiali, n.11.* Chamerotha *de Sacram. tract.11.c.3.dub.4.* Valent. *tom.4.diſp.9.q.1.punct.5.* Ledeſma *in ſum.tom.1. de ſacram.Ordinis, c.3.fol.mihi 415.* Vega *in ſumm.tom.2.c.57.caſ.5.& in ſpeculo tom.2.c.14.§.5.num.21.* Victorellus *in addit.ad tract.de ordine Martini Fornarij cap.2.* Bonacina *de Sacram.diſp.8.q.vnic.punct.5.n.10.* & Didacus Nugnus *in addit. ad 3.p.tom.2.q.24.art.5.diffic 2.* vbi quærit quid dicendum ſi quis tangat vna manu Calicem, vt eſt in conſuetudine, altera verò manu tangat patenam, non Hoſtiam, vel Hoſtiam & non patenam; & reſpondet, tunc eſſe verum Sacramentum. Et ratio eſt, quia ſicut vinum ſufficienter tangitur tacto Calice, in quo eſt; ita & Hoſtia ſufficienter tangitur tacta patena, in qua eſt, vel etiam Calice, in quo eſt patena cum Hoſtia: nam etiam in aliis rebus humanis, non ſolent ſpeciatim tangi omnia quæ traduntur, quando vnum eorum eſt in alio. Item in Rituali, vbi quæ in hoc contactu neceſſaria ſunt, exactiſſimè deſcribuntur, illud nullo modo, vel leuiter inſinuatur, nec etiam Epiſcopus ordinans, eiúſque miniſtri ſunt ſolliciti, vt fiat. Immò hæc opinio erit etiam vera in ſententia eorum, qui putant contactum phyſicum eſſe de neceſſitate Sacramẽti, & eam debere ſic intelligi, vt ſit probabilis, obſeruat Vaſquez *in 3.p.tom.3.diſp.246.c.2.num.19.& 20.* Nam cùm ordinandi habeant tunc manus linteo colligatas, difficillimè fieri poteſt, vt ipſam Hoſtiam ſimul cum Calice tangant, præſertim quando habent digitos breuiores.

Non reticebo tamen ad tollendos omnes ſcrupulos, eſſe opinionem probabilem illam, quam docet Sotus *vbi ſuprà.* Victoria *in ſum.Sacr.q.230.* Armil. *verb.ordo, num.4.* Henriquez *lib.1.c.9.n.11.& lib.10.c.10.n.1.litt.D,& B.* Ledeſma *2.2.q.36.art.5.* Reginald. *in praxi, tom.2.lib.30.tract.1.c.2.n.8.* Molfeſ. *in ſum.tom.1.tract.2.c.1.n.42.* cum Vaſquez *loco citato*, nempe, non eſſe neceſſarium, vt ordinandus tangat phyſicè materiam, ſed ſufficere extenſione manuum oſtendat ſe eam ab ordinante acceptare, quia Concilium Florentinum *de ordine*, nihil meminit de contactu, ſed tantùm de traditione, cùm tamen diligentiſſimè egerit de neceſſariis pertinentibus ad eſſentiam Sacramentorum. Secundò, traditio inſtrumentorum tantùm deſeruit ad determinandam poteſtatem, quæ datur. Sed ad hoc non requiritur contactus, ſed oſtenſio præſens cum ſigno acceptatiuo, quia non eſt eadem ratio, quæ in Baptiſmo, Confirmatione, & Vnctione: non enim dicitur quis lauari, vel vngi, niſi aqua, vel oleum attingat eius corpus. Tertiò confirmatur, quia verè dicitur quis accipere equum, vel nummos in ſuos, licèt illos non tangat, modò ſit oſtenſio præſens, qua tradantur, & ab ipſo acceptentur. Denique aliquando poteſt acquiri poſſeſſio, & eſſe vera traditio ſine reali apprehenſione, modò ſit aliquod ſignum exterius loco illius apprehenſionis realis, vt patet. Ergo, &c. Hæc omnia intelligenda ſunt de neceſſitate Sacramenti, nam de neceſſitate præcepti ordinandus, vt notat Coninch *de Sacram.diſp.20.dub.7.n.71.concl.6.* tenetur tangere ſaltem Calicem & patenam.

*Qui ſuſcepit Ordinem Diaconatus ante Confirmationem, quæritur an peccauerit mortaliter?*

RESOLVT. IV.

DIdacus Nugnus *in addit. ad 3.p.tom.2.quæſt.35.art.4.* Martinus Fornarius *tract.de ordine, c.3.n.3.* & Bonac. *de Sacr.diſp.8.q.vnica, punct.7.n.10.* Tolet. *in ſum.lib.1.c.71.n.6.* & Maiol. *de irregul. lib.4.c.12.* docent peccare mortaliter, cùm faciat contra Tridentini præceptum *ſeſſ.22.c.4.de reform.* vbi ait, prima tonſura non initientur, qui confirmationem non ſuſceperint.

Verior tamen eſt oppoſita ſententia, quam hoc noſtro





æuo communiter ſequuntur. Ita Sotus *in 4.diſt.... q.vnic.art.8.* Victoria *de ſacr.Ordinis, q.232.* Candelabrum aureũ *de confir.num.41.* Auila *de cenſuris, p.7.diſp.9.ſect.1.dub.3.* Suar. *tom.3.in 3.p.diſp.38.ſect.1.* Valent. *tom.4.diſp.5.q.2.punct.3.* Nauarr. *in manu.c.22.n.9.* Molfeſ. *in ſum.tom.1.tr.2.c.11.n.7.* Azor. *p.2.lib.3.c.48.q.1.* & Coninch *de Sacram.diſp.20.dub.10.n.103.& q.72.a.8.n.90.* vbi aſſerit. Addunt aliqui eſſe peccatum mortale, ſuſcipere Ordines ante Confirmationem, ſed meliùs negat Nauarrus, qui docet etiam Epiſcopum non peccare mortaliter ordinando non confirmatum, aut etiam antequam ipſe confirmatus ſit, Confirmationem, aut Ordines conferendo.

Ad argumentum Bonacinæ & aliorum reſpondetur, quòd in verbis Conc. Trid. nihil præcipitur initiandis, ſed præſcribitur Epiſcopis quid facere debeant: quamuis nec hîc ſtricta aliqua obligatio imponitur, quia nullũ eſt verbum, quo ſtrictum præceptum indicetur. Nota verò, quod Toletus & Maiolus *vbi ſuprà*, putant non ſolum ſuſcipientem Ordinem ante Confirmationem peccare mortaliter, ſed etiam incurrere irregularitatem. Sed hæc opinio meritò reiicitur à Suar. *in 3.p.tom.4.diſp.42.ſect.3.n.14.* Nauar. *in ſumm.cap.22.n.9.* Henriq. *lib.14.c.6.n.3.* Soto *in diſt.24.q.1.art.4.* Auila *vbi ſuprà*, & aliis.

*Quidam Clericus in hac ciuitate ſuſcepit ſacros Ordines, cum patrimonio ficto, & per multos annos celebrauit, quæſiuit, an in ordinatione ratione patrimonij ficti, incurrerit ſuſpenſionem, & poſtea celebrando irregularitatem?*

RESOLVT. V.

DIfficilis ſanè quæſtio. Ponam opiniones DD. quam malueris elige. Affirmatiuam ſententiam amplexi ſunt Nauar. *in manu.c.27.n.158.* Sanch. *de matr. lib.6.diſp.32.n.8.* & præter alios, quos citat, & ſequitur Bonac. *de Sacram.diſp.8.q.vnic.punct.5.num.24.* tenet hanc ſententiam Comitol. *in reſp.mor.lib.6.q.38.* Spino *in ſpec.teſtam.gl.18.n.75.* Filliuc. *tom.1.tract.17.c.5.n.89.* Ioann. de la Cruz *in director. conſc.p.2.tract.de ſacram.Ordinis, dub.6.concluſ.2.* Scortia *in Pontif.conſt.epit.146.theorem.149.* Valer. Reginal. *in praxi, tom.2.lib.32.tract.2.c.25.ſect.3.n.72.* qui cum Suar. *in 3.p.tom.5.diſp.31.ſect.1.n.35.* putat talem clericum incurrere duas ſuſpenſiones, alteram, vt ſine ſufficienti titulo, alteram, vt ſine proprij Epiſcopi facultate ordinatum. Ratio quare incurrat iſtam ſecundam ſuſpenſionem, adducitur à Reginaldo, & eſt, quia ordinatur ſine literis dimiſſoriis. Nam Epiſcopus conferens huiuſmodi literas, titulo patrimonij, non daret illas, ſi ſciret patrimonium eſſe fictum; ergo dictæ literæ ſunt ſubreptitiæ, & per cõſequens cenſentur nullæ, & nullius effectus. Rationem verò, quare incurrat ſuſpenſionem propter patrimonium fictum, adducit Bonacina, quia Concil. Trident. *ſeſſ.21.c.2.de reform.* videtur innouare canones antiquos contra eos, qui artibus, & fallaciis ſe fingunt habere idoneas facultates. Et canones ſunt *cap.neminem, & cap.ſanctorum 70. diſtinct.* in quibus definitur, eſſe ſuſpenſum, qui ordinatur ſine beneficio & patrimonio.

Mihi verò contraria ſentẽtia videtur probabilior, & ideo in praxi tutiſſima, quam docent Gonzalez *ad 8. reg. Cancell.gloſſ.5.§.10.n.25.* Homobon. *de exam. Eccleſ.p.2.tract.11.c.10.quæſ.12.* Flaminius *de reſignat. benef.lib.2.q.6.n.18.* Toletus *lib.1.c.48.n.5.* Coninch *de Sacr.diſp.16.dub.5.n.38.* Garſias *de beneficiis tom.1.p.2.c.5.n.20.& ſeq.* Squillante *de oblig.cler.p.2.dub.4.* Piaſecius *in praxi Epiſc.p.1.c.1.art.7.n.20.* Auila *de cenſuris p.3.diſp.5.* Henriq. *lib.13.c.37.num.2.& in gloſſa litt. G*, refert pro ea multos, & graues Theologos, quos ipſe conſuluit, & Sayrus *de cenſuris lib.4.c.14.num.16.* vbi aſſerit nimis rigidè, contrariam ſententiam eſſe falſam, quia ſecundùm declarationem Congregationis Concilij, & vſum Pœnitentiariæ ordinatus ſine titulo, non eſt ſuſpenſus, neque etiam Tridentinum innouat pœnam illam ſuſpenſionis in dicto *c. neminem, & c.ſanctorum*, iure antiquo latam contra ordinatos, abſque titulo, quæ pœna iam ante Tridentinum per alios canones, ſcilicet illum *c. Epiſcopus* qui eſt Alexandri III. & alterum, qui eſt Innocentij III. *in cap. cùm ſecundùm Apoſtolum, de præbendis*, ſublata fuit, ſed ſolùm innouat pœnas horum duorum canonum recentiorum, *Epiſcopus, & cùm ſecundùm Apoſtolum.* in quibus in pœnam ordinatoris, ſtatutum eſt, vt Epiſcopi, eos quos ſine titulo, aut beneficio, de quo neceſſaria vitæ percipiant, ordinauerint, ſuis ſumptibus alere teneantur, donec de beneficio eis prouiderint.



Ad argumentum Bonacinæ reſpondetur, intentionem Concilij ſolùm eſſe innouare pœnas antiquorum canonum, qui non erant ſublati, & correcti alio canone; vnde antiqua ſuſpenſio nouo iure *cap.cùm ſecundùm Apoſtolum*, ſublata, non innouatur à Concilio; nec eſt audiendus Vaſquez *in 3.part.tom.3.diſp.246.c.6.n.61.* Bonacina, & alij contrarium ſentientes, nam ita declarauit Congregatio Cardinalium his verbis, apud Piaſecium *vbi ſuprà*. Concilium renouat tantùm pœnas, *c.cùm ſecundùm, extra de præbendis* in hoc capite.

Ad argumentum Reginaldi reſpondet Henriquez *vbi ſuprà*, vbi ait, Qui ob fictum patrimonium initiatur, non incurrit aliam ſuſpenſionem latam contra eos, qui abſque Reuerendis proprij Epiſcopi initiantur, quamuis enim per fraudem, licentiam, & Reuerendas obtineant, eſt tamen vera licentia. Hæc ille.

Nec obſtat dicere, quòd obtinuiſſe Reuerendas ex cauſa falſa, eſt idem quod non obtinuiſſe illas, quia, vt notat Auila *loco citato*, Epiſcopus debet facere ſufficientem diligentiam, vt cognoſcat, an patrimonium ſit verum. Deinde, ſi fictio patrimonij ſufficeret ad incurrendam illam ſuſpenſionem, ſufficeret etiam falſitas in probatione morum, & generis. Dicendum eſt igitur, ſupradictum clericum ordinatum ſine titulo, nõn fuiſſe ſuſpenſum, atque adeò celebrando non incurriſſe irregularitatem.

Nec valet dicere, ſupradictum clericum incurriſſe in ſuſpenſionem ex Bulla Sixti V. contra clericos malè promotos, vt notat Gonzalez *vbi ſuprà*. Nam reſpondeo, illam conſtitutionem fuiſſe à Clem. VIII. redactam ad terminos iuris communis, vt notauit Viualdus *in fine Candelabri*, & alij. Notandum eſt tamen, quòd etiam, ſtando in noſtra ſententia, taliter ordinatus poteſt puniri extraordinariè ab Epiſcopo, cùm à iure certa pœna ſancita non ſit, vt obſeruat Gonzalez *n.32.* & forſan Epiſcopus illi neceſſaria denegare poteſt, cùm ipſe in culpa non fuerit, ſed deceptus ab ordinato.

*An poſt commutationem alicuius voti, licitum ſit vouenti redire ad prius votum, etiamſi commutatio facta fuerit in melius.*

RESOLVT. VI.

NEgatiuè reſpondet Filliuc. *in ſuis quæſt. moral. tom.2.tract.26.c.10.n.288.* Suarez *de Relig.tom.2.lib.6.cap.20.n.1.& 4.* Regin. *in ſua praxi tom.2.lib.10.c.1.n.362.* & Raphaël de la Torre *in 2.2.tom.1.q.88.art.12.diſp.5.n.12.* nam, ait ipſe, & Filliucius, illa commutatio habet vim voti, quare non poterit ex ſe commutare; quia virtute commutaret in minùs, cùm ſupponamus, commutationem factam fuiſſe in melius. Ergo, &c.

Sed contraria ſententia ſemper mihi viſa eſt probabilior, quam ex neotericis amplexi ſunt Sanchez *de matrim. tom.2.lib.8.diſp.9.n.21.* & præter DD. quos citat, & ſequitur Bonac. *tract.de legib.diſp.4.quæſt.2.punct.7.§3.n.20.* tenet etiam hanc opinionem Io. Malderus *in 2.2.tract.10.c.5.dub.11.quæſ.9.* vbi quærit, an is, cuius votum ex cauſa ſemel commutatum eſt, ſatisfaciat, ſi relicto opere ſubſtituto, impleat primum votum? Et reſpondit omninò

ſatisfacere, quia poteſt quiſque ei renuntiare, quod pro ſe noſcitur introductum, *c. ſtatuimus, de Regularibus*; certum autem eſt commutationem fieri in fauorem eius, qui vouit: immò commutatio ſub ea tacitè fit conditione, vt vouens impleat rem ſubſtitutam, niſi malit votum implere, ne iuſtæ pœnitudinis humanitas amputetur, quo modo & appellationem interpoſitam licet reuocare. *l. ſi quis libellos. C. de appellat.* Vnde colligitur, hoc locum habere etiam, quando commutatio facta eſt in melius. Sic Malderus.

Hinc infert Leſſius *lib. 2. cap. 40. dub. 11. num. 97.* quòd ſi ſæpiùs facta ſit commutatio, poſſe ſeruari quiduis illorum, in quod facta fuit, v.g. votum peregrinationis annuæ, commutatum eſt in menſtruam confeſſionem, menſtrua confeſſio in ieiunium hebdomadarium, ieiunium hebdomadarium in certas preces quotidianas; poteſt vouens ſatisfacere voto, vel recitando illas preces, vel ieiunando ſingulis hebdomadis, vel confitendo ſingulis menſibus, vel annuam peregrinationem ſuſcipiendo. Sic ille.

Limitanda tamen eſt hæc ſententia, cum Sanchez *vbi ſuprà num. 27.* & Molfeſ. *in ſumm. tom. 1. tract. 11. cap. 15. num. 223.* niſi vouens acceptaret commutationem in melius bonum, & id conſultò faceret ad maiorem Dei cultum augendum, tunc non poteſt ad priorem materiam redire, quia illa commutatio facta eſt, non in ſui, ſed in Dei fauorem. Secus autem crederem, ſi in hoc euentu commutatio facta eſſet in bonum æquale; imò ſi res ſit dubia, an commutatio in melius facta, ſit in Dei fauorem, puto licitum eſſe vouenti redire ad priorem materiam, & primum votum.

Reſtat modò reſpondere ad argumentum contrariæ ſententiæ. Dico igitur illam commutationem non habere vim noui voti independenter à priori, ſed prius votum in materiam commutatum extinguitur ad eum effectum, vt acceptans illam commutationem, nullo euentu teneatur ad prius votum, & priorem materiam; ſed totum hoc cum conditione, ad eum effectum, vt qualiſcunque ſit materia ſubrogata, liberum ſit vouenti, redire ad prioris voti materiam.

*Vtrùm commutatio voti in bonum æquale, poſſit fieri propria authoritate vouentis?*

RESOLVT. VII.

NOn poſſe reſpondent communiter, & vltra 15. DD. quos citat, & ſequitur Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 4. c. 49. n. 12.* docet etiam hanc ſententiam Suarez *de Relig. tomo 2. lib. 6. c. 19. n. 3. & ſeq.* Filliuc. *in quæſt. mor. tom. 2. tract. 26. c. 10. n. 283.* Reginald. *in ſua praxi tom. 1. lib. 18. c. 2. n. 240.* Molfeſ. *in ſum. tom. 1. tract. 11. c. 15. n. 197.* Malder. *in 2.2. tract. 10. c. 5. dub. 11.* & Raphaël de la Torre *in 2.2. tom. 1. q. 88. art. 12. diſp. 5. n. 12.*

Sed contrariam ſententiam probabiliter ſuſtineri poſſe, docent etiam aduerſarij, vt Suarez *vbi ſuprà n. 4. in initio*, docuit etiam Aragon. *in 2.2. quæſt. 88. art. 12. dub. 1. dict. 3.* & illam tenet nouiſſimè Bonac. *tract. de legib. diſp. 4. quæſt. 2. punct. 7. §. 3. num. 8.* & præter DD. quos ipſe citat, tenet etiam Fernandez *in ſuo exam. Theolog. moral. part. 1. cap. 6. §. 11. n. 2.* vbi ait. Tota controuerſia eſt de commutatione in euidenter æquale, qua authoritate fieri poſſit. Dico igitur, ſi euidens ſit, arbitrio prudentis huiuſmodi æqualitas, poſſe fieri hanc commutationem à vouente. Ratio eſt, quia ſolùm hac in re requiritur iudicium ſuperioris, vt decernat, quid Deo acceptum ſit, euidens autem eſt acceptum eſſe Deo æquale. Ergo. Sic ille.

Idque dicendum eſt, cùm vtraque materia eſt æquè grata Deo, nil refert vtra illarum eligatur.

Sed notandum eſt, quòd materiam ſubrogatam euidenter conſtare debet eſſe æqualem, nam ſi ſit dubia, non erit licita talis commutatio, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, ſed in tali caſu votum poſſidet. Ergo illud adimplendum eſt. Ita Arag. & alij, *vbi ſuprà*.

Notandum eſt etiam, ex mente aduerſariorum, quicquid aſſerat Suar. *vbi ſuprà c. 20. n. 9. & cap. 19. n. 14.* quòd quamuis commutatio voti ſit facta propria authoritate in bonum æquale, aut in minus; non eſt omnino irrita, ſed tenetur vouens vel prius votum implere, vel ſupplere quod commutatione defuit, vt eſſet in bonum euidenter melius; quare ſufficit tunc propria authoritate ſupplere, quod ad euidenter melius ſufficiebat. Ita Sanch. *in ſumm. tom. 1. lib. 4. c. 51. n. 11. & 12.*

Sed ſecundùm aliam opinionem probabilem non tenebit aliquid aliud ſupplere, quia ſufficit, vt diximus, quòd votum commutetur in æquale, etiam authoritate ſolùm ipſius vouentis.

*Olim quidam Confeſſarius ſcrupulis cruciabatur, ad cognoſcendam iuſtam cauſam, pro commutatione votorum.*

RESOLVT. VIII.

REſpondi, verum eſſe, ex communi DD. ſententia, quòd quando commutantur vota, etiam in bonum æquale, eſt opus aliqua cauſa, vltra Prælati authoritatem. Ita Clauis Regia *lib. 6. c. 12. n. 8. & 25.* Filliuc. *in quæſt. mor. tom. 2. tract. 26. c. 10. n. 28.* Azorius *tom. 1. lib. 11. c. 18. qu. 3.* Graffius *in dec. p. 1. lib. 2. c. 30. num. 6.* Malder. *in 2.2. tract. 10. c. 5. dub. 21. quæſ. 5.* & alij. Tamen ſufficit, vt iſta cauſa ſit leuis, & parua. Et ſic ait Fernandez *in. exam. Theol. mor. part. 1. c. 6. §. 11. n. 4.* & Leſſius *lib. 2 cap. 40. dub. 11. n. 96.* quòd cauſa ſufficiens ad commutandum votum in æquale, ſatis erit, ſi ſuauiùs hilariúſque vouens adimplebit materiam voti ſubrogati.

Immò putat Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 4. cap. 50. n. 23.* ſolam petitionem vouentis, vt votum commutetur, eſſe cauſam ſufficientem ad commutandum. Ideò rectè aſſerit Caietanus, tunc Prælatum ſine cauſa commutaturum, quando pro libito, ante ſubditi petitionem, nec intuitu illius gratificationis commutat. Ita ille *in 2. 2. quæſt. 88. art. 12. col. 2. ver. in commutatione autem votorum, & in ſumma, verb. votum, cap. vlt. verb. rationabilis autem cauſa.*

Plus addam, cum Sanchez *vbi ſup. à cap. 51. num. 15.* Sacerdotem commutantem votum in æquale, ſine iuſta, & legitima cauſa, peccare tantùm venialiter, licèt peccare mortaliter aſſerat Raphaël de la Torre *in 2.2. tom. 1. q. 88. art. 12. diſp. 5. n. 7.* Ratio eſt, nam commutatio illa, vt probat Sanchez *n. 8.* valet, & abuſus poteſtatis eſt in re leuiſſima, neque magnum detrimentum ex ea cultui diuino infertur, & talis commutatio in rigore leuiſſimam cauſam requirit, ita vt Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 6. c. 20. n. 7.* dixerit moraliter in commutatione votorum nunquam deeſſe cauſam.

Nota verò, quòd ſupradicta intelliguntur virtute priuilegiorum regularium, vel quando delegatur hæc poteſtas in fauorem priuatæ perſonæ, vel quando Prælatus ex poteſtate ordinaria, talia vota commutat. Nam quando commutantur virtute Bullæ Cruciatæ, vel alicuius Iubilæi, nulla alia eſt opus cauſa, quàm conferre eleemoſynam præſcriptam in Bulla, propter belli ſubſidium, & exequi opera in Iubilæo præſcripta. Ita Suarez *vbi ſuprà lib. 6. cap. 19. num. 5.* & Sanchez *cap. 50. num. 19.*

Dicendum eſt etiam, aduerſus Reginaldum *in praxi tom. 2. lib. 18. num. 348.* Azor. *part. 1. lib. 11. cap. 18. quæſ. 6.* Raphaël de la Torre *in 2.2. tom. 1. quæſ. 88. art. 12. diſp. vlt. num. 1.* Suarez, Sanchez & alios DD. quos ipſe citat, per Bullam Cruciatæ, & per Iubilæum, poſſe Confeſſarios commutare vota in aliquid minus. Ita nouiſſimè tenet Bonacina *tract. de legib. diſput. 4. quæſt. 2. punct. 6. §. 3. n. 11.* &



*Quidam creditor Principis, ſeu ciuitatis, fraudando gabellam, volebat ſibi compenſare debitum, quæſiuit an hoc, ſeruatis legibus compenſationis, eſſet licitum?*

RESOLVT. XIV.

REſpondi, Reginald. *in praxi, tom. 1. lib. 10. c. 24. n. 383.* & Iacobum de Graffiis *in dec. aur. p. 1. lib. 2. cap. 125. n. 39.* negantem ſuſtinere ſententiam; ſic enim ait. Poteſt gabella fraudari, quando defraudantes eſſent iniuſtè damnificati à dominis, quia poſſent ſibi ſatisfacere. Sed nota, quòd iſtud bene procederet, quando Princeps exigeret nomine proprio omnes gabellas per ſuos Procuratores; ſecus vbi locaret aliis ſubditis gabellas aliàs iuſtas, & ipſi certam penſionem in quemcumque euentum reportarent, vt communiter fit ferè per totam Italiam; tunc enim non poſſet fraudari. Et ratio eſt, quia non fit damnum extorſoribus, ſed conductoribus gabellarum iuſtarum, quibus nihil eſt imputandum, ex quo iuſtas gabellas exigunt, & compenſatio non debet fieri, niſi inter eaſdem perſonas; nam res inter alios acta, aliis præiudicare non debet, *cap. penult. de re iud.* & damnum, & pœna ſuos debet authores tenere, & non alios, *c. quæſiuit, de his, quæ fiunt à maiori parte capituli.* Sic Graffius, & alij.

At mihi contraria ſententia ſemper placuit, & in praxi ſemper conſului, & illam docet Petr. à Nauar. *de reſtit. lib. 3. c. 1. n. 247.* quem citat, & ſequitur Leſſius *de iuſt. lib. 2. cap. 33. dub. 10. n. 75.* cum Bonac. *de contract. diſp. 2. q. 9. punct. 1. n. 12.* qui citat Vaſquez, & Molinam, & præter illos tenet etiam hanc ſententiam Bartholomæus à S. Fauſto *in ſpeculo confeſſ. diſp. 33. q. 37.* Turrianus *in 2.2. tom. 2. diſp. 46. dub. 3. n. 2.* Molfeſ. *in ſumma, tom. 2. tract. 12. c. 22. n. 142. & 143.* Vega *in ſum. par. 1. c. 15. caſ. 10.* & Malderus *in 2.2. tract. 5. c. 9. dub. 16.* vbi ait. Etiamſi Princeps locauerit vectigal, nihilominus licere creditori facere compenſationem; ſecus tamen ſi Princeps illud vendiderit: tunc enim non poterit creditor compenſare, niſi fortè, quando creditum antiquius fuerit venditione.

Ad argumentum Iacobi de Graffiis in principio poſitum, reſpondetur, conductores gabellæ verè damnum non accipere, norunt tamen ſubditorum fraudes, & ideo redimunt gabellam longè minoris, quàm valet, vnde & in ipſo contractu cenſentur eſſe parati talia incommoda ſubire.

*Quidam vir nobilis conſuluerat alteri, vt homicidium committeret, ſed poſtea ante perpetratum facinus, conſilium reuocauit, multas rationes ad diſſuadendum adhibens; quæſiuit à me poſtea, an teneretur ad reſtitutionem damni, ex illo homicidio ſubſequuti?*

RESOLVT. XV.

QVidam vir doctus Societatis Ieſu, conſultus etiam de hoc caſu, affirmatiuè reſpondit, & ſatis quidem probabiliter; ita etiam docet P. Molina *de iuſt. tom. 3. tr. 2. diſp. 721. n. 1.* Leſſius *lib. 2. cap. 13. dub. 3. n. 17.* Bartholomæus à S. Fauſto *in ſpeculo confeſſ. diſp. 4. q. 69. n. 3.* Megala *in 2.2. lib. 2. cap. 2. q. 3. n. 26.* Malderus *in 2.2. tract. 4. c. 2. dub. 3.* vbi agit de conſulente. Et ratio eſt, quia hæc eſt differentia inter mandantem, & conſulentem, nam mandatarius non exequitur mandatum nomine proprio, ſed nomine, & in gratiam mandantis. Ergo poſtquam reuocatum eſt mandatum, & hoc ei notificatum eſt, ſi mandatarius his non obſtantibus committat delictum, illud committit nomine proprio, & proprio arbitrio. Ergo ei imputabitur. Secus eſt in conſulente, quia oſtenſione commodi, vel honoris, conſulens voluntatem alterius ad damnum inferendum promouit, & hæc motio tamdiu durat, quamdiu ipſe tali conſilio incitatus damnum conceptum vult exequi: hinc ait P. Molina, conſilium datur gratia eius cui datur, vt is illo vtatur, tanquam ſuum negotium agens, eáque ratione, quandocumque is illo promotus, damnum iniuſtè infert, imputatur opus, quo damnum infert, atque effectus ei, qui tale conſilium dedit, tanquam cauſæ, per id conſilium ad id opus, ad eúmque effectum cooperanti.

Ego verò dictum conſulentem ad reſtitutionem non obligaui, tenens contrariam ſententiam, quam probabilem vocat Leſſius *ſup. num. 18.* & illam docet doctiſſimus Nauarra *de reſtit. lib. 3. c. 4. n. 27.* Salon. *in 2. 2. q. 52. art. 7. contr. 9.* Reginald. *in praxi, tom. 1. lib. 10. c. 10. quæſ. 1. n. 108.* & Azor. *p. 2. lib. 4. c. 11. q. 2* Et ratio eſt, quia quando conſulens fecit quod poteſt, vt conſilium ſuum euertat, vel oſtendit omnibus conſideratis eſſe iniquum, & non ſequendum, non videtur executor ipſius conſilio moueri, ſed ſua malitia. Ergo, &c.

Negandum eſt igitur, contra DD. aduerſæ ſententiæ, diſcrimen inter mandantem, & conſulentem.

*Quæritur, an conſulens homicidium, de quo ſuprà dictum eſt, poſtquam reuocando conſilium, nihil poterat perſuadere; an, inquam, tenebatur non ſolùm ex charitate, ſed etiam ex iuſtitia monere eum ſecretò, contra quem huiuſmodi conſilium datum fuit ad effectum ſe tuendi?*

RESOLVT. XVI.

TEneri ex lege iuſtitiæ putant aliqui, quos ſequitur Bartholom. à S. Fauſto *in ſpeculo confeſſ. diſp. 4. q. 72.*

Multi verò putant, eum obligari ad reuocandum conſilium lege iuſtitiæ, quoniam nondum eſt delictum perpetratum; ſed reuocato conſilio, non cogi lege iuſtitiæ monere ſecretò eum, contra quem conſilium eſt datum, ſed lege charitatis, ſi commodè poteſt admonere illum. Quare ſi reuocato conſilio delictum fuerit admiſſum, non cogitur, inquiunt, compenſare damnum, quia non eſt cõſilio ipſius ſecutum, cùm ille aliud delictum admiſerit, quia voluit ex ſua malitia, non quia conſilium eſt illi datum. Hæc Azor. *p. 3. lib. 4. c. 11. quæſ. 3*, ex ſententia multorum, quam probabilem vocat, ſicut & ego etiam exiſtimo.

*An Epiſcopus poſſit ex vrgentiſſima neceſſitate diſpenſare in impedimentis dirimentibus matrimonium, ante contractum ipſum matrimonium?*

RESOLVT. XVII.

DIxi, ante contractum ipſum matrimonium, nam poſt contractum, quando ipſum impedimentum eſt occultum, & matrimonium publicum, nec coniuges poſſunt ſeparari abſque ſcandalo, nec ad ſummũ Pontificem patet recurſus propter paupertatem, vel locorum diſtantiam, vel ob alia legitima impedimenta, clarum eſt poſſe Epiſcopum diſpenſare contra Sotum, Medinam, & Cordubã. Ita tenet communis DD. ſententia, Coninch *de Sacram. diſp. 33. dub. 3. n. 2.* Syueſt. *ver. diſpenſatio, q. 9. §. 15.* Fernand. *in exam. theol. p. 3. c. 16. §. 4. n. 1.* Rodriquez *in ſum. tom. 3. c. 35. n. 7.* Frãc. Leo *in theſ. for. Eccl. p. 2. c. 8. n. 43.* Gomez *in Bull. Cruciatæ, clauſ. 9. n. 58.* Nauar. *c. 22. n. 85.* Valét. *tom. 4. diſp. 10. q. 5. punct. 5.* Leſſius *lib. 2. c. 40. dub. 18 n. 128.* Guttier. *canon. q. lib. 1. c. 23. n. 18. & de matrimonio c. 49. n. 6. & ſeq.* Armilla *ver. diſpenſatio, n. 20.* Henriq. *lib. 12. c. 3. n. 2.* Sanchez, Villalobos, Bonacina, Reginald *vbi infrà.* & alij.

Tota igitur difficultas eſt, an poſſit ante contractum matrimonium. Solus Sanchez *de matrim. lib. 2. c. 40. n. 7.* nullius authoris (vt ipſe ait) patrocinio fretus aſſeruit, poſſe Epiſcopum diſpenſare aliquando in impedimento dirimente, antequam matrimonium contrahatur, quando vrgentiſſima neceſſitas id poſtularet; ponit exemplum.

Accedit manè confeſſura, quæ reperitur habere impedimentum dirimens, cuius detectio infamiam ei pareret, & ſunt omnia iam parata ad nuptias celebrandas veſpere, & tentatis omnibus mediis, nulla euadendi via aperitur ad tollendam infamiam, vel ſuſpicionem grauis delicti in confeſſione manifeſtati, ſi tunc non celebrentur nuptiæ, in tali caſu poſſe Epiſcopum diſpenſare, ait Sanchez.

Hanc ſententiam non audebam conſulere, ſed modò conſiderando rationes, quas adducit Sanchez, & quia inueni multos Doctores, qui illum ſequuntur, puto hanc opinionem eſſe probabilem. Doctores qui ſequuntur Sanchez, hi ſunt, Henr. de Villalobos *in ſum. tom. 1. tr. 14. diffic. 25. n. 6.* Bonac. *tract. de matr. q. 3. punct. 15. n. 6.* qui malè citat pro hac opinione Valentiam, & Henriq. *vbi ſuprà*; & tandem inueni, docere etiam hanc opinionem Molfeſ. *in ſum. tom. 1. tractat. 4. cap. 12. n. 35.* Barboſ. *de poteſt. Epiſc. p. 2. alleg. 35. n. 5.* Homobon. *de exam. Eccleſ. p. 1. tr. 5. c. 5. quæſ. 32.* Victorel. *in notis ad man. Nauar. cap. 22. n. 85.* Baſ. Pontium *de matr. lib. 8. c. 13. n. 6.* qui citat Vaſquez & Salas, Valerium Reginald. *in praxi tom. 2. lib. 31. c. 27. n. 205.* Fretus igitur authoritate horum Doctorum, dico quando nulla alia media ſufficerent, ad magnam neceſſitatem, quę vrget, euadendam, tunc poſſe Epiſcopum, etiam ante matrimonium contractum in impedimento matrimonij, dirimente diſpenſare. Et ratio eſt, quia impedimentum dirimens eſt de iure humano, & ideo ſicut Epiſcopus, ex magna neceſſitate poſt contractum matrimonium, vt aſſerunt omnes DD. poteſt diſpenſare in impedimento dirimente, cur non poterit antea? militat enim eadem ratio. Cætera argumenta videbis apud Sanchez.

*Ex occaſione cuiuſdam homicidij caſualis, fuit olim à me quæſitum, vtrùm ad irregularitatem, ex delicto incurrendam, requiratur culpa mortalis, & ita vt negligentia venialis non ſufficiat?*

RESOLVT. XVIII.

EX noſtris P. Megala *in 3. p. lib. 7. c. 2. q. 1. n. 7. & quæſ. 5. n. 110.* ex Societate Ieſu P. Molina *de iuſt. tom. 4. tract. 3. diſp. 77. n. 4.* ex Dominicanorum familia Illuſtriſſimus Caiet. *in 2. 2. q. 64. art. 8.* cum Petro de Aragona *ibidem*, & alij putant culpam venialem ſufficere ad irregularitatem incurrendam, & præcipuè probat hoc Megala ex *c. continebatur, de homicidio*. Deinde, ait Molina, irregularitas ex eo proueniens, quòd aliquis ſe immiſceat cauſæ ſanguinis, incurri poteſt, abſque alia culpa (quin & cum merito) propter ſolum homicidium, aut mutilationem, quæ ſint ſubſequuta, vt patet in laico, qui licitè, ac meritoriè in ea cauſa accuſauit, & iudice, qui ſimiliter licitè, ac meritoriè ſententiam tulit. Ergo, &c.

At ego contrariam ſententiam probabiliorem eſſe ſemper cenſui, & illã in facti cótingentia conſului. Ita docent præter DD. quos citat, & ſequitur Sayrus *de cenſur. lib. 7. c. 5. n. 5.* Suar. *de cenſ. diſp. 40. ſect. 3. n. 19.* Coninch *de Sacr. diſp. 17. dub. 2. n. 13.* Bonac. *de cenſ. diſp. 7. q. 1. punct. 2. n. 1.* Filliuc. *in qq. mor. tom. 1. tr. 20. c. 3. à n. 58. vſque ad n. 64.* Villalob. *in ſumm. tr. 21. diffic. 22. n. 8. & 14* Sanch. *de matr. tom. 3. lib. 9. diſp. 32. n. 34.* & alij. Dico igitur, ad incurrendam irregularitatem requiri peccatum mortale, & non ſufficere quamcumque negligentiam venialem. Et ratio eſt, quia irregularitas eſt pœna grauiſſima, & quia pœna debet proportionari delicto. Ergo non eſt veriſimile incurri ob culpam, & negligentiam tantùm venialem. Cæteras rationes vide apud citatos authores.

Reſtat reſpondere ad argumenta in contrariũ. Ad argumentũ Megalæ reſpondetur ſecundùm aliquos, Clericũ illũ, de quo *in c. continebatur*, peccaſſe mortaliter ludendo cũ laico ioco ſatis indecenti, vt patet. Ergo. Ita Sayrus *vbi ſupra*. Sed hæc reſponſio non ita arridet Suarez, & ipſe aliam meliorem dat *diſp. 45. ſect. 6. n. 3.* adi illum, & non pigebit.

Ad argumentum Molinæ reſpondeo, non obſtare, quòd aliquando incurratur irregularitas ex homicidio, ſine culpa, dummodo homicidium illud factum ſit publica authoritate ex defectu lenitatis, non autem priuata ex delicto, vt eſt in caſu noſtro: nam tale homicidium debet eſſe culpabile, ideóque voluntarium, ſaltem indirectè.

*Solent quamplurimi in morte relinquere Confeſſariis aliquam pecuniarum ſummam, pauperibus ab ipſis eligendis diſtribuendam, quæſitum à me fuit, an dicti Confeſſarij teneantur pro ſupradicta eleemoſyna conſequenda eligere pauperiores?*

RESOLVT. XIX.

AFfirmatiuè reſpondet Pala. Ruu. *in rep. c. per veſtras, de don. inter vir. col. 356.* & ſaltem peccare venialiter Confeſſarium eligendo idoneum pauperem, ſi alius eſt pauperior, putat Ioan. Valer. *in ſuis differentiis vtrinſque fori, ver. electio. differ. 2. n. 4. in fine*. Idem putat quando eleemoſyna fuit relicta ad fœminas maritandas.

At ego cum Illuſtriſſimo Cardinali Franciſco Mantica *de coniectur. vlt. volunt. lib. 8. tit. 5. n. 6.* contrariam ſententiam puto eſſe veriorem. eius verba ſunt hæc. Notandum eſt, quòd is, cui committitur electio pauperum, non habet neceſſe eligere pauperiorem. Bart. *in l. vnum ex familia, §. 1. in fine, de legat. 2.* Bald. *in l. cùm quidam, ad fin. eod. tit.* nam locus eſt gratificationi, nec peccat, qui vnum pauperẽ alteri prætulit, idẽ Bald. *in rep. l. 1. n. 31. ver. item quæritur, de ſacroſ. Eccl.* Ita Mãtica. Sed de hac quæſtione alibi in ſuperiori tract. latiùs dictũ eſt: an verò legatũ relictũ ad pauperes, poſſit in vnum diſtribui, vide Cened. *collect. 114. n. 3.* Petr. Magdalen. *de numero teſtium in teſtam. p. 2. c. 2. n. 43.* & Auilez *in cap. 2. Prætorum, in gloſſa niguno, n. 3.*

*An qui ſuſcipit primam tonſuram, vel minoribus ordinibus initiatus, animo non aſcendendi ad alios ordines, ſed gaudendi priuilegio fori, & exemptione à tributis, peccet mortaliter?*

RESOLVT. XX.

NOuiſſimè Auguſt. Barb. *de poteſt. Epiſc. p. 2. alleg. 21. n. 12.* cum Bannez *in 2. 2. q. 12. art. 1. in 2. diffic. concl. vlt.* partem tuetur affirmatiuam, & præter ipſos, tenet etiam hanc ſententiam Ledeſm. *in ſum. tom. 11. tr. de ſacr. Ordinis, c. 7. concl. 3. fol. mihi 435.* qui citat Nauar. Et ratio eſt, quia Conc. Trid. *ſeſſ. 23. c. 4.* ait: Prima tonſura non initientur, qui ſacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quíque legere, & ſcribere neſciant, & de quibus probabilis coniectura non ſit, eos non ſæcularis iudicij fugiendi fraude, ſed vt Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.

At cõtraria ſẽtẽtia ſẽper viſa eſt mihi probabilior, & illã ex neotericis amplexi ſunt Villalob. *in ſum. tr. 11. diffic. 14. n. 2.* Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. diſp. 31. n. 16. & 17.* Coninch *de Sacr. tom. 2. diſp. 20. n. 104. & 105.* & alij.

Ad authoritatem Concilij Tridentini reſpondetur, ſolum oſtendere, quid ipſa decentia, & illius ſtatus reuerentia poſtulet, & ideo nullis vtitur verbis præceptiuis, ad peccati mortalis obligationem ſufficientibus.

*Quidam calcibus percuſſit Clericum in publica platea, & cùm à tali excommunicatione non poſſe ab Epiſcopo abſolui dixiſſent aliqui viri docti, quæſierunt à me quid in hac re ego ſentirem?*

RESOLVT. XXI.

REſpondi pro illis Theologis adeſſe Sayr. *de cenſ. lib. 3. c. 28. n. 6.* qui putat, quòd ratione loci publici percuſſio aliàs leuis efficitur enormis, ſed cùm percuſſio, de qua



& alij, quorum opinionem probabilem vocat Leſſius *lib. 2. cap. 40. dub. 11. num. 95. vel num. 109.* His cognitis, neſcio quomodo Confeſſarij amplius habebunt ſcrupulos, circa iuſtam cauſam, quæ neceſſaria eſt in commutatione votorum.

*Plauſibilis eſt Confeſſariis illa quæſtio, an qui voluntariè, vel ex obliuione tempore Iubilæi, non petit commutationem alicuius voti, poſſit deinde, poſt tranſactum Iubilæum, etiam poſt multos annos, eamdem commutationem obtinere: ſupponimus omnia opera præſcripta feciſſe, & Iubilæum conſequutum fuiſſe. Idem dicendum eſt de diſpenſatione in irregularitate, & reliquis in Iubilæo conceſſis.*

RESOLVT. IX.

NEgantem ſententiam amplexus eſt Regius *in ſuis reſol. caſ. 21. per totum*, qui citat Beiam & Graffium; idem docet Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 6. c. 16. n. 14. & 15.* Bonac. *tract. de legibus, diſp. 4. quæſt. 2. punct. 7. §. 3. n. 14.* & nouiſſimè Filliuc. *in quæſt. mor. tom. 2. tract. 26. c. 10. n. 302.* Et ratio eſt, quia ſacerdos, qui caret iuriſdictione, non poteſt diſpenſare, & commutare vota, ſed confeſſarius tranſacto Iubilæo, caret iuriſdictione, cùm illa facultas abſoluendi, diſpenſandi, & commutandi ſit alligata tempori quindecim dierum. Ergo, &c. Nec valet exemplum de peccatis oblitis, de quibus poſtea tranſacto Iubilæo poteſt quis abſolutionem obtinere, nam eſt diſparitas inter vota, & peccata reſeruata oblita: hæc enim ſi habeant annexam cenſuram, per abſolutionem generaliter tollitur cenſura; ſi non habeant, tollitur ſaltem reſeruatio; quia abſoluuntur indirectè, hoc ipſo, quòd per obliuionem non fuerint confeſſa.

Sed ego contrariam opinionem, etiam probabilem, & tutam in praxi eſſe exiſtimo. Et illam tuetur Henriquez *in ſumm. lib. 7. de indulgent. cap. 11. num. 4.* Sayrus *in Claui Regia lib. 6. cap. 12. num. 17.* & alij, quos citat, & ſequitur Sanchez *in ſumm. tom. 1. lib. 4. cap. 54. num. 39. & 40.* Nam, quamuis opera in Iubilæo præſcripta, ad eius executionem alligentur tempori deſignato in eo, ita vt eo tempore tranſacto, fieri nequeant: at iis factis in illo tempore conſequens Iubilæum comparat priuilegium, vt abſoluatur ab omnibus reſeruatis, & in quibuſdam ſecum diſpenſetur, & vt commutentur ei vota, vſque ad Iubilæi tempus emiſſa. Quod vtique priuilegium tempori certo adſtrictum non eſt, vt conſtat ex ipſius tenore, qui vbi priùs opera facienda tempori alligauit deſcendens ad priuilegia conceſſa, ſic ait abſque vlla temporis limitatione. Concedimus, vt poſſint hac vice tantùm idoneos presbyteros approbatos eligere, qui, eorum confeſſionibus diligenter auditis, licitè valeant ipſos abſoluere, &c. necnon & vota commutare, &c. Sicut ſi Pontifex eroganti certo die eleemoſynam, concedat priuilegium aliquod, erogatio eleemoſynæ alligatur tempori, non autem priuilegium. Et confirmatur, quia in Bulla Cruciatæ expreſſit Pontifex finito anno, ceſſare omnia eius priuilegia. Itaque cùm in Iubilæo hoc non exprimat, apparet non velle illa ceſſare.

Ex his patet reſponſio ad argumentum Bonacinæ, & aliorum. Nam dicimus, Sacerdotem etiam tranſacto Iubilæo, habere iuriſdictionem, & poteſtatem commutandi vota illius pœnitentis, qui Iubilæum conſequutus eſt, nam priuilegium commutandi talia vota non erat alligatum tempori, ſicuti alia opera ad conſequendum ſupradictum Iubilæum. Et ita hanc ſententiam præter Doctores citatos nouiſſimè amplexus eſt Leonardus Leſſius *in vltima editione operis ſui doctiſſimi, de iuſtit. & iure, lib. 2. cap. 40. dub. 16. num. 109.*



*Quidam obtinuit commutationem multorum votorum virtute Iubilæi, quod intendebat lucrari, ſed poſtea conſultò, & deliberata voluntate omiſit opera in Iubilæo præſcripta, & illud non obtinuit: quæſiuit, an remaneat ſecurus in conſcientia de tali votorum commutatione, quod eſt quærere, an vota commutata vigore alicuius Iubilæi, reuiuiſcant eo poſtea non obtento.*

RESOLVT. X.

EX neotericis P. Raphaël de la Torre *in 2. 2. tom. 1. quæſt. 88. art. 12. diſp. vlt. n. 5.* Nugnus *in addit. ad 3. par. tom. 2. quæſt. 9. art. 2. dub. 4. in fine*, aſſerunt reuiuiſcere, & talem non eſſe ſecurum in conſcientia, & ideo dicendum exiſtimant in hoc caſu, talem commutationem, aut diſpenſationem voti non eſſe omninò firmam, ſed manere votum quaſi ſuſpenſum, vſque dum compleantur omnes diligentiæ præſcriptæ pro obtinendo Iubilæo. Probatur; gratia, & fauor Iubilæi conceditur ſub iſtis conditionibus, & non aliter: ſed vna ex præcipuis, quæ per huiuſmodi Iubilæa conceduntur, eſt commutatio, aut diſpenſatio voti. Ergo niſi conditiones compleantur, non erit valida commutatio talis voti.

Deinde, non videtur veriſimile Pontificem voluiſſe abſolutè diſpenſare cum eo, qui voluntariè Iubilæum omittit.

At contraria ſententia omninò eſt amplectenda, quam ſequitur Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 6. c. 16. n. 10.* Sanchez *in ſumm. tom. 1. lib. 4. cap. 55. n. 49.* & præter DD. quos ipſi citant, docet etiam hanc ſententiam Bonacina *tract. de legib. diſp. 4. quæſt. 2. punct. 7. §. 3. n. 18.* Rodriquez *in ſumm. tom. 4. cap. 188. num. 9.* Naldus *in ſumm. verb. indulgentia, num. 4.* Filliuc. *in quæſt. mor. tom. 2. tract. 26. cap. 10. n. 300.* Molfeſ. *in ſumm. tom. 1. tract. 7. cap. 19. num. 39. & 41.* cum aliis. Ratio eſt, quia Summ. Pontifex in Iubilæo, nulla conditione appoſita, abſolutè concedit poteſtatem abſoluendi à reſeruatis, & commutandi vota. Ergo, cùm ſemel legitimè facta fuerit, ac proinde votum extinctum, abſurdum eſt dicere, poſtea non obtento Iubilæo, reuiuiſcere. Probatur verò, quòd Summus Pontifex non dat talem poteſtatem ad commutandum, cum dependentia à futuro euentu; nam ſi id intenderet, potiùs ordinaret, vt commutatio non fieret, niſi poſt reliqua completa, vel ſaltem clariùs illam conditionem exprimeret in re tam graui. Vnde patet reſponſio ad ſecundum argumentum. Ad primum verò reſpondetur, licèt concedatur hæc gratia commutandi vota, propter effectum Iubilæi, vt faciliùs obtineatur, non inde ſequitur dari conditionaliter, aliàs non haberet effectum, donec impleretur conditio, quod eſt falſum; nam ſtatim poteſt votum non ſeruari, vel expleri per aliud opus, in quod commutatum eſt. Satis ergo eſt, quòd detur ſub tali onere, quòd non ſit conditio, ſed modus.

Aduertant tamen Confeſſarij, cum Sanchez, & aliis *vbi ſuprà, num. 50. & 51.* ſupradictam doctrinam eſſe veram, etiamſi Confeſſarius commutauerit talia vota, non præſcribendo opera ſubrogata, ſed ea à ſe, vel ab alio poſtea tranſacto Iubilæo præſcribenda remittens. Et ratio eſt clara, quia verè, & legitimè commutatio dictorum votorum iam erat facta. Secus dicendum eſt de votis obligatis; nam tranſacto Iubilæo, non obtento à pœnitente, minimè poſſunt commutari, licèt talia vota ſpecialia eo tempore ſint legitimè commutata, quia cùm ea non ſint verè ſublata, & pœnitens per conſequutionem Iubilæi priuilegium non obtinuerit, ſequitur omninò non poſſe à Confeſſariis auferri, quia commutarent illa vota ſine iuriſdictione, & poteſtate delegata.

*Conuenienter ſuperiori quæſtioni iſtam adiungimus, an qui voti commutationem accepit vigore alicuius Iubilæi, peccet poſtea mortaliter, ſi voluntariè omittat onera iubilæi, & illud non conſequatur?*

RESOLVT. XI.

AFfirmatiuè reſpondet P. Emmanuel Rodriquez *in ſum. tom. 4. c.* 188. *n.* 10. P. Suarez *de Religione, tom. 2. lib. 6. c. 16. n.* 11. & Filliuc. *in q. mor. tom. 2. tract. 26. c. 10. n.* 301. ſiue contra pactum implicitum, & iuſtum, ſiue contra obligationem relictam ex voto, & incluſam in tali commutatione, ſeu diſpenſatione: nam diſpenſatio, vel commutatio ſemper intelligitur data ſub onere faciendi quod in ſe eſt, ex parte pœnitentis ad gratiam conſequendam.

Igitur cùm cōtra pactum implicitum, & alioqui iuſtum delinquat in re graui, conſequenter peccabit mortaliter. Et hanc eſſe præſumptam Pontificis intentionem, talem facultatem concedentis, dicendum videtur.

Altera opinio, cui tanquam probabiliori adhæreo, negat peccare mortaliter, quia pœnitens nil promiſit, nec obligationem vllam Confeſſarius impoſuit, nec etiam de talis Pontificis intentione conſtat, & ille, ſi vellet, poſſet hanc ſuam voluntatem explicare. Ideo non debemus præceptum imponere abſque vrgenti fundamento. Ita Sanchez *in ſumm. tom. 1. lib. 4. c.* 55. *n.* 54. & præter DD. quos ipſe citat, docet hanc ſententiam Martinus Bonacina *tract. de Sacram. diſp. 5. q. 7. punct. 5. n.* 18.

Ad argumentum contrariæ ſententiæ, negandum eſt, ex natura rei includi id pactum in ea actione, neque illud propoſitum tranſire in pactum, vel computari pœnitentiæ acceptatæ; & de Pontificis intentione dictum eſt ſuprà, non conſtare.

Vnde ſupradicta ſententia applicanda eſt etiam in caſu, quo aliquis obtinuiſſet abſolutionem à peccatis reſeruatis, & cenſuris, & poſtea omitteret opera præſcripta in Iubilæo, neque illud acciperet, puto enim contra Suarez *in 3. part. tom. 4. diſp. 31. ſect. 4. n.* 5. & alios, talem non peccare mortaliter poſtea omittendo Iubilæum. Ita Henriquez *in ſum. lib. 6. de pœn. c. 16. n.* 6. & Bonacina *vbi ſuprà*.

*Multi licet ſciant, quoad ſubſtantiam, Symbolum, Decalogum, & orationem Dominicam, neſciunt tamen memoriter, & eo ordine, quo proponuntur addiſcenda; quæritur an peccent mortaliter?*

RESOLVT. XII.

AFfirmatiuè reſpondet Farinac. *de hæreſi, q.* 179. §. 5. *n.* 8. quem ſequitur Antoninus Naldus *in ſum. ver. Chriſtianus, n.* 1. & probat ex vſu præcipuarum vrbium, in quibus Confeſſarij, & periti omnes rerum Eccleſiaſticarum, in dubio reputant eiuſmodi præceptum obligare ſub mortali, & propterea abſolutio ſacramentalis ſolet eis denegari, qui prædicta memoriter non tenent; & in pleriſque Synodis diœceſanis cauetur, ne prædicti admittantur ad matrimonium, neque ad leuandos pueros de ſacro fonte baptiſmatis, Hæc Naldus.

At mihi contraria ſententia prorſus placet, quam tuetur Azor. *in ſum. tom. ... lib.* 8 *c. 7. quæſ.* 5. Sanchez *in ſum. tom. 1. lib. 2. c. 3. n.* 19. & præter DD. quos ipſe citat, docet etiam hanc ſententiam Martin. Bonacina *tract. de legib. diſp. 3. q. 6. punct. 2. n.* 14. & nouiſſimè P. Suarez *tract. de fide, diſp. 23. ſect. 5. n.* 8. vbi aſſerit, Certum eſt, non eſſe obligationem grauem retinendi memoria verba Symboli, vel præceptorum, ita vt ſit peccatum mortale hoc omittere. Et ratio eſſe poteſt, quia vel de præcepto non ſatis conſtat, quia nec ab aliquo Pontifice, nec in aliquo Cōcilio generali latum inuenitur, vel quia alij Canones, qui de hoc loquuntur, de ſubſtantia myſteriorum ſufficienter intelliguntur, vel certè, quia materia illa leuis eſt, ſi præcisè in verbis, vel in eorum ordine ſiſtatur. Probabile autem eſt, ſi ex pura negligentia hoc omittatur, non carere aliquâ culpa, ſaltem veniali, quia præter Canones, qui hoc inſinuant iuxta communem vſum Eccleſiæ, talis negligentia cenſetur aliquo modo culpabilis, & in aliis aliquando ſcandalum generat. Si verò quis meliorem diligentiam adhibeat, & nihilominus ob naturalem defectum, vel incapacitatem verba retinere non poſſit, facilè poterit ab omni culpa excuſari. Ita ille. Et ſic etiam hanc opinionem docuit Vincentius Filliucius *in qq. mor. tom. 2. tract. 22. c. 2. n.* 37. qui citat Nauarrum *in manuali c. 11. num.* 22.

*An Regulares, qui volunt ſacris Ordinibus initiari, debeant habere dimiſſorias ab Epiſcopis, in quorum diœceſi tunc manent?*

RESOLVT. XIII.

AFfirmatiuè reſpondendum videtur. Nam Gregorius XIII. ſtatuit, vt Regulares ſuſcipiant Ordines ſacros ab Epiſcopis, in quorum diœceſi ſunt monaſteria, in quibus tunc degunt, vel dimiſſorias ab eis accipiant. Et hoc etiam colligitur ex Concilio Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 8. & ita hanc opinionem tenet & docet Henriquez *in ſumma lib. 10. c. 23. n.* 4. &, quod mirum eſt, nouiſſimè P. Vincentius Filliucius *in ſuis quæſt. mor. tom. 1. tract. 9. c. 5. n.* 88. qui excipiunt Societatem IESV, in qua ex priuilegio ſatis eſt dimiſſoria proprij Superioris.

Sed contraria ſententia abſolutè de omnibus Religionibus tenenda eſt. Nam de mandato S. D. N. Sixti V. auditi fuerunt Procuratores Religionum ſuper declaratione Gregorij VIII. in qua, vt diximus, Regulares tenebantur recipere Ordines ſacros, vel dimiſſorias ab Epiſcopis: & idem Sanctiſſimus, hoc non obſtante, ex ſententia pronuntiauit, poſſe Regulares concedere dimiſſorias ad Epiſcopū diœceſis, quod ſi abfuerit, ad quemcumque, dummodo ab Epiſcopo, qui ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam. Et tandem Clemens Octauus præſcripſit Regularibus modum, & formam concedendi dimiſſorias ſuis ſubditis. Verba declarationis ſunt hæc: De mandato S. D. N. Clementis diuina prouidentia Papæ VIII. tenore præſentium mandatur omnibus, & ſingulis quorumcunque Regularium ſuperioribus, vt de cætero obſeruent, & obſeruari faciant ea, quæ in decreto Sacræ Congreg. Concilij Tridentini continentur, cuius tenor eſt talis:

Congregatio Concilij cenſuit, ſuperiores Regulares poſſe ſuo ſubdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, litteras dimiſſorias concedere ad Epiſcopum, tamen diœceſanum, nempe illius Monaſterij, in cuius familia ab his, ad quos pertinet is Regularis, poſitus fuerit, & ſi diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Epiſcopum, dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus diœceſanns vel abfuturus, vel nullas habiturus eſſet ordinationes.

Verùm, cùm à ſuperioribus Regularibus Epiſcopo diœceſano abſente, vel ordinationes non habente, litteræ dimiſſoriæ dabuntur, in eis vtique huiuſmodi cauſam abſentiæ diœceſani Epiſcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam eſſe. Quod qui non fecerint, officij, & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ priuationis, ac alias arbitrio eiuſdem S. D. N. Papæ reſeruatas pœnas incurrent. In quorum, &c. Dat. Romę die 15. Martij Ann. 1596. Hoc decretum inuenies apud Piaſecium *in praxi Epiſcopali, part. 1. c. 1. num.* 14. Quarantum *in ſumma Bullarij, verb. ordo, in fine, fol. mihi* 392. Naldum *in ſumm. verb. ordo, num.* 26. vide Petr. Ledeſmam *in ſumm. tom. 1. de ſacram. Ordinis, cap. 8. concluſ. 10. fol. mihi* 448. & noſtrum Patrem Molfeſium *in ſumm. tom. 1. tract. 2. c. 2. num. 23. & ſeq.*

*Quidam*



qua loquimur, fuerit facta in publica platea, erit enormis, & conſequenter eius abſolutio reſeruata Papæ. Ita etiam cum Sayro tenent Abbas, Syluester, Tabiena, Graffius, D. Antoninus, & alij apud Maceratenſ. *var. reſol. lib. 3. reſ. 11. n.* 10.

Sed ego contrariam ſententiam conſului. Nam puto cum Nauarr. *c. 27. n.* 92. Aloyſio Riccio *in dec. curia Archiepiſc. Neap. part. 2. dec. 194. n. 2. & dec. 250. n.* 3. Reginald. *in praxi, tom. 1. lib. 1. c. 19. ſect. 1. n.* 240. Philiarcho *in ſumm. de excom. lib. 3. c. 33. in fine*, & aliis, iniuriam factam in loco publico, tunc eſſe grauem & enormem, quando concurrunt duo, nempe quòd ſit notabilis, & gignat magnum ſcandalum. Et hanc opinionem putat probabilem ipſe Sayrus *vbi ſupr.* ſed aſſerit, his non obſtantibus, non eſſe tenendam, quia vt etiam notat Bonac. *de cenſ. diſput. 2. q. 4. punct. 5. n.* 2. ex quadam Bulla Innocentij IV. quam affert Nauar. *ſuprà n.* 91. in dubiis, percuſſiones declarandas eſſe potius graues & enormes, quàm leues, ne præbeatur occaſio lædendi ſtatum eccleſiaſticum.

Sed reſpondeo cum Filliuc. *in q. mor. tom. 1. tr. 15. c. 1. n.* 45. quòd ſupradicta Bulla eſt incerti authoris, & non continetur in iure. Ex his omnibus tunc putaui potuiſſe Epiſcopum ab excommunicatione dictum delinquentem abſoluere.

*Olim interrogatus fui, quot teſtes requirantur, vt factum dicatur notorium in percuſſione Clerici?*

RESOLVT. XXII.

NOtitiam quinque hominum non efficere notorium facti, putauit Pet. de Aragon. *in 2. 2. q. 10. art.* 9. Nec etiam notitiam ſex hominum illud facere poſſe, niſi hi ſint maior pars illius congregationis, putauit Reginald. *in praxi, tom. 1. lib. 1. c. 10. n.* 121.

Sed Maſcardus *de probat. tom. 2. concl.* 1101. *n.* 18. & Marius Antoninus *variarum reſolutionum lib. 3. reſol. 11. n.* 10. putant ad inducendum notorium, ad minus ſeptem teſtes requiri. Immò Adrianus *in 4. tract. de ſacram. Euchariſt. non longè à fine, §. oritur quæſtio*, extendit ad decem.

Communiter verò DD. hoc relinquunt iudicio prudentis viri, vt ex variis circunſtantiis, & qualitate actus, loci, & temporis arbitretur, quod factum dicatur ita notorium, vt nulla poſſit tergiuerſatione celari: communiter autem ex tribus cauſatur notorium, ſcilicet ex hominum ſcientia, & loci, & temporis qualitate. Ita poſt DD. quos citat, & ſequitur Bonac. *de cenſ. diſp. 2. q. 2. punct. 1. §. 1. n.* 5. tenet etiam Sayrus *de cenſ. lib. 2. c. 12. n.* 2.

Hinc colligitur ex Nauarro & Soto Auila *de cenſ. p. 2. c. 6. diſp. 2. dub.* 4. percutientem Clericum coram decem, vel duodecim non eſſe notorium in magna ciuitate, bene tamen in oppido paruo, vicinia, ſeu collegio.

*An vxor inſcio marito poſſit tribuere eleemoſynam, & vt Deus auertat graue mariti damnum, vt ſcilicet eum puniat, vel vt impetret eius conuerſionem à ſtatu malo?*

RESOLVT. XXIII.

RAró admittendam eſſe affirmatiuam ſententiam in hac quæſtione putat Coninch *de actib. ſupernat. lib. 4. diſp. 27. dub. 5. n.* 56. præſertim quando manifeſtè non conſtat virum eſſe notabiliter negligentem in eleemoſynis præbendis, & ſuo officio hac in re nullo modo ſatisfacere. Et inter alias rationes adducit, quòd contrarium ſentiendo videtur nimium laxari libertas vxorum, nam multa imprudenter largirentur ſub prætextu, vt viri ab aliquibus peccatis emendarentur. Et hanc ſententiam tenet etiã Fernandez *in exam. Theol. mor. p. 1. c. 16. §. 6. num.* 2. & Molina *de iuſt. tom. 2. diſp. 274. num.* 12. vbi contra Nauarrum, *vbi infrà*, abſolutè aſſerit, non poſſe vxorem ad vitandum ſpirituale damnum viri, contra ipſius beneplacitum facere eleemoſynas.

Sed ego puto contrariam ſententiam eſſe probabiliorem, & tutam in praxi, & illam docent Malder. *in 2. 2. q. 32. à n.* 8. Vaſquez *opuſc. de eleemoſyna, c. 4. n.* 4. Bonac. *de contract. diſp. 2. q. 10. punct. 2. n.* 9. Graffius *tom. 1. lib. 2. c. 60. n.* 9. Nauarr. *in man. c. 17. n.* 154. Idem Nauarr. *lib. 3. c. 1. n.* 83. qui citat Syluestrum & Gabrielem, Leſſius *lib. 2. c. 12. dub. 14. n.* 85. Lorca *in 2. 2. q. 32. art. 9. ſect. 3. diſp. 36. n.* 9. Turrianus etiam *in 2. 2. tom. 1. diſp. 84. dub.* 1. Molfeſius *in ſum. tom. 1. c. 16. tract. 1. n.* 36. Filliuc. *in q. mor. tom. 2. tract. 34. c. 2. n.* 44. & alij. Et addit Reginald. *tom. 1. lib. 4. c. 22. n.* 278. cum Syluestro *ver. eleemoſyna, n.* 8. hoc etiam eſſe verum, ſi vxor crederet, quòd ſi maritus tale quid ſciret, id illi diſpliceret. Et ratio eſt, quia in tali caſu maritus eſt irrationabiliter inuitus. Confirmatur exemplo Abigail 1. *Reg.* 15. quæ prudenter, & piè miſit munera Dauid, quæ maritus impiè negauerat.

Ad argumentum, quod adducit Coninch, reſpondetur, non dari ex noſtra ſententia nimiam libertatem vxoribus, nam tales eleemoſynæ ſunt dandæ in moderata quantitate, conſiderata quantitate bonorum; nam aliter eſſet quidem maritus rationabiliter inuitus. Imò puto, non eſſe faciendas, quando timerentur maximæ contentiones. Vxores igitur in tali caſu ſe remittant ad conſilium, & arbitrium prudentis Confeſſarij, qui conſiderando ſtatum viri, & quantitatem bonorum, taxabit ſummam eleemoſynæ ab vxore pauperibus tradendam.

*Vtrùm Epiſcopi, & alij ratione maioris doctrinæ, aut nobilitatis poſſint plus ex redditibus Eccleſiaſticis in ſui ſuſtentationem inſumere?*

RESOLVT. XXIV.

NEgatiuè reſpondet Lorca *in 2. 2. q. 32. art. 9. diſp. 40. ſect. 3. memb. 2. n.* 39. vbi ait. In aſſignanda Eccleſiaſticis congrua ſuſtentatione, non eſt attendenda nobilitas, aut litteræ, ita vt poſſit augere ſtatum, & ſumptus, qui nobilis, vel litteratus præ aliis ad dignitatem Eccleſiæ aſſumitur. Nam non video, quòd intuitu literarum ſibi amplius debitum ſit, præſertim cùm omnes Eccleſiaſtici literis inſtructi eſſe debeant, iuxta exigentiam dignitatum. Titulo autem nobilitatis nullo modo poteſt menſuram ſuſtentationis extendere. Nec ſi filius Regis Epiſcopus fiat, poteſt de bonis Eccleſiæ ampliorem maieſtatem, quàm alius quicumque in eodem Epiſcopatu gerere; quoniam Epiſcopatus, ſtatus ſanctitatis, & perfectionis eſt, in quo potius nobilitas & faſtus ſæcularis demittendi ſunt, quàm fouendi; & qui illum ſtatum profitetur, potius debet Eccleſiaſticæ modeſtiæ humanam nobilitatem ſubmittere, quàm Eccleſiæ humilitatem ad ſæculi pompam reducere. Nec beneficia Eccleſiaſtica inſtituta ſunt, vt foueatur ſæcularis nobilitas, & pompa illi debita, ſed vt miniſtrorum Eccleſiæ honor pro dignitate officij conſeruetur. Hæc Lorca.

At contrariam ſententiam probabiliorem exiſtimo, & illam amplexi ſunt Molina *de iuſt. tom. 1. tract. 2. diſp.* 145. & nouiſſimè Coninch *de actibus ſupernaturalibus, lib. 2. diſp. 27. dub. 11. n.* 194. Dico igitur Eccleſiaſticos valde nobiles, aut magnæ litteraturæ, cæteris paribus, poſſe plus aliis minus nobilibus, & minus doctis, in ſui ſuſtentationem inſumere; debet tamen talis exceſſus ſuſtentationis eſſe moderatus, vt non excedat decentem Eccleſiaſticorum modeſtiam. Vnde Principum filij non debent tantum in ſua ſuſtentatione expendere ex bonis Epiſcopatus, quantum poſſent inſumere ex bonis patrimonialibus, & ſæcularibus, ſi ea illis æqualia haberent; nam alia ſuſtentatio conueniens eſt Principi ſæculari, alia Eccleſiaſtico. Et hæc etiam intelligenda ſunt, dummodo ſupradicti Eccleſiaſtici non negligant eleemoſynas, quas pauperibus præbere tenentur, iuxta obligationem, de qua infrà,

infrà. Ad argumenta Lorcæ reſpondet Coninch, lege illum,& non pigebit.

*Difficilis pro praxi in gratiam Confeſſariorum eſt iſta quæſtio, An qui longo tempore rem alienā non reſtituit, vnum tantùm, vel plura peccata committat?*

RESOLVT. XXV.

RESpondeo ex Leſſio *lib.2. cap. 22.dub. 3. num. 11. & ſeq.* Molina *de iuſt.tract.2. diſp.753. num. 5.* Rebellio *de oblig. iuſt.p.1.lib. 2.q. 17. ſect.2.* Vaſquez *in p.2. tom. 1. diſp.75.c.2.* Turrianus *in 2.2.tom.2. diſp.17.dub.1.n.3.4.&* 5.&,aliis, iniquum detentorem rei alienæ non eſſe, vt voluit Caiet. 2.2. *quæſt.66. art.3.* in ſolo peccato habituali, ſed continuo actu peccare, dum non reſtituit, ſuúmque peccatum extrinſecè augere, donec voluntariè reſtitutionem omittit. Ratio eſt, quia non reſtituendo rem ablatam, lædit ſemper dominum rei. Ita enim non poteſt poſſidere, nec vti re ſua, ſed iſta læſio aſſiduè procedit à libera voluntate non reſtituendi, vel ab omiſſione libera voluntatis. Ergo eſt peccatum actuale, eo ſcilicet modo, quo in omiſſione operis externi, qua alius læditur, eſt peccatum actuale.

Sed ex iſta doctrina non haberent Confeſſarij multos ſcrupulos, ſi dicta omiſſio reſtitutionis, quæ conſtituit furem, vt dictum eſt, in continuo actuali peccato non interrumperetur: nam diſcontinuata, multiplicantur poſtea multa peccata numero diſtincta. Multipliciter verò interrumpitur, ita vt formaliter non continuetur. Primò, quādo quis, qui reſtituere tenetur, factus eſt impotems ad reſtituendum. Secundò, quando proponit reſtituere. Tertiò, per ſomnum. Quartò, per inconſiderantiam naturalem, & obliuionem obligationis reſtituendi. Ita Vaſquez *vbi ſuprà*, & Turrianus. Quintò quando creditor exigit ab eo debitum, & non reddit. Sextò, quando videt creditorem egere, & non ſoluit. Ita Sotus *de iuſt.lib.4.q.7.art.4.* & ſimilia habet Nauar. *c.17.n.54.*

Ex ſupradictis modis apparet, quàm ſæpius fur non reſtituit, multiplicare peccata, neceſſariò in confeſſione aperienda, ita vt parum adiuuet pro facilitate confitendi communis opinio, quæ aſſerit, vt diximus, omiſſionem reſtitutionis conſtituere furem in peccato actuali: nam dicta omiſſio interrumpitur ſæpiùs per ſupradictos modos, qui multiplicant peccata numero diſtincta. Sed his non obſtantibus, quia ſupradicta opinio (propter pluralitatem & numerum peccatorum quæ tempore, quo non reſtituitur, incurruntur) multum confeſſariis, & pœnitentibus oneroſa, ponam hîc opinionem probabilem, & tutam in praxi. Dico igitur,

In duobus tantùm caſibus, committit quis peccatum nouum in omiſſione reſtitutionis. Primò, quoties directè, & expreſsè renouatur propoſitum retinendi rem alienam, per ſpecialem actum. Et ad hoc non ſufficit qualecumque propoſitum renouatum, ſed requiritur, quòd ita proponat quis rem alienam retinere, quòd etiamſi nunquam id decreuiſſet, modò decerneret. Nam ſi propoſitum eſt ſimplex, & ſine iſta reflexione, potius dicitur continuatio proprij propoſiti, quàm nouus actus. Quia licèt ſit nouus, & diſtinctus phyſicè, non tamen moraliter, quod pertinet ad noſtrum inſtitutum. Secundus modus eſt, quando quis propoſuit reſtituere, & poſtea data opportunitate non reſtituit. Tunc enim, ſaltem indirectè, eſt noua voluntas, & per conſequens nouum peccatum. Ita P. Aragon. *in 2.2.q.62.art.8.* & poſt illum Emmanuel Rodriquez *in ſum.tom.2.c.46.n.1.* & Malder. *in 2.2. tract. 4. cap.11.dub.7.* vbi aduersùs Vaſquez, & alios putat, quòd ſi ſolùm per naturalem quietem, vel inaduertentiam fuerit interruptus animus, actualis retentionis rei alienæ, hoc non ſufficere, vt fur poſt modum renouans eiuſmodi animum, cenſeatur admittere diſtinctum numero peccatum. Vt enim actualiter cenſeatur quis ſuo poſſidere nomine, ſufficit quòd animo ſic tenendi rem apprehenderit, eúmque animum non retractarit. Deinde non eſt neceſſe, vt is qui idem & moraliter vnum peccatum cenſetur continuaſſe, continuò peccauerit actu: actus enim ſolùm phyſicè interruptus, poteſt moraliter cenſeri vnus. Sic Malderus & Sayrus *in Claui Regia, lib.10.tr.5.n. 10.* vbi aſſerit, quòd nimis durū eſſet affirmare toties de nouo peccare, quoties fur poſt iniquam primam acceptionem dormitioni ſe traderet, aut illius obliuiſceretur, cùm multoties in die contingeret hoc modo peccare de nouo, omniaque ſcrupulis plena eſſent. Ita ille.

Dicendum eſt igitur ex dictis, tunc iniquum detentorem peccare de nouo mortaliter, quando renouat de nouo propoſitum non reſtituendi, vt ſi animo dicat, etiamſi retinere non propoſuiſſem, nunc omnino propono. Vel ſecundò, quando interrumpit prius animum furtiuum firmo reſtituendi propoſito, & poſtea data opportunitate non reſtituit. In omnibus aliis autem caſibus, quos diuerſi authores enumerant, & refert Barthol. à S. Fauſto *in ſpec.Confeſſ.diſp.4.q.203.* puto cum Maldero, Aragona, & Sayro, *vbi ſuprà*, non eſſe nouum peccatum, ſed circumſtanitam aggrauantem illud, & iuxta noſtram ſententiam non neceſſariò in confeſſione aperiendam, ſed aliam benigniorem ſententiam circa præſentem quæſtionem vide *in tract.de Circunſtantiis aggrauantibus.* Et hæc dicta ſufficiant circa præſentem quæſtionem, ex qua maximè & præcipuè notandum eſt, pro ſedandis ſcrupulis, per ſomnum & naturalem inaduertentiam, iniquum rei alienæ detentorem, non multiplicare peccata, numero diſtincta. Salua, &c.

*Confeſſarius quidam angebatur magnis ſcrupulis in excipiendis confeſſionibus cuiuſdam diuitis, circa præceptum largiendi eleemoſynam; tunc ego in eius gratiam hæc ex multis DD. adnotaui.*

RESOLVT. XXVI.

PRimò diuites, etiamſi habuerint ſuperflua, non tenentur, neque ſub veniali peccato dare eleemoſynas in communi neceſſitate, qua ſolent eſſe quotidiani pauperes. Ita Sylueſt. Alenſis, Armilla, & alij, & ex neotericis Malderus *in 1.2.q.27.art.6.dub.4.prop.2.* Molfeſ. *in ſumm. tom.1.tr.2.c.16.n.20.* Sotus *de iuſt.lib.5.q.8.art.1.* Nauar. *in man.c.24.n.6.& 9.* Medina *Cod.de eleemoſ.q.3.* Toletus *de ſeptem peccatis mort.c.36.*

Secundò, etiam in graui neceſſitate pauperum, diues qui habuerit ſuperflua, non peccaret mortaliter, ſi non præberet in eleemoſynam. Hæc opinio mihi placet, illamque docet Gabriel *in 4. diſt.16.q.5. concl. 3.* Alenſis *4. p.q.113.memb.1.* cum aliis, & probabilem vocat Malderus *in 1.2.D.Thom.q.2.art.6.dub.4.§.Reſpondeo.*

Tertiò, etiamſi eſſet vera opinio DD. aſſerentium diuites teneri ſub mortali præbere eleemoſynam, non ſolùm in externa & graui, ſed etiam in communi neceſſitate pauperum, tamen non tenerentur inquirere pauperes, ſed ſolùm miſereri occurrentibus, & non impedire nimia auſteritate, vel alio modo, ne occurrant. Neque etiam tenerentur omnibus communiter indigentibus ſubuenire, ſed aliquibus: nec tenentur in totum alicuius indigentiam ſubleuare, ſed ſatis eſt quid ei dare. Ita Lorca *in 2.2. ſect.3. diſp.39.mem.2.n.30.* Bonacina *de legibus, diſp.3.q.4.punct. 6.n.10.* Vaſquez *vbi infra*, &c.

Quartò, notandum eſt, quòd bona, quæ conſeruantur ad acquirendum maiorem ſtatum pro ſe, & ſuis conſanguineis non dicuntur ſuperflua ſtatus: aſcenſus enim ad ſuperiorem ſtatum, ad neceſſitatem, & conuenientiam ſtatus reuocandus eſt, ita vt ea non cenſeantur ſuperflua, quæ licèt excedant menſuram ſtatus præſentis, conducere tamen poſſunt & reſeruantur, vt homo altiorem ſtatum acquirat, & acquiſitum conſeruet. Ita Vaſquez *opuſc. de reſtit.c.1.dub.3.n.27.& 31.* Et ideo *in c. 4.n.14.* aſſerit,

quòd



quod in ſæcularibus, etiā in Regibus, vix inueniuntur ſuperflua ſtatus. Vide etiam Nauarrum *in ſum.c.24. n.6.* Nauarram *de reſtit.lib.3.c.1.n.366.* Malderum *in 2.2.q.27.art. 6.dub.4.ver.contra hanc propoſitionem, & dub.6. circa finem.*

Quintò, diues cum diminutione, & detrimento proprij ſtatus, non tenetur ſubuenire proximo in extrema neceſſitate conſtituto; quia, vt fert opinio grauiſſimorum DD. quamuis tenear defendere vitam innocentis, qui iniuſtè inuaditur, tamen ſi graue detrimentum facultatum interueniat, non teneor. Non ergo diues tenebitur extremam neceſſitatem alterius cum graui iactura ſtatus depellere. Ita Molfeſius *in ſum.tom.1. tract.1. c.16. n.28.* cum Lorca *in 2.2.ſect.3.diſp.39. mem... n.39.* & Ægidio de Coninch *de actibus ſupernat.diſp.27.dub.8.concl.4. n.134.* & D. Antoninus *2.p.tit.1. c.24. n.5.* putauit D. Thomam hanc opinionem tenuiſſe, & illam etiam tenet Roſella, & Summa Piſana *ver.eleemoſyna.*

Ex his apparet, diuites non eſſe facilè condemnandos circa præceptum largiendi eleemoſynam, quia non tenentur inquirere pauperes, nec tenentur largiri eleemoſynam in communibus neceſſitatibus, & bona ſuperflua non facilè in ipſis etiam ditiſſimis reperiuntur. Vnde ex his facilè Confeſſarij ſcrupulos deponere poſſunt, licèt conſulere debeant diuitibus, vt eleemoſynam pauperibus abundè erogent.

*Quidam Religioſus incboabat annum vigeſimum tertium hora vigeſima tertia diei, ſed manè in eodem die recepit ordinem Diaconatus, quæritur an peccauerit, & in ſuſpenſionem inciderit, tanquam ordinatus ante legitimam atatem?*

RESOLVT. XXVII.

SVppono ex Tridentino, & communi DD. ſententia, cum Filliucio *tom.1.tract.9.c.4. n.84.* Miranda *in man. Præl.p.1.q.39.art.2.* ad licitè ſuſcipiendos ordines requiri ætatem legitimam; nam ad primam tonſuram, & minores ordines requiruntur ſaltem ſeptem anni completi, ad Subdiaconatum viginti duo inchoati, ad Diaconatum vigintitres inchoati, & ad Presbyteratum vigintiquinque, vnde ſi aliquis initiaretur ordinibus ſacris ante dictam ætatem, in ſuſpenſionem incurreret latam, in Bulla Pij II.

His ſuppoſitis, affirmatiuè ad caſum propoſitum reſpondet Villalob. *in ſum.tom.1.tr.11.dub.11.n.2.* vbi ſic aſſerit: [Eſtos años baſta, que ſean commençados. Mas no baſtaria ſi le faltaſſe vno, ò dos dias para cumplir la edad, ſegun la mas probable opinion (aunque à algunos parece lo cōtrario) porque de derecho de verdad el tal no eſta en año incepto, y anſi non habetur pro completo. Mas ſi llega à la verdad el dezir, que ſi à caſo le faltaſſe medio dia, ſe podria ordenar. Mas lo contrario tengo por mas cierto, porque eſte aunque eſtè medio dia, no mas, antes de entrar en el año, aun no eſta en el año, lo qual es neceſſario.] Ita ille, & ante illum Nauarrus *tom.1.de tempore ordinand. conſ.9.*

Hæc ſententia eſt probabilis, ſed non minus probabilē contrariam exiſtimo, quod etiam concedit ipſe Villalobos, vt ſuprà apparet, & illam in terminis docet ita Ledeſma *in ſum.tom.1.tr.de ſacr.Ord.c.7.fol.mihi 430.* ita aſſerens. [Si vno huuieſſe de cumplir la edad el miſmo dia de los ordenes a la tarde, ò de noche ſi ſe ordenaſſe à la mañana, ò vna coſa aſſi ſemejante no parece à mi, que hauria mucho eſcrupulo, de otra ſuerte no lo tēgo por ſeguro, y acertado.] Sic Ledeſma. Ex his apparet dictū Religioſū nō incurriſſe ſuſpenſionē illā, de qua ſuprà, ſaluo ſēper meliori iudicio.

Notandum eſt tamen, quòd ſtando in rigoroſa ſententia, quòd annus debeat eſſe iam inceptus, ſufficit tamen ad ſingulos ordines, vel per vnum medium diem, annum neceſſarium à Concilio Tridentino, vt ſuprà, inchoatum fuiſſe. Et ita docet Coninch *de Sacr.diſp.20.dub.10.n.102.* & Bonacina etiam *de Sacr.diſp.8.quæſt.vnica, punct.5.n.12.*

*An ex aliqua iuſta cauſa poſſit Epiſcopus conferre maiores Ordines die Dominica?*

RESOLVT. XXVIII.

SVpponendum eſt ex communi doctrina, cum Vaſquez *in 3.par.tom.5.diſp.246. c.5. num.25.* Bonacina *de Sacram.diſp.8.q.vnica, punct. 6. n.1.* & aliis, quòd maiores ordines, non niſi in Sabbatho quatuor temporum anni, aut in Sabbatho ſancto, aut in Sabbatho ante Dominicam Paſſionis dari poſſunt. Hoc ſuppoſito, reſpondet affirmatiuè ad caſum propoſitum Villalobos *in ſum.tom.1.tract.11. dub.13.* vbi ſic ait. [Ha ſe de aduertir, que tambien ſe pueden hazer los ordenes el Domingo ſiguiente por la mañana, con tal que el, que ordena, y el qui ſe ha de ordenar continuen el ayuno del Sabado antes, porque entonces la mañana del Domingo, ſe trae al Sabado por la continuacion del hayuno, como dize vn texto. Mas eſto no lo ha de hazer el Obiſpo ſin neceſſidad, laqual ſeria ſi el Sabado no las pudo hazer, por hallarſe enfermo, que entonces podria diferir las para el otro dia.] Ita ille, ex Henriquez, quem ipſe minimè citat *lib.10. c.12. n.12.* vbi ita aſſerit. Poteſt Epiſcopus maiores ordines Dominica ſequenti poſt Sabbathum prædictum conferre, ſi cauſa ſubſit, dummodo ieiunium Sabbathi continuet vſque ad Dominicam, quod continuari dicitur poſt Miſſam Sabbathi, niſi ſumpſerit abſolutionem.

Notandum eſt etiam circa præſentem materiam de temporibus ordinandorum, quòd minores ordines Epiſcopus conferre poteſt tribus, aut etiam pluribus in qualibet Dominica, aut feſtiuo die, dummodo non videatur facere ordinationem generalem, & conſuetudo Epiſcoporum recepta concedit, vt feria ſexta veſpere ante Sabbathum, in quo Sabbatho iure poſſunt omnes ordines conferri, liceat dare ordines minores. Ita Reginald. *tom.2. lib.30.tr.1.c.5.n.26.* Henriq. *vbi ſuprà*, Villalobos *n. 4.* & Vaſquez, qui notat primam tonſuram quouis anni tempore, quouis die, hora, & loco dari poſſe, & contra Nauarrum, & alios non eſſe iure veritum, eodem die quatuor minores ordines, & vnum ſacrum recipere, & aliquando teſtatur ſe vidiſſe minores ordines ſimul cum Subdiaconatu, in eodem die eidem conferri. Ita ille *vbi ſuprà, n.47. & 48.* quicquid in contrarium aſſerat Reginaldus *loco citato, n.28.* & alij.

*Vtrùm Religioſus qui parum intelligit linguam Latinam, ſit ad ſacros Ordines, & præſertim ad Sacerdotium admittendus?*

RESOLVT. XXIX.

VIdetur reſpondendum negatiuè ex Concilio Tridentino, quod affert Bonac. *de Sacr.diſp.8. q. vnica, punct.5.n.16.* & Riccius *in praxi, tom.1. reſol.269. n.3.* vbi etiam ad ſuſcipiendos ordines minores requiritur, vt ordinandus intelligat linguam Latinam, & ideo talis Religioſus ex defectu ſcientiæ videtur irregularis, vt communiter docent DD. quidquid in contrarium aſſerat Henriquez *lib.10.cap.16.n.2.* & in gloſſa *litera Q. & lib. 14.c.8.n.11.* & in gloſſa *liter.B*, quem poſtea ſequitur Garſias *de beneficiis, tom.2. par.7.c.7.n.19.* putantes defectum ſcientiæ prohibere ſuſceptionem ordinum, ſed non facere irregularitatem.

At his minimè obſtantibus, non deſunt doctiſſimi viri, qui aſſerunt poſſe Epiſcopos ſine vllo ſcrupulo ordinare Regularem ordine Presbyteratus, qui bene legit, & cantat, quamuis ſit minus litteratus, ſic enim in aliorum ſocietate, & pro officiis religionis videtur idoneus miniſter. Et ita docet Portel *in dubiis Regul. ver. Ordines ſacri, n.6.* Henriquez *lib.10. c.16. n.2.* & Villalobos *in ſumma,*

tom.

*tom.1.tract.21. dub.34. num.6.* vbi ſic aſſerit. [Quanto à los Religioſos es coſa muy cierta, que no han meneſter tanta ſciencia para ordenarſe, como los Clerigos ſeglares, que por viuir en communidad ſe ſuple mucha, y en haziendo el defecto ſe lo reprehenden. Y anſi digo, que para que ſe ordene vn Religioſo baſta, que entienda lo que ſon los Sacramentos, y en eſpecial el del altar, ſu forma, ſu materia, y quien es ſu miniſtro, y que ſepa bien leer, y pronunciar el Latin, aunque ſepa muy poco del, en eſpecial ſabiendo cantar. Y anſi no tienen que eſcrupular en eſto los Señores Obiſpos, y no obſta contra eſto el Concilio Tridentino, porque vemos en vſo entre los hombres doctos, y de buena conſciencia lo que queda dicho, y aun reſpecto de los ſeglares no ſe pide communemente, que los que ſe ordenan de Miſſa; ſean baſtantes para enſeñar al pueblo. Y anſi pues eſta recebido entre hombres tan doctos, y graues deſta forma, y el negocio de derecho poſitiuo, muy baſtante es para quitar el eſcrupulo, mayormente, que el Concilio no habla con palabras muy apretadas; lo miſmo ſe podria dezir de los Cantores, Canonigos, Racioneros de las Igleſias Cathedrales, ſiendo hombres virtuoſos, porque corre en ellos la miſma razon, y lo veo en practica] Hæc Villalobos, quæ quidem ſunt multum à Dominis Examinatoribus adnotanda, quia valde practicabilia.

Sed non reticebo contrariam ſententiam in terminis docuiſſe Petrum Ledeſmam *in ſum.tom.1.tr.de ſacr. Ordinis, cap. concl.4.fol. mihi* 436. vbi ita ait. [No me parece, que es licito, que el Obiſpo ordene de ordenes mayores al Religioſo, que lee bien, y canta, aunque no ſepa tanto en lo que toca al Latin, y en lo que toca à lo demas. Eſto digo contra algunos modernos Theologos, que enſeñan verdad. Porque el Concilio Tridentino pone grande rigor en lo que toca à la ſciencia, y ſaber, y particularmente en lo que toca el entender Latino, y anſi no me parece licito. Tambien porque eſte tal teniendo tan corta ſciencia, y tan limitado ſaber, no puede en ninguna manera miniſtrar bien, y deuidamente en ſus ordenes, luego no es licito ordenar el tal religioſo, no es bien, que ſepa menos, que los demas, antes es razon, que ſepa mas, pues deue miniſtrar mejos en ſus proprios ordenes, que los demas.] Ita ille.

Sed prima ſententia eſt ſatis probabilis, & tuta in praxi. Notandum eſt tamen, quòd examen de ſcientia & doctrina Regularium debet fieri ab Epiſcopo, vt contra aliquos recentiores notat Vaſquez *in 3.part.tom.5. diſp.246. c.6.n.55.* & alij, & patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ.23.de refor.c.12.* ſed obſeruat Miranda *in man. Prælat.tom.1.q.39. art.2.* quòd deuoti, atque prudentes Epiſcopi hac in re ſuã exonerant conſcientiam cum conſcientiis Prælatorum, ipſorum commendatitiis litteris plenam atque omnimodam fidem adhibendo; vnde rectè Villalobos *in ſum.tom. 1.tr.11 dub. 14.n.5.* ſic aſſerit. [Los Obiſpos tienen derecho para examinar los Religioſos, que han de ordenar, como conſta del Concilio Tridentino. Mas bien podian paſſar los Obiſpos con el examen de los Prelados, teniendo dellos buen concepto quanto à eſto, que como los cometen à vn Examinador, tambien los pueden comete à vn Prelado.] Et ita etiam docet Portel *in addit. ad dubia Regul.ver.Ordines ſacri,n.1.*

### *An Gregorij XIII. excommunicationem incurrant ingredientes Monaſteria Monialium, non prætextu licentiarum, ſed abſque vlla prorſus licentia, etiam ad malum finem?*

#### RESOLVT. XXX.

Affirmatiuam ſententiam amplexus eſt Nauarr. *in manuali,cap.27.num.50.* Quaranta *in ſum.Bullarij, ver. Monaſteria Monialium.* Azor. *p.1.lib.13.cap.8.q.vlt.* Beia *p.1.caſ.30.* Villagut *de vſuris,q.35.n.vlt.* & nouiſſimè Flauius Cherubinus *in compen.Bullarij,tom. 2. conſt. 28. Greg. XIII.ſchol.1.* Homobon. *in exam. Eccl.p.1.tr.5. c.9.q.60.* Aloyſius Riccius *in praxi,tom.1.reſol.544.n.4.* Filliuc. *tom. 1.tract.15.c.5.n.119.* Rainerius *in Catalogo cenſurarum,c.9. excomm.15.*

Probatur primò, nam, vt ait Nauarrus & Villagut, ita declarauit Pius V. & Gregorius XIII. Secundò, quia lex, quantumcumque pœnalis, extenditur ex rationis identitate ad caſum ſimilem, vt probat Lambertin. *de iure patronat.lib.2.part.1.quæſt.10. art.4.* Gomez *var.lib.1.cap.5. num.12.* Molin. Iuriſconſultus *de primog. Hiſpan.lib.1.cap. 5. num.10.* Gutierr. *qq. canon.lib.1. cap.10. num.3. & conſ. 50. num.8.* Roland. à Valle *conſ.27. num.48.vol. 1.* & alij. Et ita, ait Beia *vbi ſuprà*, receptum eſt in tota Italia.

Sed contrariam ſententiam probabiliorem eſſe iudico, quam tuetur, & docet Sanchez *in ſum. tom.2. lib. 6. c. 16. n.73.* qui citat Suarez, Zerolam, Philiarchum, Sayrum, & Rodriquez, quibus ego addo Mirandam *in manuali præl. tract.de Monialibus, quæſt.2. art. 10. concl.1.* Megala *in 3.part.lib.4.cap.3.quæſt. 2. num.11.* Barboſam *de poteſt. Epiſcop.part.3.alleg.102.num.37.* Hieron. Campanile *in diuer.iur. can.rubr.12.cap. 16.num.24.* Ratio eſt, quia cùm excommunicatio ſit pœnalis, non eſt amplianda, ſed potiùs reſtringenda, nec extendenda ad alium caſum, etiamſi ei ſit ſimilis, aut etiam maior ratio. Et cùm hæc Bulla ſit valde rigida, & contineat grauiſſimas pœnas, non eſt extendenda ad caſum in illa minimè comprehenſum; ſolùm igitur incurrunt in excommunicationem fulminatam in dicta Bulla, admittentes, & ingredientes prætextu licentiarum, non autem qui admittunt & ingrediuntur ſine licentia, etiamſi ingrediantur & admittantur ad malum finem.

Ad primum argumentum contrariæ ſententiæ reſpondetur, de illis Pontificiis reſponſionibus non conſtare authenticè. Ad ſecundum reſpondetur, non eſſe certum, legem pœnalem extendendam eſſe quoad pœnam in ea cõtentam ad caſum non expreſſum, etiamſi in illo eadem inueniatur ratio, imò oppoſitum eſt verius omnino, & tenendum. Ita docent Barboſa *de poteſt. Epiſc.part.3. alleg. 101.num.82.* Anton. *c.fin. n.58. de conſuet.* Caſtrus *lib. 1. de leg.pœn.cap.7.doc.3.* Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 10. diſp.4.num.3.* & alij communiter. Vide etiam pro confirmanda noſtra ſententia Caietanum *ver. excomm. in principio, & in cap.47.* & gloſſam communiter receptam *in Clemen.1.de conſangu. & affin.* pro quo etiam facit Decret. *in c.quicumque,de ſent.excom.*

### *An Moniales admittentes aliquem intra ſepta Monaſterij prætextu licentiarum, incurrant in excommunicationem?*

#### RESOLVT. XXXI.

Incurrere exiſtimant multi, & ita nouiſſimè docuit Filliucius *tom.1.tract.15. cap.6.n.119.* aſſerens, ſic habere praxim ſacræ pœnitentiariæ.

Sed negantem ſententiam (quam etiam probabilem & tutam in praxi eſſe iudico) ſuſtinent Rodriquez *in qq. regul.tom.1.q.47.art.3.* & poſt illum Sanchez *in ſum. tom. 2. lib.6.cap. 16. n. 84.* quibus ego addo Mirandam *in man. præl.tract.de monial.q.2.art.12. concl.3.* & Barboſam *de poteſt.Epiſc.p.3.alleg.102.n.33.* Ratio eſt, quia pœnæ appoſitæ in dicta Bulla imponuntur Abbatiſſis & Abbatibus Conuentualibus, &c. Et ibi nulla de Monialibus efficitur mentio. Et tamen in dicto motu proprio volens Sum. Pontifex comprehendere ſub pœnis, quaſcumque Moniales admittentes illos, qui ingrediuntur Monaſteria cum licentia Epiſcopi; in caſibus non neceſſariis, totum hoc expreſſit, dicens indefinitè *Moniales.* Ergo ſi idem voluiſſet ſuprà in aliis pœnis, hoc expreſſiſſet, ſicut poſtea, vt diximus, expreſſit.





### *An Moniales admittentes aliquem intra ſepta Monaſterij, etiam ad malum finem, incurrant in aliquam excommunicationem?*

#### RESOLVT. XXXII.

Suprà diximus, non incurrere excommunicationem inflictam in Bulla Greg. XIII. ſed dubium eſt, an incurrant in excommunicationem latam in Conc. Trid. *ſeſſ.25. de regul.c.5.* Negatiuè verò reſpondendum eſt, quia in textu Concilij excommunicatio fulminatur contra ingredientes Monialium Monaſteria: de Monialibus, ſeu aliis admittentibus nullam facit mentionem, &, vt ſuprà probatum ſatis eſt, excommunicatio non extenditur de caſu ad caſum: etiamſi ſimilis ratio adſit. Et ita ſcribens litteras Moniali, & mittens, non incidit in cenſuram comminatam aduersùs colloquentes cum Monialibus; vt probat Barboſa *de poteſt.Epiſc.alleg.102.n.82.* & alij.

### *An ingredientes ſepta Monaſterij, & cum aliqua ſacra Virgine inceſtum committentes, ſi caſus ſit occultus, poßint ab Epiſcopo abſolutionem excommunicationis obtinere?*

#### RESOLVT. XXXIII.

Negatiuè reſpondent Chappeauilla *tract. de caſ. reſer. cap.14.q.3,diffic.2.* Iacob. de Graffiis. *in pract.lib.1 c.5. num.17.* Zecchius *de caſ.reſer.caſ.10. num. 1.* Aloyſius Riccius *in praxi tom. 1.reſol.544.n.5.* cum aliis. Et ita aſſerunt reſpondiſſe ſacram Cardinalium Congregationem. Et ratio eſt, quia reſeruatio huius excommunicationis fuit publicata, & facta poſt editum Concil. Trident.

Sed contrariam ſententiam in terminis noſtræ Bullæ docet Homobonus de Bonis *in exam. Eccleſ. p. 1. tract. 7. cap. 17.quæſt.26. & in tract. de ſtatibus part.1.cap.22.* Zerola *in praxi Epiſc.p.1.ver. Moniales,q. 8.* Sanchez *in ſum.tom.2. lib 6.cap.15. num 76.* vide etiam P. Peregrinum *tract. de duello,quæſt. 37.num.3.* & Suarez *in 3.p.diſp.30. ſect.2.n 12. & 13.* & alios. Et ratio eſt, quia cùm in reſeruatione huius excommunicationis non efficiatur mentio de Concilio Tridentino, non cẽſetur illi derogatum, ex communi DD. ſententia, quia decreta alicuius Concilij generalis, ita matura deliberatione ſancita ſunt, vt videantur continere vim clauſulæ derogatoriæ ad alia decreta, poſteriora contraria niſi de illis ſpecificam faciant mentionem, vt docet Henriquez *lib.7.cap.26.n.3.* Viualdus *in Candel. part.3.cap.12. n.22.* vide etiam Menoch. *vol.3.conſ.294.num.11.& 12.* Guttierrez *in l.nemo poteſt.de legat.1.n.173.* Caualc. *p.1.decal.29. n.16.* Couarr. *lib.4.var.c.16.* Pariſium *lib.2.conſ.2.num. 30.* & alios.

Dicendum eſt igitur, Epiſcopum vigore Concilij Tridentini *ſeſſ.25.c.6.* poſſe abſoluere ab excommunicatione, dummodo ſit occulta, contracta ex ingreſſu ad Monaſteria Monialium contra prohibitionem Gregorij XIII. quod etiam poteſt facere Confeſſarius vigore Bullæ Cruciatæ.

### *Cùm in Regno adſit magna penuria carnis, & in perniciem rei frumentariæ, in dies plura animalia macellentur: dubitatur, an ſine metu excommunicationis, liceat emere à Turcis ſupradicta animalia, & cum illis alia victualia permutare?*

#### RESOLVT. XXXIV.

Reſpondendum videtur negatiuè, ex authoritatate *cap. quod olim,de Iudæis,* & Clementis Papæ V. *in Extrauag. Multa mentis,eod.tit.* vbi ex renouat. Extrauag. Nicolai Papæ IV. incip. *Olim.* Et hanc ſententiam videntur docere doctiſſ. Iureſconſultus Alexander *vol.7.conſ 130.* Boërius *dec.178.* & Straccha *tract.de mercatura,p. 2.à num. 40 vſque ad n.51.* adi illos, & non pigebit.

Sed mihi ſuppoſita veritate facti, (quod an ita ſit videant illi ad quos ſpectat,) contraria ſententia probatur, nam puto licitum eſſe deferre infidelibus etiam res prohibitas, quando deferuntur in Chriſtianorum vtilitatem, vt ſi commutentur, vel vendantur pro iis, quibus indigent magis Chriſtiani, ita vt maior ſit eorum commoditas, quàm damnum inde proueniens. Ita ex Societate Ieſu Valer. Reginald. *in praxi tom.1.lib.9.c.18.n.301.* & ex Dominicana familia Ant. de Souſa *in expoſit.Bullæ Cœnæ,c.8.diſp.51. n.2.* & Altherius *de cenſuris,tom.1.diſp.8.lib.5.c.5.col.4.§. vt probetur.*

Adde quòd commercium prohibitum cum infidelibus non intelligitur tempore neceſſitatis, vt in caſu ſimili, & aliis notauit nouiſſimè Coninch. *de actibus ſupern. lib. 2. diſp.18.num.168.* cum Suarez *tract.de fide,diſp.18.ſect.6.n.8.* Ratio eſt, quia, vt notauit Filliuc. *in quæſt. mor.tom.1.tr. 16. cap. 6.num.147.* & Sayrus *de cenſuris, lib. 3.c. 12. num. 34.* præceptum Eccleſiaſticum non obligat cum tanto rigore; & neceſſitas in hac materia accipitur moraliter, vt etiam in caſu ſimili notauit Anton. Ricciull. *in tract.de iure..perſon. lib.2.c.41.n.19.* & Tabiena *ver.medicus,n.17.ver.Iudæus n. 6.* Talem verò neceſſitatem extare in caſu noſtro multi aſſerunt. Ergo licitum erit tale commercium, & permutationes rerum.

Nec obſtant ea, quæ in contrarium adduximus, nam illi Doctores, & *c. quod. olim,* non loquuntur in caſu noſtro; videlicet neceſſitatis, ſeu quando victualia deferuntur propter maiorem vtilitatem, quam nos Chriſtiani percipimus.

Ad Extrauag. Nicolai & Clementis reſponde cum Sylueſtro *ver.excommunicatio,7.n.60.* & Petro Lorca *in 2.2.D. Thomæ diſp.51.n.7.* ibi, Pontifices prohibere deferre victualia, & alia mercimonia in Alexandriam, vel alia loca Sarracenorum terræ Ægypti, non autem prohibere ſupradicta deferre ad alios Sarracenos: & ſi hoc prohiberent, reſpondendum eſt, vt ſuprà ad *c. quod olim,de Iudæis,* non loqui videlicet in caſu noſtro.

Sed vide, ſi libet, circa præſentem quæſtionem Conradum *de contract.tract.3,q.51.concl. 1.* Gambarupta *tr.de caſibus reſer.c.7.* Bonacinam. *de leg.diſp.3.q.2.punct.5.n.2.* Molf. *in ſum.tom.1.tract.11.c.2.n.23.* Sayrum *de cenſuris,lib.3.c.11.* Altherium etiam *de cenſuris tom.1. diſp. 8. lib.5. c.1. & ſeq.* Suar. *in 3.p.D. Thom.tom.5.diſp.21 ſect.2.* Nauar. *in c.ita quorundam,de Iudæis,* Filliuc. *tom 1.tr. 16. c. 6.n.159.* Azotium *p. 1.lib 8.c.23.* Duardum *in Bull.Cœn.lib.2.can. 7 q. 1. & 2.* Tabienam *ver.excomm.6.num.5. & 6.* Naldum *in ſum. ver. Infidelis, num.2.* qui fuſiſſimè tractant, quando iure poſitiuo ſit licitum, vel prohibitum infidelibus mercimonia deferre.

### *An ſint habendi tractatus ante electionem?*

#### RESOLVT. XXXV.

Ambitio tanquam peſtis electionum fuit ita ſacris Canonibus exoſa, vt per *c. cum poſt petitam, de elect.* caſſanda & annullanda ſit electio illius, qui etiam requiſitus antequam eſſet electus, conſentit electioni de ſe faciendæ, & ita notauit Miranda *in manuali præ.p.2.q. 23. art. 30.concl.* & Per. de Gregor. *tr. de elect.cap.9.n.6.* vnde *in c.per inquiſitionem, eodem tit.de elect.* ſtatuitur per multas cauſas electionem Epiſcopi Tholoſani eſſe indignam, & præcipuè, quia ipſe & eius amici ante ſuam electionem habuerant colloquium cum quibuſdam Canonicis, eóſque ſollicitauerant precibus, vt ipſum eligerent in Epiſcopum; vbi Abbas noſter Panormitanus *num.5* infert, quòd ſollicitans electores pro ſua electione, facit ſe indignum, quia probatur ambitioſus. Et hoc non ſolùm quando ſollicitat per ſe, ſed etiam per alios, vt patet ex textu, *vbi ſuprà.*

His ita ſuppoſitis, iuris communis veſtigia ſequendo, ſanctè determinatur in aliquibus Religionibus ſub pœna excõmunicationis latæ ſententiæ, vt ante electionẽ nullus

tractatus de illa habeatur. In quibus verbis non prohibentur tractatus conſultorij, ſed tractatus ambitioſi, pactionales, conditionales, &c. vt rectè notauit Pet. Baſilius *in direct. elect. p. 5. cap. 3.* Guillielmus Mandagotus *in Miſcellan. cap. de elect. num.* 12. & ante illos Abbas *in cap. bonæ memoriæ el 2. num. 12. de elect.* cum aliis.

Igitur permiſſus eſt ante electionem tractatus conſultorius, & ita *in cap. ſi tranſitus, diſt.* 79. probatur quòd viuente Papa habeatur tractatus conſultorius de ſubſtitutione Summi Pōtificis. Ex quo aſſerit Cucchus *in inſt. can. l. 4. tit. 1. n.* 185. quòd poteſtas conſulendi, ac de perſonæ alicuius qualitate ſermonem inter ſe habendi, vt ſciant an dignus quis ſit, qui re poſtulante eligi poſſit, non eſt adempta Collegio, viuente adhuc Prælato. Et Per. Gregorius *in partit. iur. can. lib. 1. tit. 29. cap. 5.* obſeruat, quòd gloſ. *cap. in nomine Domini, ver. tractantes, diſt.* 25. vult quòd poſtquam in vnum locum conuenerint electores, habeant tractatum antequā eligant, nominando vtrimque plures per modum conſultationis, qui videantur digni electione, & fiat collatio nominatorum perſonæ ad perſonam & meritorum. Sed quia hodie electiones vtplurimum efficiuntur per ſecreta ſuffragia, non præmittuntur tales tractatus electioni, qui antea erat ita neceſſarius, vt aliter non valeret electio vt patet *in cap. Geneſi, de elect.*

Patet igitur ex dictis, poſſe Regularem huiuſmodi Religionū, vbi adeſt talis prohibitio cum electoribus, vel aliis per modum conſultationis tractatum habere de aliquo eligendo, vt ſciat an talis ſit dignus, vel ſi ſciat, vt alios informet & perſuadeat, vt illum eligant, dummodo hoc non efficiatur ex conſenſu, ſeu opera ipſius eligendi, ſed ſponte ab electoribus, propter illius merita. Nam ſi talis tractatus efficeretur per ſeipſum, vel per alios, eſſet tractatus ambitioſus, vt *ſuprà in c. per inquiſitionem, de elect.* & ideo prohibitus, vt pactionalis, conuentionalis, conditionalis, &c. Et ita determinauit Molfeſius, heu quōdam noſter, *in ſum. tom. 1. tract. 6. c. 16. n. 47.* vbi ſic aſſerit. Ambitioſus per canones repellitur, tanquam indignus ab electione. Quod eſt valde notandum contra eos, qui etiam procurare ſolent, vt eligantur ab aliis, nam nullæ ſunt poſtea electiones; vt præcipuè ſancitur per conſtitutiones, quibus etiam huiuſmodi tractatus præcedentes prohibentur ad euitandam omnem ſuſpicionem ambitionis. Ita ille, & ego.

### *An qui emiſit votum religionis ſatis faciat, ſi habitum D. Ioannis aſſumat?*

RESOLVT. XXXVI.

PRima facie videtur reſpondendum negatiuè, non quia dicti milites non ſint verè Religioſi, vt fusè docuerunt Iacobus de Graffiis *tom. 1. lib. 3. conſ. 11. n. 14. de regular.* Gonzales *in reg. Cancellar. gloſſ. 8. n. 57. & 65.* Mandoſius etiam *in reg. 3. Cancell. q. 11. num. 3.* Sarmiento *de redd. Eccl. lib. 4. q. 1. num.* 13. Cabedo *de patr. reg. Cor. c. 15. n. 16. & 18.* Tallada *de viſit. carcer. c. 11. §. 4. n. 13.* & facit Abbas *in rubr. de reg. 6. num.* 4. Sylueſt. *verb. Relig. 1. quæſt. 1. verb. tertium Hoſpitalarij*, cum Soto *de iuſt. lib. 7. q. 5. art.* 3. Sed quia regulariter ille, qui vouit Religionem, intendit ſtatum viuentium in cōmuni, & alienum à tumultu, pompis, ac viris ſæcularibus. Et ita docent Portel *in addit. ad dubia reg. ver. Religioſus, n.* 4. Sanchez *in ſumm. tom. 1. lib. 4. cap. 16. n.* 12. Corduba *in ſumm. quæſt.* 148. Barth. à S. Fauſto *in theſ. relig. lib. 1. quæſt. 187. num.* 3. Zecchius *vbi infrà*, cum aliis. Hæc ſententia eſt probabilis.

Sed contrariam non minus probabilem eſſe puto, quam tuentur Aragon, *in 2. 2. q. 88. art.* 11. Rodriquez *part. 2. cap. 97. n.* 8. & ex Societate IESV Azor. *tom. 1. lib. 13. cap. 4. quæſt.* 4. & poſt illos Fernandez *in exam. Theol. mor. part. 3. c. 9. ſect. 11. §. 18. n.* 10. Regius *in reſol. caſuum conſcientiæ, caſ. 53. n.* 15. & ex Dominicanorum familia Hieronymus Cenedo *de paupertate Religioſa, dub* 10 *n.* 6. qui omnes aſſerunt, quòd ſi quis faciat votum Religionis, optimè ſatisfaciat voto, ſi Religionem Equitum D. Ioānis ingrediatur, niſi aliud cùm vouerit expreſſerit; quia dicti Equites ſunt verè, abſolutè, & ſimpliciter Religioſi, & more aliorū Religioſorum tria ſolemnia vota emittunt, ſub regula ab Gelaſio II. & Honorio IX. approbata, & in ipſis Bullis Pōtificiis abſolutè Religioſi appellantur. Et ideo hanc ſententiam probabilem etiam vocauit Vecchius *in praxi Nouitiorum diſp. 10. dub. 2. n.* 4. & Barthol, à S. Fauſto *vbi ſuprà*. Nam contrariam, quam ipſi tuentur, vocant tantùm probabiliorem, & à fortiori, docet etiam noſtram ſententiam Baſil. Pontius *tract. de impedim. matrim. cauſa 27. q. 2. §.* 4. vbi exiſtimat votum de ſuſcipienda Religione ſatis aliquem adimplere, ſi ordinem D. Iacobi ſuſcipiat, & profiteatur in illo, ex confirmatione Alexandri III. quæ in ſtabilimentis eiuſdem ordinis præmittitur, & non ex aliis litteris Pontificiis, quibus ea votorum profeſſio, ſub qua eum ordinem confirmauerat Alexander III. immutata aliqua ex parte ſit. Et hæc opinio eſt valdè notanda, quia eſt noua, & à viro ſapientiſſimo emanata.

### *An in obtinendis Beneficiis liceat paciſci de aliquo temporali retribuendo, tanquam motiuo, ſeu pro recompenſatione gratuita?*

RESOLVT. XXXVII.

VIdetur reſpondendum negatiuè ex *cap. finali, extrà de pactis*, vbi hæc verba habentur. In ſpiritualibus omnis pactio, omniſque conuentio ceſſare debet; & *in c. quæſitum, extrà de rerum permutatione*, adnotatur eiuſmodi pacta continere ſemper labem ſimoniæ; vide etiam *c. tua nos, de ſimonia, &c. quam pio 1. q. 2.*

Non reticeam tamen contrarium docere Valent. *tom. 3. diſp. 6. quæſt. 16. punct.* 3. vbi ſic aſſerit. Duobus modis poteſt fieri tale pactum, de quo loquimur; vno modo ita, vt promiſſio temporalis petatur aliquo modo in iure prohibito: aut quaſi temporale debeatur ratione rei ſpiritualis, tanquam eius pretium vt ſpiritualis eſt. Et ſic certum eſt, id eſſe ſimoniam prohibitam, vel iure naturæ, vel iure poſitiuo. At eiuſmodi pacta damnantur in capitulis citatis pro contraria ſententia. Altero modo poteſt pactum fieri ita, vt petatur promiſſio temporalis eo modo, & eodem prorſus titulo conferendi, quo licitum eſt, ipſum temporale actu recipere, & dare pro ſpirituali, videlicet tanquam ſtipendium, vel remunerationem quandam cuiuſdam operis, vel officij, quod ſecundùm communem quidem rationem officij, conſideratum meretur, etiam ex iuſtitia, recompenſationem: & conſideratum etiam vt officium ſpirituale, meretur remunerationem gratuitam, & ſic de temporali, pro ſpirituali paciſci, in foro conſcientiæ licitum eſt. Ita Valentia, qui citat Gabrielem, Caietanum, Sotum, & alios. Et ita etiam nouiſſimè poſt Valentiam, docet hanc ſententiam ex eiuſdem ſocietate Ieſu, Adamus Tannerus *in 2. 2. diſp. 5. q. 8. dub. 3 n.* 76.

Igitur dicendum eſt probabiliter, quòd eo modo, quo ſine ſimonia, licet temporale pro ſpirituali dare, vel recipere, etiam licet de hoc ipſo paciſci nempe tanquam dando, vel ex gratitudine, etiam ex iuſtitia, non quidem pro re ſpirituali vt ſpiritualis eſt, ſed ſpectata ſecundùm communem rationem laboris prout ex obligatione oneroſa ſuſcipitur,

Vnde ex hoc capite, nempe pro ſuſcepto labore, Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 4. diſp. 53. num.* 17. ex Nauarro adnotauit, non eſſe ſimoniam ſi aliquid detur pro labore ſuſcepto eundo, & redeundo ad beneficij collatorem, vel in recompenſationem alicuius damni, quod ea de cauſa patitur, aut alterius lucri, quod amittit. Sed cauendum eſt, ne ſub hoc colore aliquid accipiatur, vltra æſtimationem talis laboris, vel damni, ſecundùm ſe ſpectati, aliàs ſimonia non euitabitur. Ita Suarez, ſed quoad hoc vltimum, impugnatur nominatim à Rodriq. *in ſum. tom. 4. c. 133. n.* 19.

quia



quia, [el dicho trabajo (hæc ſunt eius verba) y la recompenſa del daño, y de la ganancia, que per ſe pierde, ſon coſas meramente temporales, las quales con dineros ſe pueden vēder. Empero ſera pecado de iniuſticia, mortal, o venial ſegun el exceſſo del dinero, que ſe da.] Hæc ille. Igitur ſecundùm Rodriquez, ſi detur aliquid notabile vltra æſtimationem laboris, non erit peccatum ſimoniæ, ſed iniuſtitiæ, quia emitur ille labor vltra iuſtum pretium, quod meretur. Sed hoc peccatum iniuſtitiæ, exiſtimo ego quod euitari etiam poteſt; ſi illud plus quod labor ille non meretur, detur liberaliter, & gratis; ita vt in tali caſu adſit contractus iuſtæ emptionis, & liberæ donationis. Notentur hæc, quia ſedabunt multos ſcrupulos.

### *An habens rem cum meretrice, teneatur in conſcientia ſoluere ei mercedem ſolitam, ſiue eam promiſerit, ſiue non?*

RESOLVT. XXXVIII.

AFfirmatiuam ſententiam docēt communiter Doctores inter quos videndi ſunt, Homobon. *in exam. Eccl. part. 2. tract. 9. c. 9. quæſt.* 24. Regius *in reſol. caſ. 8. per totum*, Sayrus *in Claui Regia, lib. 10. tr. 5. c. 3. n.* 34. Aragon. *in 2. 2. q. 32. ar. 7. & q. 62. art. 5. concl.* 8. Azor. *p. 3. lib. 4. c. 21. q.* 2. Salonius *in 2. 2. q. 62. ar. 5. cont. 4. concl. 1. & 2.* Caiet. *in 2. 2. q. 32. ar.* 7. Cordub. *lib. 1. q. 32. art.* 2. Sotus *de iuſt. lib. 4. q. 7. art.* 1. Syluius *in 2. 2. q. 32. ar. 7. concl.* 3. Tannerus *in 2. 2. diſp. 4. dub. 10. n.* 300. Malderus *in 2. 2. tr. 1. c 9. dub.* 7. Turrianus *in 2. 2. tom. 2. diſp. 14. dub.* 1. Villalobos *in ſum. tom. 2. tract. 11. diffic. 16. n.* 8. Rebell. *p. 2. lib. 18. q. 1. n.* 9 Lopez *part. 1. c.* 105. Leſſius *lib. 2. c. 14 dub.* 8. Ratio eſt, quia pro omni actu pretio æſtimabili poteſt accipi merces; ſed actus meretricius, ſi conſideretur, non vt turpis, & illicitus, ſed vt naturalis, & delectationi hominum accommodatus, poteſt pretio æſtimari. Ergo, &c.

Igitur materia, pro qua datur turpe lucrum, etſi ſit res illicita, non eſt tamen res inuendibilis, & de actu fornicationis, etſi prohibitum ſit ſub mortali, ne fiat, non eſt tamen iuſtum, vt ſi committatur, gratis committatur, & per conſequens, neque prohibitum, vt pro illo merces accipiatur. Et licèt ſit illicitum, dare, vel recipere pretium, ante fornicationem commiſſam, quia talis datio, vel acceptio includit conſenſum in fornicationem. Poſt peccatum verò commiſſum datio, & acceptio poteſt eſſe abſque peccato, ſi nimirum detur & accipiatur, non ex complacentia peccati, ſed ratione obſequij, vel laboris alteri præſtiti.

His tamen non obſtantibus, non deſunt DD. qui probabiliter contrariam ſententiam docent, vt Durandus *in 3. diſt. 39. q.* 4. Medina *Cod. de reſtit. q.* 20. Nauar. *c. 17. n. 40. in fin.* & ex neotericis Paulus Comitolus *in reſp. mor. lib. 3. quæſt.* 5. & Ioan Valerus *in differentiis vtriuſque fori, verb. Promiſſio, differ.* 8. vbi putat ſupradictos Doctores ſupponere falſum, nempe vſum corporis meretricis ad actum venereum eſſe in foro conſcientiæ vendibilem, ipſúmque ſeparari poſſe ab ipſo peccato. Nam in ipſo vſu corporis turpi conſiſtit perfectio, & conſummatio peccati; quomodo igitur poteſt ſeparari in rei veritate ab ipſo peccato; Reuera enim meretrix petit mercedem, propter delectationem illam libidinoſam, quam debet exhibere ad ſe accedenti, per vſum ſui corporis, & propter eandem promittit vir mercedem, & ſic propter peccatum. Cæteras rationes vide apud Valerum, & Nauar. *vbi ſuprà*. Ex quibus apparet, vtramque ſententiam eſſe probabilem, licèt prima ſit probabilior. Vnde non erit neganda abſolutio, ſi aliquis rem habuerit cum meretrice, ſi poſtea nollet ſoluere mercedem conſuetam, etiam ſi eam dare promiſerit.

Notandum eſt tamen cum Valero *vbi ſuprà*, & Tolet. *lib. 5. cap. 21. num.* 7. quòd datio, & acceptio pro fornicario actu eſt mala, quia pro re turpi, & ob peccatum, ſed non contra iuſtitiam, & ideo etiam ſecundùm hanc poſteriorem ſententiam, meretrix non tenetur reſtituere. Idem dicendum eſt contra Lopez, feminas, accipientes munera à ſuis amatoribus, ſpe conſequendi ab ipſis, quod prauè cōcupiſcunt, ſi non conſentiant non eſſe obnoxias reſtitutioni, quia nullus eſt amator, qui non verecundaretur, & erubeſceret, ſi præfata munera ſibi remitterētur, verè enim ea donant, licèt ob deflexum finem, & ſupradictæ fœminæ, non recipiunt ea ſub pacto, ſiue tanquam pretium impudicitiæ, ſed tanquam incitamentum. Et ita docet Valerus *vbi ſuprà ver. Reſtitutio, differ.* 34. & Rebellius *part. 1. lib. 3. quæſt. 7. n.* 6.

### *An aliquid pro alio, inuito creditore, ſolui poſſit?*

RESOLVT. XXXIX.

NEgatiuè reſpondeo cum Tannero *in 2. 2. diſp. 4. q. 6. dub. 14 n.* 375. Turriano *in 2. 2. to. 2. diſp. 10. dub. 1. n. 2. & 3.* Valentia *tom. 3. diſp. 7. q. 6. punct.* 7. & aliis, quando res ablatæ non ſunt vſu conſumptibiles, ſecus ſi eſſent, vt pecunia, frumentum, &c. & ideo non eſt in optione creditoris ſoluere æſtimationem rei debitæ, vt ſi quis abſtulit ab alio librum, equum, & ſimilia, vel debet ex cauſa legati, vel aliàs domum, oliuetum, vineam, & ſimilia, non eſt in eius poteſtate ſoluere pro ſpecie debita æſtimationem, ſeu valorem illius, nam, vt patet ex *l. cum à quo, & ex l. manifeſti, C. de ſolution.* aliud pro alio inuito domino, reddi non poteſt, ſi res extat.

Non reticeam tamen Ioan. Valerum *in differentiis vtriuſque fori, ver. debitum, differ. 8. n.* 1. aſſerere, ſupradicta eſſe vera in foro exteriori, non autem in foro conſcientiæ, in quo ex vi reſtitutionis, vel obligationis ad rem reddendam, ſatisfacit quis reddendo eius æſtimationem, & valorem, vel aliam rem eiuſdem prorſus bonitatis, & quantitatis; quia ſic reparatur damnum ſecūdùm æqualitatem. Dixi, ex vi reſtitutionis, vel obligationis ad rem reddendam; quia alia ratione poſſet peccare, ſi rem in ſpecie non reſtituit, videlicet contra charitatem, dando occaſionem domino contriſtationis, & iræ, quando ſcit id eum ægrè laturum; aliàs enim, ſi hoc non timetur, nullum quis peccatum committit, non reſtituendo rem in ſpecie ablatam, etiamſi extet. Ita Valerus, qui pro hac ſententia citat Petrum à Nauarra *lib. 4. cap. 1. n.* 5.

### *An qui emit domum, vel fundum ad plura debita hypothecatum, teneatur dicta debita in conſcientia ſoluere?*

RESOLVT. XL.

AFfirmatiuè reſpondent aliqui ex authoritate *l. ſi conuenit. §. fundus ff. de pignor. actio. l. alienatio ff. de contrahend. emp. & ex cap. cùm non ſint, de decimis*, quia res cum ſuo onere tranſit; ſed fundus, ſeu domus empta, pro pluribus debitis eſt hypothecata. Ergo, &c.

At his non obſtantibus, Ioan. Valerus *in ſuis differentiis vtriuſque fori, ver. debitum, differ.* 11. aſſerit, quòd ſi in rei veritate principalis debitor ob ſuam inopiam non ſit ſoluendo, non tenetur emptor rei hypothecatæ præfata debita ſoluere. Tum quia nihil peruenit ad eum de prædictis debitis. Tum quia cùm principalis propter inopiam remaneat coram Deo deobligatus, per conſequens multo magis iſte emptor rei hypothecatæ; quia acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis. Nec obſtat venditorem poſſe rei ſuæ onus hypothecæ imponere, quod trāſit in emptorem.

Nam reſpondeo, quòd licet onus illud reale ſit penes rem, obligatio tamen conſcientiæ ſolùm reſpicit perſonam venditoris onus imponentis, qui ſolùm tranſmiſit in emptorem actionem realem paſſiuè, non tamen perſonalem; vnde donec per iudicem condemnetur, non tenetur in conſcientia ad ſolutionem illorum debitorum. Ita Valerus qui an loquatur de cenſibus decurſis, & an eius opinio ſit probabilis, remitto me iudicio aliorum.

*An ſi aliquando multis imminet periculum vitæ vt ſit in naufragio, bello, peſte, &c, tunc ſinguli poſſint breuiter dicere aliqua peccata, & ſic abſolui?*

RESOLVT. XLI.

NEgantem ſententiam docet Nauarrus *de pœn. & rem. lib 5. c. 13. n. 2.* ſed vt verum fatear, bonus iſte ſenex, fuit non parum moribundis infenſus, nam illis, etiam denegauit abſolutionem per nutus, & ſigna.

Dicendum eſt igitur, poſſe confeſſarium in ſupradicto caſu pœnitentes abſoluere non audiendo omnia peccata, Ita docet Suarez *in 3. part. tom. 4. diſp. 23. ſect. 1.* Coninch *de Sacram. diſp. 7. dub. 9. n. 74.* Ioan. de la Cruz *in direct. p. 2. de ſacram. Pœn. q. 3. dub. 5. concl. 3.* Villalobos *in ſumm. tom. 1. tract. 9. dub. 33. n. 6.* vbi ſic aſſerit. [ El Confeſſor que confieſſa los que eſtan en tormenta baſta, que oyga dos, o quatro pecados à cada vno, y aſſi los abſuelua, ſino puede oyrlos enteramente. La razon es, porque puede vno callar el pecado, por el daño temporal, que ſe ſigue a otro, luego mejor podra por el peligro eſpiritual de los otros, queſi no es aſſi no ſe pueden confeſſar. ]

Sed plus addit Vaſquez (attendat Lector) *in 3. p. tom. 4. q. 95. dub. 2. art. 2. n. 2.* nempe quòd in tali caſu, tenetur Sacerdos ex charitate, vt aliis ſubuenire poſſit, confeſſionem non perficere; immo ſi ipſe non vellet, quia forſan ſcrupulo detineretur, aut alia de cauſa, pœnitens, quia videret aliorum periculum, poteſt non perficere confeſſionem, imò tenetur, & ratio eſt, quia teneretur aliis ſuccurrere, nec detinere ſacerdotem. Ita Vaſquez.

Notandum eſt etiam, quòd quando imminens periculum, aliud non permitteret, poſſent omnes ſimul oſtendere dolorem, & aliqua peccata confiteri, & ſic ſimul omnes abſolui vnica forma. Ita Coninch *vbi ſuprà*, & Doctores, quos citat & ſequitur Fagundez *de præcepto Eccleſ. tract. 2. lib. 1. cap. 3. num. 11.* Reſtat modò reſpondere ad argumentum contrariæ ſententiæ. Dico igitur talem confeſſionem eſſe integram formaliter, ſed non materialiter.

*An excommunicatus, ſi non poſſit ſatisfacere, debeat ſaltem præſtare Confeſſario iuratoriam cautionem?*

RESOLVT. XLII.

DOctores communiter affirmatiuam ſententiam docent, ſed cùm viderem confeſſarios etiam communiter id in praxi non obſeruare, non parum laboraui, vt inuenirem aliquos Doctores, pro tuenda eorum praxi, & pro contraria ſententia firmanda, & tandem inueni Ioan. Valerum *in differentiis vtriuſque fori, ver. abſolutio, differ. 5. num. 3. & differ. 11. in fin.* & Henriquez *lib. 7. cap. 13. n. 2. in gloſſa littera. I. & cap. 28. num. 3. gloſſa littera A.* aſſerere, in foro conſcientiæ, ſatis eſſe propoſitum firmum pœnitentis, quia cautio iuratoria, *cap. ſolet. de ſentent. excomm. in 6.* requiritur tantùm pro foro exteriori, in caſibus expreſſis. Et ita etiam docet Nauarrus *cap. 27. num. 278.* ſic limitans quod dicit *in cap. 26. num. 3.*

Dicendum eſt igitur probabiliter, cum ſupradictis Doctoribus, quòd ille proceſſus ſatisfactionis, & cautionis pignoratitiæ, & iuratoriæ, videtur intelligendus pro foro exteriori, nam in foro pœnitentiali deficiente poſſibilitate pœnitentis, propoſitum eius firmum tantum valet, quantum datio pignorum, vel fideiuſſorum, in foro iudiciali. Ergo in foro conſcientiæ ſatis erit credere pœnitenti.

*An Eccleſia tribuat iuriſdictionem, quando adeſt communis error, ſine titulo collato?*

RESOLVT. XLIII.

VT geſta valeant, non ſatis eſt communis error, ſed neceſſarius eſt titulus collatus à ſuperiori quamuis inualidus ſit ob aliquod vitium latens; quare dum aliquis ſine titulo, & authoritate ſuperioris in officium Iudicis, Parochi, aut Confeſſoris ſe intruſit, licèt communis error facti accedat, geſta per illum ad vtrumque forum pertinentia, ſunt prorſus inualida; ita ex *cap. infamis, ver. veruntamen. 3. q. 7. & ex l. Barbarius, de offic. Præt.* probat Sanchez *de matr. lib. 3. diſp. 22. n. 49.* & præter Doctores, quos ipſe citat, docet etiam hanc ſententiam Leſſius *lib. 2. c. 29. dub. 8. n. 68.* Suarez *in 3. p. tom. 4. diſp 26. ſect. 6. n. 7.* Reginald. *in praxi, tom. 1. lib. 1. n. 102. & 103.* Coninch. *de Sacram. diſp. 8. dub. 3. n. 22. & dub. 6. n. 47.* Villalobos *in ſum. tom. 2. tract. 1. diffic. 13. n. 5.* Filliuc. *tom. 1. tract. 7. c. 9. n. 227.* Ioan. Valerus *in different. vtriuſque fori, ver. nullitas, differ. 7. n. 2.* & nouiſſimè Fagund. *præc. 2. lib. 7. c. 2. n. 73.* & alij.

At his minimè obſtantibus, quod eſt valdè notandum, non deſunt viri doctiſſimi aſſerentes, quòd vt geſta valeant, tam in foro externo, quàm conſcientiæ, ſatis ſit haberi communem errorem, nec neceſſarium eſſe, titulum collatum à ſuperiore legitimo. Et ita docet Baſilius Pontius *de matr. lib. 3. c. 22. n. 46.* & poſt illum Ioan. Sancius *in ſelectis, diſp. 44. n. 3.*

Notent hoc Confeſſarij, quia hæc opinio eſt noua, & ſatis probabilis, & ex illa bono communi magis conſulitur, quàm ſi præter communem errorem titulus quoque foret neceſſarius. Rationes huius ſententiæ adducit Baſilius Pontius *vbi ſuprà.*

*An Prælati religionum poſſint ſine approbatione Ordinarij audire ſæcularium confeſſiones?*

RESOLVT. XLIV.

NEgatiuam ſententiam, & meritò tenet Suarez *in 3. part. tom. 4. diſp. 28. ſect. 4. num. 21.* Rodriquez *in Bulla Cruc. §. 9. dub. 1. n. 4.* & alij.

Sed hîc non reticeam contrarium docere Henriquez *lib. de indulgentiis cap. 12. num. 3. in gloſſa littera R.* vbi citat Mancium, Gallum, Medinam, & Bannez. Id etiam docet nouiſſimè, contra Suarez, Ioannes Valerus *in differentiis vtriuſq. fori, ver. nullitas, diff. 5. n. 3.* vbi aſſerit prælatos Religionum, vt ſunt Priores, Guardiani, Miniſtri, & ſimiles, licèt non habeant approbationem, & licentiam ab Epiſcopis poſſe nihilominus audire confeſſiones ſæcularium, quia quamuis ſtrictè non habeant beneficium parochiale, largo tamen modo dicuntur ipſum habere, quia habēt curam animarum, & ſunt communiter probatiores, & digniores, tam litteris, quam moribus, pleriſque ſæcularibus habentibus curata, & conſequenter per eos ſufficienter ſatisfit menti Concilij Tridentini. Ita Valerus qui etiam *ibid.* paulò pòſt, docet Sacerdotes ſimplices, ſine licentia & approbatione Epiſcopi poſſe abſoluere non ſolùm peccata venialia, & mortalia, aliàs ritè confeſſa, ſed etiam peccata mortalia in confeſſione oblita, & hæc ſunt eius verba. Ego puto probabile, peccata oblita (cùm iam ſint indirectè abſoluta in prima confeſſione) poſſe poſtea abſolui à quocunque etiam non expoſito, ſeu approbato. Sic Valerus, ſed an probabiliter, iudicent alij; ſicut de alia opinione Ioannis Sancij *in ſelectis, diſp. 49 à n. 11. vſque ad 14.* vbi acutè & ſolidè probat Equites D. Ioannis, D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ, vt pote verè Religioſos (vt nos alibi ſatis probauimus) poſſe peccata confiteri cum ſimplici Sacerdote, non approbato ab Epiſcopo.

*An quis teneatur occaſionem proximam vitare cum ſuo magno detrimento, ita vt Confeſſarius non poſſit illum abſoluere?*

RESOLVT. XLV.

REſpondeò negatiuè, ſi pœnitens habeat propoſitum amplius non peccandi; quia in hoc caſu non dicitur velle occaſionem, ſed permittere, cùm non vitare occaſionem, non oriatur, quia velit pœnitens in illa permanere, ſed quia velit non incurrere damnum in vita, honore, & pecuniis, quod abiecta occaſione obueniret.

Sed



Sed difficultas eſt, quando nullus apparet profectus, an ſit impertienda toties quoties abſolutio? Negatiuè reſpondet Suarez *in 3. part. tom. 4. diſp. 32. ſect. 2. in fine.* Graſſius *in deciſ. part. 1. lib. 1. cap. 18. n. 23.* Reginald. *in praxi tom. 1. lib. 8. n. 19.* Nauar. *in c. 3. n. 21.* & alij.

Sed contrariam ſententiam docet Viualdus *in Candelabro tit. de abſolutione. §. caſus Epiſcopis reſeruati, n. 43.* & nouiſſimè Ioannes Sancius *in ſelectis. diſp. 10. n. 16.* vbi aduersùs Suarez, ſic aſſerit. Infero octauò, filium familias non potentem eiicere domo ancillam, cui ſæpe copulatur fore abſoluendum toties quoties verè pœnituerit, non ſolùm quando aliqua emendatio notatur, vt tenet Suarez, & alij, verùm etiam quando nullus apparet profectus, impoſſibile ſanè moraliter non eſt pœnitentem modò verè dolere de peccato, & proponere cauere; ſtatim verò poſt reditum ad domum occaſione inſtante mutare propoſitum; & inquiro ab his Doctoribus contrarium docentibus, an abſoluerent ipſi pœnitentem, ſæpe confitentem eadem peccata venialia, quando nullus appareret profectus? Abſolutionem ſanè impendent; quamuis occaſio peccandi venialiter non eſſet abſciſſa, non ſolùm ſi in poteſtate pœnitentis non ſit occaſionem remouere; imò etiã ſi poſſet. Igitur & impertiri debent reſpectu mortalium quando adfuerit dolor, & verum propoſitum cauendi in futurum.

Nec ſatisfacit reſponſio Coninch *de Sacr. diſp. 2. dub. 14. in fine*, quòd facilius debeat dari abſolutio reſpectu venialium, quàm mortalium, eo quòd facilè magis committantur illa, quàm iſta. Non inquam, valet, nam etſi faciliùs committantur venialia, verum tamen propoſitum, & dolorem venialium gerere tenetur pœnitens, dum ea ſubiicit confeſſioni, ſaltem, quando veniale, quod confitetur, eſſet totalis materia confeſſionis. At ſi reſpectu venialium reperiri queat verum propoſitum, & dolor abſque aliquo profectu, quare reſpectu mortalium id inueniri non valebit? Dum verò pœnitens verò propoſito eſt affectus, dignus eſt abſolutione, quantumcumque nulla notetur emendatio. Hoc adeò verum eſt, quòd ea ratione aſſerat Suarez, & cæteri, negandam eſſe abſolutionem quando nullus apparet profectus quod præſumitur fictitium propoſitum pœnitentis: vellem ab eis audire, quare reſpectu venialium non adſit huiuſmodi præſumptio, etſi nullus appareat profectus, & inchoata emendatio; interueniat tamen reſpectu mortalium? Ita Sancius, quæ omnia ab ipſo tranſcripſi, quia noua, & à viris doctis diiudicanda. Si verò, aduersùs Sancium, dices in tali caſu ſaltem propter recidiuam, erit abſolutio neganda, reſpondebit Sancius negando, nam ipſe *in diſp. 9. n. 6. & ſeq.* docet numquam propter recidiuam eſſe abſolutionem denegandam, ſi pœnitens habeat dolorem de præterito, & propoſitum de futuro. Sed de hoc nos *in tract. de Circunſtantiis.*

*Quænam conditiones ſint neceſſariæ ad iuſtam compenſationem faciendam?*

RESOLVT. XLVI.

REſpondeo primò, vt debitum ſit moraliter certum, ita vt debitor in conſcientia teneatur ad debitum explēdum, nec ſine peccato prætermittere poſſit. Secundo, vt non plus capiat, quàm ſibi debetur. Tertiò, quòd debitum ſit actu, non potentia. Quartò, vt admoneat debitorem, vel hæredes iam debitum eſſe ſolutum, ne bis ſoluant.

Sed aliqui Doctores ponunt alteram conditionem, nempe ſi commodè rem tibi ſublatam, per iudicem recuperare non poſſis; nam alioquin, ſi commodè rem tibi furto ſublatam, per iudicem recuperare potes, & non facis, peccas contra iuſtitiam legalem, nam iudici iniuriam facis officium eius vſurpando. Ita communiter Doctores, & alij.

Sed ego contrarium puto cum Maldero *in 2. 2. tract. 4. cap. 1. dub. 6.* & Ioanne Valero *in differentiis vtriuſque fori,*



*ver. compenſatio, differ. 3. n. 2.* quia quando ex occulta compenſatione, neque ſcandalizas quemquam, neque turbas Rempublicam, verius eſt licere clam auferre, etſi abſque peculiari incommodo per Magiſtratum poſſis, neque inuadis munus iudicis, qui ad publicam pacem tuendam cõſtitutus eſt, & in tali caſu agitur tantùm de retinendo, & non de acquirendo de nouo. Ergo, &c. Et tandem hanc ſententiam docet Villalobos *in ſumm. tom. 2. tract. 11. dub. 23. n. 7.* vbi ſic ait. [ El que ſecretamente toma lo que ſe deuia, pudiendolo pedir por iuſtitia, pecca grauemente, come dize S. Thomas. Mas aduierto, que el dia de oy de ordinario ſe cobra mal, y con mucha coſta, de manera que pocas vezez obligara a eſto, y pareceme, que ſe me haze duro el dezir, que en eſte caſo ſea peccado mortal, porque no me parece, que haziendo ſe ſecreto, ſea tan grande el agrauio, que ſe haze al iuez, que llegue à peccado mortal. ] Ita ille.

Notandum eſt etiam, quod aliqui aſſerunt, iuſtam compenſationem tunc eſſe, quando res ſunt eiuſdem rationis; quia quæ ſunt diuerſæ, non poſſunt parte inuita compenſari. Ita Syluius *in 2. 2. q. 62. art. 8. quæritur 1. concl. 7. cauſa 5.* & alij. Sed falluntur, quia hoc procedit in foro externo, nõ autem in foro conſcientiæ, in quo bene poteſt fieri compenſatio in debitis diuerſæ rationis, & ſic in ſpecie ad ſpeciem, vel pecuniam, vt ſi mihi debes pallium, ego verò tibi mulam, vel pecuniam, quia inuicem commodauimus, te nolente pallium, vel pecuniam reddere, poſſum mulam retinere. Ita Valerius *vbi ſuprà*, cum Petro à Nauarra, & Ferdinando Rebellio.

Non deſunt etiam Doctores, aſſerentes aliam conditionem neceſſariam eſſe in compenſatione; nempe, vt res, ex qua fit priuata compenſatio, non ſit depoſitum, ex *cap. bonæ fides, de depoſ.* Ita Syluius *vbi ſuprà.* Medina *in C. de reſt. q. 3. illat. 12.* Couarr. *in cap. quamuis pactum 1. p. §. 4. n. 9. verſ. item nota*, Iaſon *in §. bonæ fidei, n. 72. Inſt. de act.* & alij.

Sed contrarium probabiliter docet Nauarr. *lib. 3. c. 2. n. 389.* Tanner. *vbi infrà, n. 411.* Leſſius, & alij. Nam opinio contraria procedit in foro exteriori, & quando aliter obtineri poſſit compenſatio; ſecus autem in foro conſcientiæ, quia nulla iniuria, nec iniuſtitia fit deponenti; ſed vis vi repellitur, nam aliter meum debitum recuperare non poſſũ. Vim enim meis rebus facit, qui eas iniuſtè retinet. Nec habet deponens, ex quo conqueratur iuſtè, cùm rem meam, ſeu id quod mihi debet, ipſe reſtituere recuſat, & ideo ego mihi ipſi ſatisfacio.

Et tandem notandum eſt, quod ſuperiùs dixi, vt compenſatio ſit iuſta, opus eſt, vt debitum ſit actu, non potentia, videlicet ſtatim, & illo tempore reſtituendum, ſed ſi fortè creditor non habeat ſpem rem ſuam recuperandi tempore præfixo, puto compenſationem ante tempus præfixum fieri poſſe. Ita Tann. *in 2. 2. diſp 4. q. 6. dub. 14. n. 406.* quod eſt valde notandum, quia quotidianum; ſed ad alia procedamus.

*An cliens poſſit paciſci cum Aduocato de quota lite?*

RESOLVT. XLVII.

COmmuniter Doctores negatiuè reſpondent, ſed ego non damnarem contrarium facientes, & ita docet Victorellus *in Manual. Nauar. c. 25. num. 30.* vbi ſic aſſerit: Qui iuſtam cauſam Aduocato probo defendendam committeret, ſine vllo periculo iniuſtitiæ alicuius actionis in eo, promiſſa tertia, aut quarta lucri parte, vt is ardentiori ſtudio in iuſtam iuſtæ cauſæ defenſionem incumberet, & ſeipſum moleſtia ſæpiùs illum adeundi liberaret, lethale facinus mea ſententia, non patraret: nullam enim naturalem, aut diuinam, aut Eccleſiaſticam legem violaret, ſed ſolis ciuilis legis verbis (non fortaſſe legiſlatoris menti) aduerſaretur. Sic Victorellus, & ita etiam docet Ioann. Valerus *in differentiis vtriuſque fori, ver. contractus, differ. 3.* Homobonus de Bonis *de ſtatibus p. 2. cap. 4. num. 5.* & hanc opinionem probabilem putat Zauardus *in direct. confeſſ.*

 p. 2.

*p.2. præc.3.c.34.q* 8. vbi contrariam ſententiam, quam ipſe tenet, vocat tantùm tutiorem.

Dico igitur, communem opinionem negantem procedere in foro exteriori, non autem in foro conſcientiæ, vbi Deus eſt ille, qui videt veritatem, & non reſpicit præſumptionem, ſuper quam fundantur leges prohibentes pactum inter Aduocatum & clientem de quota lite. Ergo quoties deficit præſumptio fraudis, & iniuſtitiæ, leges iſtæ non obligabunt.

*An ſi corruptor virginis non adhibuerit vim, aut dolum, ſed importunis precibus, vehementibus blanditiis, & perſuaſionibus induxerit illam ad conſenſum, teneatur ad reſtitutionem?*

### Resolvt. XLVIII.

AFfirmatiuam ſententiam docet communiter. Ita Medina *in ſum. lib.* 1. *c.*14. Cordub. *lib.*1. *q.*13. *diſt.*4. *&* 7. Caiet. *in ſum. verb. reſt.* §. *quia verò* Ang. *in Flor. de reſt. bon. cap... dub.7. concl.*4. Malder. *in* 2. 2. *tr.*3. *c.*4. *dub.*4. Bannez, Salon. *in* 2. 2. *D. Thom. q.*62. *art.*2. Valent. *tom* 3. *diſp.*9. *q.* 3. *punct.*3. Nauarr. *c.*16. *n.*16. *&* 17. Tolet. *lib.*5. *c.* 11. Syluius *in* 2. 2. *q.*62. *art.*2. *quæritur* 5. *concl.*2. Ioan. Valer. *in differentiis vtriuſque fori, ver. reſtitutio, differ.*10. *n.*1. & alij.

Sed mihi contraria ſententia videtur etiã probabilis, & illam abſolutè docet Tanner. *in* 2. 2. *diſp.*4. *q.*6. *dub.*3. *n.*134. Turrian. *tom.*2. *in* 2. 2. *diſp.*30. *dub.*2. *n.*15. Nauar. *lib.*2. *c.*3. *n.* 444. nam preces, & ſuaſiones potius augent, quàm minuunt voluntarium. Nec obſtat ſecundùm eum aliter conſenſuram non fuiſſe. Fateor, inquit, ſed ſponte conſenſit. Multi enim multa non facerent, niſi rogari, & tamen non ob id dicemus, iniurioſè ab eis eſſe conſenſum illum extortum.

Limitanda tamen, ait, hæc ſententia, niſi preces eſsẽt factæ à perſona, cui deberet puella reuerentiam, vt eſſet eius dominus, vel Princeps; preces enim Principis, vel Superioris inducunt metum. Notandum eſt etiam, quòd ſi puella vi, aut fraude violata fortè poſtea æquè commodis potita eſt nuptiis, ita vt nihil detrimenti acceperit, non debet ei quidquam neceſſariò reſtitui. Ita ex Nauar. Leſſius *l.*2. *c.*10. *dub.*2. *n.*11. cum Tãnero *vbi ſuprà, n.*133. & Turriano *dub.*3. *n.*2. Filliuc. *tom.*2. *tr.*32. *c.*8. *num.*221. & Villal. *in ſum. tom.*2. *tr.*11. *dub.*30. *n.*14. quicquid Rebellius, & alij in contrarium aſſerant. Sicuti etiam ſtuprator virginis, ſi obtineat ab ea remiſſionem damnorum eidem ratione ſtupri illatorum, tutus eſt in conſcientia, nec requiritur, vt etiam à patre ipſius obtineatur. Valerus *vbi ſuprà differ.* 11. *n.*1. *&* 2. cum Tann. *loco citato, n.*139. Idem dicendum eſt, ſi virgo ſponte conſenſerit, nihil reſtituendum eſſe parentibus, pro violata integritate virginali, & grauata dote, vel ſimilibus damnis inde conſecutis, docet Sotus *l.*4. *q.*7. *art.*1. *ad.*2. Tanner. *vbi ſupra, n.*130. Filliuc. *n.* 219. contra Valent. *loco citato*, & Carbonium *de reſt. q.*16. & alios.

*Solent Mercatores in ſuis libris ſcribere rationes dati, & accepti, & quid ipſis debeatur, quæritur an poſſit poſteà debitor eligere, in quo debito pecunia ſibi debita compenſetur?*

### Resolvt. XLIX.

REſpondeo affirmatiuè cum Greg. Lop. *p.* 5. *tit.*14. *l.* 10. *gl.*5. & Imola *in l.*1. *C. de ſolut. col. fin.* quos citat & ſequitur Io. de Heuia in Labyrintho commer. *lib.*2. *c.*7. *n.*46. vbi ſic ait: [ En los libros de los Mercaderes en que ſe eſcriue, lo que deuen hauer, y lo que deuen dar, puede el deudor en eſte caſo eligir, en qual debito ſe ha de compenſar lo que ſe pagò ſegun vna notable determinaciõ de Imola referida, y ſeguida por Gregorio Lopez.] Sic ille. Et ratio deſumitur ex authoritate *l.*1. 2. 3. *&* 4. *ff. de ſolut.* quia quãdo quis eſt debitor ex pluribus cauſis eidem creditori, in poteſtate debitoris eſt, ſoluere prius vtri debito maluerit: quia debitor poteſt legem dicere rei ſuæ, nempe, vt ſit pro debito, quod ipſi ſibi placuerit: vnde quando quis eſt debitor ex pluribus cauſis, ſi aliquid ſoluat, id cenſetur ſoluere pro debito, quod magis grauat, niſi debitor contrarium exprimat. Et ita docet Leſſius *l.*2 *c.*23. *dub.*10. *n.* 86. Filliuc. *tom.* 2. *tr.* 35. *p.*2. *c.*10. *n.* 472. Salas *tract. de cambiis, dub.*23. *n.*1. *&* 3. Malderus *in* 2. 2 *tract.*5. *c.*4. *dub.*10. Scaccia *tract. de commer.* §. 2. *gloſ.* 5. *c.*95. Heuia *vbi ſuprà num.*35. Ex quibus duo vltimi, Scaccia videlicet, & Heuia, obſeruant etiam, quòd ſi aliquod debitum debetur Paulo cum fideiuſſore, & aliquod ſine fideiuſſore: & Ioannes debitor ſoluat aliquam pecuniarum ſummam, cenſetur illam ſoluere pro debito cum fideiuſſore. Idem etiam docet Molina *de iuſt. tom.*2. *tract.*2. *diſp.*565. *n.*5. qui etiam *n.*4. adnotat, ſi terminus præfixus ſolutioni alicuius debitorum iam aduenit, & debita alia ſunt in diem futurum, aut ſub conditione pendente adhuc in futurum, ſolutio cenſetur facta pro debito, aut debitis, quorum terminus iam aduenit: non verò pro iis, quorum terminus pendet adhuc in futurum, ex *l. cæterùm, ff. de ſolut.* Idem ſi debitor creditori aliquid debeat nomine proprio: & aliquid tanquam fideiuſſor alterius, ſolutio facta cenſetur pro eo, quod debet nomine proprio. Quando item vnum debitum eſt liquidum, aliud non item, ſolutio facta cenſetur pro debito liquido, & non pro non liquido. Item ſi vnum deberetur ſub pignore, aut hypotheca, & aliud cum fideiuſſoribus, potius ſolutionem eſſe cenſendam factam ad liberandum fideiuſſores, quàm ad redimendum proprium pignus, & hypothecam. Hæc omnia Molina, Heuia, Scaccia *vbi ſuprà.*

*An legatum factum puellis, vt nubant, debeatur ſi aliquam dotem habeant, ſed non ſufficientem; vbi etiam plura de legatis pro Virginibus maritandis?*

### Resolvt. L.

REſpondet affirmatiuè Homobonus *de exam. Eccleſ. p.*2. *tract.* 9. *c.*9. *q.*22. vbi ſic aſſerit: Legatum factum puellis, poteſt dari illis puellis, quæ dotem quidem habẽt, ſed non integram, cum qua commodè nubere poſſint, modò illæ puellæ his qualitatibus præditæ ſint, quæ in teſtamento, vel fundatione requiruntur.

Sed circa legata pro Virginibus maritandis, multa ſcitu digna inuenies apud Laram *de Anniuerſariis, lib.* 1. *cap.* 21. vbi notat, Primò quòd legatum pro Virginibus maritandis non patitur commutationẽ cum alio pio opere, niſi id faciat Romanus Pontifex de Plenitudine poteſtatis. Secundò, legatum ſpeciale alicui nominatæ puellæ relictum pro ea maritanda, conſequitur ſi ingrediatur Religionem, & idem vxor, cui relinquitur, ſi vidualiter viuat. Non tamen ita erit in legato relicto generatim pro Virginibus, ſeu puellis incertis maritandis: nam ſi accedat aliqua puella, dicens ſe velle ingredi Religionem, & lucrari legatum, non eſt ei dandum. Tertiò, legatum relictum pro Virginibus orphanis maritandis, poteſt dari habentibus patres pauperes, & inutiles, niſi concurrant ſimul Virgines, verè parentibus orbatæ, nam in tali caſu, iſtæ præferendæ ſunt illis. Quartò, legatum relictum pro orphanis puellis maritandis, poteſt dari puellis vulgò conceptis, & expoſitis, quæ etſi parentes habeant, eos demonſtrare non poſſunt. Et hoc etiam procedit, ſi legatum relictum pro Virginibus maritandis, requirat quòd puellæ ſint naturales loci; nam etiam expoſitæ conſequentur dotem, cùm præſumantur eſſe eius patriæ, in qua expoſitæ fuerunt. Sed in hoc caſu puellæ verè orbatæ præferendæ ſunt vulgò conceptis. Quintò, legatum relictum ſi non dicat pro virginibus maritandis, ſed pro orphanis, ſeu puellis maritandis, ad illud conſequendum admittuntur viduæ. Hæc omnia Lara *vbi ſuprà.*

Nota etiam quòd ipſe *num.* 90. docet quòd legatum relictum pro Virginibus maritandis, poteſt retineri in vtroque foro iuſtitiæ, & conſcientiæ ab ea, quæ ante matrimonium,



matrimonium, etſi opinione eſſet habita pro Virgine, in rei veritate non erat: niſi conſtet relinquentem dictum legatum noluiſſe dari non habentibus qualitatem virginitatis, quod raro continget; ſed ſi adeſt ſimplex diſpoſitio relinquentis legatum, pro orphanis virginibus maritãdis, in tali caſu, vt dixi, puella, quæ tempore contracti matrimonij non virgo, ſed corrupta erat, poteſt ſecura conſcientia retinere legatum relictum pro Virginibus maritandis. Et ita ego in facti contingentia conſului. Notandum eſt etiam, circa præſentem materiam, quòd legatum relictum pro dotandis puellis, debetur puellis nuptis ſine dote, vel cum modica dote, quia cauſa pietatis adhuc durat; ſecus autem, ſi diceret pro puellis maritandis, Sanchez *vbi infrà, n.* 63. ita Homobon. *de exam. Eccl. p.*2. *tract* 9. *cap.* 10. *quæſt.* 28. & Genuenſis *in pract. Eccl. tricen.*18. *q.*386. *n.*1. qui etiam *in q.*387. notat legatum pro dote puellæ pauperis, deberi ſi illa poteſt viuere ex labore ſuo, & legatum relictum alicui puellæ pro dote, ſi factum ſit pro anima teſtatoris, ſi illa moriatur antequam nubat, non extingui, ſed deberi alteri puellæ pauperi. Item ſi teſtator iubeat virgines maritare, nec exprimat numerum, fiet electio inſpecta qualitate defuncti, & eius facultatibus: vt docet Lara *vbi ſuprà, de Anniuerſ. lib.*1 *c.*10. *n.* 97.

Aduerte etiam, quòd legatum relictum fœminis, in matrimonium collocandis, non poteſt tradi viduis ſecundò nubentibus; ſi tamen non conſummaſſent primùm matrimonium, atque etiam ſi nullæ extarent fœminæ nubiles, quibus poſſet id legatum impertiri, tunc quidem poſſent habere legatum. Nald. *in ſum. ver. legatum, n.*42. & Sanchez *tom.*2. *lib.*7. *diſp.*91. *n.*55. 56. *&* 57. qui etiam *n.*61. notat legatum pro maritandis non poſſe cõferri, niſi fœminis, quæ ſunt ætate nubiles, nimirũ duodecim annos natæ, & *n.*65. aduerſùs Manticam *de coniect. vlt. volunt. lib.*12. *tit.*1. *n.*13. docet legatum pro certa perſona maritãda deberi, quamuis ea tempore teſtamenti maritata eſset, & à fortiori, ſi poſtea nubat teſtatore ſuperſtite. Item legatum relictũ pro prima filia maritanda, ſi maior natu deceſserit & ſecundogenita prior nupſerit, legatum ei non deberi, copioſè reſpondet Roman. *in conſ.* 308. ſed contrarium reſpondet Imola *in conſ.*103. At hoc ex coniecturis determinandum eſse, rectè docet Mantica *vbi ſuprà lib.*8. *tit.*7. *n.*10.

Et tandem pro coronide huius reſolutionis, ſi legentur Titio ducenta, ſi vxorem duxerit, centum verò, ſi Religionem; non centum, ſed ducenta conſequi debere, & ita docet Leſſius *lib.*7. *c.*18. *dub.*15. *n.*124. *in fin.* Ioan. Valerus *in differentiis vtriuſque fori, ver. teſtamentum, diffic.*10. Bonacina *de reſt. diſp.*3. *q.*1. *punct.*4. *n.*10. Rebellius *p.*2. *lib.*18. *q.*16. *n.* 3. Baſilius Pontius *de imped. matr. cauſa* 27. *q.* 2. *c.* 17. §. 1. *fol. mihi* 266. Comitolus *lib.*7. *q.*7. *n.*5. Beia *p.*1. *caſ.*44. *&* 66. Rodriquez *in ſum. tom.* 3. *c.* 240. *n.* 1. Martha *de iuriſdict. p.* 4. *cent.*1. *caſ.*8. Barboſ. *de poteſt. epiſc. p.*3. *alleg.*83. *n.*28. quicquid in contrarium aſserat Sanchez *de matrim. tom.*1. *lib.*1. *diſp.*34. & alij penes ipſum, quibus ego addo Villalobos *in ſum. to.*2. *tract.*30. *diffic.*29. *n.*7. vide etiã præſentem quæſtionẽ ad partes diſcuſsam latè; apud Ambroſinum *p.* 2. *dec.* 30. *per totam.* Cened. *in Canon qq. q.* 35. *per tot.* & Menoch. *vol.*2. *conſ.*169. *per tot.* & alios. Notetur hæc omnia, quia in noſtris Doctoribus non paſſim obuia.

*An dubius in fide ſit hæreticus?*

### Resolvt. LI.

AFfirmatiuè reſpondent ſexdecim Doctores, apud Sanchez *vbi infrà*, quibus ego addo Villalobos *in ſum. tom.*2. *tract.* 1. *dub.*10. *n.* 3. Syluium *in* 2. 2. *D. Th. q.* 11. *art.*1. Fabrum *de ſacr. Ordinis, diſt.*25. *q.*5. *diſp.*3. *c.*4. *n.* 112. Homobon. *de exam. Eccl. p.*2. *tract.*12. *c.*4. *q.*16. Molfeſ. *in ſum. tom.*1. *tract.*8. *c.*8. *n.*44. Lorca *in* 2. 2. *q.*11. *art.*3. *diſp.*42. *n.*5. & Coninch *de actib. ſupernat. diſp.*18. *dub.*7. *n.*102.

Sed contrariam ſententiam non minus probabilem eſſe exiſtimo, quam tuentur Cano *de locis lib.* 12. *c.*9. & Emanuel Sà *ver. Hæreſis, n.*1. quos citat, & ſequitur Sanchez *in ſum. tom.*1. *lib.*2. *c.*7. *n.* 12. quibus ego addo Tanner. *in* 2. 2. *diſp.*1. *q.*8. *dub.*6. *n.*109. Portel. *in addit. ad dubia regularia, ver. Hæreſis, n.*4. & Puteanum *in* 2. 2. *D. Thom. q.*11. *art.*2. *dub.*2. Et ratio eſt, quia de ratione hęreſis eſt electio erroris contra fidem; ſed dubitans nondum aliquid eligit, ſed manet in dubio, & in ancipiti. Ergo non eſt hæreticus. Deinde, hæreſis eſt error fidei contrarius, ſeu aſſenſus contra fidem, at dubitans nullum fert aſſenſum pro, nec contra, hoc eſt enim dubitare, id eſt, neque aſſentire, neque diſſentire. Ergo ſi nullum habet aſſenſum, nullum errorem habet contra fidem, nec proinde hæreticus eſt.

Ad authoritatem verò Stephani Papæ *in cap.*1. *de hæret.* vbi aſſerit dubium in fide eſſe infidelem. Reſpondetur, hoc eſſe verum priuatiuè, quia ſcilicet priuatur certitudine aſſenſus neceſſaria ad habitum fidei retinendum: non autem eſſe verum contrariè; quaſi habeat actum fidei contrarium, cùm reuera non habeat. Secundò reſpondetur, quòd dubius in fide dicitur infidelis, quoad forum externum. Et tandem dico dubium in fide eſſe infidelem, ex mente dicti Pontificis, quotieſcunque hæret, & præterea reflectit ſe ſupra ſuam cogitationem dubiam, & elicit iudicium erroneum circa res fidei, ita vt de facto putet illas eſſe tantùm probabiles. Hic ergo, qui hac ratione dubitat, eſt verè infidelis. Opinio igitur noſtra eſt ſatis probabilis, & tuta in praxi, vnde Portel *vbi ſuprà*, aſſerit, ex conſilio etiam cuiuſdam inſign. Theologi, excuſaſſe quemdã, qui dubitabat, an Chriſtus Dominus verè eſſet in Euchariſtia, quia intellectus talis dubitantis dubius, & pendulus fuit, & nullum iudicium formauit. Hæc doctrina eſt valde notanda à Confeſſariis.

*An ſi in ipſo conflictu duelli ſit aliquis vulneratus, & eodem die, vel alio poſtea moriatur, priuari debeat Eccleſiaſtica ſepultura?*

### Resolvt. LII.

AFfirmatiuam ſententiam docet noſter P. Peregrinus *in ſuo tract. de duello q.*7. *n.*4. quia in eodem conflictu dicitur mori, qui ex vulnere habito in conflictu moritur, ſicut Eccleſia dicitur ſanguine polluta, ſi quis in Eccleſia eſt vulneratus, licèt ſanguinem non effundat in Eccleſia, ſed extra illam.

At huic doctrinæ non aſſentior, & diſcedo ab opinione viri doctiſſimi, & amiciſſimi, qui pœnam Concilij Tridentini, vltra rigorem literæ extendit. Et ita noſtram ſententiam docet Sancius *in ſelectis*, *diſp.* 36. *num.* 9. qui reſpondet ad argumentum Peregrini. Cùm igitur verificetur ſatis literæ proprietas, appoſitæ in Concilio, negando ſepulturam decedenti in ipſo loco duelli, non oportet huiuſmodi pœnam extendere, vt inflictam quoque illis, qui ex vulnere in duello illato decedunt, licèt viui diſceſſerint à loco conflictus.

*An ſi quis prouocet aliquem ad duellum, ſeſe conferens poſtea ad præfixum locum, & præfixo tempore, ibíque fruſtrà expectato inimico diſcedens, incidat in excommunicationem Bullæ Gregorij XIII.*

### Resolvt. LIII.

HIc caſus frequenter ſolet accidere: & affirmatiuam ſententiam docet Peregrinus *tract. de duello quæſt.*41. *per tot.* ſed mihi contraria opinio placet, & ita tenet Comitolus, Delrius; & Sanchez, quos citat, & ſequitur Scortia *in Bull. Pont. Epitome* 155. *theorem.*392. quibus ego addo Megalam *in* 3. *part. lib.*4. *cap.*4. *num.*11. Notandum eſt obiter pro hac materia de duello, excommunicationem incurrere, ſi quis diceret: Vade quæſitum gladium, hîc te exſpecto; vel, Veni ad talem locum, te ibi expecto; vel, ſi exiſtens in naui, vel alibi dicat, Egrediamur in terram,

vel foras, te expecto in tali loco; vel, Quiſque noſtrum abeat quæſitum enſem, in tali loco mox pugnaturi, ſecus ſi quis offenſus dicat offendenti, Diſtringe enſem, tecum enim pugnare volo. Sed non grauabor hîc apponere caſum, de quo olim interrogatus fui. Quidam offenſus ab N. illum prouocauit ad duellum, certo in loco, &c. non tamen habebat animum pugnandi, & certò ſciebat pugnam non ſequuturam, amici enim vtriuſque hoc impediſſent, ſed hoc efficiebat ad ſatisfaciendum honori læſo. Reſpondi tunc ſupradictum non incurriſſe in excommunicationem; & ita docet in ſtrictiori caſu Filliuc. *tom.1.tract.15. c.5.n.* 113. nempe etiamſi venirent in locum deſignatum, ſed amici vtriuſque ictos conuentos reciperent in ſe, dummodo priùs duellantes de hoc ſecuri eſſent, & animum pugnandi non haberent. Sed ad alia tranſeamus.

*An ad expellendum ſemen corruptum, vel ad ſedandum pruritum, liceat refricare verenda, cum periculo pollutionis, non tamen conſenſu in eam?*

RESOLVT. LIV.

AFfirmatiuè reſpondent Sanchez, Filliucius, Reginaldus, & Bonac. quos citat, & ſequitur Ioan. Sancius vir doctiſſimus *in ſuis diſputationibus ſelectis, diſp.* 21. *n.* 29. & idem docet ex recentioribus Villalobos *in ſumm. tom.2.tract.*40. *diffic.*16. *num.*4. *&* 5. vbi etiam docet, cùm Sanchez *de matr.lib.*9.*diſp.*17.*n.*19. & multis ex Societate Ieſu, fas eſſe confricare verenda ad expellendum ſemen corruptum, licèt præter intentionem ſequatur veri ſeminis emiſſio, & licèt femina id conaretur efficere non ſolùm fricatione partium verendarum, ſed etiam cum intromiſſione digitorum vſque ad os vteri. Et hanc opinionem præter Sanchez, & Villalobos, docet etiam Bonac. *de matr. q.*4.*punct.*10.*n.*12. Ratio eſt, quia in his caſibus pollutio ſequitur præter intentionem operantis. Ergo. Hinc deducitur deciſio multorum caſuum.

Primò, licere chirurgo contrectare verenda infirmi curationis cauſa, cum periculo pollutionis. Ita Vaſquez *in p.2.tom.*1.*diſp.*115.*n.*9. Leſſius *lib.*4. *cap.*3. *dub.*14. *n.*48. Ioan. de la Cruz *in direct.conſc.præc.*6.*dub.*9.& alij.

Secundò, curſorem non conſtrictum eſſe pedeſtrem incedere, quamuis ſit expertus pollutionem ſe pati. Ita Filliucius *tom.*2. *tract.*30. *n.*150. Saytus *in Claui Regia lib.*8. *c.* 5. *n.*12. Sanchez *lib.*9.*diſp.*45.*n.*8.& alij.

Tertio, accubantem, & ſentientem ſe ex tali ſitu in pollutionem venire in ſommo, vel etiam in vigilia, dum abſit periculum conſenſus, non teneri aliter decumbere, etiamſi poſſet aliter commodè dormire. Ita Sancius *vbi ſuprà in ſelectis, diſp.* 21. *num.* 12. qui *num.* 18. *in fine*, docet etiam, quòd non tenetur quis lectum deſerere, etiam ſi cum membri erectione guſtus carnis præſentiatur, dummodo non adſit periculum conſentiendi; ſed alij tenent, quòd tenetur quis lectum deſerere, ſi ſentiat delectationem veneream, etiam ſine membri erectione. Hæc omnia inuenies apud Ioan. Sancium *vbi ſuprà*, qui plus addit, vt nos etiam alibi notauimus, nempe quodlibet peccatum mortale in genere luxuriæ, non eſſe cauſam efficaciter influentem in pollutionem, & ideo pollutionem ex illa cauſa aduenientem in ſomnis, non eſſe neceſſariò confitendam. Putat igitur verba impudica, & cogitationes turpes, quæ ſunt crimina mortalia, etſi ſint cauſæ per ſe ordinatæ ad pollutionem, non tamen efficaciter in illam influere, aliàs ferè nunquam apponerentur, quin ſequeretur pollutio, ſed contrarium tamen euenire, experientia demonſtrat. Ergo, &c. Ideò cùm inefficaces cauſæ ſint pollutionis, non magis influunt in eam, quàm ſi eſſent per accidens cauſæ. Si ergo quando verba turpia, vel cogitatio turpis præſens eſt, non influit pollutionem, nec appetitum efficaciter mouet ad illam habendam, quomodo credi poteſt influxuram, quando abſens eſt, vtpote in ſomnis? Limita hæc omnia, niſi cogitatio turpis conjungeretur cum membri erectione, per tempus durante, ſeu cum magna commotione ſpirituum genitalium. Ita Sancius *vbi ſupra*. Sed an omnia ſupradicta in præſēti Reſolutione ſint probabilia, multi negant; & præſertim illud quòd liceat refricare verenda ad expellendū ſemen corruptū. Et ideo in editione quinta Summæ Henrici Villalob. & in editione nouiſſima Operum Thomæ Sanchez, hæc opinio non inuenitur impreſſa: imò de illa ſe retractauit *in ſumma, tom.*2. *lib.*5. *cap.*6.*n.*22. vnde ego illam non teneo.

TRACTATVS XVII. & III. Miſcellaneus.

*Votum pro Illuſtriſſimo Senatu Panormitano circa moderationem priuilegij, ſeu conſuetudinis, permittentis ciuibus huius vrbis, non vendere vinum de eorum vineis collectum, iuxta taxam?*

RESOLVT. I.

CIRCA præſentem quæſtionem, ſuppoſita veritate facti, pro dominis vinearum faciunt hæc argumenta.

Primò ex cauſa iuſta, iuſtè conceditur aliquibus vendere vltra taxam, vt notat Megala *in* 2.2. *lib.*2. *cap.*6. *quæſt.*3. *num.*105. Molina *tom.*2. *tract.*2.*diſp.*364. *n.*17.& Ledeſma *in ſum.tom.*2.*tract.*8.*c.*32. *diffic.*12. Sed hoc accidit in caſu noſtro. Ergo, &c.

Secundò, priuilegium quod tranſiuit in vim contractus, eſt vltro citróque obligatorium, nec poteſt ſine cauſa reuocari, vt notāt vndecim Doctores, quos citat doctiſſimus Regens noſter Corſettus *in Propugnaculo vectigalis aduersùs Meſſanenſes, folio* 25. quibus ego addo ex Iuriſperitis Gomez *in leg.*40.*Tauri,n.*89. Menochium *conſ.*661. *n.*12. Molinam *de primog. lib.* 4. *cap.* 3. *num.*18. Cabedum *Luſit.deciſ.*95.*num.*14. Riccium *p.*4.*collectan.*862. Borrellum *de præſtan.Reg.Cathol.p.*53.*num.*9. Marran *de clauſ.p.*1.*clauſ.* 195.*n.*9. Valaſc. *conſult.*.62.*n.*5.*& conſ.*120.*n.*9.& ex Theologis Salas *de legibus diſp.* 20. *ſect.*18. *n.*126. Suarez etiam *de leg.lib.*8.*cap.*37. *num.*7. Sanchez *de matrim. tom.*2. *lib.*8. *diſp.*33. *num.* 20. & nouiſſimè doctiſſimum Baſilium Pontium etiam *de matr.lib.*8.*c.*19.§. 2.*n.*12. ſed priuilegium, de quo loquimur, tranſiiſſe in vim contractus apparet, quia ex illo allecti, ideo aliqui vineas emerunt. Ergo, &c.

Tertiò, pretium vini, quod Senatus vult moderare, non videtur ita exceſſiuum, vt aliqui ſupponunt, ſi conſideretur notabilis exceſſus bonitatis ſupradicti vini, & ideo docuit Homobonus *de exam.Ecclеſ.p.* 2. *tract.*9. *c.* 3. *quæſt.* 3. Molina *tom.* 2. *tract.*2. *diſp.*362. *num.*7. Reginaldus *tom.*2. *lib.*25.*c.*16.*ſect.*3.*n.*284. Bonacina *de contr.diſp.*3.*q.*3 *punct.* 4.*num.*12. cum aliis, quòd frumentum notabiliter melius poteſt vendi vltra taxam. Sed vinum, de quo loquimur, eſt ſine comparatione, notabiliter melius. Ergo iuſtè ita cariùs venditur.

Quartò, domini vinearum vt plurimum ita carius vendunt vinum in æſtate, ſed in dicto tempore adſunt multi emptores, & penuria vini, Ergo iuſtè eius pretium augetur vt notat Leſſius *lib.*2.*c.*21 *dub.*4. *num* 30. Filliucius *tom.*2. *tract.*35.*cap.*4.*num.*93.& alij communiter. Adde, quod vinum multum minuitur in quantitate, quando à dominis in æſtate conſeruatur. Ergo, &c.

Quintò, ſtatuta alicuius ciuitatis, per ſuum ſuperiorem confirmata, non poſſunt remitti ab ipſa ciuitate, ſed conſuetudines ciuitatis Panormi fuerunt à Carolo V. confirmatæ. Ergo non poſſunt amplius per ipſam ciuitatem ſolam, ſine conſenſu Regis, remitti, vel mutari.

Sextò, in tali venditione nulla iniuria fit emptoribus, quippe qui emere non coguntur; volenti autem, ac conſentienti



nulla fit iniuria; ergo, &c. Et ita in ſimili caſu aſſerebant aliqui apud Molinam *tom.* 2. *tract.* 2. *diſp.* 364. *num.* 11. Adde quòd in tali venditione cenſentur emptores exceſſum pretij liberè condonaſſe. Ergo, &c.

Septimò *in l.*1. §. *ſi hæres, ff. ad Trebell. & in l. quærebatur, ad leg. Falcid. & in l. ſi quis vxor,* §. *vlt. ff. de furtis*, habetur quòd res tanti valet, quanti vendi poteſt. Idem *in l. ſi pretio,* §. *vlt. ff. locati*, dicitur, quòd in emendo & vendendo naturaliter conceſſum eſt, quod pluris ſit, minoris emere; quod minoris ſit, pluris vendere, & ita inuicem ſe circumſcribere. Ergo, &c.

Octauò, tandem ſic argumentor. Hoc incrementum, vltra taxam legalem, ab Illuſtriſſ. Senatu dominis vinearum conceſſum, videtur iniuſtum, quia ex illo ſequitur, quòd eodem pretio vendatur vinum tempore ſterilitatis, quo venditur tempore abundantiæ, ſed hoc eſt iniquum. Ergo, &c. Et ita, tempore magnæ ſterilitatis, Pragmaticam, & taxam frumenti non eſſe ſeruandam teſtatur Nauarr. *c.*25.*n.*88. Molina *tom.*2. *tract.*2. *diſp.*364. Rebell *p.*2.*lib.*9.*q.*2.*ſect.*5.*n.*14.& alij.

Sed his minimè ſuffragantibus, dicendum eſt, ad Illuſtriſſ. Senatum ſpectare, ne victualia pretio exceſſiuo vendantur pro libidine venditorum; vt habetur *in l.* 1. §. *cura carnis, ff. de offic. præfect. vrb.* & notauit Auila *cap.* 17. *prætorum. gloſſa, Arazonables. num.* 1. *&* 4. Mexina *in prag. taxæ panis, concl.*1.*n.*3. & alij communiter: non enim ad bonum regimen confert, relinquere arbitrio venditorum pretia rerum, vt ſolidè probat Salon. *tom.* 2. *in.* 2. 2. *quæſt* 97. *art.*6. *contr.*2. *n.*9. Mercator *de contract.lib.*2. *c.* 6. Lopez etiam *de contr.lib.*2. *cap* 3. & alij. Confirmatur hoc etiam ex *l. pretia, ad legem Falcidiam*, vbi ſancitur, pretia rerum non debere ex affectu, & vtilitate ſingulorum inſtitui. Vnde ex his colligit Ioannes Valerus *in differentiis vtriuſque fori, ver. venditio, differ.* 1.*n.*2. in quantum animæ diſcrimen ſint demerſi communiter omnes vendentes res, quarum pretium à Republica non taxatur. Nam ſolent petere vtplurimum pretium adeo immoderatum, vt facile decipiant in geminato, & amplius: quod eſt valde deplorandum. Ita Valerus.

Nec valet dicere, ſupradictum vinum ita carius vendi ex priuilegio, ſeu conſuetudine, quam domini vinearum habent. Nam reſpondetur, quod priuilegium eorum, quod patet ex contextu conſuetudinis, & notat Marius Muta *hîc in cap.* 61. *n.* 19. eſt, vt poſſint vendere vinum vltra taxam metæ. Sed non ſequitur ex hoc, vt habeant priuilegium vendendi vinum, quo pretio voluerint, & exorbitanter. nam ſi aliqui quoad priuilegium à lege taxationis eximuntur, comparatione ipſorum manet latitudo pretij naturalis. Vnde in caſu ſimili notauit Turrian. *in* 2.2.*tom.*2.*diſp.*57.*dub.*5.*n.*2. Molina *tom.*2.*tract.*2.*diſp.*364. *n.*13. Ledeſma *in ſumma, tom.*2. *tract.*8. *c.*32. *diffic.*11. quòd alienigenæ aſportantes in Luſitaniam triticum ex Caſtella, à lege taxationis, per leges, & priuilegium eximuntur (vt ſunt in noſtro caſu domini vinearum) & tamen, hoc priuilegio non obſtante, tenentur ex mente ſupradictorum DD. vendere dictum triticum intra latitudinem iuſti pretij naturalis. quod in eo loco, ex natura rei, ſecluſa taxatione legis, haberent, in qua latitudine poterunt vendere pretio ſupremo, non autem maiori; nec adhoc conceſſa eſt facultas, aut donatio Regis, vel Reipublicæ, ait Turrian. & Molin. *vbi ſuprà*, quæ omnia determinant in ſpecie caſum noſtrum, ſicut etiam determinatur per ea, quæ adducit Megala *in conſ.*20. *n.*5. *& ſeq.* vide etiam Filliuc. *tom.*2.*tract.*35.*cap.*4.*num.*39.

Deinde etiam pro Illuſtriſſ. Senatu dicendum eſt, quòd priuilegium meretur amittere, qui priuilegio abutitur, vt habetur *in c. tuarum de priuileg.* & in aliis iuribus adductis per Barboſ. *in ſuis collectan.tom.*2. *lib.*5. *tit.* 33. *cap.*11. *n.* 25. & priuilegium cuiuſcunque conditionis, & qualitatis ſit, ceſſat omnino, quando incipit eſſe iniquum; vt patet *in l. ex facto de vulgar. & pupill. & in cap. ſuggeſtum. de decimis*, & notauit doctiſſimus Iuriſconſultus Chriſtophorus de Anguiano *in tract. de legibus, tom.*1.*lib.*2. *controu.*15. *num.* 19. Hæc autem omnia euenire in caſu noſtro patet. nam domini vinearum abutuntur ſupradicto priuilegio. nam illud eis conceſſum fuit, vt feruentiùs ad vinearum culturam incumberent, permanendo tamen in venditione vini intra limites iuſtitiæ, non autem vendendo illud exorbitanter; neque Illuſtriſſimus Senatus poterat permittere vendi vinum à dominis ſupradictis pretio exceſſiuo, nam hoc eſſet concedere priuilegium iniquum contra iuſtitiam commutatiuam, quæ conſiſtit in æqualitate rei, & pretij, vt poſt D. Thomam *in* 2.2. *q.*77. *art.*1. *in corpore, & ad primum*, docet Regius *in ſuis reſol. caſ.* 10. *n.*1. Homobon. *in examine Eccl.p.* 2. *tract.*9. *c.*3 *quæſt.*3. Vega *in ſum.tom.*1.*cap.*121.*caſ.*6. Turrianus *tom.*2. *in* 2.2. *diſp.*57. *dub.*1.*num.*3. & alij communiter.

Vnde ex his omnibus apparet, rectè Illuſtriſſimum Senatum abſtuliſſe abuſum ſupradicti priuilegij, & illud moderaſſe intra latitudinem iuſti pretij naturalis, & ſi aliquid amplius, vltra pretium rigoroſum naturale, in iſta taxatione, Senatus impoſuerit, vt in poſterum iuſtificetur, dicendum eſt, exceſſum illum à Republica, & omni populo concedi, ac condonari, quia bono communi expedit, ita ciues allicere ad vinearum culturam.

Reſtat modò reſpondere ad argumenta ſuperiùs adducta. Ideò ad primum reſpondetur, rectè aliquando aliquibus permiſſum eſſe, vendere vltra taxam, vt eſt in caſu noſtro, non autem exorbitanter, vt aſſerunt mihi feciſſe, vſque adhuc, dominos vinearum, ſed intra latitudinem iuſti pretij naturalis, vt de alienigenis aſportantibus frumentum in Regnum Luſitaniæ, ſuprà notatum eſt.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd dictum priuilegium, dato, & conceſſo, quòd tranſierit in vim contractus, modò non tollitur ab Illuſtriſſ. Senatu, ſed reducitur intra limites iuſtitiæ, & vt à principio conceſſum fuit; & ego puto, maiores noſtros vendidiſſe quidem, vt hodie multi faciunt, vinum vltra taxam, non autem extra latitudinem pretij naturalis.

Ad tertium reſpondetur, contra opinionem Molinæ, & aliorum, inſurgere Filliuc. *tom.*2.*tract.*35.*c.*4.*n.*86. Salas *tract. de empt. & vend. dub.* 12. *n.*9. & alios. Sed quidquid ſit de probabilitate huius ſententiæ, etiam ſecundùm illam reſpondeo, quòd exceſſus bonitatis ſupradictorum vinorum, meretur aliquid amplius, non autem totum id, quod domini vinearum exquirunt. Et Illuſtriſſimus Senatus hoc maturè conſiderans, & omnes alias circunſtantias in tali caſu neceſſariò conſiderandas, ideo licentiam præbet, vt in poſterum vltra taxam pretij legitimi, cum aliquo incremento, vinum ſupradictum vendatur. Et notandum eſt cum Azor. *p.*3. *lib.*8. *c.*22. *q.*3. Ioan. de la Cruz *in director. conſcientiæ, p.*1 *præcept.*7. *quæſt.* 3. *dub.*2. *concl.*2. & aliis communiter, quòd in caſu noſtro, & ſimilibus, non eſt à Senatoribus taxandum infimum pretium pro viliori vino, nec ſupremum pro perfectiori, ſed medium vtrique proportionatum, nec in hoc attendenda ſunt damna, vel commoda vnius, aut alterius.

Ad quartum reſpondetur, quòd quia Senatus iſtas, & alias circunſtantias, vt ſuprà dictum eſt, maturè conſiderauit; ideo concedit, quòd dictum vinum cum incremento vendatur. Sed non ſequitur, quòd ſtante dicta penuria vini, & abundantia emptorum, poſſit vendi pretio exorbitanti, vt modò vendi ſupponit Senatus.

Ad quintum reſpondetur, negando aſſumptum, cum doctiſſimo Iuriſconſulto Hiſpano Chriſtophoro de Anguiano, qui nouiſſimè edidit *tract. de leg. tom.*1. *lib.* 3. *contr.* 6.*n.*2. vbi probat, quòd ſtatuta Communitatum inferiorum, puta vnius ciuitatis, per Principem confirmata, poſſunt per eaſdem Communitates remitti, & confirmatio Principis in tali caſu ſolùm operatur firmitatem ſtatuti, qua non obſtante poſſunt ciues, vt vniuerſi illud reuocare, vt accidit in caſu noſtro, licèt non reuocetur abſolutè dicta conſuetudo, ſed abuſus circa illam tolluntur.

Ad ſextum reſpondetur, non eſſe licitum maius pretium

tium pro vino recipere, quia nemo cogitur illud emere: volenti autem non fit iniuria. nam pari ratione, vt benè ait Rebellius *part.2. lib.9.quæſt.2. ſentent.1.n.7.* nulla emptio, quantumuis magno pretio ab emptore non coacto facta, eſſet iniuſta: nec item vſura damnanda, ſi ex credito, vel ex mutuo, lucrum à debitore non coacto, reciperetur; quæ omnia concedere abſurdum eſt. Ergo, &c. Falſum eſt etiam, emptores in tali caſu cenſeri exceſſum pretij condonare. Nam reſpondeo cum Ioan. Valero *in differentiis vtriuſque fori, differ.1. n.2. ver.venditio*, vix eſſe vllum, qui ſponte velit dare plus iuſto pretio, ſed communiter id contingere, vel quia decipitur ignorans verum pretium, vel quia non poteſt aliter rem habere. Imò Leſſius *lib.2. cap.21. dub.4. n.* 37. & Tanner. *in 2.2. D. Th. diſp.4. quæſt.7. dub.2. n.23.* Nauarr. *de reſt. lib.3. c.2. à n.45.* & alij docent, talem donationem minimè præſumendam eſſe, niſi coniunctio aliqua ſanguinis, vel amicitiæ intercedat, etiamſi emptores ſciant pretium rei, & liberè contrahant, abſque fraudis, aut coactionis admixtione. Vide etiam Salas *de empt. & vend. dub.26. n.8.* & Filliuc. *tom.2. tract.25.c.3.n.69.& 70.* Adde quòd in noſtro caſu ementes putabant pretium illud eſſe iuſtum, propter priuilegium, quod domini vinearum aſſerebant habere, & ideo non poteſt vlla ſpecies donationis in tali emptione præſupponi. Ergo, &c.

Ad ſeptimum reſpondetur, quòd res tanti valet, quanti vendi poteſt, in quibuſdam rebus raris, curioſis & pretioſis, quæ ſolùm ad ſplendorem pertinent. Sed verius eſt contrarium, & ita docet Tanner. *in 2.2. diſp.4. quæſt.7. dubitat.2. num.34.* Leſſius *lib.2. cap.21. dub.3. num.16.* Bonacina *de contract. diſp. 3. quæſt. 2. punct.4. num.28.* Nauarrus *cap.27. num.78.* cum aliis. Aliqui verò aſſerunt, ſupradictum axioma eſſe verum in venditione ſub haſta; ſed hoc diſplicet Molinæ *tom.2. tract.2. diſp.349. num.11.* Megalæ *in 2.2. lib. 2. cap. 6. quæſt. 2. num.70.* Molfeſ. *in ſumm. tom.2. tract.12. cap.5. n.148.* Salon. *in 2.2.q.77. art.1. contr.5.* & aliis.

Dicendum eſt igitur, quòd res tanti valet, quanti vendi poteſt, intra latitudinem iuſti pretij naturalis, non autem extra; & ita docet Azor *p.3. lib.8. cap.21. quæſt.5.* Lopez *de contract. lib.1. c. 13.* Ioan. Valer. *in differentiis vtriuſque fori, ver. venditio, differ.1. n.1.* qui citat Nauarram, Rebellium, & alios communiter.

Ad illud verò, quòd per *l. ſi pretio*, concedatur licere naturaliter ementes, & vendentes ſe decipere; Reſpondeo cum Malder. *in 2. 2. tract. 5. c.2. dub.2.* Turrian. *tom.2. in 2.2. diſp.75. num.4.* Pitigiano *in 4. ſent. tom. 2. diſt.15 q.2. art. 2.* & aliis DD. ſupracitatis verba, *licere naturaliter*, intelligenda eſſe de deceptione intra medium iuſti pretii: vel conceſſum eſſe in foro externo, ídque naturaliter, quòd naturalis ratio dictet, eiuſmodi conceſſione vitandas eſſe lites. Secundùm ergo naturalem rationem in foro externo ſignificatur, permitti quod coram Deo, & ſecundùm eamdem rationem naturalem non licet: & ita etiam reſpondet gloſſa *in c. cùm dilecti, de empt. & vend. poſt D. Thomam in 2.2. quæſt.77. ar.1. ad 1.* vide etiam Salas *tract. de empt. dub.26. n.8.*

Ad vltimum reſpondetur, quòd tempore maximæ ſterilitatis, quod Deus auertat, Illuſtriſſimus Senatus in hoc tunc maturè prouidebit; & aliquis contra Doctores illos poſset etiam reſpondere, nihil immutandum eſse, quia in tali caſu annus penuriæ compenſatur cum anno abundantiæ, & ideo aſſerunt doctores, quòd taxa frumenti in anno magnæ ſterilitatis non eſt immutanda, ſed ſeruanda. Et ita docet Petr. Nauar. *de reſt. lib. 3. cap.2. num.2.* Michaël de Palatio *de contract. lib.2. cap....* Pontius *variarum diſp. 1. quæſt. 2. ſcholaſtic. cap.7. in fin.* Ledeſma *in ſumma tom.2. tract.8 c.23. diffic.19.* Salas *de empt. & vend. dub.7. n.3.* & nouiſſimè. Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. part.1. præc.7. q.3 dub.3. concl.1.* vbi aſserit, hanc ſententiam eſse communem in ſchola Diui Thomæ; & inter Regios Hiſpaniæ Conſiliarios.

Et hæc circa præſentem dubitationem ſatis dicta ſint, quæ olim ſcripſi ád inſtantiam Illuſtriſſimi D. Cæſaris Caietani Marchionis Sciurtini Prætoris huius vrbis, viri amiciſſimi, probitate, & rerum experientia inſignis.

*Felix dedit Confeſſario vncias ſeptuaginta, vt reſtitueret Ioanni ſuo creditori, poſt duos annos ſcit Confeſſarium non reſtituiſſe. Quæritur, an denuo dictus Felix debeat reſtituere?*

### Resolvt. II.

QVidam Theologus magni nominis, reſpondit debere reſtituere, & probabiliter quidem. nam non deſunt DD. qui hanc affirmatiuam tuentur ſententiam, hi ſunt Nauar. & D. Antoninus apud Leſſium *vbi infrà*, Syluius *in 2. 2. D. Thom. quæſt. 62. art. 6. quæritur* 9. Fabr. *de reſt. in 4. ſent. diſt. 15. quæſt. 2. diſp. 50. cap. 4. num. 159.* Lazarius *de monitoriis, ſect. 4. quæſt. 5. num. 5. & 6.* Conrad. *in reſp. caſ. conſc. part.2. quæſt. 445.* Petr. Nauarr. *lib.4. cap.5. dub.1. num.19.* Clauis Regia *lib.10. tract.5. cap. 9. num. 3. & 9.* Tolet. *lib. 5. cap. 24. num. 2.* & Homobon. *de exam. Eccl. part.2. tract.10. cap.2. quæſt.2. ſuppoſ.1.* Et confirmatur ratione; nam res ex delicto debita, antequam ad creditorem perueniat, ipſi perit (debitori; non enim debet creditor damnum pati ob debitoris delictum, vt bene probant Rebellius *part.1. lib. 2. quæſt. 13. ſect. 3.* Molina *de contr. tom.2. tract.2. diſp.296. num....* Azor *p.3. lib.4. c.33.* & alij.

Sed mihi etiam probabilis ſemper viſa eſt contraria ſententia, & ſic in praxi non condemnaui dictum Felicem ad denuo reſtituendum. nam cùm ipſe non deberet cum infamia reſtituere, quantum in ſe eſt fecit quod potuit: & ſi Ioannes creditor ad reſtituendum non conſentiret, eſſet irrationabiliter inuitus. Et ſic Leſſius *lib.2. cap.16. dub.6. num. 67. in fin.* cum Filliuc. *in quæſt. mor. tom. 1. tract. 32. cap.5. num.135.* probabilem vocat hanc opinionem, & in terminis illam amplectitur nouiſſimè Cenedo *de paupertate religioſa, dub.34. n.8.*

*Quidam vir nobilis eſt in mora ſoluendi debitum vnciarum ducentarum ex contractu; ſæpiùs confitetur, & non reſtituit, habet tamen animum reſtituendi: quæritur à confeſſario, an ſit illi abſolutio deneganda, maximè cùm creditor multoties ab illo petierit ſolutionem?*

### Resolvt. III.

VIdetur reſpondendum quòd ſic. nam præceptum reſtituendi quamuis formaliter ſit affirmatiuum, præcipitur enim ſolutio; eſt etiam ex parte præceptum negatiuum. Ergo ſtatim eſt adimplendum. Vide Salonium, Aragon. & Bannez *in 2.2. quæſt.67. art.8.* Valent. *tom 3. diſp.4. q.6. punct.7.* Rebell. *lib.2. de reſt. q.17. n.2.* Azor. *part.3. lib.4. c.34.* & alios communiter.

Sed mihi non ita rigidè in hoc caſu procedendum eſse videtur, nam quando debitor habet animum ſoluendi, neque ex tali dilatione detrimentum ſequitur creditori, ob eam iniuſtam moram, mortalis culpæ minimè condemnandus videtur; talis enim dilatio non eſt ipſi creditori adeò iniurioſa, vt debitor iudicandus ſit lethalis criminis reus. Non auderem hanc ſequi ſententiam, ſi patronos non haberet Molinam *de iuſt. tom 3. tract. 2. diſp.753. n.1.* & Bonac. *de contract. diſp 1. q 6 punct. vnico, n.4.*

Notent hanc deciſionem confeſsarij. nam multos tollit ſcrupulos, maximè in confeſſione nobilium, qui per multos menſes ſine aliqua iuſta cauſa differunt reſtitutionem; ſed vrgeant ſemper propter ſolutionem, maximè quando mora eſset admodum magna, & commode poſset fieri reſtitutio.

Petrus



*Petrus emit rem furtiuam mala fide, poſtea comperto vero domino; quæritur, an teneatur illi reſtituere, & non furi ad repetendum pretium, quod pro ea dedit?*

### Resolvt. IV.

REſpondeo clarum eſſe, eum qui rem alienam bona fide accepit, non teneri illam vero domino reſtituere, ſed poſſe reſtituere illi, à quo bona fide accepit; eſt communis opinio DD. vide Pet à Nauarr. *lib.3. cap.4. p. 3. dub.4.* Vaſquez *opuſc. de reſt. cap.9. §.2. dub.2. n.13.* Rebellium *p.1. lib.2. q.9. n 3.* Azor. *p.3. lib.4. c.3. q. 1.* Salonium, & Aragonium *in 2.2. q.62. art.6.* cum aliis.

Sed difficultas eſt, quando res aliena mala fide emitur. nam vero domino, & non furi reſtituendam eſſe probat Dominicus Bannez 2.2. *quæſt. 66. art.6.* Rebellius *loc. cit. n.4.* Vaſquez *loc. cit. num.14.* Molina *tom.3. diſp.722.* Sotus *lib.4. q.7. art.2.* Medina, Couarruias, quos citat, & ſequitur Reginaldus *tom.1. lib.19. c.5. n.40.* cum aliis.

His verò non obſtantibus, cenſeo aliam ſententiam eſſe probabilem, quæ aſſerit emptorem malæ fidei poſſe contractum cum fure initum reſcindere, & recuperare pretium, quod pro ea dedit. Sic ſenſerunt Alexander de Ales *part.4. q.86. n.3. art.5.* Gabriel *in 4. diſt.15. q.3. art.3. dub. 5.* Angel. *ver. reſtitutio 1. n. 1.* & Sylueſter *ver. reſt. q.7.* Paludanus *in 4. diſt. 15. q. 3. dub.5.* Petrus à Nauarr. *lib.3. cap.4. part.3. dub.4.* D. Antoninus *part.2. tit.1. cap.12. §.16.* & abſolutè tenet etiam hanc opinionem Tolet. *lib.5. c.17. n.13.* & probabilem illam vocat Nalderus *in 2. 2. tract. 4. cap. 3. dubit.2.* Nec deſtituta videtur ratione; nam emptor malæ fidei reſcindendo contractum, & reddendo rem alienam furi, non conſtituit illam peiori loco, quàm erat antè, & vnuſquiſque tenetur, & poteſt magis ſibi ipſi conſulere, quàm alteri. Vide etiam Ant. Fernandez *in ſuo exam. theol. p.1. cap. 18. §.1. n.14.* qui hanc ſequitur, & defendit ſententiam, citans Perez ex Societate IESV. Ex his patet reſponſio ad quæſitum in principio poſitum, poteſt enim confeſſarius conſulere, vt Petrus rem furtiuam, ad recuperandum pretium, ſine vllo ſcrupulo furi, & non vero domino, reſtituat.

*Petrus deambulando per ciuitatem, inuenit crumenam cum magna pecuniarum quantitate, facta debita diligentia non reperit dominum; ideo per multos annos illas ſibi retinuit, nunc confeſſarius denegat illi abſolutionem, ſi pauperibus dictas pecunias non reſtituat; quæritur quid faciendum?*

### Resolvt. V.

REſpondeo, magnam eſſe quæſtionem inter DD. cui facienda ſit inuentorum reſtitutio, habentium dominum, ſed incertum, & an inuentor poſſit ea ſibi retinere. Salon. *in 2.2. q. 62. art. 5. contr.5.* Valent. *tom 3. diſp. 5. quæſt.6. punct.4.* Nauar. *de reſtitut. lib.4. cap.2. dub.6. num.59.* Sayrus *in Claui Regia, lib.10. tract.5. cap.2. in princ.* Rebellius *part.1. lib.2. quæſt.12. ſect.2.* Reginald. *tom.1. lib.10. c.14. n.194.* Azor. *part.3. lib.4. cap.27.* Malderus *in 2. 2. tract. 4. cap.4. dub.3.* Nauar. *c.17. n.170.* Syluest. *ver. inuentum, n.2.* Couar. *ad reg. peccatum, 3. p. §.1. n.1.* Molina *tom.3. diſp.746.* Fagundez *in ſuo exam. theol. p. 1. cap. 15. §.4. num.9.* & alij, aſſerunt reſtituenda eſſe pauperibus, modò priùs adhibita fuerit ſufficiens diligentia in inquirendo domino, nec poſſe inuentorem ſibi retinere. Probatur. nam hæc videtur rationabilis voluntas dominorum. Secundò, quia ſic faciendam eſſe hanc reſtitutionem communi conſuetudine receptum eſt.

Sed contrariam ſententiam amplexi ſunt Sarmiento, *lib.6. ſelect. c.10.* Pet. de Aragon. *in 2. 2. q.62. art.5. fol. mihi 168. col.2.* Sotus *lib.5. de iuſt. qu. 3. ar.3.* Pet. à Nauarr. *lib.4. cap. 2. num.75.* & probabilem vocat Megala *in 2. 2. lib.2. cap.4. n.33.* & Leſſius *lib.2. cap. 14. dub. 7. num. 48. in fine.* Probatur ratione. nam, vt ait Sarmiento, in iure eadem reputantur, ignorari dominum rei, & rem nullum habere dominum. Sed quando res nullum habent dominum, efficiuntur primi occupantis. Ergo, &c.

His ita ſuppoſitis, poterat Petrus ſibi retinere illas pecunias, ſequendo hanc poſteriorem opinionem, ideo confeſſarius non debebat illi denegare abſolutionem: eſt enim hæc ſententia in fauorem Petri probabilis, & tuta in praxi: ſalua, &c.

*Quidam vir nobilis contraxit ſponſalia, & per multos dies cauſa delectationis oſculabatur, & tangebat ſponſam; quæritur an peccauerit mortaliter?*

### Resolvt. VI.

PEccaſſe, reſpondit illi Theologus cuiuſdam Religionis, nixus, vt ipſe dicebat, authoritate Rebellij *art.2. lib. 3. q. 19. ſect. 2.* cui ego addebam Anton. Fernandez *in exam theol. mor. p.4. cap.2. §.4. n.4. & part. 3. ca.21. §.1. n.11.* & nouiſſimè Rodriquez *in ſum. tom. 3. c. 102. num. 1.* & Comitol. *in reſponſ. mor. lib.4. q.20. num.4.* & alios.

Sed contrariam ſententiam prorſus eſſe ſuſtinendam puto. Dico igitur, quando tactus non ſunt impudici, nec adeſt periculum pollutionis, excuſantur à culpa mortali inter ſponſos de futuro, & ratio eſt clara. Quia ſicut copula cohoneſtatur à matrimonio, ita ſponſalia, quæ ſunt via ad matrimonium, debent cohoneſtare hos tactus, & oſcula, quæ ſunt quædam inchoatio ad ipſam copulam. Et ſic hanc opinionem probabilem vocat Leſſius *lib. 4. cap.3. dub.8. n.58.* Bonacina *de matr. quæſt.4. punct.9. n.6.* & illam ſequuntur Sanchez *de matrimonio. tom.3. lib 9. diſp.47. num. 49.* Tolet. *in ſumma, lib.5. cap.14. n.4.* Nauar. *in Manuali, cap.14. n.18. & cap.16. num.12.* Reginaldus *in praxi, tom.2. lib.22. ca.1. n.6.* Caiet. *in 2.2. quæſt.154. art.4.* Molfeſ. *in ſumma, tom.1. tract. 4. cap.15. num.4. & 5.* Valent. *tom.3. diſp.9. quæſt.3. punct.3.* Salas *in p.2. tom.2. quæſt.74. tract.13. diſp.6. ſect.16. n.174.* Clauis Regia *lib.8. cap.6. n.1.* Granado *in p.2. contr.C. tract.4. diſp.7. n.4.* Iac. de Graffiis *p. 1. deciſ. lib.2. c.82. n.3.* Lopez *p.1. inſtruct. c.54. & 75.*

Notat etiam Salas, cum multis recentioribus, quòd ſicut ſponſis de futuro, vt dictum eſt, licita ſunt oſcula, amplexus, & ſimiles tactus cum ſuis ſponſis, ita delectationes, & commotiones ſenſibiles quæ ex cogitatis oſculis, & amplexibus reſultant, ſed non ex aliis tactibus. Ita enim Sanchez *lib. 9. diſp.47. n. 6.* aduerſùs Rebellium *vbi ſuprà.* Et ratio eſt, quia illa delectatio eſt de obiecto licito, & tanquam præſens apprehenditur, & in præſenti eſt eis licitum. Ergo, &c.

Tandem nota ex Sanchez *vbi ſuprà diſp.46. n.50.* dicta oſcula, & amplexus eſſe licita, etiam ſi pollutio præuiſa ſequatur, dummodo id faciant neceſſitate compulſi, & ſine periculo conſenſus in pollutionem, cùm inurbani, & auſteri haberentur, niſi ita ſe inuicem oſcularentur, & amplexarentur. Hoc quod dictum eſt de oſculis, tactibus, ſimiliter, & multò magis dicendum eſt de colloquiis, & aſpectibus, vt notat Nauar. *cap.16. num.12.* Sed limitat hoc Sanchez *n. 54.* modò aſpectus non ſint valdè impudici, vt partium verendarum, ſicut in ſimili de tactibus dixerat *n.52.* Sed hanc limitationem impugnat Salas *vbi ſuprà ſect.16. num.177.* quia tactus verendorum libidinoſi, maiorem habent affinitatem cum copula, quàm aſpectus libidinoſi earum partium. Hæc Salas, ſed an ſatis probabiliter, iudicent viri docti. Ex his patet reſponſio ad quæſitum.

*Quædam mulier multas pecunias per adulterium acquiſiuit, quæritur, an marito ſint reſtituendæ?*

### Resolvt. VII.

AIentem ſententiam affirmant non infimæ claſſis Theologi, quorum nomina accipe. Lud. Molina

de

*de iuſt. & iure, tom.* 1. *tract.* 2. *diſp.* 94. Reginald. *in praxi, tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 13. *n.* 193. Pet. à Nauarr. *lib.* 3. *de reſt. cap.* 1. *num.* 136. Bannez *in* 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 5. *dub.* 5. & nouiſſimè Couarr. *in* 2. 2. *tom.* 2. *diſp.* 14. *dub.* 1. *n.* 5. Hi omnes aſſerunt, coniugatas omnes pretium per adulterium acquiſitum debere reddere marito, ac ſi aliter laborando illud acquiſiuiſſent; volunt tamen occultè eſſe reddendum, vt propriæ famæ conſulatur, & alia mala vitentur, niſi tamen tale pretium ab iis acceperint, qui poteſtatem alienandi non habent, vt Religioſi, filij familias, &c. Et ratio eſt, quia maritus eſt dominus corporis vxoris ſuæ quoad actus coniugales. Vide etiam Sotum *de iuſt. lib.* 4. *quæſt.* 7. *art.* 1. *ad* 2. cum Bartholomæo à S. Fauſto *in ſpeculo confeſſ. diſp.* 27 *quæſt* 11.

Et licet hæc opinio tantorum virorum authoritate ſit fulcita, ſemper tamen tamquam probabiliorem, contrariam ſententiam tenui, quam nouiſsimè tenet etiam noſter Megala *in p.* 2. *lib.* 2. *c* 32. *quæſt.* . *n.* 24. Bonac. *de contract. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *puncto* 3. *n.* 12. & Graffius *tom.* 1. *conſiliorum, lib.* 5. *de furtis. conſil.* 2.

Sed dices cum Rebellio *de obligat. iuſt. part.* 1. *lib.* 3. *q.* 10. *n.* 1. & 2. ſaltem propter iniuriam adulterij facienda eſt marito aliqua reſtitutio.

Reſpondeo cum Leſsio *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 5. ob adulterium non deberi aliquam reſtitutionem, quia non pro omni iniuria debetur reſtitutio pecuniaria, ſed debetur pro iniuria, cum damno pecunia æſtimabili.

Dices ſecundò, acceptum pro opere quod leges puniunt, eſt reſtituendum, vt eſt communis Iuriſconſultorum, & Canoniſtarum opinio; ſic Paulus, & Salicetus *in l. idem ſi ob ſtuprum ff de condict. ob turpem cauſam*, & Alexander *in l. generaliter, de verb. obligat.* & alij quos refert Couarruuias *ad reg. peccatum, part.* 2. §. 2. Sed adulterium à lege punitur. Ergo acceptum ob adulterium, ſi non marito, eſt ſaltem reſtituendum vel pauperibus, vt multi apud Couar. aſſerunt, vel ei qui dedit, vt vult Sotus, & Couarr.

Reſpondeo, hanc opinionem eſſe probabilem, vt ait. Leſſius *lib.* 3 *c.* 14. *dub.* 8. *n.* 60. Sed contraria ſententia tanquam probabilior eſt amplectenda, eámque tenent Leſsius *loc. citat.* Azor. *p.* 3. *lib.* 4. *cap.* 21. *quæſt.* 2. Vaſquez *opuſc. de reſt. c.* 7. *dub.* 2. Sylueſt. *ver. reſtit.* 2. §. 2. *in fine.* Nauarrus *c.* 7. *n.* 134. & alij. Probatur ratione; nam leges, quas aduerſarij citant, licèt pacta turpia reſcindát, & tollant obligationem ciuilem, ob quam poſſit in iudicio peti promiſſum; non tamen reddunt irritam acquiſitionem pecuniarum ex tali cauſa, nec faciunt inhabilem accipientem ad comparandũ earum dominium. Dicendum eſt igitur ex dictis, poſſe mulieres coniugatas retinere ſibi lucrũ ex adulterio acceptũ, neque reſtitutioni marito, vel aliis obnoxias eſſe. Salua, &c.

*Petrus in ludo prohibito taxillorum perdidit magnam pecuniarum quantitatem: quæritur, an illam in foro conſcientiæ teneatur ſoluere?*

RESOLVT. VIII.

QVod ſic, reſpondit Azor. *part.* 3. *lib.* 5. *c.* 24. *quæſt.* 7. Bannez *in* 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. Rebellius *part.* 1. *lib.* 12. *q.* 8. *num.* 6. & 7. Valent. *to.* 3. *diſp.* 5. *q.* 6. *punct.* 5. *dub.* 8. Salonius *in* 2. 2. *q* 62. *art.* 6. *q.* 5. *de dominio.* Garſias *de contract. lib.* 2. *cap* 19. & alij. Fundamentum huius opinionis eſt. nam iure naturæ promiſſio cum mutua eſt, obligat in conſcientia, niſi iure poſitiuo irrita eſt, quia ſolùm per leges datur actio ad repetendnm, *l. alearum, C. de Religioſ. & ſumpt. fun.* Ergo obligat in conſcientia.

At contrariam ſententiam tamquam probabiliorem amplectendam eſſe iudico; illamque ſequuntur Malderus *in* 2. 2. *tract.* 1. *cap* 12. *dub.* 3. Leſsius *lib* 2. *cap.* 26. *dub.* 4. Aragon. *in* 2. 2. *quæſt.* 21. *art.* 7. & *quæſt.* 62. *art.* 1. Ledeſma *in ſum. tom.* 2. *tract.* 31. *c.* 2. *concl.* 11. Molina *tom.* 2. *tract.* 2. *diſp.* 515. *concl.* 4. Philiarchus *de offic. ſacerd. tom.* 2. *part.* 2. *lib.* 5. *cap.* 2. *n.* 11. & Tolet. *lib.* 5. *cap.* 27. Ratio eſt. nam cui datur actio ad repetendum, à fortiori conceditur exceptio ad non ſoluendum iuxta regulas vtriuſque iuris. Sed in ludo prohibito, vt ſuprà dictum eſt, datur actio ad repetendum. Ergo dabitur exceptio ad non ſoluendum. Deinde, cur per inutiles ambages, & circuitus duceretur victus, vt rem ſibi debitam recuperaret, cùm ab initio poſſet non ſoluere? Et ſic præter citatos DD. ſequuntur etiam hanc ſententiam Medina *in ſumma, lib.* 1. *c.* 14. § 29. & Couar *reg. peccatum, part.* 2. §. 4. *n.* 8.

Hæc omnia intelligenda ſunt ſtando in iure communi. nam ſi in aliquibus locis non conceditur repetitio perdenti, conſequenter neque conceditur exceptio, vt non ſoluat.

Secundò intelligenda ſunt, ſi ludentes non ceſſerunt iuri ſuo, & renunciauerunt beneficio legis concedentis repetitionem, licèt Rebell. *lib.* 12. *quæſt.* 2. *num.* 8. cum Couarr. hanc renunciationem inualidam eſſe putet; quia facultas repetendi non conceſſa eſt tantùm in fauorem perdentis, ſed in fauorem Reipublicæ. Vide Sà *ver. ludus. num.* 9. Sed Sotus, & Azorius id negare videntur. Ex his omnibus manifeſta eſt reſponſio circa quæſitum.

*Propoſita mihi ſæpiùs fuit hæc quæſtio, An promiſſio externa, legitimè ab alio acceptata, obliget in conſcientia?*

RESOLVT. IX.

DOctores, qui affirmatiuam tenent ſententiam, hi ſunt. Sanchez *de matrim. lib.* 1. *diſp.* 5. *num* 20. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 8. *num.* 55. Nauarr. *cap.* 18. *num.* 6. Turrian. *in* 2. 2. *tom.* 2. *diſp.* 64. *dub.* 16. *num.* 5. Vaſquez *in* 1. *p. diſp.* 85. *cap.* 6. *num.* 42. Filliuc. *in quæſt. mor. tom.* 2. *tract.* 33. *c.* 2. *n.* 28. Malder. *in* 2. 2. *tract.* 1. *c.* 9. *dub.* 8. Beia *in reſp. p.* 4. *caſ.* 15. Salonius *in* 2. 2. *q.* 5. *de dominio, art.* 3. *dub.* 2. D. Antoninus *p.* 2. *tit.* 10, *cap.* 1. § 4. & alij.

Probatur hæc opinio. Nam promiſſio acceptata eſt verè pactum, vt patet ex ipſius pacti definitione *in l.* 1. *ff. de pactis, & in l.* 2. *ff. de pollic.* Sed pactum non ſeruans poteſt excommunicari, ex *c. de pactis.*

Ergo peccat mortaliter, qui promiſsionem non ſeruat. Deinde qui non ſtat promiſsis, contrariatur iuſtitiæ legali, quæ reſpicit conuictum, & ſocietatem humanam in promiſsis ſeruandis. Ergo, &c. Alias etiam rationes adducunt DD. citati pro hac firmanda opinione.

Sed contrariam ſententiam probabilem vocat Leſsius *vbi ſuprà, num.* 54. & expreſsè ſequuntur illam, Fumus *ver. perfidia*, Caiet. *in* 2. 2. *qu.* 113. *art.* 1. *dub.* 4. Henriquez *lib* 13. *c.* 17. *num.* 6. & nouiſsimè Petrus de Ledeſma *in ſumma tom.* 1. *tract.* 10. *c.* 3. *fol. mihi* 544. *col.* 2. & Fernandez *in ſuo examin. theol. part.* 1. *c.* 15. 5. 8. *num.* 11. Nam frangere fidem in promiſsis non opponitur iuſtitiæ, ſed fidelitati, veracitas enim, vt ait Cicero *lib.* 1. *de offic.* eſt dictorum conuentorúmque conſtantia. Igitur frangere hanc fidem, non eſt niſi mendacium, quod cum non ſit perniciosũ, non poteſt eſſe mortale, ſed tantùm veniale. Ergo, &c. Nota quòd aliquando per accidens, qui non præſtat promiſſum, poteſt peccare mortaliter, vt quando ſequitur notabile detrimentum propter promiſſionem non præſtitam: & ſic, ait Rebellius *p.* 2. *lib.* 18. *quæſt.* 4. *n.* 5. & Maior *in* 4. *diſt.* 38. *q.* 2. peccat medicus, ſi operam promiſſam periclitanti non præſtat, eáque de cauſa ægrotus graue damnum paſſus eſt: & ſic in ſimilibus.

Hinc etiam nota, quòd ſi aliquis Sacerdos, non ratione ſtipendij, ſed liberaliter promiſit alteri vnum ſacrum animo ſe obligandi, non peccat mortaliter omittendo. Ratio eſt, quia illa omiſsio ſacri ex liberalitate promiſsi in genere damnorum ſpiritualium non eſt tanti momenti, vt ſit peccatum mortale. Sic tenet Sanchez *de matrim. tom.* 1. *lib.* 1. *diſp.* 5. *num.* 25. & nouiſsimè Rodriq.





*in ſum. tom.* 4. *c.* 107. *n.* 4. cum Maldero *vbi ſuprà*, quidquid in contrarium dicat Pet. à Nauar. *de reſt. lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 7. *n.* 329. & Bonac. *de contr. diſp.* 3. *q.* 11. *punct.* 1. *n.* 8. Ex his omnibus probabiliter reſpondendum eſt ad propoſitam quæſtionem, non præſtare promiſſionem externam etiam acceptatam, non eſſe mortale.

*Quidam adoleſcens fecit votum, non ſolùm ingrediendi, ſed etiam profitendi in quadam Religione, ſed in tempore nouitiatus deprehendit eam ſibi propter vitæ aſperitatem, non eſſe accommodam; quæritur, an ſtante voto profitendi poſſit egredi?*

RESOLVT. X.

CErtamen hac de re mihi fuit cum homine amiciſſimo & huius litteraturæ non indocto, nam ille mordicus negatiuam ſententiam ſuſtinebat, quam ſequuntur hi omnes, D. Thom. 2. 2. *q. vlt. art.* 4. & ibi Caiet *dub.* 1. Valent. *tom.* 3. *diſp.* 6. *q.* 6. *punct.* 4. Azor. *p.* 1. *lib.* 11. *c.* 2. *p.* 8. Philiarch. *de offic. Sacer. tom.* 1. *p.* 3. *lib.* 5. *c.* 20. Nauarr. *c.* 12. *n.* 47. D. Antonin. *p.* 3. *tit.* 16. *c.* 2. §. 5. Sanchez *in opere morali tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 16. *n.* 81. Bonac. *tract. de legib. diſp.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 5. §. 6. *num.* 22. & alij. Rationes quibus fulcitur hæc opinio, hæ ſunt: nam qui vouet ingreſſum, & perſeuerantiam in Religione, duo promittit: igitur non ſatisfacit ſolo ingreſſu, ſed opus eſt, vt perſeueret, & profiteatur, hæc enim eſt differentia inter votum ingrediendi, & profitendi in Religione. Nam qui vouit ſe ingreſſurum religionem, ſolùm videtur promittere ſi in probatione deprehenderit eam ſibi conuenientem, profiteri; vnde ſi bona fide iudicet propter ingenium ſuum inconſtans, vel propter illius aſperitatem, eam ſibi minimè conuenientem, non tenetur profiteri. Sed qui vouit, non ſolum ingreſſum, ſed etiam profeſſionem, videtur ſe ita voluiſſe obligare, vt non poſſit egredi vllo modo, niſi tanta ſit difficultas, vt cenſeatur intolerabilis, vnde votum ceſſaret ratione impoſſibilitatis.

At his minimè ſuffragantibus contrariam ſententiam probabilem, & tutam in praxi eſſe iudico, quam ſuſtinent ex Societate Ieſu, Valerius Reginaldus *in praxi, tom.* 2. *l.* 18. *cap.* 25. *num* 383. Sotus *de iuſt. lib.* 3. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 5. Aragonius *in* 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 3. *ver. Eſt & aliud dubium*, Petrus de Ledeſma *in ſumma, tom* 2. *tract.* 10. *cap.* 3. *dub.* 7. *caſ.* 4. & Leſſius *lib.* 2. *cap* 41. *dub.* 5. *n.* 48. vt eam quis ſine ſcrupulo amplecti poſſit, probabilem vocat. Nec deſtituta hæc opinio videtur ratione. Nam aſſerunt vtrumque votum ingrediendi, & profitendi in Religione, intelligendum eſſe ſecundùm canones annum nouitiatus concedentes; vt ſi intra hoc tempus Religio minimè placeat, integrum ſit egredi, & ſic in ipſo voto perſeuerantiæ, hæc tacita conditio ex diſpoſitione iuris ineſt. Deinde Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap* 15. irritam facit profeſſionem ante annum nouitiatus impletum, ne tollatur nouitio poteſtas exeundi, ſi intra illud tempus deprehendit illam Religionem ſibi non congruere. Et *in cap* 16. omnes renunciationes ſuſpendit in tempus profeſſionis; vnde apparet mentem Concilij illam eſſe, vt hoc votum intelligendum ſit conditionaliter, nempe, ſi bona fide deprehendero Religionem mihi conuenire. Ex his apparet hanc opinionem, ex authoritate Doctorum, & rationibus, non falſam, vt vir amiciſſimus aſſerebat, ſed probabiliſſimam eſſe.

*Conſultus ſum quàm ſæpiſſimè, An Confeſſarius, qui carnaliter pœnitentem cognouit, teneatur in Confeſſione exprimere hanc circunſtantiam, vel ſufficiat tantùm dicere, ſe copulam cum coniugata, vel ſoluta habuiſſe?*

RESOLVT. XI.

REſpondeo affirmatiuam ſententiam tenuiſſe Armillã *ver. circunſtantia. num.* 13. Viualdum *in ſuo Candelabro*, *par.* 1. *de confeſſ. n.* 50. Lopez *part.* 1. *inſtructor. cap.* 25. §. *ſecundò reſpondeo* & nouiſſimè Sanchez *de matrim. lib.* 7. *diſp.* 55. *num.* 4. Ægidium de Coninch. *de Sacram. tom.* 2. *diſput.* 32. *dub.* 2. *n.* 23. Nugnez *in addit. ad* 3. *part. quæſt.* 9. *art* 2. *dub.* 3. Et probant, quia talis copula ſingulariter repugnat reuerentiæ, tam ipſi ſacramento, quàm Confeſſario debitæ, qui eſt quaſi ſpiritualis pater ipſius pœnitentis; vnde in *cap. omnis* 30 *quæſt.* 1. dicitur: Omnes quos in pœnitentia ſuſcipimus, ita noſtri ſunt ſpirituales filij, vt & ipſi, quos vel nobis ſuſcipientibus, vel ſub trinæ merſionis vocabulo mergentibus, vnda ſacri baptiſmatis regenerat. Vbi vides, eſſe noſtras ſpirituales filias, non ſolùm quas baptizamus, ſed etiam quas in confeſſione abſoluimus. Ergo, &c.

Sed licèt hæc opinio ſit probabilis, tamen contraria ſemper mihi viſa eſt probabilior. Ratio eſt, quia inceſtus committitur inter cognatos, ſed ſacramentum pœnitentiæ non inducit cognationem ſpiritualem, cùm in nullo iure expreſſa reperiatur, vnde illud *cap. omnes*, citatum, intelligitur de inceſtu metaphorico, & improprio; ergo peccatum commiſſum cum pœnitente, non habet malitiam inceſtus, neceſſariò in confeſſione explicandam. Probatur totum hoc ex *cap. fin. de cognatione ſpirituali in* 6. vbi decernitur cognationem hanc oriri ex Baptiſmo, & Confirmatione, & poſtea ſubditur. Ex datione verò aliorum ſacramentorum cognatio ſpiritualis nequaquam oritur, quæ matrimonium impediat; vel diſſoluat. Et ſic hanc opinionem tuentur Azorius *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 9. *quæſt.* 5. & 9. Emmanuel Sà *verb. confeſſio, numer.* 16. & *ver. luxuria. numero* 2. Bonacina *de matrimon. quæſt.* 4. *punct.* 16. *numero* 7. & *de Sacramentis, diſput.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *punct.* 2. §. 3. *numero* 9. Petrus de Ledeſma *de matrimon. quæſt.* 56. *art.* 2. *dub. vlt.* & alij, quos citat, & ſequitur Sancius, *in ſelect. diſp.* 11. *numero* 5. adde etiam quod Vega *in ſumma tomo* 1. *cap.* 55. *caſ.* 19. & Rodriquez *tomo* 1. *cap.* 109. *num.* 1. aſſerunt hanc eſſe ſolùm cicumſtantiam aggrauantem. Sed ſecundùm noſtram opinionem, circunſtantiæ aggrauantes non ſunt neceſſariò in confeſſione aperiendæ; ergo neque iſta erit etiam aperienda. Et ſic patet reſponſio ad quæſitum; de quo etiam *ſuprà in Tract. de circumſtantiis.*

*Petrus habuit rem cum puella virgine, ipſa tamen conſentiente; quæritur, an hoc ſit ſtuprum habens malitiam ſpecie diſtinctam à ſimplici fornicatione, & neceſſariò in confeſſione explicandam?*

RESOLVT. XII.

OLim affirmatiuam ſententiam mordicus ſuſtinebam cum Villalobos *in ſumma, tomo* 1. *tract.* 30. *diffic.* 10. *numer.* 9. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 30. *c.* 3. *numer.* 66. Valent *tom.* 3. *diſp* 9. *q.* 3. *punct.* 3. Caietan. 2. 2. *q.* 154. *art.* 6. *ad* 1. *dubium.* Iac. de Graff. *dec. aur p.* 1. *lib.* 2. *c.* 79. Azorium *p.* 3. *lib.* 3. *c.* 11. *q.* 5. Suarez *tom.* 4. *diſp.* 21. *ſect.* 4. *numero* 6. nam in hac defloratione virginis reperitur iniuſtitia, non contra ipſam perſonam virginis, quia conſentienti non fit iniuria, ſed contra finem naturæ, ad quem conceſſit virgineum clauſtrum, cui non poteſt puella renunciare, eſt enim cuſtos, non domina illius ſignaculi. Adde quòd ſi filia nubat inconſulto patre, abſque iuſta cauſa, peccat contra pietatem paternam; ergo multo magis peccabit, quando conſentit ſe violari; tum quia, vt dictum eſt, non habet dominium ſuæ integritatis corporalis, ſicut neque habet dominium ſuæ vitæ; tum etiam, quia pater habet curam ſpecialem corporis filiæ, vt habetur Eccleſ. 7. *Filiæ tibi ſunt? ſerua corpus illarum.* Igitur per ſtuprum infertur iniuria patri, qui cuſtos eſt corporis filiæ ſuæ, ſiue illa conſentiat, ſiue diſſentiat; nam per filiæ conſenſum non ſubtrahitur filia à cuſtodia, & cura patris, vel tutorum

qui gerunt curam patris. Immo nec ipſa poterit conſentire, ſicut nemo poteſt conſentire, vt ſibi abſcindatur manus, ſed per ſtuprum fit ſciſſio quædam, & ruptio cuiuſdam membranæ carneæ, vt vult Veſalius, *de corporis humani fabrica, lib. 5.* & Fraghoſus *de Anatom. lib. 1. cap. 19.* Ergo per ſtuprum verè infertur iniuria, etiamſi puella conſentiat.

Sed re meliùs conſiderata contrariam ſententiam amplexus ſum, & cenſeo ſtuprum ſi fiat conſentiente puella, non continere ſpecialem deformitatem, vel iniuriam, ſupra ſimplicem fornicationem. Ratio huius ſententiæ eſt, quia non reperitur in ſtupro ſpecialis deformitas, niſi adſit ſpecialis iniuria; ſed quando puella voluntariè conſentit, non infertur iniuria, nam ſcienti, & conſentienti non fit iniuria. Ergo in ſtupro propter conſenſum puellæ non reperitur ſpecialis iniuria. Nec valet dicere, quòd in ſtupro ſaltem reperitur iniuria contra parentes, vel tutores inuitos; hoc enim falſum eſt; nam puella eſt domina ſuæ virginalis integritatis. Cõfirmatur; nam contra Valentiam 2.2. *diſp. 9. q. 3. punct. 3.* Guttierez *qq. canon. l. 1. c. 37. n. 24.* Lopez *part. 1. inſtruct. cap. 77.* Rodriquez *tom. 1. c. 208. n. 3.* & alios, verior ſententia habet, violatorem virginis conſentientis nil teneri reſtituere parentibus, quibus virgo violata ſubeſt, vt aſſerunt Petrus à Nauarra *lib. 2. c. 3 part. 4. n. 423.* Bannez 2.2. *quæſt. 62. art. 2. dub. 7.* Sotus, Veracruz, & alij apud Sanchez *vbi infrà.* Ergo nulla iniuſtitia & iniuria conſurgit per ſtuprum aduerſùs ius paternum. Dicendum eſt igitur, non dari ſpeciem ſtupri ſine raptu, atque ita violationem virginis ſponte conſentientis, etiamſi ſit ſub cura paterna, non differre à ſimplici fornicatione. Et ſic hanc ſententiam ſuſtinent, & ſequuntur Sancius *in ſelectis. diſp. 29. n. 7.* Leſſius *l. 2. c. 10. dub. 1.* Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 14. n. 1.* Vaſquez *opuſc. de reſt. c. 3. §. 1. dub. 1. n. 6.* Coninch *de Sacram. tom. 2. diſp. 7. dub. 4. n. 19.* & alij doctiſſimi neoterici.

Hinc ſequitur, vt notat Leſſius *num. 8.* delectationes, & deſideria in adoleſcente circa virginem, non habere ſpecialem malitiam mortalem ſupra alias delectationes, modò adoleſcens non habeat voluntatem inferendæ violentiæ. Vnde ſatis eſt in confeſſione, ſi dicat ſe delectationem habuiſſe, vel deſiderium circa fœminam ſolutam, vel ſe copulam habuiſſe cum ſoluta, etiamſi habuerit copulam cum puella, modò ipſa, vt ſuprà dictum eſt, conſenſerit. Et hæc circa hanc quæſtionem ſatis eſt dixiſſe. Ad argumenta contrariæ ſententiæ patet reſponſio ex dictis.

*Quidam Sacerdos Capellanus cuiuſdam Parochiæ, exiſtens in peccato mortali, miniſtrauit per multos menſes ægrotis ſacram Euchariſtiam; quæritur, an toties in tali adminiſtratione peccauerit mortaliter?*

RESOLVT. XIII.

Videtur omninò affirmatiuè reſpondendum. Nam iſtud miniſterium eſt actus per ſe pertinens ad Ordinis ſacramentum, & ideo miniſter concurrit per characterem ad talem actum, vt miniſter religionis & ex officio. Item, quia hoc miniſterium immediatè verſatur circa Sacramentum omnium ſanctiſſimum, atque adeò exigit ſanctitatem in miniſtro, qui ſi in peccato miniſtrat, peccat mortaliter. Et tandem cùm hoc ſacramentum ſit cæteris excellentius, propter talem Chriſti præſentiam, ſi peccat mortaliter, alia ſacramenta in mortali conferens, multo magis conferendo hoc ſacramentum; quod niſi à miniſtro conſecrato, & ex officio conferri non poteſt. Et ſic hanc opinionem ſequuntur D. Thomas *in 4. diſt. 5. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 4. ad 2.* Paludanus *diſt. 13. quæſt. 1. art. 4. concl. 1.* Richardus *diſt. 13. art. 1. quæſt. 3.* Sot. *quæſt. 1. art. 4.* Suarez *diſp. 16. ſect. 4. & diſp. 72. ſect. 4.* Valentia *tom. 4. diſp. 6. quæſt. 10. punct. 1.* Bonac. *de Sacram. diſp. 4. q. 5. punct. 2. n. 3.* & alij.

Verùm oppoſitam ſententiam docuerunt Henricus *quodlib. 6. quæſt. 30.* Martinus de Ledeſma *in 4. part. 1. q. 5. art. 6. dub. 3.* & Petr. de Ledeſma *in ſumma, tom. 1. de Sacr. in communi, c. 6. concl. 8. diffic. 5. fol. mihi 13.* nempe non eſſe peccatum mortale, ſed tantùm veniale, aliis extra Miſſam Euchariſtiam miniſtrare. Ratio eſt, quia licèt hoc miniſterium per ſe ſpectet ad poteſtatem characteris, & ad miniſtrum tantùm ex officio, non tamẽ eſt actio cauſatiua gratiæ, per ſe loquendo, quia miniſter in eo caſu non eſt per ſe cauſa gratiæ, ſed tantùm conditio ſine qua non; nempe cauſa applicans. Nec tangit niſi ſpecies materiales, quæ ſanctitatem in ſe non habent, niſi ſicut ſigna. Item, quia id olim fecerunt laici, & poſſet miniſter digitos pannicula circumuoluere, ne ſpecies conſecratas immediatè tangat. Et tandem, quia ſi quis corpus Chriſti tetigiſſet, cùm ſuper terram ambulauit, exiſtens in peccato mortali, non peccaſſet mortaliter. Ergo, neque modò aliis Euchariſtiam in peccato adminiſtrans. Hæc ſententia videtur mihi probabilis, ſicut etiam viſa eſt Petr. de Cabrera *in 3. p. D. Thom. de Sacram. quæſt 64. art. 6. diſp. 1. §. 9. n. 17.* ex quo ſumpta eſt iſta deciſio. Et ſic reſpondendum eſt ad ſuperiùs quæſitum, dictum ſacerdotem adminiſtrantem ægrotis Euchariſtiam in peccato mortali, non peccaſſe niſi venialiter. Salua, &c.

*Olim allatæ fuerunt mihi duæ dubitationes, an Sacerdos, qui omittit in conſecratione particulam* enim, *conficiat ſacramentum, vel ſaltem peccet mortaliter. Secundò, quid ſi dicat,* Hic eſt enim Calis, s, *pro* x *vtendo?*

RESOLVT. XIV.

Ad primam dubitationem reſpondet Fernandez *in ſuo exam theolog. part. 3. cap. 4. § 6. num. 1.* & Didacus Nugnus *in 3. part. tom. 1. quæſt. 78. art. 2.* dictum Sacerdotem conficere Sacramentum, ſed peccare mortaliter. Et ſi arguas, ait ille, contra hoc, quoniam illa particula eſt res leuiſſima, & ex alia parte verè conficitur ſacramentum ſine illa. Ergo, licèt habeat forma aliquam imperfectionem ſine illa, erit tamen imperfectio leuiſſima, atque adeò ex paruitate materiæ, erit tantùm peccatum veniale illam omittere. Reſpondetur, quòd licèt illa particula ſecundùm ſe ſit leuiſſima, tamen prout continetur in forma, res grauis eſt, quoniam maximè conueniebat ad excellentiam iſtius ſacramenti, vt expreſsè ſignificaretur certitudo conſecrationis, & vniuerſa Eccleſia ponit illam particulam, tanquam rem grauem. Hæc Nugnus.

Sed ego, his non obſtantibus, conſului tamen Sacerdotem conficere ſacramentum, & contra Nugnum peccare tantùm venialiter, nam ſine illa particula *enim,* adhuc ſaluatur ſenſus ipſius formæ. Ergo. Et leuitas materiæ excuſat à peccato mortali: & ita ſentiunt Henriquez *lib. 8. cap. 16. numero 4.* Coninch *in 3. part. quæſt. 78. artic. 2. dub. 2. numero 37.* Suarez *in 3. part. tom. 3. diſput. 59. ſect. 1.* ſed ponam hîc pro tollendis ſcrupulis aurea verba Petri de Cabrera *in 3. part. de Sacrament. quæſtione 68. articulo 8. diſputat. 2. numero 2.* Quando mutatio (ait ille) & ſecundùm rei veritatem, & ſecundùm æſtimationem ipſius miniſtri, accidentaliter ſe habet ad formam ſacramenti, nec tollit eius veritatem, tunc miniſter peccabit tantùm venialiter propter leuitatem materiæ immutatæ, vel additæ. Imò crediderim, quòd etiamſi id faciat ex contemptu, non peccabit mortaliter, dummodo contemptus ſiſtat intra limites illius leuis materiæ. Etenim contemptus diuinæ legis, determinatus ad materiam peccati venialis, ſolùm eſt culpa venialis. Et Soto exiſtimat hoc eſſe probabile. Quo fit, vt qui

in



in forma Euchariſtiæ prætermitteret illam particulam *enim,* non peccaret mortaliter. Hæc Cabrera. Sicut etiam, vt notat Valentia ex Soto *tom. 4. diſp. 7. quæſt. 1. punct. 3.* ſi ſacerdos dicendo tantùm *Te abſoluo,* &c. relinqueret. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti,* ſecluſo ſcandalo & contemptu, non peccaret mortaliter. Et ſecundùm Bonac. & alios *de Sacrament. diſput. 2. q. 2. punct. 4. num. 16.* qui in forma Baptiſmi omitteret, *Amen, ego, in,* & diceret, *Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti,* ratione paruitatis materiæ, non peccaret mortaliter. Et hæc circà primam dubitationem.

Quo ad ſecundam, reſpondi eodem pacto, nempe ſacerdotem conficere ſacramentum, & non peccare, niſi tantùm venialiter, ſecluſo ſcandalo, & contemptu, Ita Pitigian. *in 4. ſent. p. 2. diſt. 3. q. 2. art. 14.* Ratio eſt, quia illa littera *ſ,* communi modo concipiendi, non tollit ſignificationem ſubſtãtialẽ. Quãuis enim in rigore, vox illa *calis,* habeat aliã ſignificationem, quàm *calix,* tamen quatenus profertur in ipſo actu, & forma conſecrationis vini, ſignificat calicem ex cõmuni modo percipiendi, & per conſequens deprauatio, & corruptio illius vocis, non reddit irritum ſacramẽtum, nam talis variatio non cenſetur ſubſtantialis, ſed accidentalis. Habeo pro hac opinione omnes illos authores, qui aſſerũt ſacramentum Baptiſmi adminiſtratum ſub hac forma, *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua ſancta,* validũ eſſe. hi ſunt, D. Thom. *in 3. p. quæſt. 60. art. 7. ad 3.* Angel. *ver. Baptiſma, 2. n. 15* Tabiena *eodem ver. 3. n. 16.* D. Antonin. *3. p tit. 14. cap. 23. §. 3.* Sot. *in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 7.* Suar. & alij. Excuſabitur etiam, vt dixi, à peccato mortali, ratione leuitatis materiæ. Salua, &c.

*Mulier quædam domi puerum baptizauit Italicè, hæc verba pronuntians,* Io te battezo, co'l nome del Padre, co'l nome del Figliuolo, & co'l nome dello Spirito ſanto; *ſtatim quæſitum fuit à me, an ſacramentum ſub tali forma adminiſtratum, fuerit validum?*

RESOLVT. XV.

Martinus Bonacina, vir huius litteraturæ conſultiſſimus, *de Sacr. diſp. q. 2. punct. 4. num. 5* negatiuè reſpondet, nam, ait ille, dicendo, *in nomine Patris, in nomine Filij,* &c. licèt exprimatur trinitas perſonarum, non exprimitur tamen vnitas eſſentiæ, quæ in forma Baptiſmi eſt de ſubſtantia. Ergo. Vnde ſi aliquis baptizaret in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, non conficeret ſacramentum; quia illa dictio *in nominibus,* non importat vnitatem eſſentiæ, & virtutis, ſed potiùs numerat perſonas, & relationes. Et quamuis huiuſmodi numeratio ſit vera, quia tamen vnitas perſonarum in deitate non explicatur, ideo talis forma non eſt ſufficiens. Sic communiter DD. Item ſi aliquis baptizaret, vt olim quædam mulier apud Comitolum *in reſol. mor. lib. 1. quæſt 10.* ſub hac forma, *Io te battezo co'l Padre, co'l Figliuolo, & con lo Spirito ſanto,* inualidum eſſet ſacramentum, quia in his verbis non exprimitur vnitas diuinæ eſſentiæ. Ergo. Vide etiam Didacum Nugnum *in 3. p. tom. 1. quæſt. 66. art. 5. diffic. 4. fol. 157.*

Sed quidquid dicat Bonac. contrariã ſententia eſt prorſus amplectenda; nam vt aſſerit Suar. *tom. 3. diſp 21. ſect. 3.* Coninch. *in 3. p. q. 66 art. 6. n. 58* & Pet. Cabrera *de Sacr. q. 66. art. 5. n. 22.* & alij, qui baptizat ſub hac forma, *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filij* &c. non ideo aſſerit eſſe plura nomina: ſicut, qui diceret *in nominibus,* ſed idem eſſentiale Dei nomen commune tribus, ter repetit, quod rectè fieri poteſt abſque pluralitate, ſicut verè dicitur Pater Deus, Filius Deus, Spiritus ſanctus Deus; ſed Dij nuncupari non poſſunt, quia hoc ſignificat naturarum pluralitatem, illud verò minimè, quia ſunt verus, & idem Deus. Et ſic in noſtro caſu conſului dictum infantem fuiſſe, & eſſe verè baptizatum.



*Quidam Sacerdos poſt conſecrationem ſanguinis, inuenit in Calice aliquas guttas ſeparatas à vino, & illas cum purificatorio ante ſumptionem ſanguinis abſterſit; quæritur, an illæ guttæ fuerint conſecratæ?*

RESOLVT. XVI.

Referam, quæ de hac quæſtione apud authores inuenio. Coninch. *de Sacram. q. 74. art. 2. dub. 3. n. 43.* hæc aſſerit. Nota legitimam intentionem conſecrationis calicis, ſecundùm communem, & optimam praxim, ferri ſolùm circa omnem humorem conſecrabilem, qui in calice per modum continui, aut quaſi continui, continetur, vt comprehendat etiam aquam vino permixtam, & guttas vini, quæ proximæ continuo liquore calici intrinſecus adhærent, ita vt parua calicis agitatione reliquo vino miſceantur. Tales enim guttas vini, vel priùs abſtergi, vel cùm reliquo vino conſecrari omnino expedit, ne materia non conſecrata, miſceatur conſecratæ. Quare, niſi conſecrans aliud expreſsè intendat, cenſetur communiter hanc totam materiam, & nullam aliam conſecrare, & conſequenter, nec guttas remotiores circa extremum labrum calici adhærentes. Quamuis magis expediat, priùs omnes guttas, præſertim remotas, abſtergere, & tunc ſimpliciter omnem materiam conſecrabilem, quæ eſt in calice, conſecrare. Hæc Ægidius.

Sed Martinus Bonac. *tract. de Sacr. diſp. 4. q. 2. punct. 6. n. 7.* abſolutè aſſerit, omnes vini guttas, quæ ſunt in calice, licèt ſeparatas à vino manere conſecratas, & reddit rationem; nam intentio Sacerdotis ferri videtur circa totam materiam in calice exiſtentem, quæ demonſtratur per particulam *hic,* vt patet à ſimili de conſecratione plurium hoſtiarum in eodem vaſe exiſtentium.

Ex his exiſtimandum erat peccaſſe mortaliter Sacerdotem illum, qui vini guttas exiſtentes in calice, poſt conſecrationem abſterſit, nam erant conſecratæ.

Attamen illi, pro ſua conſolatione, contrariam ſententiam, apud Reginaldum, demonſtraui, ſic enim ait *in praxi tom. 2. lib. 28. cap. 2. n. 19.* Si aliquæ ſunt guttæ vini, vel extra calicem, vel in calice ſeparatæ à toto vino, quod in calice ipſo continetur, eas probabiliter iudicari non conſecratas, ob defectum intentionis; namque intentio habenda circa materiam calicis eſt, vt Sacerdos intendat conſecrare illud, quod per modum vnius continui potabile exiſtit intra calicem. Sic ille.

*Quidam Epiſcopus in ſua Diæceſi confirmauit ſubditum alterius Epiſcopi, & hoc extra Eccleſiam, quæritur, an peccauerit?*

RESOLVT. XVII.

Peccaſſe mortaliter, putat Petr. de Ledeſma *in ſum. tom. 1. de Sacr. Confirmat. c. 9.* cuius verba ſunt. [El Obiſpo de vn Obiſpado, ſi confirma aquel que es de otro Obiſpado ſin licentia del otro Obiſpo, peca mortalmente, como pecaria mortalmente el Obiſpo, que ordenaſſe vn ſubdito del otro Obiſpo ſin ſu licentia. Tambien pecaria mortalmente, el que en el tal caſo ſe confirmaſſe, ſino es que tuuieſſe ignorancia inuicibile.] Hæc ille; quam opinionem ſequitur etiam Bartholomæus ab Angelo *dialog. 4. §. 62.* Aloyſius Riccius *in praxi var. reſol. part. 2. reſol. 24.* Tolet. *l. 2. c. 24. n. 5.* Viualdus, & alij.

At mihi probabilior ſemper viſa eſt contraria ſententia, quam tuentur Henriq. *l. 3. c. 6. n. 6.* & Emmanuel Sà *ver. confirmatio, n. 2.* Ratio eſt, quia licèt ſuſcipiens ſacramentum Confirmationis, ſit ſubditus alterius Epiſcopi, tamen præſumitur hoc ratum, & gratum fore proprio Epiſcopo. Sed ſecluſa ratihabitione, erit mortale, vt docet prima opinio.

Nec etiam peccauit mortaliter, quia miniſtrauit

hoc ſacramentum extra Eccleſiam. Nam licèt Didacus Nugnus *in 3.p.tom.1.q.2.art.1.* teneat affirmatiuam ſententiam, quia excellentius eſt hoc ſacramentum, quàm Baptiſmus: ſed peccatum mortale eſt Baptizare aliquem extra Eccleſiam, ſine neceſſitate: ergo etiam confirmare. Deinde probatur ex vniuerſali conſuetudine totius Eccleſiæ, quæ in re graui obligat ſub peccato mortali.

Attamen mihi ſemper placuit contraria ſententia, quam ſequitur ex antiquis Paludanus *in 4. quæſt. 3. art. 3.* & ex recentioribus Suarez *in 3.p.tom.3. diſp.38.ſect.2.* ait eſſe probabilem; & Martinus Bonac. *de Sacram. diſp. 3. quæſt. vnic. punct.2.* exiſtimat conſuetudinem confirmandi in Eccleſia, non eſſe receptam cum tanto onere, vt reum lethalis culpæ conſtituat; nimis ergo rigidè in hac re locutus eſt Nugnus.

*An Petrus ſatisfecerit præcepto Miſſæ, qui eodem tempore ſacrum duorum Sacerdotum media ex parte audiuit: nempe Miſſam vnius Sacerdotis, vſque ad conſecrationem, & Miſſam alterius Sacerdotis à conſecratione vſque ad finem?*

RESOLVT. XVIII.

RESpondeo hoc ſucceſſiuè fieri poſſe, vt ſi quis veniens ad Eccleſiam tempore eleuationis Miſſæ reliquum illius audiat, poſtea partem alterius vſque ad eleuationem. Sic Nauar. *cap.21.n.3.* Emanuel Sà *ver. Miſſæ auditio, n.2.* Sotus *in 4. diſt.13.q.2.art.1.* Henriquez *lib. 9. c.25.n. 8.* Barthol. ab Angelo *de Miſſa*, §.782. & alij communiter, qui aſſerunt hoc facere, ſolum eſſe peccatum veniale, ſine iuſta cauſa.

Tota ergo difficultas eſt, an hoc ſit licitum in eodem tempore. Negat Reginaldus *tom. 2. lib. 19. c.2. quæſt.3.n. 26.* vbi ait. Cæterùm videtur omnino tenendum, Miſſæ auditionem non integrari ſufficienter per duas medietates, quando quis vnam medietatem audit ab vno ſacerdote qui Miſſam incipit, & eodem tempore alteram medietatem ab altero Sacerdote, qui eſt in medio Miſſæ, nam conſuetudo in contrarium, oſtendit aliam fuiſſe mentem Eccleſiæ præcipientis Miſſæ auditionem. Id quod indicare videntur verba *cap. Miſſas ſpeciali ordine*; inter partes verò, quæ ſimul ſunt, non ſeruatur ordo.

Sed hæc ratio Reginaldi mihi non placet, nam illud verbum *ſpeciali ordine*, non videtur conſtruendum cum verbo *audire*, ſed cum verbo *præcipimus*, ita vt ſenſus ſit, ſpeciali ordinatione, ſeu lege præcipimus Miſſas audire. Sed audiamus Nugnum *tom. 1. in 3. part. quæſt. 83. art. 6. ad 3.* meliùs in hac re philoſophantem, aſſerit enim, Actio audiendi Miſſam cùm ſit ſucceſſiua, habens veras partes, impoſſibile eſt, quòd ſit ſimul, atque adeò quando aliquis audit ſimul duas Miſſas ſecundùm differentes partes, non poſſunt illæ duæ partes reputari, tanquam partes eiuſdem Miſſæ etiam moraliter loquendo, vt reputantur, quando audiuntur in diuerſis temporibus, ſed ambæ ſimul ſumptæ reputantur tanquam vnica pars tantùm; & idcirco nullo modo poteſt dici, quòd ille audiat integram Miſſam; quemadmodum ſi aliquis homo haberet intellectum angelicum, ita vt poſſet attendere ad primum verſum horæ canonicæ recitando illum, & ad ſecundum, qui recitaretur ab alio ſocio, & hoc modo recitaret totam horam canonicam, res certiſſima eſt quòd non adimpleret præceptum, licet adimpleatur recitando vnum verſum, & audiendo alterum recto ordine. Hæc Nugnus, quem ſequitur Coninch. *de Sacrament. in 3. part. quæſt. 73. art. 6. dub. 2. numer. 288.* Suarez, & alij.

Sed non pauci contrariam tenent ſententiam, quam probabilem vocat ex noſtris Molfeſ. *in ſum tom. 1. tract. 3. cap. 17. numero 36. in fine*, nec deſtituta videtur ratione; nam Eccleſia non præcipit, vt Miſſa audiatur ab vno Sacerdote, ſed ſimpliciter præcipit Miſſam audire: duæ autem medietates Miſſæ conſtituunt vnam Miſſam, & quamuis Miſſa debeat audiri ſecundùm ſuum ordinem, tamen hoc non eſt de neceſſitate præcepti, ſicut alibi diximus de illo, qui horas canonicas recitat non ſeruato ordine, quem non peccare mortaliter probauimus. Et ideo Io. Azor. *p. 1. lib.7. cap.3. quæſt.3.* dixit, quòd ſi vera eſt illa opinio communiter recepta, & etiam ab ipſo, nempe poſſe aliquem ſatisfacere præcepto Miſſæ, ſi in diuerſis temporibus audiat partem Miſſæ ab vno Sacerdote, & partem ab altero, erit etiam vera altera opinio, quæ concedit poſſe hoc fieri in eodem tempore. Nam quod pertinet, ait Azorius, ad attentionem, poteſt ad vtrumque animum intendere. Adducunt aliqui pro hac firmanda opinione, id quod notat Io. Maior *in 4. diſp.12. q.8. dub. 1.* Ledeſma *in ſum. tom.7. de ſacram. Euchariſt. cap.27.* & Sanchez *in Decal. lib. 1. cap. 14. num.12.* cum Scortia *de ſacrificio Miſſæ, lib.2. cap.20. n.10.* nempe, qui duplicem Miſſam audire tenetur, poſſe eas ſimul audire, dum eæ in duplici altari ſimul celebrantur. Hæc apud authores circa præſentem quæſtionem inueni. Non reticebo tamen Reuerendiſſimum D. Franciſcum de la Riba, Vicarium Generalem in hoc Archiepiſcop. Panormitano, virum prudentia, morum probitate, ac doctrina celeberrimum, de hac quæſtione à me conſultum, affirmatiuè reſpondiſſe.

*Quæritur, an illæ particulæ*, vel Hoſtiæ, *quas quis, inſcio ſacerdote, conſecrandas appoſuit in corporali, remaneant conſecratæ?*

RESOLVT. XIX.

EX communi DD. ſententia, negatiuè reſpondendum eſt: nam materia conſecranda debet determinari per intentionem conſecrantis, vnde Coninc. *in 3.p. quæſt.74. artic. 2. dub. 3. numer. 39.* ait, Si ſacerdote omnino inſcio eſſent appoſitæ aliquæ hoſtiæ conſecrandæ, non poſſet cenſeri has velle conſecrare, etſi eſſent poſitæ in corporali. quia voluntas non poteſt ferri in omnino incognitum. Intentio autem conſecrandi, quæ includitur præcisè in voluntate celebrandi ſacrum, tantùm neceſſariò fertur circa materiam, quam manibus tenet tempore conſecrationis, vel quæ eſt in calice: niſi aliquæ circunſtantiæ cogant eam ad alia extendi. Ad quod neceſſarium eſt, vt hæ ſint cognitæ à Sacerdote, quia intentio, vt dictum eſt, non fertur in omnino incognitum. Ita etiam Summa Angelica *verb. Euchar.1.§.26.* & Tabiena *verb. Euchar. 2. §. 4.* cum Barthol. ab Angelis *dialog.4.§.380.* & alij.

Sed quia aduersùs hanc ſententiam, inuenio neotericum quemdam diſputantem, in gratiam lectorum non reticebo eius verba. Igitur Didac. Nugnus *tom. 1. in 3. part. quæſt.34. art.2. difficult. vlt.* ait: Quòd ſi hoſtiæ poſitæ addatur alia, ſacerdote inſcio, conſecratio vtriuſque valida eſt: Ratio eſt, quoniam dum ſacerdos non habet irreligioſam intentionem, ſemper intelligitur, & præſumitur habere religioſam intentionem, quam debet habere; quæ talis eſt: Mea intentio eſt conſecrare iſtam hoſtiam, quia credo iſtam futuram eſſe præſentem, ſi tamen fuerit alia præſens, mea intentio eſt illam conſecrare. Et licèt hoc non dicat expreſsè, dicit tamen virtualiter, & includitur totum hoc in eo, quod eſt habuiſſe rectam intentionem; aliud eſt, ſi habuit à principio formalem intentionem non conſecrandi, niſi iſtam, quia tunc ſi fortè apponatur alia, nullum eſt ſacramentum. Hæc Nugnus. Nec valet dicere, quòd materia conſecranda debeat eſſe aliquo modo, vt diximus, determinata per intentionem conſecrantis, vt probant Suarez *in 3. part. tom. 3. diſp.43. ſect.6.* Vaſquez *in 1. part. tom. 3. diſp.71. cap.1. num 6.* Henriquez *lib.8. cap.14. num 5.* Toletus *lib.2. cap.25. num.6.* & alij. Nam, reſpondet Nugnus,

quòd



quòd etiam in iſto caſu determinatur materia ex intentione Sacerdotis, quoniam quando accedit ad conſecrandum, debet habere intentionem conſecrandi illam quam habet præſentem, atque adeò non impedit quòd ſit alia, quam ipſe appoſuit à principio. An hæc opinio ſit ſequenda, videant viri docti.

*Ex quadam huius regni ciuitate, relata hæc quæſtio mihi fuit. Poſſitne quidam Religioſus ſurdaſter ad ſacros Ordines promoueri.*

RESOLVT. XX.

PAulus Comitol. *in ſuis reſp. mor. lib.6. q.55.* negatiuè reſpondet, & multis rationibus conatur hanc ſuam confirmare ſententiam, ſed præcipuè hoc argumento. Gelaſius Papa ad Clericorum munera eos promoueri vetat, qui ſunt vitiati corpore. Verùm ſurdaſter eſt vitiatus corpore. Ergo ad munera Clericorum promoueri non poteſt. Minor ad hunc modum probatur. Is eſt vitiatus corpore, qui corporis vitio aliquo laborat. Verùm ſurdaſter corporis vitio laborat, eſt enim ſurdaſtritas vitium auditus, ſeu aurium, & quilibet ſurdaſter auditu eſt vitiatus. Ergo eſt corpore vitiatus.

At ipſe DD. volumina voluens contrariam ſententiam communiorem inueni, quam ſequuntur hi omnes, Sayrus *de cenſuris lib.6. cap.8. num. 17.* Bonacina *de cenſuris, diſp.7. quæſt. 2 punct.2. num. 7.* & ex ipſa Comitoli familia, Reginaldus *tom. 2. lib.30. tract.2. cap.5. ſect. 2. num. 50.* cum Maiolo *de irregul. lib. 1. cap. 25. num. 1.* & Iacobus de Graffiis *dec. aur. lib. 4. cap.27. num.56* qui aſſerunt, ſurdaſter, cùm quis eſt, ſeu cùm vel difficilè audit, vel altera aure tantùm ſurdus eſt, nullo iure prohibetur ad ſacros Ordines promoueri.

Ad argumentum verò Comitoli poteſt quis reſpondere, non omne vitium corporis adducere irregularitatem, ſed tantùm illud, quod adducit nimiam deformitatem apparentem, quam non habet ſurdaſter, & qui altera aure ſurdus eſt. Salua ſemper, &c.

*Canonicus mihi coniunctiſſimus litteris ad me miſſis, ſcire auebat, vtrùm Sacerdos beneficiarius exercens per multos annos crimen ſodomiticum cum fœmina, occultè tamen, & ſine ſcandalo, incurrerit in irregularitatem, & in pœnas Extrauagant. Pij V.*

RESOLVT. XXI.

REſponſum negatiuum accepit, & primò quoad irregularitatem, licèt ſodomia ratione infamiæ illam inducat, *cap. infames 6. q. 1.* cùm ſit crimen enormiſſimum, vt habetur *in cap. adulterij 32. quæſt. 7.* tamen cùm occultè exercetur, non inducit irregularitatem, vt tradit Nauarr. *c. 22. n.149.* cum Valent. *tom.4. diſp.7. quæſt.19 punct.3. §. 5.* & Coninch. *de Sacram. diſp. 18. dub.7. num.56.* & habetur expreſsè *in c. vlt. de temporibus ordinandorum.* Cuius rei ratio eſt clara, nam crimen occultum non parit infamiam, ſecus autem ſi eſſet publicum, vt ex multis probat Auila *de cenſ. p 7. diſp. 4. concl. 1.* quæ doctrina procedit in omnibus aliis criminibus, quibus à iure infamia annexa eſt; vt ſunt periurium in iudicio, ſimonia, vſuræ vſurarum, ſacrilegium, duellum, hæreſis, eiúſque fauor, crimen læſæ maieſtatis, perſecutio hoſtilis Cardinalium, & ſimilia. Cùm igitur dictus ſacerdos non ſit ſodomita publicus, non erit irregularis.

Quoad pœnas Bullæ Pij V. priuationis priuilegij clericalis officij, & beneficij, &c. Dico probabiliorem eſſe illam ſententiam, quæ aſſerit, dictam Bullam non eſſe receptam in vſu quoad forum interius: ſic Henriquez *lib.14. cap.5. num.1. littera F* Auila *de cenſ. p. 7. diſp.4. dub. 7. concl. 8. in fine*, cum Greg. Sayro *lib. 7. c.12. num. 23.* Adde quòd licèt dicta Bulla eſſet recepta etiam in foro conſcientiæ, tamen dictus Sacerdos exercens actum ſodomiticum cum muliere, non incurreret in præfatas pœnas. Sic Azor. in terminis *p. 3. lib.3. c.19. q.3.* vbi quærit, An in hac Extrauaganti Pij V. comprehendatur Clericus committens copulam contra naturam cum fœmina: & reſpondit, minimè, quia licèt vas ſit contra naturam, non eſt tamen peccatum ſodomiticum, quia ſodomia eſt concubitus, in quo non ſeruatur debitus ſexus: vt ipſe Azorius *c.20.* probat ex D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 154. *art* 11. Caietan. *ibid.* Scio contrariam opinionem tenere Sayrum *de cenſur. vbi ſuprà num.23 in fin.* Aloyſium Riccium *in ſua praxi p.1. reſol.302. n. 2.* Garſiam *de beneficiis, tom.2. p. 11. c. 10. §. 2. n.207.* & Proſperum de Auguſtino *in addit. ad ſum. Bullarij Stephani Quaranta, ver. ſodomia*, vbi ait. Præſentis conſtitutionis diſpoſitionem, & pœnas ampliamus, non ſolùm in clerico ſodomita maſculorum concubitore, ſed & in eo, qui feminam præpoſtera venere cognouerit, cùm in hoc caſu ſodomia propriè committi dicatur, & citat Afflictum, Menochium, Clarum, Couarruuiam, & alios. Sed mihi opinio Azorij probabilior videtur. Sed de hac quæſtione iterum infrà redibit ſermo.

*Quis manifeſtauit complicem in confeſſione, cùm haberet copiam adeundi alium Confeſſarium, cui non erat notus complex: in alia verò confeſſione cùm ſcrupulum de hoc haberet, manifeſtauit Confeſſario, qui ſacrilegam putauit primam confeſſionem, dum in ipſa pœnitens peccauit mortaliter manifeſtando peccatum occultum proximi ſine neceſſitate, & ideo repetendam eſſe dicebat. Conſultus ego de hac re ab ipſomet pœnitente, negatiuè reſpondi?*

RESOLVT. XXII.

REl inquendo multas alias rationes, ſciendum eſt, quòd magna eſt inter DD. controuerſia an ſit peccatum mortale reuelare crimen occultum vni, vel duobus viris prudentibus, qui ſecretò retinebunt. Partem negatiuam amplexi ſunt Salonius, & Bannez *in 2. 2. quæſt.73. artic. 2.* ille *controu. 1. concl.1.* hic *dub. 1.* & alij apud Clauem Regiam *lib. 11. cap.6. num. 12.* & Bonac. *de contract. diſput.2. quæſt.4. punct.3. num.2.* & nouiſſimè Ioann. Malderus *in 2. 2. tract.7. cap.1. dubit.4.* cum Alfonſo de Vega *in ſumm. tom.2. cap. 8. caſ. 12.* & Ioann. Azorio *tom.3. lib.5. cap.9. quæſt.2.* Probatur hæc opinio; nam, vt ait Malderus, ſi temerè de proximo iudices, iniuria eſt mortalis, non obſtante quòd verſetur in materia ſimili, in qua hæc detractio materiæ; ergo paruitas hîc à mortali non excuſat. Confirmatur ex affinitate iſtorum peccatorum, quæ patet Iacobi 4. *Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem, detrahit legi, & iudicat legem.* Sed ad hoc argumentum reſpondet Bonacina, negando conſequentiam; & ratio diſparitatis eſt, quia per iudicium temerarium, fit alteri grauis iniuria, cùm ex leuibus indiciis imponatur illi crimen, quod poteſt eſſe falſum: imponere autem falſum crimen, eſt peccatum mortale. Quare aliud eſt manifeſtare viro taciturno verum crimen, aliud manifeſtare, vel imponere falſum crimen per detractionem, vel iudicium temerarium: primum excuſatur à culpa, non autem ſecundum. Alia verò argumenta, pro hac firmanda opinione, videnda ſunt apud citatos DD.

Sed mihi licèt hæc opinio communis, & probabilior videatur, contrariam etiam tamquam probabilem amplectendam eſſe non dubito, etiam ſine vlla limitatione, cum qua ſequitur illam Leſſius *lib.2. cap.11. num.70.* Dico igitur abſolutè, & ſine reſtrictione, non eſſe peccatum mortale, reuelare crimen proximi vni, vel duobus, quibus dicere perinde ſit, ac ſi nulli diceretur; quia cùm non



adſit

adſit periculum diuulgationis, hoc videtur eſſe leue detrimentum in fama. Sic Caietan. *in 2. 2. quæſt. 63. art. 2. dub. 1.* Petr. à Nauarr. *lib. 2. cap. 4. n. 334.* & ex neotericis Societatis Ieſu, Valer. Reginald. *tom. 1 lib. 24. c. 4. n. 75.* & alij. Ex his apparet, dictum pœnitentem manifeſtando complicem confeſſario, non peccaſſe mortaliter; vnde patet reſponſio ſuprà poſitæ quæſtioni.

*Olim orta eſt inter aliquos Sacerdotes magna controuerſia, an tactus impudici facti in Eccleſia habeant ſpecialem malitiam ſacrilegij mortalis neceſſariò in confeſſione explicandam?*

RESOLVT. XXIII.

AFfirmant plures præſertim ex neotericis Ortiz *in ſum. notabil. 5. in ſine circa 6. præceptum.* Ioann. Salas *in 1. 2. tom. 2. tract. 13. diſp. 6. ſect. 22. nm 150. in fine*, & Franciſcus Suarez *de Religione tom. 1. lib. 3. cap. 7. num. 11.* vbi citat Card. Sylueſt. Lopez, Rodriq. & Ledeſmam. Ratio huius ſententiæ non fundatur in Eccleſiaſtica prohibitione; nam hæc prohibitio facta non eſt, niſi de ſeminis emiſſione in Eccleſia. Ergo cenſent hos tactus impudicos in Eccleſia factos mortalia ſacrilegia, ex vi legis naturalis auerſantis illos actus in loco ſacro, tanquam indecentiſſimos ſanctitati eius. In quo genere actus illi reputantur prudenter materia grauis, & ſufficiens ad grauem irreuerentiam loci ſacri. Fortaſſe tamen non erit idem de turpi aſpectu, aut nutu, aut leui verbo, maximè quando in tranſitu, ſine notabili mora, & ſcandalo fiunt, quia non videntur materia ita grauis. De quo non poteſt ferri certa regula, ſed id prudenti iudicio relinquendum eſt. Hæc Suarez.

Sed nimis ſcrupuloſè. Puto igitur cum Sanchez *de matrim. tom. 3. lib. 9. diſp. 15. n. 21.* & Coninch. *de Sacr. diſp. 7. dub. 4. n. 22.* probabilius eſſe etiam tactus turpes, & impudicos habitos in Eccleſia, modò non adſit periculum pollutionis, ratione loci ſacri, non habere ſpecialem malitiam ſacrilegij in confeſſione aperiendam; & ratio eſt, quia, vt docet Valentia *2. 2. diſp. 6. q. 15. punct. 1. §. præterea*, cum Henriquez *lib. 5. pœnit. cap. 6. n. 5.* Vaſquez *in p. 2. tom. 1. quæſt. 72. art. 6. diſp. 98. n. 4.* malitia, & ſpecialis deformitas ſacrilegij, non conſurgit ex iure naturæ, ſed ex ſolo Eccleſiæ ſtatuto, quod decernit Eccleſias tantùm ex ſanguinis, & ſeminis effuſione violari. Itaque, vt optimè etiam docet Caietan. *tom. 1. tract. 18. reſponſionum, reſp. 12. dub. 1.* tunc loci circunſtantia ſacrilegium conſtituit, cùm peccata in eo admiſſa impediant diuina poſſe ibi celebrari, mortuos ſepeliri, &c. Sed tactibus, quamuis impudicis, vt patet, nō violatur Eccleſia, neque per illos impediuntur diuina officia. Ergo tales tactus etiam turpes, non erunt ſacrilegi, neque continebunt circunſtantiam in confeſſione detegendam. Poſt hæc ſcripta, inueni ſententiam Suarez, & aliorum tenere etiam ex neotericis Raphaël. de la Torre *in 2. 2. tom. 2. quæſt. 99. art. 4. diſp. 7.* vbi quærit, quando ſacrilegia pertinentia ad actus turpes in Eccleſia ſint peccata mortalia? Et reſpondit eſſe mortalia in fornicatione, pollutione, & tactibus impudicis in partibus inhoneſtis, & ideo aperienda in confeſſione. Sed noſtra opinio tutò practicari poteſt; de quo etiam ſuprà dictum eſt.

*Quidam vir timoratæ conſcientiæ audiuit detrahentem de re graui, & non correxit, quæritur an à lethali culpa excuſari poſſit?*

RESOLVT. XXIV.

REſpondeo ſi illa detractio fuit facta ſolùm ante ipſum, vel alterum virum probum, & taciturnum, detrahentem non peccaſſe mortaliter iuxta opinionem probabilem Cordubæ *quæſt. 2. concl. 5.* & aliorum, quos retuli ſuprà, quia talis infamia non cenſetur notabilis. Ergo neque peccarunt mortaliter audientes; quicquid in contrarium aſſerat Malderus *in 2. 2. tract. 7. c. 1. dub. 4.* & ex parte Leſſius *lib. 2. cap. 11. dub. 4. n. 21.*

Dico ſecundò, etiamſi illa detractio fuit facta coram pluribus, excuſabitur à mortali, per ea quæ mihi ipſe conſulens interrogatus reſpondi; nam, vt optimè notauit Bonacina *tract. de contract. diſput. 2. quæſt. 4. punct. 11. num. 8.* audiens detrahentem non debet in dubio præſumere loquentem malum, niſi habeat ſufficientes coniecturas in contrarium: & cùm ipſe neſciat, an delictum quod ab alio narratur, ſit publicum, vel occultum, & vtrùm iuſtè, vel iniuſtè narretur, non peccat non obſiſtendo narrationi; fieri enim poteſt, vt iuſtè quis narret, & conſequenter alius faciat iniuriam narranti obſtando, ac ſi corriperet de peccato, quod neſcit eſſe peccatum. Hoc etiam obſeruauit Rebellius *de obligat. iuſt. part. 1. lib. 3. quæſt. 6. num. 8.* & Ioan. Malderus *in 2. 2. tract. 7. c. 1. dub. 15.* vbi ait, poſſeſſionem famæ dubiam, te quidem arcere à detrahendo, ſed non ſufficere, vt detrahentem iudices; quia, & ipſe in dubio poſſeſſione bonæ opinionis exuendus non eſt. Notent hanc doctrinam confeſſarij, ſic enim tollent multos ſcrupulos, quibus viri timorati in tali caſu angi ſolent, & etiam propter hanc rationem colligitur ſæpiùs, priuatas perſonas excuſari à mortali, non obſtando detrahentibus.

Aliæ verò cauſæ, quæ excuſant non obſtando detractioni, videndæ ſunt apud Molinam *tom. 5. tract. 4. diſput. 34.* Azorium *part. 3. lib. 13. c. 7. in fine* Aragon. *in 2. 2. quæſt. 63. art. 4.* Leſſium *lib. 2. c. 11. dub. 4. n. 21.* Reginaldum *tom. 2. lib. 24. cap. 4. quæſt. 8. n. 95.* Petrum à Nauarra *de reſtit. lib. 2. cap. 4. numer. 337. & 338.* Valentiam *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 17. punct. 4.* Salonium *in 2. 2. quæſt. 73. articul. 4.* Sotum *lib. 5. quæſt. 10. artic. 4.* Sayrum *in Claui Regia lib. 11. cap. 9. num. 37.* & Rebellium, Malderum, Bonacinam, *vbi ſuprà.*

*Petrus in confeſſione accuſauit ſe dicens adulteraſſe; ſed poſtea cognouit ſe quinquies tantùm in peccatum adulterij incidiſſe; quæritur, an quando denuò confitetur, debeat certum numerum declarare, & dicere ſe tantùm quinquies peccaſſe?*

RESOLVT. XXV.

MArtinus Bonacina *vbi infrà*, ait hanc difficultatem nullum expreſſis verbis declaraſſe, ſed ego inuenio ad illam affirmatiuè reſpondere Ioannem Yribar *in 4. ſent. diſt. 17. diſp. 57. ſect. 8. tom. 2.* vbi quærit. Quid iuris, ſi peracta confeſſione occurrant memoriæ aliqua peccata mortalia, quorum in foro illo non meminit? & reſpondit, Quòd ſi error in aſſignando numero fuit notabilis; tenetur pœnitens denuò forum repetere, & illa explanare. Vt ex c. ſi bis, vel ter mœchatus eſt, & confeſſus eſt ſe decies mœchatum fuiſſe, deuincitur iterum confiteri. Sic ille.

Sed mihi prorſus placet opinio contraria Bonacinæ *de Sacrament. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. punct. 3. num. 3.* nam ſi bona fide maiorem numerum peccatorum mortalium in confeſſione expreſſit, non ſolùm non tenetur repetere confeſſionem, vtpote validam, & integram formaliter, verùm neque tenetur errorem maioris numeri confiteri. Ratio eſt, tum quia peccata ſua confeſſioni ſemel ſubiecit, eorúmque abſolutionem obtinuit à Confeſſario, iudicium ferente circa minorem numerum in maiori contento, tum quia ſecunda confeſſio eſſet potius excuſatio, quàm accuſatio. Nec valet dicere, quòd in tali caſu deciperetur confeſſarius in materia graui; nam, reſpondeo, quòd ſic pœnitens deciperet confeſſarium, non formaliter, ſed tantùm materialiter in ſui præiudicium, & incommodum; nam ratione maioris numeri expreſſi, maior pœnitentia fuiſſet illi à confeſſario iniuncta. Hæ ſunt rationes Bonacinæ pro ſua firmāda opinione, quam etiam ex



ex noſtris docuit P. D. Marcellus Megala *in 1. parte inſtitutionum confeſſar. lib. 5. cap. 18. num. 10.* vbi poſtquam dixiſſet ex communi ſententia DD. quòd ſi quis in confeſſione manifeſtando numerum, ſi error notabilis ſit, tenetur verum numerum manifeſtare. At ſi errauit in exceſſu, confitendo maiorem numerum notabiliter, non putat eum teneri ad verum numerum manifeſtandum; quia cùm bona fide, & abſque dolo id fecerit, confeſſio non fuit infidelis, nec peccaminoſa, & verè fuit integra, & quia in numero maiori minor numerus continetur. Hæc opinio prorſus eſt ſequenda.

*Olim per litteras quæſitus fui à quodam ſacerdote vtrùm Epiſcopus poſſit legatum aliquod in æquale, aut melius commutare?*

RESOLVT. XXVI.

ET digladiantes hinc inde DD. tam recentiores, quàm veteres inueni; aliqui affirmant, aliqui negant. Negant ex noſtris P. Naldus *ver. legatum, n. 39.* Molfeſius *in ſumma, tom. 2. tract. 13. cap. 5. num. 182.* & ex Societate Ieſu P. Molina *de iuſt tom. 1. tract. 2. diſp. 249.* ex Iuriſtis Guido Papæ *dec. 556.* Bertachinus *tract. de Epiſc. part. 4. num. 79.* Capella Toloſana *dec. 26.* Abbas *in cap. tua nobis, de teſtamen. n. 4.* Aloyſius Riccius *part. 2. dec. 125.* & alij. Probatur hæc ſententia multis rationibus, & primò per textum *l. legatum ff. de adminiſtr. rer. ad ciuit. pertin.*

Secundò, quia voluntas teſtatoris pro lege eſt ſeruanda, *l. in conditionibus primum locum, de cond. & demonſtr. & cap. vltima voluntas 13. q. 2.* Tertiò, quia ſic videtur definitum, vt ait Molina, & alij in Clementina, *quia contingit. de religioſ. dom.* His verbis. Cùm ea quæ ad certum vſum ſunt deſtinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (ſalua ſedis Apoſtolicæ authoritate) conuerti. Hæc *ibi* Clemens V. approbante Concilio Viennenſi. Et anniuerſarium, quod relinquitur pro virginibus maritandis, nullo modo patitur commutationem, ait Illephonſus Perez *de Anniuer. & Capellaniis lib. 1. cap. 14. n. 38. & c. 22. num. 10.*

Aliqui DD. limitant hanc ſententiam, & aſſerunt, pro vna vice tantùm poſſe Epiſcopum commutare aliquod legatum ex aliqua cauſa. Ita M. Anton. Genuenſis *in praxi Archiepiſ. cap. 19. num. 5.* & Riccius *in collectan. part. 3. collect. 558.*

Sed contrariam ſententiam abſolutè ſequuti ſunt M. Ant. Genuenſis, mutans opinionem *in practicabil. Eccleſiaſt. tricenar. 8. quæſt. 213.* Syluester *ver. legatum. 4. qu. 12.* Vaſquez *opuſc. de teſtam. c. 8. §. 8. dub. 3. n. 104.* Iacobus de Graffiis *tom. 1. Conſiliorum. lib. 3. conſ. 2. n. 10.* Comitolus *in reſp. moral. lib. 7. q. 9. n. 2.* Beia *in reſpon. caſ. conſc. p. 4. caſ. 22.* Lucas de Penna latiſſimè *in l. vnica, C. de expenſis ludorum*, & Fernandez *in exam. theol. part. 4. c. 18. §. 1. n. 1.* qui citat D. Antoninum, Angelum, Tabienam, Armillam, Bartolum, & alios. Hi omnes aſſerunt, etiam ſi non adſit aliquod impedimentum iuris, vel facti, poſſe Epiſcopum commutare legatum in æquale, vel meliùs maximè cum conſenſu hæredum. Nec in hoc caſu Epiſcopi commutando infringunt voluntatem teſtatorum, ſed potiùs dicendum eſt interpretari: ſic enim commutando, ſeruant non explicitam, & formalem, ſed virtualem, & interpretatiuam diſpoſitionem teſtatoris.

Ad authoritatem verò Clem. *ſi quis contingit*, quam refert Molina, & alij, reſpondetur cum Luca de Penna *vbi ſuprà*, & aliis, illud Decretum Pontificis non procedere vbi iuſta commutationis cauſa ſubeſt; quod patet ex eo, quòd ibi bona illa collata fuerunt, vt pauperes lepra infecti reciperentur, quod rectores hoſpitalium renuebant inhumaniter facere, quin etiam prouentus eoſdem in ſuos vſus conuertebant. Iuſtè ergo ibi ſubiungitur, cùm tamen ea, quæ ad certum vſum largitione ſunt deſtinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium, ſalua quidem Sedis Apoſtolicæ authoritate, conuerti.

Nec valet dicere, huic opinioni obſtare Concilium Tridentinum *de reform. ſeſſ. 22. cap. 6.* vbi requirit in his commutationibus iuſtam, & neceſſariam cauſam. nam reſpondet Comitolus *vbi ſuprà*, in iſto loco Concilij particulam illam, *&*, habere vim diſiungendi, & idem eſſe quod, *vel*, aut, *ſeu*; vt *in lib. 2. Phyſicorum text. 3.* vbi Ariſtoteles definit naturam eſſe principium aliquod mouendi, & quieſcendi. In quibus verbis particula *&*, eſt pro, *vel.* Igitur verba Concilij non ſunt accipienda coniunctiuè, ſed diſiunctiuè, & ſic Epiſcopus poteſt commutare legata, vel ex neceſſaria cauſa, vel ex iuſta. Sed ad intelligentiam huius quæſtionis, notandum eſt duplicem poſſe reperiri cauſam iuſtam permutandi legatum pium; vnam, quæ ſe tenet ex parte rei, hoc eſt, cùm in æquale aliud, vel melius, fit permutatio. Alteram, quæ ſe ſolum tenet ex parte commutantis, hoc eſt, vt fiat bono fine, quamuis neque in æquale, neque in melius. Ad permutanda ergo legata pia, abſque cauſa ſe tenente ex parte rei, ſed tenente ſe ſolùm ex parte commutantis, requiritur authoritas Papæ. Sed ad illa permutanda cum cauſa ſe tenente ex parte rei, ſufficit authoritas Epiſcopi. Hæc Sylueſter, & Beia *vbi ſuprà.*

Ex his omnibus patet, me olim contra quemdam Theologum rectè reſpondiſſe cum Genuenſi *vbi ſuprà*, legatum pro ornamentis, & fabrica Eccleſiæ, potuiſſe Epiſcopum in celebrationem Miſſarum commutare.

*Vir quidam nobiliſſimus, cùm in ludo taxillorum magnam pecuniarum ſummam perdidiſſet, coëgit ſocium ad perſiſtendum in ludo, vnde poſtea pecuniam perditam iterum acquiſiuit, imò plus quàm perdiderat antea, vicit; quæritur, an teneatur ad reſtitutionem?*

RESOLVT. XXVII.

CAſus hic frequens eſt, & erit confeſſariis multùm vtilis. Affirmatiuè dicto viro nobili reſpondit quidam Theologus, & ita in terminis tenet hanc ſententiam abſolutè Clauis Regia *lib. 11. cap. 13. num. 1.* Malderus *in 2. 2. tract. 6. cap. 12. dub. 3.* Fernandez *in ſuo exam. theolog. moral. p. 1. cap. 15. §. 6. n. 6.* & ex noſtris P. Molfeſius *in ſum. tom. 2. tract. 12. n. 59.* Cardinalis verò Toletus *lib. 5. cap. 27. n. 7.* quem ſequitur noſter P. Megala *2. 2. lib. 2. cap. 19. quæſt. 3. n. 16.* obligat hunc cogentem, & ita lucrantem reſtituere eam tantùm partem, quam ſupra quod perdiderat, lucratus eſt.

Hanc ſententiam ſine vlla limitatione etiam neceſſe eſt, vt teneant omnes illi DD. qui aſſerunt nexu reſtitutionis vinciri illum, qui traxit alterum ad ludum minis, precibus importunis, &c. Hi ſunt Alphonſus de Vega *in ſum. p. 2. cap. 13. quæſt. 12.* Rebellius *de oblig. iuſt. p. 2. lib. 12. q. 3. n. 7.* Azorius *part. 3. c. 25. lib. 5. quæſt. 1.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 9. punct. 5. dub. 8.* Comitolus *in reſolut. mor. lib. 3. q. 9. n. 2.* Salas *tract. de ludo, dubit. 6. n. 2.* cum Bannez, & Aragion. *in 2. 2. q. 32. art. 7. ad 2.* & aliis. Probatur hæc opinio. nam qui ita ludit, inuoluntariè ludit. Ergo. Secundò contractus graui metu factus, eſt irritus iure naturæ, & dominium non transfert, ſed in noſtro caſu interuenit metus, & vis, aut tanta importunitas, quæ æquiualeat violentiæ. Ergo talis contractus ludi erit irritus, ac proinde obligabit ad reſtitutionem. Tertiò, per vim ſi cogam aliquem ludere cum alio, & periculo dare rem ſuam, ſi illi damnum inde proueniat, clarum eſt quòd ad reſtitutionem tenebor. Ergo etiam tenebor, ſi cogam aliquem mecum ludere, nam militat vtrobique eadem ratio. Hanc ſententiam propter has rationes, & alias, quas inuenies, apud DD. citatos, Reginaldus *tom. 3. lib. 10. cap. 25. n. 385.* ait eſſe in praxi ſequendam.

At mihi contraria opinio, his non obſtantibus, probabilis etiam videtur, ſicut etiam probabilis viſa eſt Leſſio *lib. 2. cap. 26. dub. 2. num. 9.* & abſolutè illam ſequuntur

tur Adrianus *de reſtitut. quæſt. de ludo*, Garzias *de contract. part. 2. cap. 19.* & ex neotericis. Lud. Molina *de iuſt. & iure, tract. 2. diſp. 516. n. 2.* nam talis contractus ludi fuit validus, & iuſtus. nam ſi hoc non eſſet, qui ludit attractus, vincendo teneretur ad reſtitutionem; eum itaque ſic inductus ſi vincat, poteſt retinere lucrum. Ergo etiam qui induxit, poterit etiam, ſi lucretur. nam ſi talis contractus eſt validus ex parte attracti, erit etiam ex parte attrahentis. debet enim eſſe par vtriuſque conditio. Item attrahentem alterum per minas ad ludum, eſſe dignum, vt priuetur lucro per ſententiam, non tamen verum eſt, eſſe ipſo facto priuatum. Adde, quòd propriè non fuit cauſa damni, quia ex illo ludo poterat ſequi inuoluntariè attracto, tam lucrum, quàm damnum. Cæteras rationes vide apud Molinam *vbi ſuprà*. Ex his apparet reſponſio ad quæſitum, cùm hæc opinio ſecunda ſit probabilis, poſſe dictum virum nobilem à confeſſario excuſari à reſtitutione.

*Fuit ſæpiùs à diuerſis Confeſſariis ad me delata iſta quæſtio, An gabella poſſit imponi rebus ad proprios vſus neceſſariis, nimirum carnibus, piſcibus, ſali, frumento, oleo, &c. & ſi pœnitens nollet reſtituere defraudationem talis gabellæ, an ſit illi deneganda abſolutio?*

RESOLVT. XXVIII.

MEmini tunc me reſpondiſſe, Molinam *to. 3. diſp. 669. num. 1.* Suarez *de legibus, lib. 5. cap. 15. num. 3.* Vaſquez *opuſc. de reſt. cap. 6. §. 3. dub. 1.* Azorium *part. 3. lib. 5. cap. 21. quæſt. 1.* Malder. *in 2.2. tract. 5. c. 6. dub. 6.* Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. p. 1. præcept. 7. art. 3. dub. 1. concl. 1.* Turrian. *in 2.2. tom. 2. diſp. 14. dub. 3. num. 2.* & alios, affirmatiuam, ſententiam tenere. nam tales gabellæ non ſunt prohibitæ iure naturali, ſed ſolùm ciuili, ſed ius ciuile poteſt conſuetudine abrogari. Ergo, vbicumque talis conſuetudo extiterit, talis gabella non erit iniuſta. Suarez verò probat impoſitionem huius gabellæ non eſſe iniuſtam quia prohibita, & reſpondet ad ius ciuile; neque quia mala. Ergo, &c. Hanc opinionem ſequuti ſunt Leſſius *lib. 2. cap. 33. dub. 7.* Reginaldus *tom. 1. lib. 10. c. 25. n. 377.* Molfeſius *in ſumma. tom. 2. tract. 12. cap. 22. num. 96.* non abſolutè, ſed in his quatuor caſibus. Primò, quando vrget neceſſitas publica, & vectigalia aliunde colligi non poſſunt, neque ſufficiunt. Secundò, quando hæc gabella ex communi, & libero conſenſu populi ſtatuitur. Tertiò, quando ſecuritati prædictarum rerum deuectarum, alia via conſuli non poteſt. Quartò, quando conſuetudo, quæ hominum memoriam excedit, obtinuit, vt ſuper huiuſmodi rebus vectigalia imponantur.

Sed hanc ſententiam non eſſe amplectendam defendunt non infimæ claſſis Theologi. Hi ſunt Caietan. *verb. vectigal.* Zanardus *in ſuo director. part. 2. cap. 12. in expoſitione ſeptimi præcept.* Medina *in part. 2. quæſt. 96. art. 4. fol. mihi 513.* Sotus *de iuſt. lib. 3. quæſt. 6. art. 7.* Tolet. *lib. 5. cap. 73. num. 1.* Angel. *ver. Pedagium. num. 3.* Sayrus *de cenſ. lib. 3. cap. 9. num. 9.* Bertazzol. *vol. 1. conſ. 207. num. 4.* Roland. *vol. 3. conſ. 42. num. 28.* Becius *conſ. 96. num. 5. & 18.* & alij, Probatur hæc opinio. Quando non ſeruatur iuſta forma gabellæ, gabella eſt iniuſta. Sed in noſtro caſu non ſeruatur iuſta forma gabellæ. Ergo eſt iniuſta. Maior eſt certa. Minor probatur; quia in tali genere tributorum, pauperes plus grauantur, quàm grauari debeant; poſtulat enim iuſta forma tributorum, vt pauperes non magis onerentur, quàm diuites. Sed in noſtro caſu non ſeruatur proportio geometrica inter diuites, & pauperes. Ergo. &c. Hæc ſententia mihi videtur probabilis, ſicuti etiam viſa eſt Martino Bonacinæ *de contract. diſp. 2. q. 9. punct. 1. num. 5.* licèt ego ſequar contrariam probabiliorem. Quare dicendum videtur, non debere confeſſarium denegare abſolutionem pœnitenti, qui nollet reſtituere talium gabellarum defraudationem.

*An non ſolùm in extrema, ſed etiam in graui neceſſitate, ſit licitum pauperibus occultè ſurripere ab opulentis ſi aliter illud malum graue auertere nequeant?*

RESOLVT. XXIX.

COmmunis opinio negat, & ratio eſt, quia licèt diuites poſſint, & debeant ſubuenire talem neceſſitatem patienti, tamen ſunt multi alij egeni occurrentes in pari neceſſitate conſtituti, quibus ſubuenire conuenientius eſſe iudicabunt. nam arbitrio eorum relictum eſſe hoc cenſetur, & reuera eſt; quia præceptum eleemoſynæ non datur determinatum ad certam circunſtantiam. Adde, quòd ſi hæc libertas daretur egenis, pateret via furtis, & rapinis. nam facilè vnuſquiſque putaret ſe grauem pati neceſſitatem, & diuites ſuperflua habere. Hanc opinionem ſequuntur Azor. *part. 2. lib. 12. cap. 8. quæſt 8.* Turrian. *in 2.2. diſp. 82. dub. 8.* Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 6. punct. 5.* Sotus *lib. 1. de iuſt. quæſt. 7. art. 4.* Reginald. *tom. 1. lib. 4. c. 20. num. 167.* Caiet. *in 2.2. q. 66. art. 7.* cum Salonio *ibidem concl. 2.* qui aſſerit, hoc ita eſſe, quia grauis neceſſitas non facit res communes, vt facit extrema, nec tribuit ius in aliena.

Non deſunt tamen, pro contraria firmanda opinione, rationes, & DD. Dico igitur, cum Bonacina *de contr. diſp. 1. quæſt. vlt. punct. 1. num. 32.* probabilem eſſe illam ſententiam, quæ aſſerit in graui neceſſitate licere furari aliena occultè. Per grauem neceſſitatem, intelligo non quouis modo grauem, ſed valde grauem, etſi non extremam; putà ſi fuerit neceſſitas morbi, famis, nuditatis, &c. Nam cùm diues in iſto caſu teneatur dare, ita pauper poteſt accipere, abſque iniuria ipſius, nam facit id ad quòd ipſe tenetur. Secundò, grauis neceſſitas faciliter conuertitur in extremam. Ergo ſi pauper poteſt ſurripere in extrema, poterit etiam in graui neceſſitate; cùm non appareat, cur hoc ſolum ad extremam neceſſitatem reſtringendum ſit. Tertiò; diues in hoc caſu non poteſt cum ratione eſſe inuitus circa ſubſtantiam acceptionis, licet modus diſplicere poſſit, ſi accipias antequam petieris, & inopiam tuam demonſtraris. Ergo talis ſurreptio non erit peccatum mortale, ſi hic ordo non ſeruetur. Et ſic hanc ſententiam amplexi ſunt Malder. *in 2.2. quæſt. 32. art. 6 dub. 6.* Leſſius *lib. 2. cap. 12. dub. 12. num. 71.* Petr. à Nauar. *lib. 3. part. 4. cap. 1. dub. 5.* Angelus *verb. furtum, n. 37.* Emmanuel Sà *verb. furtum, num. 1.* Medina, Syluester, Nauarrus, & alij; quibus ego libenter aſſentior. Salua, &c.

*Vtrùm decretum ſuper abſolutione à caſibus reſeruatis, deroget priuilegiis confeſſariorum commorantium in hoc Siciliæ Regno, & Sardinia?*

RESOLVT. XXX.

NOtandum eſt, quòd hodie quicumque ſæcularis, ſiue Regularis abſoluere præſumens à caſibus Epiſcopis reſeruatis, ſeu contentis in Bulla Cœnæ, & ab aliis quibuſcumque etiam extra illam Apoſtolicæ Sedi reſeruatis, excommunicationem ipſo facto incurrit; & illius abſolutio eſt Pontifici reſeruata, non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis, vt patet per Decretum Sacræ Congregationis Illuſtriſſimorum Cardinalium ſuper negotiis Epiſcoporum, & Regularium editum die 9. menſis Ianuarij 1601. & ex declaratione illius edita die 26. Nouembris 1602. quam inuenies apud Finellium *de caſ. reſeru. cap. 6. n. 6.* & alios.

His ſuppoſitis, quæritur modò, an Regulares exiſtentes in hoc Regno virtute ſuorum priuilegiorum poſſint abſoluere à dictis caſibus. Et ratio dubitandi eſt, nam ſupradictum Decretum Congregationis eſt directum Regularibus, per vniuerſam Italiam extra Vrbem degentibus. Megala *in 1. part. lib. 1. cap. 13. num. 20.* ſententiam negatiuam amplexus eſt, quia, ait ille, practicatur in Sicilia, quæ praxis fundari poteſt *in l. Inſulæ, ff. de iudiciis*, vbi ita habetur, *Inſulæ Italiæ, pars Italiæ ſunt*, & ſic tradunt etiam Bartol. *in tract. de Inſula, §. nullus, n. 2.* Cepolla *in tract. de ſeruit. ruſt. præd. cap. 26. de mari, n. 16.* Cumia *de ritibus regni Siciliæ c. 6. num. 38.* & Marta *de iuriſdict. part. 1. cap. 26. num. 35.* Ergo cùm ſint dictæ inſulæ partes Italiæ, & decretum prohibeat abſolutionem à reſeruatis virtute priuilegiorum confeſſariis degentibus in vniuerſa Italia, comprehendit etiam eos, qui in Inſulis prædictis degunt.

At Horatius Gambarupta *de caſ. reſer. cap. 3. n. 8.* contrariam opinionem amplexus eſt, vbi ait, An hoc decretum extendatur ad Inſulas Italiæ adiacentes, vt ſunt Sicilia, Corſica, & Sardinia, &c. Qui Italiam deſcribunt, vt Plinius *lib. 3. c. 5.* & Ptolomæus *in ſua Geographia lib. 3. tab. 5. Europæ*, has Inſulas in Italia non admittunt. Niſi fortè dicamus, præſertim de Corſica, cùm ſit in mari Liguſtico, ita & in Liguria comprehendi, quæ eſt pars Italiæ, nam de Sardinia, & Sicilia minus videtur dubium, cùm ſint extra Italiam, & mare, in quo ſunt, non poſſit dici Italum, ſed Afrum, aut medium inter Afrum, & Italum, vt eſt Sardinia. Ideo non crederem ad eas Inſulas ſe extendere hoc Decretum. Hæc ille, ſatis probabiliter. Adde, quòd Clemens VIII. in literis Indictionis ſex decimarum ſuper omnibus fructibus, & penſionibus Eccleſiaſticis Italiæ, emanatis ſexto Idus Maij 1601. ſpecialem mentionem facit de prædictis Inſulis, dicendo ſe imponere prædictas decimas ſuper fructus beneficiorum in Italia vniuerſa, & in Inſulis Italiæ adiacentibus conſiſtentium. Ita etiam expreſſit Vrbanus III. in Decretis de celebratione Miſſarum. Dat. Romæ die 21. Iulij 1625. Quod fruſtrà Sum. Pontifices feciſſent, ſi aliàs ſub nomine vniuerſæ Italiæ veniſſent, cùm expreſſio eorum, quæ tacitè inſunt, nihil operetur, *l. 3. de legibus*, Sed poſt hæc ſcripta Sacra Cardinalium Congregatio ſub die 28. Nouembris 1628. ex mandato Vrbani III. derogat priuilegiis Regularium abſoluendi à caſibus reſeruatis Epiſcoporum, etiam ſi extarent extra Italiam, & ſic contraria ſententia non poteſt ampliùs ſuſtineri.

*Qui omiſit aliqua peccata in confeſſione ex ignorantia vincibili obligatus; in qua oblinione peccauit lethaliter; nimirum, quia non adhibuit diligentiam neceſſariam in examinanda conſcientia; quæritur, an talis confeſſio fuerit inualida & ideo iteranda?*

RESOLVT. XXXI.

REſolutio huius caſus pendet ex illa quæſtione, an detur confeſſio valida quantum ad ſubſtantiam, ita vt non teneatur homo confiteri eadem peccata, atque adeò ſit verum Sacramentum cõfeſſionis, & nihilominus, quòd ſit confeſſio informis, id eſt, non conferens gratiam; ſicuti eſt verus Baptiſmus informis in illo, qui baptizatur, cum intentione peccandi. Partem negatiuam tuentur Vaſquez *in 3. part. tom. 4. quæſt. 92. art. 2. & 3.* Coninch *de Sacram. diſp. 4. dub. 5. num. 40. & dub. 11. num. 71.* & Suarez *in 3. part. tom. 4.* cum aliis. Ratio eſt, quia in tali caſu, vel pœnitens confitetur ſua peccata ſufficienter, & eſt ſufficienter diſpoſitus, vel non. Si dicatur primum, confeſſio erit formata; ſi verò dicatur ſecundum, nulla eſt confeſſio. nam ipſa diſpoſitio eſt in hac parte pars ſubſtantialis ſacramenti. Ergo non poteſt dari confeſſio informis. Si reſpondeas, quòd talis pœnitens non eſt ſufficienter diſpoſitus, non tamen cognoſcit illam ſuam indiſpoſitionem: contra hanc reſponſionem ſit ſecundum argumentum. Vel talis ignorantia eſt vincibilis, vel inuincibilis: ſi eſt inuincibilis, excuſatur omnino à peccato, & ſic talis confeſſio erit formata; ſi eſt vincibilis talis ignorantia, eſt peccatum mortale. Ergo non poteſt efficere, vt ſacramentum ſit validum. Hæc ſententia eſt probabilis:

Sed contraria, communiter recepta in ſchola D. Thomæ, probabilis etiam mihi videtur; quam, relictis veteribus, ſequuntur Sotus *in 4. diſt. 18. quæſt. 3. art. 2. & 3.* Canus *in relect. de pœniten. p. 5.* Caiet. *in 1. tom. opuſc. tract. 5. quæſt. 5.* & nouiſſimè Ioan. de la Cruz *in direct. conſc. p. 2. de ſacr. pœnit q. 3. dub. 9. concl. 2.* Pet. Fay *in addit. ad 3. part. quæſt. 9. art. 1. diſp. 1.* Simplicianus Muttinus *in ſua Theologia morali de ſacram. pœnit. quæſt. 30.* Nugn. *in 3. part. tom. 2. quæſt. 9. art. 1. fol. mihi 303.* & Pet. de Ledeſma *in ſum. tom. 1. tract. de ſacram pœnit. cap. 13. concl. 6. fol. mihi 310.* Martinus de Ledeſma *2. part. 4. quæſt. 8. art. 1. dub. 3.* Couar. *in cap. Alma mater, part. 1. §. 4. num. 13.* & alij. Probatur, quia ſicut Baptiſmus, & alia ſacramenta verè recipi poſſunt integra ſecundùm eſſentiam, abſque fructu gratiæ propter prauam diſpoſitionem ſuſcipientis. Ergo ita & ſacramentum pœnitentiæ.

Ad argumenta in contrarium, & præcipuè ad ſecundum, ex quo pendet ſolutio primi, reſpondetur ignorantiam non poſſe eſſe rationem formalem, vt conficiatur ſacramentum, poſſe tamen eſſe conditionem requiſitam. Et hoc non habet in quantum ipſa ignorantia eſt peccatum, ſed in quantum tollit peccatum maius, ſcilicet peccatum ex certa ſcientia, quod non ſolùm opponitur gratiæ, ſed etiam ſubſtantiæ huius ſacramenti. His ita prælibatis, reſpondeo ad propoſitam dubitationem negatiuè; nam ex defectu integritatis contra Vaſquez, & Suarez *vbi ſuprà*, poteſt dari ſacramentum informe, ſed validum, ſic Nugnus, & Ledeſma *loco citato*. Et caſus erit, quando pœnitens habet ſufficientem dolorem, & confitetur omnia peccata, quæ occurrunt memoriæ, ad quod fecit aliqualem diligentiam, ſed non ita, vt tota quanta neceſſaria erat, ſed pœnitens ex illa ignorantia mortaliter culpabili, iudicauit talem diligentiam ſufficientem eſſe. Licèt igitur hæc confeſſio ſit ſacrilega, quia ſcilicet in illa peccat pœnitens mortaliter, tamen valida eſt quantum ad ſubſtantiam, ita vt non ſit iteranda, & non teneatur pœnitens eadem peccata iterum confiteri.

Ex hac doctrina recepta, vt dixi, communiter à Thomiſtis, poſſunt confeſſarij non rarò excuſare pœnitentes ab onere reiterandi confeſſiones. Regula verò ad cognoſcendum, quando præparatio fuerit ſufficiens ad validitatem confeſſionis iterandæ, vel non iterandæ, hæc eſt. Si poſt confeſſionem plura peccata occurrant memoriæ, quàm in confeſſione explicata ſint, non fuit diligentia ſufficiens. Si autem occurrant aliqua peccata multo pauciora, quàm confeſſa, credendum eſt, quòd fuit diligentia ſufficiens, & à fortiori fuit ſufficiens, vt confeſſio eſſet valida; vnde in ſimilibus caſibus non eſt homo obligatus ad iterandam confeſſionem; ſed debet ſe accuſare de illis peccatis non confeſſis, & de negligentia ſaltem ad cautelam. Hæc Nugnus *vbi ſuprà*, quæ confeſſariis ad tollendos ſcrupulos multum plauſibilia futura eſſe confido; & eſt ſententia communis Patrum Dominicanorum.

*Cùm Concilium Tridentinum aſſerat* ſeſſ. 11. Can. 17. *Sacramenta tribus perfici, materia, forma, & intentione miniſtri; & cùm intentio ſit triplex, habitualis, virtualis, & actualis; quæritur quænam ſit ſufficiens ad validè conficiendum Sacramentum?*

RESOLVT. XXXII.

OMnes DD. aſſerunt intentionem habitualem non ſufficere, ſed virtualem requiri, & actualem non eſſe neceſſariam; diſcordant tamen in aſſignando, quænam intentio virtualis ſufficiat.

Prima

Prima ſententia eſt Valentiæ *tom.* 4. *diſp.* 3. *quæſt.* 5. *punct.* 3. *verſ. Intentio autem implicita*, & Henriquez *in ſum. lib.* 1. *cap.* 10. *num* 2. vbi ait, intentio virtualis dicenda etiam eſt illa, quæ quamuis non videatur fluxiſſe ex efficaci vi, vel motiuo primæ intentionis, aut quia licèt nunquam habuit intentionem ſic explicitam, Volo facere, quod Eccleſia Romana intendit, & quod Chriſtus inſtituit: habuit tamen confuſam, vt ſi quis Ordines ſacros ſuſcipit, vt fiat Sacerdos, & miniſter Eccleſiæ, & abſque alia forma intentionis, (ſi nunquam habuit contrariam) conſueuit celebrare, & miniſtrare ſacramenta, etiam cum diſtractione mentis, hic enim conficit Euchariſtiam, & alia ſacramenta. Hæc Henriquez.

Secunda ſententia, eſt communiter omnium aliorum DD. qui aſſerunt, intentionem virtualem neceſſariam ad Sacramentum illam eſſe, quæ actu tranſiuit, & virtute manauit ex impreſſione imaginatiua relicta ex primo propoſito, quo quis humano modo ad agendum ſe applicuit; quia excitatur potentia motiua, vt actus initio propoſitos (qui primum actum immediatè ſequuntur, aut cum eo ſaltem mediatè connexi ſunt) perficiat, homine interim alia omnia cogitante, donec actu aliquo contrario interturbetur. Vt, v. g. incipit quis ſacrum intendens celebrare, & poſtea totum ſacrum omnino diſtractus ordine ſuo perficit. hic habet intentionem virtualem; nam in illa Miſſa omnes illæ actiones, à prima illa intentione verè ſecundùm modum agendi humanum procedunt ratione imaginationis, quam prima illa voluntas applicauit; ſic Coninch. *de Sacram. quæſt.* 64. *art.* 8. *dub.* 2. *num.* 71. Cabrera *de Sacram. quæſt.* 64. *art.* 8. *diſp.* 1. §. 5. *n.* 41. Vaſquez *in* 3. *part. tom.* 2. *diſp.* 138. *cap.* 6. Peſantius *in* 3. *part. quæſt.* 64. *art.* 8. *diſp.* 2. Molfeſius *in ſumm. tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 4. *num.* 11. Nugnus *in* 3. *part. tom.* 1. *quæſt.* 54. *art.* 8. Bonac. *de Sacr. diſp.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 2. §. 3. *num.* 11. Suarez *in* 3. *part. tom.* 3. *diſp.* 13. *ſect.* 3. Camerota *de Sacram. tract.* 1. *c.* 2. *quæſ.* 7. Summa Corona *part.* 4. *cap.* 4. *num.* 56. Antoninus de Literatis *in ſumm. p.* 1. *cap.* 23. *num.* 15. Fernandez *in ſuo exam. Theol. part.* 3. *cap.* 1. § 4. *num.* 6. & alij.

Tertia opinio eſt Valerij Reginaldi *in praxi*, *tom.* 2. *lib.* 26 *cap.* 3. *num.* 38. qui poſuit duplicem intentionem virtualem ſufficientem ad conficiendum Sacramentum, vno modo, vt explicatum eſt in ſecunda opinione, altero modo, ait ille, intentio virtualis dicitur, quæ ex natura ſua, vel ex Eccleſiæ inſtitutione comprehenditur ſub altera intentione, cum qua ſic coniuncta eſt, vt ea præſente, cenſeatur ipſa quoque adeſſe. Illa ſcilicet ratione, qua votum caſtitatis ita comprehenditur ſub diaconatu, vt eo ipſo, quòd quis vult ad hunc promoueri, cenſetur velle conſentire in votum perpetuæ caſtitatis ſeruandæ. Sic igitur eo ipſo, quòd Sacerdos vult ſecundùm Sacerdotum conſuetudinem induere veſtes ſacerdotales, habet virtualem intentionem celebrandi Miſſam. Quia enim induere veſtes ſacerdotales, medium eſt ab Eccleſia inſtitutum ad Miſſæ celebrationem, fit, vt in tali actione induendi, comprehendantur virtualiter actio celebrandi, & in intentione induendi intentio celebrandi, donec adhibeatur actus contrarius, per quem hæc tollatur. Atque huiuſmodi quoque intentionem virtualem ad Sacramentum ſufficere dicendum eſt, alioquin dicendum erit multos Sacerdotes non conſecrare, nec alia Sacramenta conficere. Ita Reginaldus. Quid ſentiam, dicam breuiter. Prima opinio Henriquez videtur mihi nimis laxa, ſecunda opinio eſt probabilior. tertia Reginaldi eſt probabilis, quam quidem, ſi amplectantur Sacerdotes, ex multis ſcrupulis, quibus angi ſolent, liberi immunéſque erunt. Salua ſemper, &c.

*Olim cum quodam Religioſo fuit mihi magna altercatio, an in cogitationibus venereis ſit peccatum mortale, ſi voluntas non conſentiat poſitiuè, nec etiam poſitiuè diſſentiat; ſed tantùm permiſſiuè ſe habeat?*

### Resolvt. XXXIII.

PArtem affirmatiuam tuentur Vaſquez *in part... tom.* 1. *diſp.* 108. *cap.* 2. *num.* 2. Zumel. *in part.* 2. *quæſt.* 74. *art.* 4. *dub.* 1. *diſp.* 2. *concl.* 2. Valent. *tom.* 2. *diſp.* 6. *quæſt.* 4. *punct* 3. Leſſius *de iuſt. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 17. Bonac. *de matrim. quæſt.* 4. *punct.* 7. *num.* 7. Becanus *in ſua Theolog. ſchol. p.* 2. *tr.* 2. *c.* 5. *quæſ.* 5. *n.* 4. Azor. *tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 6. *quæſ.* 6. Sayrus in Claui Regia *lib.* 8. *c.* 7. *n.* 3. & Curiel *in p.* 2. *q.* 74. *art.* 8. *dub.* 2. §. 2. *fol. mihi* 493. Ratio eſt, nam in tali caſu ſi non adeſt conſenſus formalis, adeſt tamen conſenſus interpretatiuus; ſed conſenſus interpretatiuus æquiualet formali. Ergo ſi conſenſus formalis in delectationibus venereis eſt peccatum mortale, etiam erit conſenſus interpretatiuus. Hæc opinio eſt probabilior.

Sed contrariam non falſam, vt ille Religioſus aiebat, ſed probabilem cum Sanchez *tom.* 3. *de matrimon. lib.* 9. *diſp.* 45. *num.* 25. & Bonacina *vbi ſuprà num.* 8. eſſe exiſtimo. Dico igitur non eſſe peccatum mortale, quando voluntas ſe habet negatiuè, non impediendo, vel non reprimendo motus, & tentationes, quas poteſt reprimere, animum aliò diuertendo; neceſſaria eſt enim poſitiua complacentia in motibus ſenſualitatis, vt imputentur ad peccatum mortale, cùm non adſit interpretatiuus conſenſus, quia non tenetur illam cogitationem expellere quando non eſt periculum formalis & expreſſi conſenſus; ſic Caietan. *in ſumm. ver. delectatio.* Philiarchus *tom.* 1. *p.* 2. *lib.* 4. *cap.* 18. Herrera *in* 2. *ſent. diſp.* 33. *quæſt.* 7. *concl.* 2. Reginald *tom.* 1. *lib.* 15. *cap. vlt. num.* 63. *&* *tom.* 2. *lib.* 22. *c.* 2. *num.* 10. *condit.* 3. Petr. Lorca *in p.* 2. *tom.* 2. *diſp.* 28. *num.* 62. cum Molfeſ. *in ſumm. tom.* 1. *tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 43. *&* 45. Nauarr. *in ſumm. c.* 1. *num.* 12. Corduba *in ſuo quæſt. lib.* 1. *quæſt.* 23. *dub.* 10. *ad* 7. & aliis quampluribus apud Sanchez *in ſumm. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 13. & apud Ioan. Salas *in part.* 2. *tom.* 2. *diſp.* 6. *ſect.* 3. *num.* 25. Ratio, qua fulcitur hæc opinio, eſt iſta. Nemo peccat mortaliter, niſi tranſgrediatur aliquod præceptum obligans ad mortale; ſed hoc non fit in tali caſu, quia tota obligatio, quæ poteſt eſſe in tali caſu, oritur ex illo præcepto negatiuo, *Non concupiſces.* Sed hoc præceptum non obligat ad depellendam concupiſcentiam, ſed ſolùm ad non conſentiendum. Ergo ſufficit non conſentire, & ſolùm negatiuè ſe habere. Confirmatur, quoniam, vt ait Lorca *vbi ſuprà*, contingere poteſt, hos motus permitti propter iuſtam cauſam abſque vlla culpa, & in hoc conueniunt nobiſcum Authores primæ ſententiæ. Ergo etiam ſi abſque iuſta cauſa permittantur otioſè, vel ex cauſa veniali, non erunt peccatum mortale, quia quod per ſe malum eſt, propter nullum finem poteſt iuſtè fieri; ſi ergo aliquando contingit hanc permiſſionem eſſe licitam, ex genere ſuo non eſt mala.

Ad argumentum in contrarium reſpondetur. Quando æqualis obligatio eſt non permittendi, & non procurandi, conſenſus formalis, & interpretatiuus ſunt æquales in malitia, & ſi vnus mortalis eſt, alter etiam eſt mortalis; non tamen eſt eadem obligatio non procurandi, & non permittendi cogitationes rerum turpium, & ideo conſenſus formalis poteſt eſſe mortalis, conſenſu interpretatiuo exiſtente veniali; ſic poſſet aliquis magis obligari ad non procurandam dignitatem, vel aliquid aliud, quàm ad illud reiiciendum. Sic velle occidere hominem, eſt peccatum mortale contra iuſtitiam, ſed non paſcere illum in extrema neceſſitate, aliquando eſt peccatum veniale contra miſericordiam, aliquando mortale contra eandem virtutem, aliquando verò eſt mortale contra iuſtitiam.



iuſtitiam. Itaque non ſemper conſenſus interpretatiuus, & virtualis alienæ mortis, æquiualet, nec ferè æquiualet formali. Ita Salas *vbi ſuprà num.* 33.

*Celebris eſt illa quæſtio inter Theologos noſtri temporis, an in delectatione moroſa fatendæ ſint circumſtantiæ operis, quod eſt quærere: An delectatio ſumat ſpeciem ex opere externo?*

### Resolvt. XXXIV.

PEtrus de Lorca *in p.* 2. *tom.* 2. *diſp.* 28. *de peccatis, membro* 3. Sanchez *in ſumm. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 11. Martinez *in p.* 2. *quæſt.* 15. *art.* 4. *dub.* 1. Bonacina *de matr. quæſt.* 4. *punct.* 8. *n.* 18. Leſſius *lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 15. *n.* 123. *in fine*, & Rodriquez *in ſumm. tom.* 3. *c.* 101. *n.* 3. affirmatiuè reſpondent. Et probatur hæc opinio generali principio, & per ſe noto; actus voluntatis ſpeciem ſumunt ab obiectis, opus autem exterius eſt obiectum interioris delectationis. Ergo ab illo ſumit ſpeciem; id autem quod ab alio ſumit ſpeciem, eſt eiuſdem ſpeciei cum illo. Ergo delectatio eſt eiuſdem ſpeciei cum opere.

Non deſunt tamen pro contraria opinione Authores magni nominis; hi ſunt Vaſquez *in p.* 2. *tom.* 2. *diſput.* 112. *cap.* 2. Sayrus *in Claui Regia lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 19. & nouiſſimè Valerius Reginaldus *tom.* 2. *lib* 12. *cap.* 1. *ſect.* 3. *num.* 13. Pro cuius declaratione notandum eſt, eſſe duo genera actuum voluntatis, aliud eſt actuum efficacium, quales ſunt, qui reſpiciunt executionem: aliud eſt actuum inefficacium, qui ſunt ſimplices effectus in obiecta extra executionem. His poſitis aſſero, vel delectationes moroſæ conſiſtunt in efficaci voluntate, vel in ſimplici complacentia: ſi delectationes ſunt conſenſus efficaces, diuerſæ ſunt eorum ſpecies, perinde ac operum illicitorum, quæ dant eis ſuam malitiam, & in hoc caſu ſumunt malitiam ex opere externo: ſi autem delectationes ſunt ſimplicis complacentiæ, ſine vllo affectu ad opus, omnes ſunt vnius ſpeciei, cùm ſint eiuſdem malitiæ, vtpote oppoſitæ vni tantùm virtuti caſtitatis, ac eodem modo, nimirum per turpitudinem veneream in qua abſolutè verſantur. Nam, v, g. delectatio ſimplicis complacentiæ de coniugata, non verſatur circa illud obiectum, quatenus eſt iniurioſum alteri, quia ſcilicet perſona illa ſit iuncta matrimonio, aut quòd marito fiat iniuria; ſed verſatur circa illud obiectum, quatenus eſt delectabile ſecundùm tactum, nimirum, quia mulier pulchra. Ergo non contrahit malitiam ab illa circumſtantia. Probatur conſequentia, quia in illa delectatione, neque expreſsè, neque interpretatiuè, approbatur iniuria in maritum, cùm nullo modo conſentiatur in opus externum, vt re ipſa exequendum, quo ſolo iniuria irrogatur. Idem videtur dicendum ſi perſona ſit affinis, vel Religioſa: præſcinditur enim ab hac circumſtantia, nec ea quicquam confert ad illam delectationem. Ita Leſſius, qui probabilem, vt reuera eſt, vocat hanc opinionem, ſicuti etiam vocauit Bonacina *vbi ſuprà*. Emanuel Sà *ver. luxuria, num.* 3. Ioan. Salas *in part.* 2. *tom.* 2. *tract.* 13. *diſp.* 6. *ſect.* 6. *num.* 56.

Nota verò, quòd excipiuntur ex iſta doctrina duo caſus. Primus eſt coniugatorum. Secundus eſt habentium votum abſolutum caſtitatis; hi enim in quauis delectatione moroſa, non ſolùm peccant contra caſtitatem, ſed etiam illi contra fidem in matrimonio datam, iſti contra Religionem; ſic Reginaldus, Bonacina, Vaſquez, & Coninch. *vbi ſuprà.*

Ad argumentum contrariæ ſententiæ reſpondetur, voluntatem efficacem accipere malitiam ab opere externo, quod habet pro obiecto ſecùndum analogiam deriuatam; delectationem verò ſimplicis complacentiæ, non item; ſic Vaſquez *loco citato.*

*Pluries à nonnullis Confeſſariis quæſitus fui, an comœdiis intereſſe ſit peccatum mortale?*

### Resolvt. XXXV.

REſpondi rem eſſe periculoſam, & peccatum lethale exiſtimauit Comitolus *in reſp. moral. lib.* 5. *quæſt.* 21.

Tamen ſi audiantur ob ſolam vanam curioſitatem, abſque periculo probabili lapſus, etiamſi res turpes repræſententur, & modus repræſentandi ſit turpis, ego puto non eſſe peccatum mortale. Ita Bonacina, & Squillante *vbi infra*, Sanchez *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 47. *num.* 41. Alphonſus de Mendoza *quæſt.* 9. *poſitiua, num.* 11. *fol. mihi* 607. Rodriquez *in ſumm. tom.* 3. *cap.* 71. *num.* 1. Ioan. Salas *in p.* 2. *tom.* 2. *tract.* 13. *diſp.* 6. *ſect.* 24. *num.* 165. Lorca *in p.* 2. *tom.* 2. *diſp.* 28. *de peccatis, membr.* 3. §. *ex dictis, in fine*, vbi ait, Excuſari poſſunt, qui audiunt comœdias, vel legunt libros, in quibus res turpes, & facinora repræſententur. Si enim delectatio ſiſtat in repræſentatione ipſa, & non procedat ad rem repræſentatam, & abſit periculum conſenſus in actus ipſos, non eſt peccatum mortale. Sic ille, & Azorius *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 27. *quæſ.* 7.

Quæ quidem opinio non ſolùm tenenda eſt, quoad ſæculares, ſed etiam quoad Clericos; non enim peccant mortaliter ceſſante ſcandalo, quod puto modò non eſſe, quia frequentiſſimum eſt Clericos comœdiis intereſſe, neque ob id ſæculares ad peccatum mouentur; nam eodem modo audirent comœdias, licèt Clerici abeſſent, & cum eodem detrimento, ſi quod patiuntur. Nec obſtat prohibitio *cap. Clerici* 2. *de vita & honeſt. Clericorum*, quia ſecundùm Innocentium *in d. cap.* eſt tantùm de honeſtate: vel, quod verius credo cum Caiet. *in ſumma, ver. lericorum peccata*, ille textus non obligat ſub mortali, ceſſante ſcandalo, & contemptu. Deinde contraria conſuetudine videtur abrogatus. Et ſic hanc opinionem ſequuntur Sanchez, Rodriquez, & Salas *vbi ſuprà*, & nouiſſimè Paulus Squillante *de obligat. Cler. part.* 2. *n.* 45. Martinus Bonacina *de matrim. quæſt.* 4. *punct.* 9. *num.* 22. & alij.

*Quidam vir in abſentia coniugis ſæpiùs habuit delectationem de actu coniugij præterito, & etiam futuro, ac ſi actu præſens eſſet ſine tamen aliquo periculo pollutionis. Confeſſarius in confeſſione obligauit illum ad explicandum numerum dictarum delectationum; quæſiuit poſtea à me, an verè in illis delectationibus peccauerit mortaliter?*

### Resolvt. XXXVI.

QVòd ſic opinatus eſt Syluest. *ver. delectatio*, *num.* 2. & Nauarr. *cap.* 16. *num.* 10. quos ſequuti ſunt neoterici multi, vt Ioan. Salas *in p.* 2. *tom.* 2. *tract.* 10. *diſp.* 6. *ſect.* 20. *num.* 205. Azor. *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 6. *q.* 8. Fernandez *in ſuo exam. Theol. p.* 4. *c.* 2. §. 4. *n* 6. & nouiſſimè Rodriquez *in ſum. tom.* 3. *cap* 88. *n.* 7. Probatur, quia de ſimilibus idem ius, & iudicium eſt: ſed in viduis eſſet lethale delectari de copula præterita, quaſi tunc eſſet præſens. Ergo idem erit & in coniugatis,

At ego ſemper in praxi contrariam ſententiam amplexus ſum, cùm Curiele *in part.* 2. *quæſtione* 4. *artic.* 8. *dub.* 3. §. 2. *difficultate* 3. Zanard. *in director. Theolog. part.* 1. *tract. de matrimon. cap.* 41. Bonacina *de matrim. quæſtione* 4. *punct.* 7. *numero* 12. Sanchez *de matrim. tom.* 3. *lib.* 9. *diſput.* 44 *numero* 3. Vaſquez *in p.* 2. *tom.* 2. *diſp.* 113. *cap.* 2. *numero* 2. Leſſio *de iuſt. lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 1. *n.* 121. Reginald. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 5. *num.* 52. Medina *in part.* 2. *q.* 74. *art.* 8. & Coninch. *de Sacram. diſp.* 34. *dub.* 11. *n.* 113. Et ratio eſt, quia delectatio ſumit malitiam, & bonitatem ex obiecto. At obiectum huius delectationis eſt licitum. Ergo licita erit & delectatio. Et hæc opinio procedit, etiam ſi ex tali delectatione procederet aliqua commo

commotio,& alteratio in partibus pudendis; abſque periculo tamen pollutionis. Sic Bonacina, Zanardus, Vaſquez, & Sanchez *vbi ſuprà.*

Ad argumentum contrarium reſpondetur, diſparitatem eſſe manifeſtam. nam vidua non poteſt ita delectari circa actum habitum cum coniuge defuncto, quia hic actus iam in præſenti eſt ei illicitus; non autem eſt illicitus coniugatæ. Poteſt igitur coniux ſumere delectationem de actu coniugij præterito, vel futuro, etiamſi illum, tanquam præſentem, & nunc exercitum per imaginationem conſtituat, & ſic copula imaginaria ſe oblectare.

*Olim per literas à quodam Sacerdote interrogatus fui, de opinionibus Doctorum circa præſentes caſus. Primò, an peccaret mortaliter, ſi quis confricaret membra pudenda brutorum, ſine vlla delectatione, ſed ſolùm ex curioſitate inſpiciendi ſemen. Secundò, ſi coniugatus immitteret membrum virile in os fæminæ, peccaret etiam mortaliter. Tertiò, ſi abſente coniuge liceret ſe ipſum tangere libidinis & voluptatis cauſa abſque pollutionis periculo?*

### Resolvt. XXXVII.

OBſcœna ſunt hæc, fateor, ſed confeſſarij debent diſcernere inter lepram & lepram, & omnia munda mundis. Dico ergo ad primum caſum, quòd Bonac. *de matrim. quæſt. 4. punct. 9. n.* 15. & Ioan. Salas *in p. 2. tom. 2. tract.* 13. *diſp.* 6. *ſect.* 20. *n.* 148. reſpondent negatiuè, propter magnum periculum pollutionis, vel inordinati alicuius affectus, & fruſtrà conatur ille, vt ſic brutum ſemen expellat. naturale enim eſt in ſolo coitu ſemen effundere. At Thom. Sanchez *de matrim. tom.* 3. *lib.* 9. *diſp.* 46. *num.* 15. ait communiter nó eſſe mortale, obſcœnas brutorum partes confricare, quia inde non excitatur tam vehemens delectatio, & ſolùm ex curioſitate fit, & quamuis confricans intenderet, vt brutum ſemen expelleret ex curioſitate illud videndi, non eſſe mortale, quia non eſt mortale impedire bruti generationem, aut efficere vt abortiat, ſicut nec ipſum necare. Sed tunc deſeras primam ſententiam: & ideo in nouiſſima editione Operum Thomæ Sanchez, dicta opinio non inuenitur.

Ad ſecundum reſpondet etiam Sanchez *vbi ſuprà, diſp.* 17. *n.* 5. negatiuè; ſicut etiam ego opinor non peccare mortaliter, ſi coniux intra vas naturale fœminæ digitos quaſi membrum virile immittat. Ratio eſt, quia talis tactus non eſt medium improportionatum, nec alterius ordinis luxuriæ, ſicuti eſt inchoatio copulæ ſodomiticæ, etiam non animo conſummandi, niſi intra vas legitimum, licèt Nauarr. *lib. de pen. & remiſſ. conſ.* 7. Angelus *ver. debitum, num.* 25. & nouiſſimè Zerola *in praxi pœnit. c.* 12. *quæſ.* 25. cum Iacobo de Graffiis *tom. 1. lib. 5. de adult. conſ. 3. n.* 11. Gambacurta *tract. de caſ. reſer. caſ. 2. de ſodomia, n.* 5. Zanardus *in direct. confeſſ. p. 1. tract. de matrim. c.* 14. §. 10. hoc vltimum etiam coniugatis concedant. Sed non poſſe dictos actum Sodomiticum incipere, contra præfatos DD. docet Bonacina *de matrim. q 4. punct.* 11. *n.* 12. Sanchez *lib. 9. diſp.* 17. *num.* 4. & nouiſſimè Rodriquez *in ſum. tom. 3. c.* 88. *num.* 2. & Baſilius Pontius *de matrim. lib. 10. cap.* 11 *num.* 5.

Ad tertium Salas *vbi ſuprà n* 129. ſentit culpam eſſe lethalem, ſi coniux libidinis cauſa ſe ipſam tangat; nam, vt ait ipſe, tactus qui nec fiunt cum coniuge, nec ad finem coniugij referuntur, reuera non ſunt coniugales, nam fiunt à coniugato, ac ſi coniugatus non eſſet, ſed ſolutus: ergo ſunt mortales, non minus ac ſi eſſent in ſolutis, & ſic etiam tenet Vaſq. *in p. 2. tom. 2. diſp.* 113. *n.* 4.

Attamen ſupradictus Sanchez *loco cit. diſp.* 44. *n* 16. docet, ſecluſo periculo pollutionis, non eſſe mortale, ſed tantùm veniale hoc facere; cùm hac tamen limitatione, niſi tactus ex natura ſua accommodatus ſit, vt homo in ſe ipſo quantum poſſit effingat coitum. Ratio eſt, quia cùm actus ille ſuapte natura indifferens ſit ad copulam coniugalem, & ad illicitam, poſsítne ad vnam, & alteram referri, nec ex intentione tangentis ſe, à ſua natura, & ab hoc ordine diſtrahatur, vt ad copulam illicitam ordinetur, non eſt cur de culpa mortali damnandus ſit. Et ſic hanc ſententiam ſequuti ſunt etiam multi alij Theologi Societatis Ieſu, vt ipſe Salas *loco citato, n.* 128. notauit.

Ad argumentum in contrarium reſpondetur, non poſſe dici eum tactum non eſſe tactum coniugis, quia non habetur cum coniuge; quoniam vt actus coniugis ſit, non opus eſt cum coniuge fieri; ſed ſatis eſt, vt ad actum matrimonialem præſentis coniugij ſuapte natura ordinari poſſit, nec ab hoc ſcopo ex intentione operantis aberret. Verùm his non obſtantibus, opinionem Vaſquez, & Salas, aſſerentium tali caſu adeſſe culpam lethalem. puto eſſe amplectendam: & ideo, vt *ſuprà* apud Sanchez in nouiſſima editione ſententia contraria non inuenitur impreſſà.

*Quidam vir coniugatus ſemine intra vas emiſſo, membrum virile extrahit, manente fæmina valde irritata libidine, quæ poſtea tactibus ſe excitando, ſeminat; quæritur, an ita faciens peccet mortaliter?*

### Resolvt. XXXVIII.

LEthaliter peccare opinatus eſt nouiſſimè Emmanuel Rodriquez *in ſum. p. 3. c.* 88. *n.* 4. & quia codex rarus eſt, ponam eius verba: [ Auiendo el marido conſumado la copula, extrahendo membrum extra vas, no es licito a la muger prouocarſe con tocamientos, para que tambien effundat ſemen intra vas, atento que eſtos tocamientos, paſada la copula ſon intrinſicamente malos, ni ſe puede dezir, que la prouocacion con ellos es vna perfecta conſumacion del acto coniugal precedente, pues la copula coniugal ya tuuo ſu perfecta conſumacion, auiendo complido el marido, cuyo ſemen baſta para que ſe ſiega la generacion.] Putat igitur Rodriquez hoc eſſe illicitum, quia actus ille omnino conſummatus eſt ex parte finis, qui eſt generatio; cùm ad illam fœmineum ſemen minimè neceſſe ſit.

At opinio contraria placuit Sanchez *tom. 3. de matrim. lib. 9. diſp. 17. n.* 12. Bonac. *de matrim. q. 4. punct. 6. n.* 15. & probabilis vocatur à Filliucio *in ſuis qq. mor. tom. 1. tr.* 10. *p. 1. c. 9. n.* 230. & illam nouiſſimè amplexus eſt Leſſius *lib. 4. c. 3. dub. 14. n.* 94. in editione facta Pariſiis apud Rolinum Theodoricum anno 1618. Homobonum *de exam. Eccleſ. p. 1. tract 7. c. 28. q.* 126. Zanard. *in direct. theol. p. 1. de Sacr. matrim. c. 41. §. 11. dico.* Ratio eſt, quia aliàs euidentiſſimo periculo peccati mortalis exponerentur fœminæ, cùm frequenter viri priùs ſeminent. Et cùm illico recedant, manet in illis valde irritata libido. Nec tunc illa prouocatio eſt illicita, quia eſt actus coniugalis perfectio, ac conſummatio. Nam licèt ſemen mulieris non ſit ad generationem neceſſarium; valde tamen confert, vt probat ipſemet Sanchez *ibid. n.* 8. His tamen non obſtantibus ego puto non eſſe recedendum à prima ſententia Rodriquez.

*Quidam Sacerdos noluit abſolutionem ſacramentalem impendere cuidam in triremibus per totam vitam condemnato, quia habebat voluntatem quamprimum fugiendi; tunc ſtatim reſolutionem huius caſus à me enixè petierunt?*

### Resolvt. XXXIX.

REſpondi, nimis rigidè in hoc ſe gerere Confeſſarium. nam licet Vaſquez *in p. 2. q. 96. art. 5. diſp.* 174. *cap. 1. num* 7. Becanus *in ſua Theol.* Salas *p. 2. tom. 1. tract. 3. cap. 7. quæſt. 8. n.* 4. Valentia *tom. 3. diſp. 5. quæſt. 13. punct.* 4. Sayrus *in Claui Regia lib.* 12. *cap.* 18. *n.* 8. & alij aſſerunt, non eſſe licitam fugam triremibus damnato, niſi, vt limitat Vaſquez, & Becanus, extra territorium Principis eſſet, cui ſubiectus eſt; nam ibi videtur eſſe ſolutus ab obedientia Principis.

Tamen abſolutè contraria ſententia, vt probabilior tenenda eſt, quam tuentur hi omnes, Leſſius *lib. 2. cap. 31. dub. 5. n.* 39 Malderus *in 2. 2. tract. 6. cap. 3. dub.* 6. Salas *de legibus, tract.* 14. *diſp.* 15. *ſect. 6. num.* 88. Ledeſma *in ſumm. tom. 2. tr. 8. c.* 24. & alij. Ratio eſt. Nam, vt ait Leſſius, reus non tam condemnatur, vt in triremibus ſponte maneat, quàm vt detineatur. Deinde nimis durum, & graue eſſet obligare in conſcientia ad ſponte ibi manendum, quando eſſet euidens ſpes euadendi. Poſt hæc ſcripta, inueni etiam hanc ſententiam amplexum eſſe nouiſſimè Sanchez *in ſumm. tom. 2. lib. 6. cap. 8. num.* 16. qui rectè aſſerit, hanc fugam ſæcularibus quidem licere, non autem Religioſis; licèt Bannez *in 2. 2. quæſt. 69. art. 4. poſt concl.* 5. contrarium aſſerere videatur, ait enim Religioſum duriſſimæ pœnæ ſubeundæ damnum poſſe fugere, non vt vagetur, ſed vt ſuperiorem, aut Pontificem adeat veniam petiturus. Ex his apparet potuiſſe ſupradictum Confeſſarium illum pœnitentem abſoluere, ſicut ex iſta conſultatione motum intelligo poſtea feciſſe.

*An ſi quis capitale maius, quod vulgò dicitur* Tutto il reſto, *in ſponſione aliqua expoſuerit, poſſit ille, qui capitale minus habet, acceptare ſponſionem, & lucrari illud plus ſine onere reſtitutionis?*

### Resolvt. XL.

VIdetur, quòd non. Et ita tenet Alcozer *tract. de ludo, cap.* 16. quia non eſt æqualis conditio ludi ex parte vtriuſque. Martinus verò Bonacina *de contract. diſp. 2. q. 3. punct. 2. num.* 19. & Barthol. à S. Fauſto *in ſpeculo confeſſ. diſp. 32. q. 36. n.* 5. aſſerunt, quod ſi fortè alter, cuius pecunia maior eſt, norit inæqualitatem, & conſentiat, quod quaſi ſemper euenit, vt patet ex communi vſu ludentium, tunc licitum eſſe ludum. Quia ſic vſu videtur receptum in ſponſionibus, quæ vulgò *ſcommeſſe* nuncupantur, in quibus vnus aliquando minorem quantitatem pecuniæ exponit, quàm alter. Et tandem videmus, vt aliqui vendant libertatem ſuam ad remigandum in triremibus pro pecunia, quæ eſt longè inferior libertate. Et hanc opinionem ex Neotericis tenet etiam Azor. *part. 3. lib. 5. cap. 25. quæſt.* 7.

Ad argumentum in contrarium reſpondeo, quòd licèt in tali caſu non ſit æqualis conditio ex parte vtriuſque, tamen ſcienti, & conſentienti non fit iniuria: vide Ioan. Salas *tract. de ludo, dub. 13. num.* 3.

*Sæpe mihi ab exteris, & à noſtris delata fuit hæc quæſtio; an Petrus, qui leuem quantitatem aufert à Ioanne, à quo alij abſtulerant notabilem, peccet mortaliter?*

### Resolvt. XLI.

MArtinus Bonacina, vir doctus noſtri temporis, *de contr. diſp. 2. quæſt. 8. punct. 2. num.* 5. affirmatiuam ſententiam docet; nam ſicut futurum leue ab vno commiſſum integrare poteſt materiam ſufficientem ad mortale, cum leui furto ab alio commiſſo; ita poteſt continuari cum maiore, qua maius damnum inferatur, & imputetur ad peccatum mortale.

Sed Gabriel Vazquez *in p. 2. tom. 2. q. 88. art. 4. diſp.* 146. *cap. 2. num.* 6. Sanchez *in ſum. tom. 2. lib. 7. cap. 21. num.* 23. ſententiam negantem amplexi ſunt; quia Petrus non eſt cauſa notabilis damni, quia iam ab alio fuerat illatum, & furtum ſuum eſt in parua quantitate, non ſufficiens ad mortale.



Ad argumentum Bonacinæ reſpondetur, inter illos caſus eſſe diſparem rationem; nam in priori caſu, cùm non ſit maior ratio, quare vni potius, quàm alteri notabile damnum imputetur, ſingulis imputari debet: in noſtro caſu non item, quia cùm aliqui determinatè fuerint cauſa per ſe notabilis damni, alius qui cum illis paruam quantitatem vſurpauit, non debet cenſeri conſors notabilis damni, atque non peccabit mortaliter. Sed huic quæſtioni meritò proxima adiuncta erit.

*Petrus, qui nullo modo aliqua exhortatione fuit cauſa, vt alij minuta furta à Ioanne acciperent, ſi hæc furta ſciat, peccetne mortaliter modicum, cum ipſis, vel ſeparatim accipiendo, ſi tota illa furta ſimul cum ſuo conſiderata perueniant ad materiam notabilem?*

### Resolvt. XLII.

CAſus hic frequenter accidit, & maximè inter ſeruos nobilium. Affirmatiuam ſententiam recipiunt DD. communiter. Ita Vazquez *tom. 2. in p. 2. diſp. 146. c. 2. n.* 5. Suarez *tom. 5. in 3. diſp. 20. ſect. 2. n.* 3. Rebell. *de oblig. iuſt. p. 1. lib. 3. q. 15. ſect. 5. num.* 41. Filliuc. *tom. 2. tract. 31. cap. 10. n.* 249. Couarr. *lib. 1. var. cap. 3. num.* 12. P. de Ledeſma *in ſumm. tom. 1. tract. 8. c. 31. diffic.* 3. Maior, Medina, Martinus Ledeſma, Solonius, Corduba, Lopez, Sayrus, Rodriquez, Angles, Petrus Nauarra apud Sanchez *vbi infrà*, & præter hos Bonac. *de contract. diſp. 2. quæſt. 8. punct. 2. num. 6. & 7.* Megala 2. 2. *lib. 2. cap. 1. quæſt. 3. num.* 41. Turrian. *in 2. 2. tom. 2. diſp. 35. dub. 2. n. 2. & 3.* Ratio eſt; nam licèt Petrus quod furatur ſit in ſe minimum, at coniunctum cùm partibus, quas ſcit alios furari, efficit quantitatem notabilem, & eſt cauſa damni notabilis; nam ratione ſcientiæ ſuum damnum continuatur cùm aliis; ergo peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem.

Addit etiam Rebellius, quòd ſi ita furantes concurrant ſeorſum, vt nemo de damno notabili per illos illato, vel inferendo ſciat, poſtquam tamen vni eorum conſtiterit de damno illato notabili, tenetur ſub mortali ſuam partem, licèt modicam, reſtituere; ſed ſi vnus reſtituat ſuam partem, & reliqua quantitas non ſufficiat ad mortale, reliqui non tenentur ad aliam reſtitutionem, quia iam ceſſat notabile damnum, nec illud harum partium retentione infertur. Limitat tamen idem Rebellius hanc opinionem, vt locum non habeat, ſi inter vnum furtum, & alia ſit magna diſtantia, vt ſi poſt tres menſes, vel quatuor, poſtquam alij furati ſunt, quis furaretur, quia more humano talia furta non coniunguntur ad efficiendum vnum damnum. Hæc opinio non obſtante ſupradicta Rebellij limitatione, nimis rigida mihi videtur, & ſi omnino amplectenda eſſet, magnum onus, & ſcrupulos haberent Confeſſarij.

Dico igitur, contrariam opinionem probabilem eſſe, & tutam in praxi, quam tuentur ex neotericis Tannerus *in 2. 2. D. Thom. diſp. 4. quæſt. 6. dub. 9. num.* 285. Leſſ. *lib. 2. cap. 12. dub. 9. num.* 52. Salas *in part. 2. tom. 2. quæſt. 88. tract. 13. diſp. 16. ſect. 27. num.* 82. Malderus *in 2. 2. D. Thom. tract. 4. cap. 1. dub. 5. caſu* 3. Sanchez *in ſumm. tom. 2. lib. 7. cap. 21. num.* 22. aſſerunt enim, quando plures alicui graue damnum ſcienter inferunt per minuta furta, ab vnoquoque eorum diuiſim commiſſa, vt nullus alium iuuerit, nec in cauſa fuerit, vt alius concurreret, non peccare mortaliter, neque teneri ad reſtitutionem. Ratione probatur hæc opinio. Omnis ex his, qui ita furatur, infert paruum damnum; ergo ex hoc capite non peccat mortaliter. Deinde qui ita furatur, nemini eſt cauſa, vel occaſio furandi alias paruas quantitates. Ergo ex eo, quod alij furentur, non aggrauatur eius peccatum; non enim cooperatur ſimpliciter magno damno, ſed in parua

quantitate, & præter ipſius intentionem eſt, vt illa parua quantitas cum aliis furtis minimis iungatur. Aliæ rationes fusè adducuntur à Leſſio, Salas, & Sanch. *vbi ſuprà.* Reſtat nunc reſpondere ad argumentum contrariæ ſententiæ. Dico igitur eſſe cauſam partialem damni notabilis, vt eſt in noſtro caſu, non autem cauſam eius ſimpliciter, ſed ſecundùm quid. Ergo illud furtum non erit peccatum mortale, ſiue ſit cauſa illius damni accipiendo, ſiue retinendo, quia non verè influit illud damnum notabile, cùm præter intentionem, & per accidens eueniat furtum aliorum.

*Quis poſt quantitatem notabilem per minima furta ſublatam, addit furta alia parua; quæritur, an per quodlibet nouum furtulum, nouum peccatum lethale committat?*

## Resolvt. XLIII.

PRima opinio affirmatiua eſt Ferdinandi Rebellij *de oblig. iuſt. p.1. lib.3. q.15. ſect.4. n.38.* Bonac. *de cont. diſp. 2. q.8. punct.3. n.4.* & Sanch. *in ſum. tom.2. lib.7. c.21. n.7.* nam ita illam quantitatem præcedentem, & damnum notabile vult facere maius, nec enim propter prius peccatum commiſſum fur melioris conditionis effici debet. Deinde fur per illud nouum furtum, & aduertentiam præteritorum, ſine vlla voluntate reſtituendi, implicitè renouat actum voluntatis retinendi notabilem rem alienam. Sed actus peccatorum quoties renouantur, toties peccatum nouum committitur. Ergo, &c.

Secunda opinio media eſt noſtri P. Megalæ. 2. 2. *lib.2. cap.1. quæſt.3. num.35.* ait enim; Vel fur dum noua furta committit, actum voluntatis non reſtituendi interrumperet per aliquem ex modis, quibus interrumpuntur actus peccatorum; aut talem actum non interrumperet. In primo caſu, cenſet furem toties peccare, quoties furtum leue cum aduertentia priorum committit; ſecus autem in ſecundo caſu.

Tertia opinio negatiua eſt Ioannis de Salas *in p.2. tom.2. q.88. tr.13. diſp.16. ſect.27. n.90.* Leonardi Leſſij *de iuſt. lib.2. c.12. dub.8. n.44.* & Filliucij *in qq. moral. tom.2. tr.31. c.10. n.246.* per ſe non eſſe peccata mortalia furta illa parua, quæ poſtea adduntur ad præteritam magnam quantitatem. Ratio eſt, quia non conſummant notabilem quantitatem, ſed conſummatam augent. Erit igitur peccatum lethale ſola illa voluntas retinendi illa minuta furta ſimul cum aliis, & hoc peccatum voluntatis, & externæ retentionis ſenſim creſcet, prout plus, & plus retinebitur. Si verò illa noua furta nouum peccatum mortale inchoent, & aſcendant ad notabilem aliam quantitatem, erunt tunc peccata mortifera. Hæc opinio, vt ſunt & aliæ duæ priores, eſt etiam probabilis, & tuta in praxi. Vide etiam ea, quæ de hac quæſtione diximus probabiliter *in tract. de paupertate Religioſa.*

*Quidam vir nobilis poſſidebat multa bona, dubitans eſſe ſua, quæſiuit à me, an teneatur illa reſtituere?*

## Resolvt. XLIV.

REſpondi, Vel incepit poſſidere dubitans, vel non; in primo caſu tenetur adhibere diligentiam, vt inueniatur verus dominus, & ei reſtituere bona illa cum fructibus etiam conſumptis: poſt adhibitam verò diligentiam, ſi manet adhuc dubius, non eſt obligandus ad integram reſtitutionem, ſed ſolùm ad partem pro ratione dubij, quam debet tribuere creditori, de quo dubitat: ſi verò talis perſona ſit ignota, pauperibus tribuenda eſt. Itaque ſi dubium ſit æquale, dimidium reſtituere debet, & quo minus probabile eſt rem eſſe alienam, tanto minus non tenetur reſtituere, iuxta quantitatem dubij perſeuerantis. Sic Leſſius *de iuſt. lib.2. c.14. dub.4. n.25.* Sanchez *in ſumm. tom.1. lib.2. c.23. n.177.* Rebellius *de oblig. iuſt. p.1. lib.2. quæſt.5. n.7.* Molina *de iuſt. tom.3. diſp.721. n.3.* & alij.

In ſecundo autem caſu, ſcilicet quando initio rem bona fide accepit, vel habuit, ſi poſtea incipiat dubitare, tenetur etiam inquirere veritatem, & manente dubio, ſi æqualiter dubitet, non tenetur quidquam reſtituere; nam in dubio melior eſt conditio poſſidentis, *reg. in pari 65. de reg. iur. in 6.* & ita communiter docent Doctores Salonius *in 2.2. quæſt.62. art.6. contr.4. concl.4.* Rodriquez *in ſumma, tom.2. cap.43. n.4.* Medina *in part. 2. quæſt. 19. artic.6. propoſ.1.* Molina *de iuſt. tom.1. tract.2. diſp.35.* Henriquez *in ſumma lib.14. de irregul. cap.15. in fin.* Sayrus *in Claui Regia lib.10. tract.2. cap.3. num.29.* Coninch *de Sacram. diſp.34. dub.10. num.85.* Leſſius, Rebellius, *vbi ſuprà,* & alij.

Sed difficultas eſt, quando quis inæqualiter dubitat, & magis inclinat in eam partem, vt res aliena ſit; & in hoc caſu Valentia *tom.3. diſp.3. quæſt.16. punct.2.* Bannez *in 2.2. quæſt.40. art.1. dub.5. concl.4.* Ledeſma *de matrim. quæſt.45. artic.1. ad 3.* & Salonius *vbi ſupra,* aſſerunt, ſic dubitantem teneri partem reſtituere pro ratione maioris illius propenſionis. Et ratio eſt; nam in pari cauſa, vt diximus, melior eſt conditio poſſidentis, ſed quando poſſidens magis inclinat in eam partem, vt res ſit aliena, non dicitur potior cauſa. Ergo ratione iſtius imparitatis, & inclinationis tenetur aliquid reſtituere illi, cuius rem eſſe dubitat.

Secunda tamen opinio, cui tanquam probabiliori adhæreo, aſſerit, ſic dubitantem non teneri ad vllam reſtitutionem; quia poſſeſſio certa præualet rationibus inducentibus in partem oppoſitam, dummodo non ſint adeò efficaces, vt illius partis aſſenſum generent. Ita Sanchez *in ſumm. tom.1. lib.1. cap.10. n.9.* Vaſquez *in p.2. q.19. art.6. diſp.66. c.7. n.42.* Aragon. *in 2.2. q.62. art.1.* Imò addit Salas *in p.2. q.21. tr.8. diſp. vnic. ſect.23. n.231.* hoc eſſe verum non ſolùm, quando rationes pro contraria parte aſſenſum non generant, ſed etiam quando eum generant, dummodo non conuincant, nec aſſenſus ſit certus phyſicè, aut moraliter, ſed merè opinatiuus, adhuc enim verè res eſt dubia, ac poſſeſſio omnibus rationibus non conuincentibus præponderat.

Ad argumentum contrariæ ſententiæ reſpondetur, Poſſeſſionem certam, vt dictum eſt, præualere, & meliorem eſſe poſſidentis conditionem, etiamſi dubium non ſit par, & æquale. Ex his patet reſponſio ad ſuprà poſitum quæſitum.

*Fuit olim mihi magna altercatio cum quodam Confeſſario, qui nolebat abſolutionem impendere cuidam viro nobili, qui dubitabat ſi emiſerat votum D. Virginis Lauretanæ, & per multum tempus non adimpleuit, neque adimplere volebat?*

## Resolvt. XLV.

PRo dicto Confeſſario non deſunt Authores, neque rationes. Nam Vaſquez *in p.2. q.19. art.6. diſp.65. c.3. & diſp.66. c.1.* Azor. *p.1. lib.2. c.18. q.4. & lib.11. cap.5. q.2.* Ioan. Salas *in p.2. quæſt.21. tract.8. diſp. vnica, ſect.17. n.162.* Sayrus *in Claui Regia lib.1. cap.13. num.9. & 36.* & nouiſſimè Turrianus *in 2.2. tom.2. diſp.64. quæſt.11. num.6.* aſſerunt in hac materia meliorem non eſſe conditionem poſſidentis: ducuntur primò, quia aliàs nullum præceptum obligaret in dubio, cùm ſemper poſſidentis libertatem conditio potior eſſet. Secundò, ex *cap. ad audientiam, & cap. ſignificaſti, el ſecundo,* vbi decernitur dubitantem dubio facti, nempe an homicidium commiſerit, cenſendum eſſe irregularem.

Sed opinio contraria, tanquam probabilior tenenda eſt, & illam ſequuntur Coninch *de Sacrament. diſput.34.* 



*dub.10. num.86.* Sanchez *de matrim. tom.1. lib.2. diſp.41. num.32. & in ſum. tom.1. lib.1. c.10. n.11.* Suarez *in 3. p. tom.5. diſp.40. ſect.5. n.14. & ſect.6. n.8.* Rebellius *de oblig. iuſt. p.2. lib.1. q.2. ſect.2.* Henriquez *lib.14. c.4. n.4.* & alij apud Sanchez *vbi ſuprà,* Ratio eſt, quia poſſeſſio eſt titulus vniuerſalis omnibus virtutibus, eo modo quo aliqua pars potentialis iuſtitiæ, vt obedientia Dei tranſcendit omnes virtutes. Ergo ſi ſuffragatur in materia iuſtitiæ, etiam debet ſuffragari in materia aliarum virtutum. Et ſic expreſsè in dubio voti ſentiunt Sotus *de iuſt. lib.7. quæſt.3. art.2.* Medina *in ſum. lib.1. c.14. §.7.* Lop. *in inſtr. p.1. cap.45. §. dubitans de voto* Rodriq. *in ſum. tom.2. cap.49. n.5.* Henriquez *lib.11. de matrim cap.11. n.5. & lib.8. de Euchariſtia cap.45. num.3. in gloſſa littera P.*

Ad argumenta contraria reſpondetur. Ad primum, negatur ſequela, quia aliquando poſſeſſio eſt pro præcepto, & tunc in dubio obligat; vt, v. g. conſtat de lege, vel præcepto: dubium autem eſt, an in aliquo caſu, ratione neceſſitatis, aut alterius circumſtantiæ occurrentis eximatur aliquis ab obligatione, tunc tenetur ad obſeruationem præcepti, quia lex tunc poſſidet, & ita dicendum eſt de voto in ſimili dubio. Ita Medina *in p.2. q.96. art.6. ad fin. propoſ.[illegible]*

Ad ſecundum reſpondetur, quòd in dictis capitibus dicitur eſſe tutiorem partem eligendam, non quia in omni caſu ſit eligenda, ſed ſolùm in his caſibus, in quibus ſuperior præceperit eſſe eligendam; & ſic illa capitula non faciunt contra nos, quia cùm irregularitas ſit ex iure humano, placuit Pontifici in ordinum reuerentiam, vt in hoc dubio ab ipſis abſtineretur, non obſtante poſſeſſione.

*An pœnitens, qui lubricam, & debilem habet memoriam, teneatur ſcribere peccata?*

## Resolvt. XLVI.

MArtinus Bonacina vir doctus *in tract. de Sacr. diſp.5. q.5. ſect.2. punct. vlt. num 6.* tenet affirmatiuam ſententiam, ſi poſſit ſua peccata, abſque probabili periculo ſcribere tempore confeſſionis, aut etiam antea.

Sed abſolutè, & ſine vlla limitatione opinionem negatiuam tenendam eſſe videtur Suarez *tomo 4. in 3. part. diſp.36. ſect.5. numero [illegible].* Valentia *tom 4. diſp. [illegible] q.11. punct.1. circa finem.* Henriquez *lib.4. cap.4. numero 8.* Ratio huius ſententiæ illa eſt; quia, vt bene notat Vazquez *tom.4. in 3. p. quæſt.90. a.1. dub.[illegible] n.[illegible]4.* ſolum adeſt præceptum præmittendi examen ante confeſſionem, non verò conſeruandi memoriam peccatorum. Ergo non tenemur illa ſcribere. Imò Sotus *in 4. diſt.18. q.2. art.4. ad vlt.* putauit hoc pœnitentibus non eſſe conſulendum. Sed meliùs Caiet. *ver. confeſſio condit.11.* Nugnus *tom.2. in 3. p. quæſt.9. art.2. diffic. vnica ver. circa octauam concl.* Coninch. *de Sacr. in 3. p. diſp.7. dub.9. n.72.* & alij aſſerunt, licèt hoc neceſſarium non ſit, ſuadendum tamen; quia diligentia hac in re laudanda eſt, modò euitentur ſcrupuli, & nimia anxietas. Et notent ſcrupuloſi circa hanc materiam, quòd in perſcrutãda conſcientia, & numero peccatorum ante confeſſionem, peccabunt venialiter adhibendo nimiam diligentiam, & curam maiorem, quàm oporteat, quia, vt tradit D. Thom. *p.2. q.6[illegible] art.6.* in omni virtute morali peccatur, non ſolùm per defectum, ſed etiam per exceſſum. Ita Marcellus Megala *in 1. p. lib.5. c.9. n.7.* ex mente, & doctrina Nauarri *in cap. fratres, n.[illegible]2. de pœn. diſt.5.*

*Vtrùm tempore Iubilæi Regulares teneantur eligere Confeſſarium, non à ſuo Prælato, ſed ab Epiſcopo loci approbatum?*

## Resolvt. XLVII.

AFfirmatiuè reſpondet Molfeſius *in ſumm. tom.1. tr.7. cap.16. num.18. & 2[illegible].* Suarez *tom.4. in 3. part. diſp.28. ſect.6. num.11.* Reginaldus *in praxi, tom 1. lib.1. cap.15. ſect.2. numero 175.* Vega *in ſumma tomo 2. cap.7. caſ.32.* Homobonus *de caſibus reſeruatis part.1. cap.5.* & nouiſſimè Naldus *in ſumma, ver. indulgentia, numer.9.* & conſequenter aſſerunt, non lucrari Iubilæum, niſi peccatorum ſuorum confeſſionem faciant Sacerdoti, ab Epiſcopo loci approbato.

At Martino Bonacinæ *de Sacr. diſp.5. q.7. punct.4. §.1. n.25.* contraria opinio probabilis etiam videtur; nam verba in Iubilæo appoſita, quòd Regulares poſſint eligere confeſſarium ab ordinario approbatum, non intelligenda ſunt priuatiuè; quaſi Summus Pontifex velit priuare pœnitentem iure ſuo, quo poteſt confiteri approbato à ſuo Prælato, ſed potiùs intelligenda ſunt cumulatiuè, & ampliatiuè in fauorem ipſius pœnitentis; ita vt nonſolùm poſſit confiteri ſuo Parocho, aut alteri Sacerdoti, ſicut poterat ante Iubilæum, verùm etiam poſſit alium quemlibet Sacerdotem approbatum ab ordinario eligere, quamuis ante Iubilæum non poſſet illi confiteri. Adde, quòd ſi contraria opinio eſſet ſequenda, ſequeretur multos defraudari fructu Iubilæi; cùm multa extent Religioſorum monaſteria, in quibus nullus confeſſarius ab Epiſcopo loci approbatus reperitur aut ſaltem ſequeretur cogi Religioſum è clauſtris exire ad emendicandum ſibi confeſſarium, quod non videtur iuxta benignam Summi Pontificis intentionem. Hæc Bonacina, & alij.

*In compilatione proceſſus pro canonizatione P. N. B. Andreæ quæſitum fuit à me, quænam eſſet differentia inter Miraculum, & Gratiam?*

## Resolvt. XLVIII.

REſpondi miracula fieri ſubitò, in inſtanti, & perfectè; ſic Genuenſis *in praxi Archiep. cap.49. num.1.* Piaſec. *in praxi Epiſc. p.2. c.3. art.3. n.7.* Aloyſ. Ricc. *in praxi fori Eccl. p.1. reſol.495. n.7.* Zerola *in praxi Epiſcop. p.1. ver. miraculum, q.1.* & D. Thom. *in 3. p. q.44. art.3. ad [illegible].* vbi reſpondet ad argumentum illius cæci *Marc. 8.* qui non recepit ſtatim viſum; ſed audiamus eius verba. Chriſtus in inſtanti infirmis perfectam ſanitatem conferebat, vnde ſuper illud *Matth. 8. & ſurrexit, & miniſtrabat illis,* dicit Hieronymus. Sanitas, quæ confertur à Domino tota ſimul redit. Specialiter autem in illo cæco contrarium fuit, propter infidelitatem ipſius, vt Chryſoſtomus dicit, vel ſicut Beda dicit, quem vno verbo totum ſimul curare poterat, paulatim curat, vt magnitudinem humanæ cæcitatis oſtendat, quæ vix, & quaſi per gradus ad lucem redeat. Hæc D. Thom. Quando ergo apparet infirmos ſucceſſiuè, & non in totum fuiſſe liberatos ab infirmitatibus, dicendum eſt illa non eſſe miracula, non tamen negandum, quin non ſint gratiæ; quarum quotidie infinitum numerum miſericors Deus elargitur nobis interceſſione, & merito Sanctorum. Poſt hæc ſcripta inueni miraculum poſſe fieri ſucceſſiuè, & non in inſtanti, ſic Caiet. *q.2. ientac.12. ad 3.* & Vaſquez *in [illegible] part. tom.2. diſput.214. cap.2. numero 9.* Maluitius *de canonizat. Sanct. dub.3. numero 51. in tract. tom.14. fol. mihi 101.* & noſter Molfeſius *tom.2. concl.46. num....*

*In præterito Iubilæo, cùm quis illud obtinuiſſet in prima hebdomada, incidit poſtea in caſus reſeruatos, & fuit in ſecunda hebdomada iterum à quodam Confeſſario abſolutus; quæſiuit à me poſtea dictus Confeſſarius, an peccauerit, & teneatur de errore admonere pœnitentem?*

## Resolvt. XLIX.

REſpondi eſſe maximam inter DD. difficultatem, an ſi quis priori hebdomada expleuit opera iniuncta

in Iubilæo, & illud comparauit, poſſit in ſecunda hebdomada iterum lucrari, & à reſeruatis abſolui. Negantem ſententiam ſuſtinet Layman *in Theol. mor. lib. 5. tract. 2. c. 8. n. 9* Sanch. *in ſumm tom. 1. lib. 4. c. 54. n. 30.* Suarez *de Relig. tom. 2. lib. 6. cap 16. n. vlt.* Bonac. *de Sac. diſp. 5. q. 7. punct. 5. §. 3. n. 1*7. Rodriquez. *in ſum. tom. 4. c.* 188. *n.* 2. & nouiſſimè Raphael de la Torre *tom. 1. in 2. 2. q. 88. art. 12. diſp. 6. n.* 8. vbi ait. Annotandum eſt, falſam eſſe ſententiam exiſtimantem, quòd ſi quis in prima hebdomada factis omnibus diligentiis ad gratiam Iubilæi conſequendam, obtineat voti alicuius commutationem; ſi poſtea iterum voueat, poteſt ſequenti hebdomada, illius voti nouiter facti commutationem obtinere, ſi iterum faciat diligentiam ad conſequendam gratiam Iubilæi neceſſariam; falſa, inquam, eſt hæc poſitio, quia in forma Iubilæi expreſsè habetur, gratiam conſequendam eſſe, vna è duabus hebdomadibus diſiunctiuè; ait enim, qui prima hebdomada poſt publicationem, vel in ſequenti poſt illam.

At contraria ſententia non falſa, vt ait Torres, ſed probabilis viſa eſt Bonacinæ, qui contrariam opinionem vocat tantùm probabiliorem: & illam abſolutè tuentur hi omnes, Iacobus de Graffiis *in appendice ad ſuas dec. lib. 2. cap. 5. n. 23.* Alphonſus de Vegha *in ſum. tom. 2. c. 7. caſ. 19.* ex Societate Ieſu Henriquez *de Indulg. lib. 7. cap. 11. n. 1. de pœnit. lib. 6. cap. 16. n. 3.* & Reginaldus *in ſua praxi tom. 1. lib. 8. cap. 5. ſect. 2. n. 64.* ex noſtra religione P. Molfeſius *in ſum. tom. 1. tract. 7. cap. 16. num. 45* quia, vt ipſe ait, ſi propter opera indulgentia conceditur, & duabus vicibus quis adimplet opera in tempore præfixo, non eſt ratio conuincens, cur bis indulgentiam prædictam non lucretur. Deinde eſt valde probabile, indulgentiam tempore limitato conceſſam, modò in ea non limitetur, vt ſemel tantùm acquiratur, poſſe plus quàm ſemel comparari. Ergo, &c. Tertiò, quia verſamur in materia fauorabili, nulli pernicioſa; ergo latam interpretationem admittit. Quartò, abſolutio reſeruatorum poteſt ſæpiùs obtineri ante conſecutionem Iubilæi; ergo etiam poteſt obtineri obtento Iubilæo, ſi tamen non ſit tranſactum tempus Iubilæi.

Ad argumentum Raphaelis de la Torre, & aliorum, reſpondetur ex mente noſtri Molfeſij, illam particulam diſiunctiuam reſpicere commoditatem ipſorum fidelium, vt qui non poſſit, vel nolit prima hebdomada opera adimplere adimpleat in ſecunda. At non ſequitur excluſio. vt nequeat duabus vicibus quis indulgentiam lucrari, ſi opera faciat. Hæc ille. Et ita ſtante probabilitate huius opinionis, ad nihil obligaui ſupradictum confeſſarium, qui in ſecunda hebdomada Iubilæi abſoluerat alia vice illum pœnitentem.

*Olim ruſtici confeſſionem audiui, qui mulum ſurripuerat cuiuſdam viri nobiliſsimi, & prædiuitis, & per ſpatium multorum annorum locauerat; dubitaui tunc, an non ſolùm ad reſtitutionem muli, ſed etiam ad pretium locationis teneretur?*

## Resolvt. L.

ET pro parte negatiua ſtat Nauarr. *in man. c. 17. n. 15.* & Ludouicus Lopez *in inſtruct. part. 1. c.* 101. *in fine*, qui docent, eum qui torquem aureum furto accepit, ſi illum locauit, non obligari ad reſtitutionem pretij locationis; ergo à ſimili, & in caſu noſtro. Et probari poteſt hæc opinio; nam fructus alicuius rei, purè induſtriales non ſunt reſtituendi, ſed tantùm fructus naturales, vt docet Syluester *ver. furtum, quæſt. 19. & ver. reſtitutio. 3. quæſt. 7. & 9.* & DD. communiter; ſed iſtud pretium locationis pertinet ad negotiationem, & induſtriam; ergo non eſt reſtituendum.

At contrariam ſententiam amplexus eſt Sanchez *in ſum tom. 1. lib. 2. c. 23. n.* 132. & nouiſſimè Malderus & Turrian. *in 2. 2. D. Thomæ*, hic *tom. 2 diſp. 10. dub. 1. n. 14.* ille *tr* 4. *cap. 1. dub.* 10. Ratio eſt, quia illud pretium, non eſt fructus purè induſtrialis; quia non reſpondet ſoli induſtriæ, ſed ipſi rei; licèt enim in locatione poſſit eſſe aliquid induſtriæ, pretium tamen vſus ipſius rei illi reſpondet, vnde patet reſponſio ad argumentum in principio poſitum. Et ſic Nauarra *de reſt. lib. 4. c. 1. dub. 6.* Rebellius *de oblig. iuſt. part. 1. l. 2. q. 5. n* 4. & Molina *de iuſt. tom 3. diſp. 7. 9 n. vlt.* falſam vocarunt opinionem Nauarri, licèt poſt illos, probabilis viſa eſt noſtro P. D. Marcello Megalæ *in 2. 2. l. 2. c. 7. n. 85.* & Martinus Bonac. *de contract. diſp. 1. q. 3. punct. vlt. §. 1. n. 4.* & Azor. *p. 3. l. 4. c. 4. q 3.* contrariam ſententiam vocant tantùm probabiliorem & veriorem.

Sed quicquid ſit de hoc, ego non obligaui ſupradictum ruſticum ad reſtitutionem pretij locationis muli; nam, vt optimè notat Leſſius *de iuſt lib. 2. c. 12. dub. 17. n.* 114. ſententia Nauarri locum habet, & amplecti poteſt, quando dominus eſt vir diues, qui tale pretium locationis non putaretur velle, & ſic erat in noſtro caſu, licèt oppoſitum ſit probabilius. Poſſunt igitur confeſſarij, ſine vllo ſcrupulo, in duobus caſibus non obligare pœnitentes ad reſtitutionem pretij locationis alicuius rei. Primò in caſu Leſſij ſuprapoſito. Secundò, quando res talis ſit, quæ locari non ſolet. v. g. ſi pecuniæ, vel aliæ res locentur ad oſtentationem; nam tunc credo, quòd potiùs reputabitur fructus extraordinariæ induſtriæ; & ad hanc ſpeciem videtur Nauarrus extendiſſe locationem torquis aurei. Ita Malderus *vbi ſuprà*, contrà Sanchez *loco citato n.* 13, &c.

*Pendet deciſio multorum caſuum ex illa celebri quæſtione, vtrùm fur & quiuis alius iniquus poſſeſſor, teneatur reſtituere meliorem ſummam, ad quam excreuit res furata, tempore detentionis, maximè ſi fur illam vendidit in illo optimo ſtatu?*

## Resolvt. LI.

PRo deciſione huius quæſtionis, notandum eſt ex communi ſententia DD. augmentum pretij, quo aliqua res venditur, vel fundatur in bonitate intrinſeca ipſius rei, vt quando equus factus eſt pinguis, & creuit in aliqua circumſtantia, & cauſa extrinſeca; vt quando triticum tunc venditur, quando adſunt multi mercatores ad emendum, vel quando transfertur ad alium locum, vbi pluris valet; hoc ſuppoſito, circa ſuprapoſitam quæſtionem tres ſententias apud DD. inuenio.

Prima opinio eſt Leſſij *lib. 2. c. 12. dub. 16. n.* 105. aſſerẽtis, ſi intrinſeco augmento res melior effecta, vendita eſt, vel aliter alienata per furem, tenetur domino reſtituere æſtimationem, quam habet in illo ſtatu (detractis tamen impenſis) etiamſi apud dominum non erat melior futura.

Si autem ſolùm extrinſeca æſtimatione aucta eſt, eaque tunc vendita eſt, & dominus eam venditurus non erat, tenetur ſolùm ad æſtimationem, & pretium, quod tunc apud dominum habitura fuiſſet, & non ad pretium, quo tunc vendita eſt. Et ratio apparet clara; nam in primo caſu, augmentum pretij prouenit ex ipſa re; in ſecundo autem caſu, prouenit ex cauſa extrinſeca, v. g. ob raritatem rei, vel copiam emptorum, &c.

Secunda opinio, eſt Ioannis Malderi *in 2. 2. tract 4. cap. 1. dub. 9. in fine*, qui aſſerit, non ſolùm vero domino reſtituendum eſſe pretium, & augmentum proueniens intrinſecè, & ex ipſa re: ſed etiam contra Leſſium quando prouenit ex cauſa extrinſeca: & ratio quam adducit, eſt iſta; nam cùm res maneat domini, pretium etiam extrinſecum eius domino creſcit, & induſtria furis non eſt verſata circa augendum pretium, ſed circa rei alienæ conſeruationem, quæ ſecundùm latitudinem pretij ſui in fortunis domini eſt.

Tertia opinio eſt Martini Bonacinæ *de contract. diſp. 1. quæſt. 3. punct. 11 num. 9.* qui abſolutè docet, quòd quando augmentum pretij fundabatur in cauſa tam intrinſeca, quàm extrinſeca, & dominus rem ſuam non vendidiſſet tanto pretio, ſed illam ſeruaſſet vſque ad tempus quo pretium rei diminutum fuiſſet, aut illam conſumpſiſſet





eo tempore, quo non creuiſſet in pretio, furem non teneri ad reſtituendum pretium, quo rem alienam vendidit, vel quo valuit eo tempore, quo eam conſumpſit, ſed teneri ad illud pretium reſtituendum, quo dominus rem ſuam vendidiſſet, vel quatenus fur cenſetur damnum domino intuliſſe. Hæc Bonacina. Quæ quidem opinio eſt ſingularis, & notanda. Et ratio, qua fulcitur, hæc eſt, quia in tali caſu iniquus poſſeſſor videtur ſatisfacere ſeruando dominum indemnem; nam ſi fur tenetur ad reſtituendum illud augmentum pretij, eſt quia cenſetur in eo pretio damnum domino intuliſſe; ſed ex ſuppoſitione, fur non intulit damnum domino in eo augmento. Ergo, &c. Probatur minor; nam dominus non vendidiſſet rem ſuam tanto pretio, ſed illam ſeruaſſet vſque ad tempus, quo pretium decreuiſſet, vel eam conſumpſiſſet eo tempore, quo non creuiſſet in pretio. Ergo, &c.

Sed hoc argumentum mihi non placet; nam licèt nullum damnum dominus à fure recipiat, ſi ad ſtatum in quo futurus eſſet attendamus; poſito quòd ad tempus minoris valoris rem furatam eſſet ſeruaturus, recipit tamen damnum attento priori ſtatu, in quo dominium habuit rei plus valentis, quam iniuſtè vendidiſti, atque adeò illius maioris valoris, in quo per iniuriam à fure fuit damnificatus, ſatisfactio ratione iniuſtæ acceptionis exhibenda videtur. At his non obſtantibus, hæc opinio Bonacinæ probabilis mihi videtur, & illam Confeſſarij in praxi ſequi poſſunt; qui etiam notent pro complemento huius quæſtionis, quòd Nauarrus *cap. 17. num* 26. putauit iniquum poſſeſſorem, etiamſi non vendidiſſet rem furatam ablatam, teneri ad reſtitutionem iuxta ſummam æſtimationem, quam aliquando tempore detentionis habuit, v. g. vt ſuprà dixi, furatus es dolium vini, quod tunc valebat tres vncias, ſed ante reſtitutionem excreuit ad quinque, deinde paulatim remiſit ad tres, Nauarrus dicit te teneri ad quinque, quia cùm res illa fuit melior effecta, erat domini, & fur tenebatur, cum illa melioratione, tunc reſtituere; ſed ab hac obligatione numquam fuit liberatus, non per remiſſionem, non per donationem, vel ſolutionem. Ergo ſemper manet obligatus.

Et ita propter hanc rationem, opinionem Nauarri probabilem aſſerit Vaſquez *opuſc. de reſtit c. 5. §. 1. dub. 12. n.* 78. & illam amplectuntur Syluester *verb furtum, q.* 16. Angel. *verb. furtum, §.* 44 & Gabriel *in 4 diſt. 15 q. 2. art. 1.*

Sed contraria opinio eſt verior, & probabilior, quam ſequuntur omnes recentiores, Leſſius, Bonacina *vbi ſupra*, Rebellius *p. 1. lib. 2. q. 6.* & nouiſſimè Turrianus *in 2. 2. tomo 2. diſp. 10. dub. 2. n. 1. & ſeq.* cum Megala *in 2. 2. lib. 2. c. 1. quæſt. 8. n.* 102. & tunc ſententia Nauarri eſt amplectenda, quando dominus illam rem ablatam erat venditurus in optimo ſtatu, vel ſumma æſtimatione; nam in hoc caſu fur tenetur præter rem ipſam reſtituere æſtimationem illius incrementi, vel pretium rei, quo dominus eam vendidiſſet. Non autem ſi non erat venditurus, vt putauit Nauarrus, nam tunc ſufficit reſtituere rem vti eſt, ſi tamen res nõ eſſet effecta deterior, vel minoris pretij, quàm erat antea, & hoc euenturum non erat apud verum dominum; in his enim caſibus ſolum lucrum ceſſans, & damnum emergens ex illa detentione, vero domino reſarciendum eſt. Omnes igitur opiniones, in hac reſolutione poſitæ, ſunt probabiles. Salua ſemper, &c.

*Meritò ſuperiori quæſtioni hæc adiuncta erit, vtrùm iniquus poſſeſſor teneatur ad reſtitutionem iuxta ſummum valorem, & incrementum, quod res habuit tempore acceptionis, vel detentionis: quando ignoratur, quo tempore verus dominus eſſet rem illam venditurus?*

## Resolvt. LII.

LEſſius *lib. 2. cap. 12. dub. 16. n.* 109. docet paſſim DD. affirmatiuè reſpondere. Ratio eſt, quia in eo ſtatu vendi poterat; & in dubio melior eſt conditio innocentis, in eiúſque fauorem inclinandum; & ita hanc ſententiam docet etiam Vaſquez *opuſc. de reſtit. cap. 5. §. 1. dub. 13. n. 77.* Hæc opinio eſt probabilis.

Sed ego exiſtimo reſtitutionem in tali caſu faciendam eſſe, non ſecundùm quantitatem pretij maximi, neque ſecundùm pretium medium. Ratio eſt, nam ſicut dominus poterat vendere rem illam pretio rigoroſo, poterat etiam & vendere pretio minimo. Ergo creditori, & debitori conſulitur, dum reſtituitur pretium medium. Quod ſi omninò ſit incertum, quo pretio res illa ſit vendenda, remittendum eſt negotium ad viri prudentis arbitrium, qui conſiderabit regulas communes, ad aſſignandum pretium, videlicet quantitatem, & qualitatem illius rei, copiam, vel penuriam emptorum, &c. Turrianus *in 2. 2. D. Thom. tom. 2. diſp. 10. dub. 2. n. 7.*

Ad argumentum in contrarium reſpondetur; inclinandum eſſe in fauorem innocentis in foro externo, & quoniam non ſuppetit melior ratio conſtituendæ æqualitatis inter creditorem & debitorem. Sed hoc non accidit in caſu noſtro. Ergo.

*Illuſtriſſ. Cardin. Archiep. reſeruauit in hac ſua Diœceſi Panormitana aliquos caſus, ſed multis Regularium Superioribus dedit poteſtatem ab illis abſoluendi: interrogatus ſæpiùs fui à noſtratibus, & exteris, an dicti Superiores Regularium poſſent iſtam authoritatem concedere alicui particulari? Idem quæritur de Pœnitentiariis.*

## Resolvt. LIII.

REſpondi non poſſe eandem poteſtatem ſubdelegare, niſi habuerint expreſſam ad hoc licentiam ab Epiſcopo: delegatus enim ad nudum miniſterium non poteſt ſubdelegare: & ſic non poſſunt concedere omnes caſus ſimul alicui Confeſſario, vt ab eis abſoluat toties, quoties acciderit. Poſſunt tamen abſolutionem caſus particularis in facto occurrentis alteri committere; v. g. cùm petitur ab aliquo Confeſſario inferiori, qui aſſerit ſe habere pœnitentem cum tali caſu reſeruato, tunc poteſt dictus Superior, & Pœnitentiarius dare authoritatem dicto Confeſſario, vt illum abſoluat ab eo caſu Et aliter faciendo, confeſſiones erunt nullæ ex defectu iuriſdictionis. Ita in terminis Piaſecius *in praxi Epiſc. part. 2. c. 1. n. 15.* Aloyſius Riccius *in praxi fori Eccleſ. part. 1. reſol. 419. num. 1.* Zerola *in praxi pœnit cap. 25. q. 17 in praxi Epiſc. p. 1. ver. Pœnitentiarius, q. 4.* Finellius *de caſib. reſeru c. 9. num. 11.* Homobon. *de caſib. reſeru. p. 1. c. 5.* circa præſentem materiam vide etiam Sanchez *de matrim. tom. 1. lib. 3. tota diſp. 31.* & Molin. *de iuſt. & iure, tract. 5. diſp 15. n. 4.*

*Petrus confeſſionem fecit die Natiuitatis Domini, ſed poſtea in multa peccata incidens tempore Quadrageſimæ, ſcelera illa Confeſſario non expoſuit; quæritur, an illa prima confeſſione ſatisfecerit præcepto Eccleſiæ annuæ confeſſionis? Quod eſt quærere, an fideles ſatisfaciant præcepto confeſſionis, quocumque anni tempore confitendo, vel teneantur confiteri tempore Quadrageſimæ?*

## Resolvt. LIV.

NOſter P. D. Marcellus Megala *in 1. p. lib. 5. cap. 3. n. 3.* ſecundùm ius commune aſſerit ſufficere hoc præceptum adimpleri quocumque anni tempore, quia *in cap. omnis*, ex quo iure habemus præceptum annuæ confeſſionis, ſolummodo præcipitur, vt fiat ſemel in anno. Ergo ſufficit, vt quocumque anni tempore fiat. Verùm, quia conſuetudo vniuerſalis Eccleſiæ, quæ facit ius commune,

Vt habetur *in Clem. fin. de ætat. & qualit.* iam obtinuit, vt adimpleatur tempore Quadrageſimæ; ergo ſeruanda eſt, vt *in l. minimè, ff. de legibus* quam conſuetudinem cùm probauerit Concil. Trident. *ſeſſ. 14. c. 5. in fine*, inde fit, vt hodie vnuſquiſque dicto tempore Quadrageſimæ confiteri teneatur, & hanc opinionem expreſsè docet Medina *Cod. de pœnit. q. 18. de confeſſione ſemel in anno facienda.* Hæc Megala.

Sed pace doctiſſimi viri, contrariam ſententiam probabiliorem, & veriorem eſſe aſſero cum Vaſquez *in 3. p. tom. 4. q. 90. art. 3. dub. 1.* Syluio *in add. ad 3. part. q. 6. art. 5. dub. 3. n. 9.* & Nugno *in addit. ad 3. part. tom. 2. q. 6. art. 5. diffic. 4. fol. mihi* 250. qui ad argumenta oppoſitæ ſententiæ reſpondent diſtinguendo: aſſerunt enim quòd quando conſuetudo eſt vniuerſalis, & intelligunt homines ſe obligari ad talem actum ratione ſui, & non ex aliquo accidenti, habet in hoc caſu conſuetudo illa vim præcepti. Quando verò conſuetudo non eſt ita vniuerſalis, & ex alia parte non cenſentur homines ſe obligari ad talem actum ſecundùm ſe, ſed ex aliquo accidenti, non habet talis conſuetudo vim præcepti ad illum actum ſecundùm ſe conſideratum, & ita contingit in noſtro caſu; ſolùm enim intelligunt homines ſe obligari ad confeſſionem Paſchatis propter communionem. Ita illa conſuetudo fuit introducta vt homines præparentur ad communionem, ad quam tempore Paſchæ tenentur, ita vt etiam ſimul implerent præceptum confeſſionis; non verò introducta fuit hæc conſuetudo pro præcepto confeſſionis ſecundùm ſe.

Ad authoritatem Tridentini patet reſponſio ex dictis; nam in illis verbis Concilij, tantùm in ſenſu ſupradicto approbatur illa conſuetudo confeſſionis, & ibi Concilium tantùm voluit ſignificari contra Hæreticos, retinendum eſſe morem illum confitendi: ſed quod ſecundùm ſe ratione confeſſionis eo tempore obligaret, & ita retineretur; non curauit; vnde quando dicit Concilium, quem morem, &c. ad illud refert, quod dixerat obſeruari morem in Eccleſia confitendi, de quo erat inſtitutum. Hæc Nugnus, & Vaſquez.

Dicendum eſt igitur abſolutè, ſi quis confeſſionem fecit intra annum, non teneri poſtea in Quadrageſima confiteri; cùm iam adimpleuerit præceptum annuæ confeſſionis. Ita Sotus *in 4. diſt. 18. quæſt. 1. art. 4.* Canus *in relect. de pœnit. p. 5.* Valentia *tom. 4. diſp. 7. q. 9. punct. 4.* Reginald. *in praxi tom. 1. lib. 6 cap. 2. num. 33.* Molfeſ. *in ſumma, tom. 1. tract. 7. c. 10. numer. 23.* Azor. *p. 1. lib 2. cap. 38 q. 7.* Suarez *in 3. p. tom. 4. diſp. 36 ſect. 3. num. 4.* Henriquez *lib. 4. de Sacr. cap. 4. n. 7.* Coninch. *de Sacram. diſp. 5. dub. 7. num. 58.* Victoria *in ſumma, q. 137.* Zerola *in praxi pœnit. cap. 10. q. 9.* & alij DD. communiter. Fieri tamen poteſt, vt alio titulo teneatur confiteri, vt ſi poſt confeſſionem peccauit mortaliter, & ſuſcepturus eſt Euchariſtiam in Paſchate; aut ſi mortis articulus ſuperueniat: in his enim caſibus tenetur denuò confiteri.

*An adulter, qui filium ſuſcepit ex adulterio, illúmque reliquit inter filios legitimos mariti adulteræ, præter alimenta, teneatur etiam occurrere damno hæreditatis, quæ legitimis hæredibus adimitur, vel damno dotis (& de hoc caſu olim interrogatus fui) quam pater putatiuus tradit puellæ ſpuriæ, credens eam eſſe propriam filiam?*

### RESOLVT. LV.

Communiter DD. reſpondent affirmatiuè. Ita Leſſius *de iuſt. lib 2. c. 10. dub. 6. n. 46.* Turrian. *in 2. 2. tom. 2. diſp. 30. dub. 2.* Finell. *de caſib. reſeru. caſ. 10. n. 18.* Megala *in 2. 2. lib. 1. c. 2. n. 13.* Vaſquez *opuſc. de teſtamentis c. 5. §. 1. n. 22.* Rebel. *de oblig. iuſt. p. 1. lib. 3. q. 10. n. 11.* Malder. *in. 2. 2. tract. 3. cap. 4. dub. 9.* Iac. de Graff. *p. 2. lib. 2. c. 132. n. 36.* Azor. *p. 3. lib. 5. cap. 1. & 7.* Alphonſ. de Vega *in ſumma, tom. 1. cap. 13. caſ. 8.* Aragon. *in 2. 2. q. 62. art. 6.* Rodriquez *in ſum. tom. 1. c. 188. n. 1.* Nauar. *c. 16. n. 40.* Armilla *ver. adulterium, n. 7.* Reginald. *in praxi tom. 1. lib. 10. c. 19. q. 3. n. 288.* & alij, aſſerunt enim, adulterum, ex quo ſuſceptus eſt ſpurius, teneri ſicut adulteram ad reſarciendum damna ſubſecuta. Ratio eſt, quia adulter, non minus quàm adultera, eſt cauſa talis damni.

Verùm Dominicus Sotus *lib. 4. de iuſt. q. 7. art. 2.* & Henriquez *lib. 1. de matrim. c. 11. num. 3.* qui citat etiam Pennam, docent etiamſi adulter agnoſcat eſſe ſuam prolem, non teneri ad reſarciendum damna legitimis filiis, modò ipſe non fuerit author ſuppoſitionis. Ratio eſt, quia horum damnorum ſola adultera eſt cauſa, quia ipſa filium adulterinum ſupponit tanquam filium legitimum, cùm tamen adulter non ſupponat; ſed ſolùm tacendo permittat, vt filius adulterinus ſupponatur, Hanc opininionem tamquam probabilem amplectitur etiam Barthol. à S. Fauſto *in ſpeculo confeſſionis, diſp. 23. q. 8. n. 8.* qui affert hanc rationem; nam ſi adultera procuraret abortum, non diceretur adulter cauſa homicidij, quia ipſe ſuppeditauit prolē, niſi ſuaſiſſet vel adiuuiſſet. Ergo pari ratione non cenſebitur cauſa ſuppoſitionis, ac proinde, nec damni ex ſuppoſitione ſequuti: non enim videtur eſſe magis cauſa ſuppoſitionis, quàm abortionis, cùm neutrum conſuluerit, & vtrumque ex libera voluntate adulteræ ſecutum eſt. Ergo nec ipſe, ſed mater tenebitur ad reſtitutionem. Hæc ille. Eſt igitur hæc ſententia probabilis: licèt oppoſita ſit probabilior, & tuta in praxi, vnde Pitigian. *in 4. ſent. p. 2. diſt. 15. q. 2. art. 5.* contrariam opinionem tantùm probabiliorem vocauit. Ergo ſecundùm Pitigianum, ſententia Soti erit probabilis, ſicuti etiam viſa eſt multis recentioribus, vt teſtatur Leſſius *de iuſt lib. 2. c. 10. dub. 6. n. 43.*

Reſtat modò reſpondere ad argumentum oppoſitæ ſententiæ. Dico igitur, adulterum non eſſe cauſam proximam illorum damnorum, ſed remotam, cùm ipſe non intenderit generare, ſed ſolùm explere ſuam libidinem: adulteram verò eſſe cauſam proximam, quia partum ſpurium, tanquam legitimum marito ſuo ſuppoſuit. Ergo ipſa ſola tenetur ad reſtitutionem. Notent Confeſſarij, quòd in iſto caſu adulter tenetur reſtituere ſaltem alimenta proli impenſa, à tertio anno ætatis, & deinceps, quandiu parens tenetur filium alere, etiamſi non fuerit cauſa ſuppoſitionis. Et ita etiam ſentiunt aliqui viri docti de hac re conſulti.

*Hîc Panormi ſodomia reſeruatur à Domino Archiepiſcopo; quidam iter agens per aliam Diœceſim fuit abſolutus à tali caſu à quodam Sacerdote ordinario: poſtea Panormum rediens, cùm incidenter in altera confeſſione id explicaret, noluit Confeſſarius illum abſoluere, aſſerendo illam confeſſionem fuiſſe inualidam, & ipſum non habere poteſtatem abſoluendi à caſibus reſeruatis; quæſitum à me fuit, an hæc opinio eſſet vera?*

### RESOLVT. LVI.

Reſpondi illam mordicus docere ex Societate IESV, Paul. Comitol. *in ſuis reſponſionibus moral. lib. 1. q. 28. num 2.* Nugnum *in addit. ad 3. p. tom. 2. q. 8. art. 5. dub. 10. fol. mihi* 296. Sotum *in 4. ſent. diſt. 18. quæſt. 2. art. 4.* & ex noſtris P. Megalam *in 1 p. lib. 1. cap. 10. n. 14.* Graff. *p. 1. lib. 1. cap. 13. num. 46.* & pleroſque alios, qui omnes aſſerunt iter facientes, licèt poſſint in omni loco confiteri peccata ſua cuicumque Sacerdoti approbato, & hoc ex præſumpta conceſſione proprij paſtoris; tamen hoc illis minimè licere, ſi habent caſus reſeruatos. Probat hanc ſententiam Comitolus, & Nugnus præcipuè, ex authoritate Bonifacij VIII. *c. ſi Epiſcopus, de pœnit. & remiſſ. lib. 6.* vbi ait: Si Epiſcopus ſuo ſubdito conceſſerit, vt ſibi poſſit idoneum eligere confeſſorem: ille, quem is elegerit in caſibus, qui eidem Epiſcopo ſpecialiter reſeruantur, nullam habet penitus poteſtatem. Deinde ſi opinio contraria eſſet vera, multi peregrinarentur hac ſola intentione, vt abſoluerentur à caſibus reſeruatis. Sed hoc eſt maximum inconueniens. Ergo.



At veriùs, & magis probabiliter dicendum mihi videtur, ſubditum vnius Epiſcopi iter agentem per aliam Diœceſim, non ſolùm confiteri poſſe confeſſoribus illius Epiſcopatus, ſed etiam à caſibus reſeruatis abſolui, licèt confeſſarius non habeat in illo Epiſcopatu facultatem circa peccata reſeruata; dummodo peccatum non ſit reſeruatum in vtroque Epiſcopatu, vt non erat in caſu noſtro; quia tunc clarum eſt, non poſſe remitti à tali confeſſario. Ita Suarez *vbi infrà*, Reginald. *in praxi tom. 1. lib. 8. c. 5. ſect. 3. n. 69.* Henriq. *lib. 6. c. 14. n. 8. litt. Q.* Homobonus *de caſib. reſer. p. 1. c. 6. fol. 46.* & alij. Et ratio eſt, nam, vt ait Suarez *in 3. part. tom. 4. diſp. 30 ſect. 1. n. 4.* qui iter agit in alieno Epiſcopatu, non ideo ibi confitetur, & abſolui poteſt, quia vtitur facultate eligendi confeſſorem; ſed quia hoc ipſo, quòd verſatur in alieno Epiſcopatu, poteſt ibi abſolui, more incolarum illius Diœceſis, & ita ſe gerere, ac ſi eſſet ſubditus Epiſcopi illius loci: hoc enim ſenſu intelligi debet conſuetudo approbata ab Eugenio IV. quam habent peregrinantes in itinere confitendi; ſed quia in illa Diœceſi non ſunt reſeruata peccata illa, quæ in proprio Epiſcopatu ſunt. Ergo ab illis poterit abſolui à quocumque confeſſario approbato, in reſeruata poteſtatem non habente.

Vnde patet reſponſio ad primum argumentum Comitoli, & Nugni. Nam, vt diximus, in noſtro caſu, pœnitens non vtitur facultate eligendi confeſſarium, ſed ſe habet tanquam incola illius Diœceſis: & patet à ſimili; nam, vt notat Homobon. *vbi ſuprà*, iter faciens, ſi caſus habeat reſeruatos Epiſcopo loci, in quo confitetur, qui non ſint reſeruati Epiſcopo proprij domicilij, clarum eſt non poſſe à quolibet ſimplici confeſſario abſolui, quia iudicandus eſt iuxta leges loci, in quo reperitur. Ergo ſi habeat caſus reſeruatos Epiſcopo proprij domicilij, & non Epiſcopo loci, videtur poſſe abſolui à ſacerdote ordinario, ex ratione ſupradicta. Vel reſponderi poteſt, quòd licèt tales peregrinantes eligerent confeſſarium, ex facultate proprij, conſuetudinem ita talem licentiam interpretari, vt poſſint abſolui etiam à caſibus reſeruatis à quocumque confeſſario, in illo loco approbato.

Ad ſecundum argumentum reſpondeo, ex Coninch *de Sacr. diſp. 8. dec. 8. n. 61.* Graſſio *in ſuis dec. aur. p. 1. lib. 1. c. 13. n. 47.* & Homob. *loc. cit.* noſtram ſententiam intelligendam eſſe de iis, qui non ſuſcipiunt peregrinationem in fraudem legis, ea ſolùm de cauſa, vt poſſint aliis confiteri. Ex his omnibus apparet, dictum pœnitentem, de quo conſultus fui, ritè abſolutum fuiſſe.

*Quæritur, quæ quantitas requiratur, vt furtum ſit peccatum mortale?*

### RESOLVT. LVII.

Qvot ſunt Doctores, tot ſunt opiniones circa hanc quæſtionem.

Prima opinio eſt Martini Nauarri *in manu. cap. 17. n. 4.* qui nimis ſtrictè putat, dimidium regalem eſſe quantitatem notabilem, quæ conſtituat furtum mortiferum.

Secunda opinio eſt Cordub. *in ſumm. q. 109.* & Salon. *in 2. 2. tom. 1 quæſt. 66. art. 6 contr. 1.* qui dicunt abſolutè, & ſimpliciter vnum argenteum eſſe materiam ſufficientem peccati mortalis; iſta opinio à Turriano *in 2. 2. tom. 2. diſp. 33. dub. 2. n. 17.* tribuitur Couar. *lib. 1 var. c. 3. n. 12* ſed reuera Couarr. *ibi* nihil tale affirmat.

Tertia opinio eſt Barthol. Medinæ *in p. 2. q. 88. art. 8.* cum multis aliis, qui aſſerunt non eſſe furtum mortale, niſi ad ſummam duorum argenteorum aſcendat.

Quarta opinio eſt Greg. de Valentia *tom. 3. diſp. 5. q. 10. punct. 16.* Rebell. *p. 1. lib. 3. q. 15. ſect. 2. n. 22.* aſſerentis abſolutè eſſe peccatum mortale accipere tres argenteos, etiam ſi à diuitibus auferantur.

Quinta opinio eſt Alphonſi de Vega *in ſum. tom. 1. c. 129. caſ. 12.* qui docet quatuor, vel quinque regales conſtituere furtum notabile.

Sexta opinio eſt Ludou. Molin. *de iuſt. tom. 3. diſp. 685.* qui ait tantum pecuniæ valorem, qui in vnoquoque loco ſatis eſt ad conducendas operas vnius diei foſſoris terræ, videri materiam ſufficientem ad furtum lethale in ordine ad eos, qui non ſunt valde diuites.

Septima opinio eſt Barthol. à S. Fauſto *in ſpeculo Confeſſ. diſt. 2. q. 18. n. 16.* & Gregorij Sayri *in Claui Regia*, vbi ait, quòd ſecluſo omni alio damno extrinſeco, trium Iuliorum ſummam, etiam ſi à ditiſſimis auferatur, eſſe materiam notabilem: & in ordine ad perſonas mediocres, quæ non ſunt pauperes, vel valde diuites, quantitatem duorum Iuliorum: in ordine verò ad pauperem, qui viuit mendicando, vnum argenteum, vel Iulium.

Octaua opinio eſt Bonac. *de contr. diſp. 2 q. 8. punct. 1. n. 7.* vbi diſtinguendo etiam aſſerit, quatuor eſſe genera perſonarum in ordine ad quas conſideranda eſt grauitas, & leuitas furti. Primò, aliæ ſunt perſonæ illuſtres, quæ ſplendidè alunt familiam. Secundò, aliæ quæ viuunt ex ſuis redditibus; quales ſunt communes diuites. Tertiò, quæ ſe ſuo ſuſtentant artificio, & opera. Quartò, aliæ quæ mendicando viuunt. Reſpectu perſonarum primi generis, nummus aureus, vt minimum eſt materia notabilis, & ſufficiens ad peccatum mortale, Reſpectu perſonarum ſecundi generis, quatuor regales circiter plus minúſve. Reſpectu perſonarum tertij generis, vnus regalis. Et tandem reſpectu perſonarum quarti generis, vnus regalis erit grauis materia.

Hæc opinio eſt omnium probabilior, quam tenet etiam Nauarr. *de reſt. lib. 3. c. 1. num. 32.* & Reginald. *in prax. tom. 2. lib. 21. c. 2. q. 4. n. 19.* dicentes quantitatem notabilem reſpectu diuitum eſſe circiter vnius nummi aurei, ſeu 60. aſſium: reſpectu verò perſonarum communium, circiter viginti aſſium, & demum reſpectu pauperum circiter ſeptem aſſium.

Nona opinio, quæ mihi placet, eſt Rodriquez, qui abſolutè aſſerit *in ſumma*, quam nuper edidit, *tom. 5. c. 118. n. 27. & 29.* illam eſſe notabilem quantitatem, quæ excedit duos aureos; & Ang. *ver. furtum, n. 34.* & Sylu. *eod. ver. q. 2. n. 5.* tenet hanc ſententiam in ordine ad opulentos; an etiam hanc opinionem doceat Sotus *lib. 5. de iuſt. q. 3. art. 3. ad 3.* negat Vaſq. *opuſc. de reſt. c. 5. §. 1. dub. 5. n. 30.* ſed affirmant Turrian. Barth. à S. Fauſto *vbi ſuprà*, & P. de Aragon. *2. 2. q. 66. art. 6. cauſa* 10. Leſſius *vbi infrà*, & communiter DD. Sed circa totam hanc quæſtionem vide Megalam *in ſum. 2. 2. lib. 2. c. 1. q. 3.* Rebell. *de oblig. iuſt. p. 1. lib. 3. q. 15. ſect. 1.* Iac. de Graſſiis *in ſuis dec. p. 1 lib. 2. c. 97. q. 27.* Bannez *in 2. 2. q. 66. art. 6* qui nimis laxam opinionē ponit. Malder. etiam *in 2. 2. tr. 4. c. 1. dub. 3.* Leſſium *lib. 2. c. 12. dub. 6. num. 29.* & Azor. *p. 3. lib. 3. c. 13. q. 2.* Medin. *Cod. de reſt. q. 10.* Tolet. *in ſum. lib. 5. c. 16. num. 3.* Turrian. *in 2. 2. tom. 2. diſp. 33. dub. 2.* Sanch. *in opere morali tom. 2. lib. 7. c. 20. n. 3.* Cened. *de paupertate religioſa dub. 33.* Conrad. *in reſp. p. 1. c. 166.* Sayrum *in Claui Regia lib. 9. c. 15. à n. 9. vſque ad* 15. & alios.

*Quidam ſeruus aliquid ſibi ſubtrahebat de neceſſariis ſine domini incommodo, & præter opera præſcripta, ex quibus lucrum colligebat, interrogatus fui, an de his acquireret ſibi dominium, vel domino? Quod eſt quærere, an ſeruus poſſit habere aliquarum rerum dominium, & de rebus à ſe acquiſitis diſponere?*

### RESOLVT. LVIII.

Nouiſſimè Turrian. *in 2. 2. tom. 2. diſp. 35. dub. 2. n. 8.* aſſerit ſeruum, & ancillam, ſi peculiariter vigilando,

vel de ſibi neceſſariis aliqua bona lucretur, non poſſe de illis liberè diſponere, & Petr. de Aragon. in 2. 2. quæſt. 62. art. 1. & 2. cum multis aliis abſolutè docent, ſeruos ita eſſe dominorum ſuorum, vt quicquid acquirant, domino acquirant. Probatur ex l. id veſtimentum, ff. de peculio, vbi dicitur ſeruum non eſſe dominum veſtimenti quotidiani, quia qui ab alio poſſidetur, nihil poſſidere poteſt. Secundùm hanc opinionem poſſunt domini accipere res ſeruorum, quia, vt diximus, ius omnia ſerui ſubiecit poteſtati dominorum: & ita abſolutè ſuſtinet hanc ſententiam Megala in ſumm. part. 2. lib. 6. cap. 19. quæſt. 2. num. 15. & adducit textum ex l. acquiritur, §. igitur, ff. de acquir. rei dom. vbi habetur, Quod ſerui noſtri ex qualibet cauſa acquirant, id nobis acquiritur; ipſe enim ſeruus, qui in poteſtate alterius eſt, nihil ſuum habere poteſt, cuiuſcumque enim rei poſſeſſionem adepti fuerint, id nos poſſidere videmur.

At verius, & magis probabiliter dicendum eſt, ſeruos poſſe habere aliquarum rerum dominium imperfectum, & ſecundùm quid: ita vt eas non teneantur ſuis dominis tradere: caſus autem præcipui in quibus poſſunt aliquod peculium habere, ſunt iſti. Primò, ſi dominus expreſsè, vel tacitè conſentiat aliquas res habere. Secundò, ſi aliquis det ſeruo, ea conditione, vt ad dominum ſuum non perueniat. Tertiò, ſi aliquid detur abſolutè, & ſine conditione, non tamen intuitu ipſius domini; vt v. g. propter induſtriam, vel aliquod ſeruitium factum; nam in hoc caſu ille, qui dat, videtur dare, vt illa res ſcilicet non ſit domini, ſed ſerui. Quartò, ſi aliquid detur in compenſationem iniuriæ illatæ. Quintò, ſi aliquid lucretur ſua pecunia, & ex rebus ſibi datis, vt ſuprà: vnde ſuum facit lucrum acquiſitum per ludum licitum, vel illicitum. Sextò, ſi aliquid ſibi ſubtrahat, abſque domini detrimento, quod licitè poterat conſumere, vel expendere. Septimò, quando propter turpem corporis vſum aliquid ei datur. Ita Barthol. à S. Fauſto in ſpeculo Confeſſ. diſp. 1. quæſt. 19. num 4. Leſſius de iuſt. lib. 2. c. 4. dub. 4. num. 15. Rebell. de oblig. iuſt. part. 1. lib. 1. quæſt. 11. ſect. 2. Malder. in 2. 2. tract. 1. cap. 4. dub. 6. Rodriquez in ſumm. tom. 5. cap. 89. concl. 6. n. 8. Nauarr. de reſt. lib. 3. cap. 1. dub. 5. num. 221.

Nota verò, quod iſta doctrina non ſolùm procedit, vt opinatur Vega in ſumm. tom. 6. c. 106. n. 4. & 5. cum Lopez in ſeruis, qui domi naſcuntur, ſed etiam in ſeruis emptitiis, & in bello captis.

Nota ſecundò, quod in dictis caſibus ſerui abſolutum dominium acquirunt, ita vt ſine iniuria dominus non poſſit eis auferre, & ipſi re eiuſmodi fraudati, poſſint vti compenſatione occulta.

Ad leges quas pro contraria ſententia afferebat Megala, & alij reſpondet Sotus lib. 4. de iuſt. quæſt. 2. art. 2. procedere quoad ſeruos, qui ſe ſponte vendiderunt, non verò quoad alios ſeruos. Sed mihi abſolutè, & ſine vlla limitatione cum Maldero, Leſſio, Rebellio, & aliis dicendum videtur, illas leges Cæſareas legitima conſuetudine abrogatas, & mitigatas eſſe in fauorem omnium ſeruorum, tanquam miſerabilium perſonarum, paſſim enim videmus cuiuſque generis ſeruos pecunia ſe redimere, quòd non pecunia domini, vel aliena, ſed propria hoc facere poſſunt. Ergo, &c.

Dico, ſi ſeruus, qui ſe & ſuas operas vendidit, & tempus quo laborare tenebatur, ludendo, vel alia negotia faciendo expendit, lucrum illud ad quem pertinet? Reſpondent aliqui ad dominum pertinere. Mihi verò cum Rebellio, magis probabiliter aſſerendum videtur, in hoc caſu ſeruum teneri tantùm ad reſtitutionem damni dati per omiſſionem operarum debitarum, hoc enim putandum eſt in ſua venditione ſeruum intendiſſe.

***

*An in fauorem Principis præſumendum ſit in dubio poſitiuo? Habet, v. g. ſubditus rationes probabiles, vt aliquod tributum ſit iniuſtum, adſunt verò pro Principe, & iuſtitia vectigali aliæ rationes probabiles; quæritur, an teneatur ſoluere tributum?*

RESOLVT. LIX.

SVarez de legib. lib. 5. cap. 18. n. 20. Vaſquez opuſc. de reſt. cap. 6. §. 3. dub. 5. num. 78. Turrian. in 2. 2. tom. 2. diſp. 46. dub. 6. num. 5. & alij affirmatiuè reſpondent, iuxta illud dictum commune, in dubio præſumendum pro ſententia ſuperioris. Cæteras rationes, quæ quidem efficiunt hanc ſententiam probabiliorem, quam oppoſitam, vide apud authores citatos.

Sed contrariam opinionem probabilem, & in praxi tutam, docent viri docti, non minoris litteraturæ, quam aduerſarij: hi ſunt ex Societate Ieſu Leonard. Leſſius de iuſt. lib. 2. c. 33. dub. 9. n. 69. Valer. Reginald. in praxi. tom. 1. lib. 10. c. 25. ſect. 1. n. 374. ex noſtra Religione P. Megala in p. 2. lib. 2. c. 17. q. 8. n. 132. & Nauarr. de reſt. lib. 3. c. 1. p. 3. dub. 13. n. 267. Salon. de iuſt. tom. 1. q. 5. art. 4. controu. 2. ante primam concl. ver. obſeruemus ſecundò. Barthol. à S. Fauſto in ſpeculo Confeſſ. diſp. 33. q. 17. n. 3. Sanchez in ſumm. tom. 2. lib. 6. c. 3. n. 7. & nouiſſimè Malder in 2. 2. tract. 1. cap. 6. dub. 4. §. dico ſexto, vbi aſſerit, Si vtrumque probabile ſit, tributi cauſam eſſe iuſtam, & non eſſe iuſtam, exigit Princeps iuſtè, & negat populus iuſtè; & ratio huius ſententiæ prima eſt, quia poſſunt ſe conformare opinioni probabili. Secunda, quia in tali caſu melior eſt conditio poſſidentis. Tertia, quia in tali caſu datur bellum ex vtraque parte iuſtum; nam ignorantia facit, vt vterque, propter rationes ſpeciem veritatis habentes, bona fide iuſtitiam à ſe ſtare putet.

Ad argumentum contrarium reſpondetur, illud dictum intelligendum eſſe in dubio negatiuo, non autem in dubio poſitiuo; vel in caſu, in quo non agitur de intereſſe, ſeu damno inferioris. Circa præſentem quæſtionem vide etiam Azor. p. 3. lib. 5. c. 22. q. 7.

*In multis regionibus extant Pandectæ, & ſtatuta, in quibus Notariis, Commiſſariis, & cæteris iuſtitiæ adminiſtris taxata ſunt ſtipendia; quæritur, an modò obligent in conſcientia, ſtante varietate temporum & circunſtantiarum.*

RESOLVT. LX.

REſpondeo negatiuè. Ita Molina de iuſt. tom. 1. tract. 2. diſp. 83. & Baſil. Pontius p. 1. var. diſp. q. 2. ſcholaſtica, c. 7. qui citat D. Antonin part. 2. tit. 7. c. 5. §. 1. & p. 3. tit. 3. cap. vlt. §. 11. & Syluestrum ver. reſtit. 3. q. 5. pronunt. 10. Nam niſi illæ leges iuſtum pretium contineant pro varietate temporum, & iuxta illam mutentur, iniuſtæ ſunt, & iuſtè poterit tabellio accipere ſibi incrementum, vſque ad limites iuſti pretij. Sciendum eſt enim creſcente pecunia decreſcere valorem illius ad cæteras res pecunia comparandas, atque adeò creſcere valorem cæterarum rerum compenſatione pecuniæ. Vnde cùm his temporibus, quod non erat antiquitus, excreuit pecunia, decreuit ex hoc valor illius, & creuit valor aliarum rerum, & ita niſi mutatio legum facilè fieri poteſt, vt pretium olim iuſtum, nunc ſit infra iuſtum infimum: hanc etiam opinionem tenet Tolet. in ſum. lib. 5. c. 62. num. 7. vbi aſſerit, Notarium non debere excedere pretium iuſtum inſtrumenti, hoc autem eſt frequenter lege taxatum. In qua taxatione, notandum eſt apud aliquas regiones exigi taxationes has ſecundùm pretia viliſſima, quia ſunt antiquiſſima, quando res minimo pretio emebantur, & tunc ipſa officia minus multo valebant, modò autem multum valent.



valent. Et quamuis iuſtè poſſit Notarius excedere illa taxata pretia, tamen vnum obſtat, nimirum iuramentum, quod ſingulis annis, aut in principio officij facit, puta obſeruandi illam taxationem, ob id peccat tranſgrediendo. Vnde ſanctiſſimè facerent Principes, ſi pretium conueniens habita temporum, & regionum ratione imponerent; aut tale iuramentum, quo multi illaqueantur, auferrent. Hæc Tolet. quem ſequitur Reginald. in praxi, tom. 2. lib. 25. c. 57. ſect. 3. n. 993.

Verùm ego puto, contra Toletum, neque Notarium, neque alios miniſtros virtute iuramenti teneri ad obſeruanda ea ſtatuta, & illas Pandectas; & ideo non peccare, quia in diſſuetudinem abierunt, vt iniuſta, & illud iuramentum eſt de ſolis ſtatutis ſeruandis, quatenus ea obligant. Ergo, ſi ex aliqua cauſa obligare deſinunt, ceſſabit iuramenti obligatio, eo quòd iam illa non ſunt ſtatuta, & iuramentum fuit illis acceſſorium, quatenus ſtatuta erant. Igitur iuramentum aliquod ſeruandi ſtatutum, intelligitur, quatenus illud iuſtum eſt, & obligatorium; non ergo obligabit illud iuramentum ad eam taxam, quatenus iniuſta eſt: & ita hanc opinionem in terminis tenet Sanchez in opere morali tom. 1. lib. 3. cap. 14. num. 14. & Molfeſ. in ſumm. tom. 2. tract. 12. c. 5. n. 67.

*An Bulla Pij V. contra Clericos ſodomitas, obliget in foro conſcientiæ, & ſit vſu recepta?*

RESOLVT. LXI.

OBligare putauit Nauar. in man. cap. 27. num. 249. & in hanc opinionem inclinat Gambarupta de caſibus reſeruatis caſ. 2. n. 4.

Sed contrariam ſententiam docuit Iac. de Graff. in ſuis dec. p. 1. lib. 2. c. 90. n. 4. & 5. vbi probat ſupradictam Extrauagantem tantùm pertinere ad forũ exterius. Et non eſſe in foro conſcientiæ vſu receptam, tradiderunt Belloch. in praxi de caſ. reſer. p. 2. q. 1. n. 221. Auila de cenſ. p. 7. diſp. 4. dub. 7. concl. 7. in fin. Henriq. in ſumm. lib. 14. c. 5. n. 1. & Proſper de Auguſt. ib addit. ad ſumm. Quaranta, ver. ſodomia, & ita aſſerit, reſpondiſſe multos viros doctos, & innuit Suarez de cenſ. diſp. 31. ſect. 4. n. 22. & abſolutè tenet Filliuc. de caſ. reſeru p. 2. c. 7. §. 1. n. 8. vbi teſtatur, quemdam ex Societate Ieſu teſtatum fuiſſe, Cardinalem Sabellinum Vicarium Romani Pontificis conſultum reſpondiſſe, hanc Bullam non eſſe vſu receptam. Sed quia fieri poteſt vt alicubi ſit vſu recepta, ideo quæritur.

*An Clericus incurrat in pœnas ſupradictæ Bullæ, ſi habeat rem cum aliqua muliere in vaſe præpoſtero?*

RESOLVT. LXII.

AFfirmatiuam ſententiam docent Sayrus de cenſ lib. 7. cap. 12. num. 23. Campanile in diuer. iur Can. rubr. 11. c. 22. n. 17. Garſias de beneſ tom 2. p. 11. c. 10. §. 2. num. 207. Proſper de Auguſt. in add ad ſum. Quaranta. ver ſodomia, & Aloyſ. Ricc. in praxi, p. 3. reſol. 60. num. 4. & p. 1. reſol. 302. num. 2. & in Collectaneis deciſ. part 5. collect. 1877. Ratio eſt, quia concubitus cũ fœmina in vaſe præpoſtero eſt verè ſodomia, vt tenet Homob in exam. Eccl. p. 1. tr. 7. c. 28. q. 114. Reginald. in praxi tom 2. l. 22. c. 3. ſect. 10. n. 49. Leſſius lib. 4. c. 3. dub. 13. n. 90. Llamas in ſum. p. 3. c. 8. §. 21. Menoch. lib. 2. de arbitrarijs cent. 3. caſ. 286. n. 5. qui citat Cardinal. Dec. Afflict. & alios, vide etiã Iul. Clarũ lib. 5. §. ſodomia, n. 23. & Lambertinum de iure patron. p. 1. lib. 2. in a. 1. principali, n. 3.

Et ideo Iac. de Graff. in praxi, lib. 1. cap. 11. num. 2. cum Riccio vbi ſuprà, & Gambarupta de caſ. reſer. caſ. 2. num. 3. Homobon. de caſ. reſer. p. 2. caſ 5 ſect 5. aſſerit, concubitum cum fœmina contra naturam, eſſe includendum in caſu reſeruato ſodomiæ.

At mihi contraria ſententia ſemper viſa eſt etiam probabilis, & probabilem etiam illam vocat Barboſa collect. tom. 2. li. 5. tit. 31. c. 4. n. 10. & in terminis noſtræ Bullæ eam docet Azor. p. 3. lib. 3. cap. 19. quæſ. 3. Floronus de caſ. reſer. p. 2. caſ. 7. §. 1. num. 9. & Belloch. vbi ſupra num. 19. vbi probant, Clericum non incurrere in pœnas huius Extrauagantis, ſi cognoſcat fœminam extra vas debitum. Ratio eſt, quia ſodomia eſt peccatum contra ſexum, & debitum inſtrumentum; ſed quando aliquis præpoſterè cognoſcit mulierem, ſi non ſeruat debitum vas, ſeruat tamen ſexum. Ergo non committit propriè ſodomiam. Et ita docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 154. art. 11. cum Caiet. Azor. vbi ſup. cap. 20. quæſ. 1. Tannerus in 2. 2. diſp. 3. q. 3. punct. 6. n. 149. Valent. tom. 3. diſp. 9. q. 3. punct. 3. Zanardus in direct. part. 2. præcept. 6. c. 10. Ioan. de la Cruz in director. conſc. p. 1. præc. 7. art. 7. dub. 8. concl. 1. Ledeſma p. 2. tract. 27. c. 15. concl. 1. Henriquez lib. 11. c. 17. num. 6. in gl. litt. A, & B. Bonac. tract. de matrim. q. 4. punct. 11. propoſ. 1. Filliuc. tom. 1. tract. 30. c. 8. n. 158. cum aliis.

Ex his apparet, me probabiliter olim reſpondiſſe, quemdam nõ incurriſſe in caſum reſeruatum ſodomiæ, dum habuit rem cũ muliere in vaſe præpoſtero: & ita tenent Syluius in D. Thom. 2. 2. c. 154. art. 12. Bonacina vbi ſuprà n. 5. Chapeauilla de caſ. reſeru c. 15. quæſ. 1. Summa Corona p. 2. c. 2. n. 16. Floronus de caſ reſer. p. 2. caſ. 7. n. 6. & Iac. de Graff. ſibi contrarius in tom. 2. lib. 5. conſ. 3. cum aliis.

*An Clericus incurrat in pœnas ſupradictæ Extrauagantis, ſi non emiſit ſemen intra vas.*

RESOLVT. LXIII.

REſpondeo negatiuè, & ita in terminis docuit Bellochius in praxi de caſ. reſ p. 2. q. 1. n. 20. Azor. p. 3. lib. 3. c. 19. q. 4. Salzedo in add. ad pract. crim. Diaz cap. 88. Iac. de Graff. in dec. p. 1. lib. 2. cap. 90. n. 11. Rodriquez in ſum. p. 1. cap. 208. Floronus de caſ reſ. part. 2. caſ. 7. n. 8. & 9. Sayrus de cenſ. lib. 6. c. 12. n. 23. Campanile in direct. iur. Can. rubr. 11. cap. 22. num. 14. Ledeſma in ſumm. tom. 2. tract. 27. cap. 15. concl. 4. Zanardus in Theol. part. 2. præc. 6. cap. 9. Chapeauilla de caſ. reſ. cap. 15. quæſ. 3. p. 2. Finellius de caſ. reſ. cap. 9. num. 6. Coriol. de caſ. reſeru. p. 2. caſ. 9. num. 26. in fin. Filliuc. tom. 1. tract. 17. c. 7. n. 127. Aloyſ. Ricc. in praxi, tom. 3. reſol. 67. n. 2. & p. 1. reſol. 392. n. 2. Proſper de Auguſt. in addit. ad ſumm. Quaranta, ver ſodomia. Suarez de cenſ. diſp. 31. ſect. 4. num. 21. Et ratio eſt, quia quando lex prohibet aliquod delictum, intelligit de delicto conſummato; ſed quando ſemen intra vas non immittitur, non dicitur ſodomia conſummata. Ergo, &c. Maior patet ex authoritate c. hæc autem diſt. 5. de pœn. & ex l. 1. §. hæc verba. ff quod quiſque iuris. Minor probatur ex communi DD. ſententia, qui aſſerunt non eſſe perfectè ſodomiam, quando maſculus habet rem cum maſculo, ſi non emittat ſemen intra vas. Vide Reginald. tom. 2. lib. 22. c. 3. ſect. 10. num. 49. Sanch de matrimon. tom. 3. lib. 10. diſp. ... num. 15. & alios.

Hinc rectè deducitur ad incurrendum caſum reſeruatum ſodomiæ neceſſarium eſſe, vt ſemen intra vas effundatur; ſin aliter, non erit propriè ſodomia, & per conſequens, nec caſus reſeruatus: Ita Bonac. de matrim. quæſt. 4. punct. 11. num. 2. Finellius de caſ. reſ. caſ. 9. n. 6. Chapeauilla cap. 25. quæſ. 1. Graffius tom. 1. lib. 5. conſ. 3. num. 20. de adulter. Homob. de caſ. reſ. part. 2. cap. 4. ſect. 1. & in exam. Eccleſ. part. 1. tract. 7. cap. 38. quæſ 114. vbi aſſerit, tunc ſodomiam eſſe caſum Epiſcopo reſeruatum, quando delictum eſt conſummatum, & perfectum, quod accidit, quando ſeminatio facta eſt in vaſe obſcœno; vel etiam, ex multorum ſententia, ſi membrum ex partibus pudendis extrahatur, & extra vas ſemen effundatur. Quæ quidem vltima verba ſunt valde annotanda, licèt aliqui contrarium ſentiant: nam in tali caſu ſodomia non eſt conſummata, ſed attentata. Ergo non eſt caſus reſeruatus; ſicut etiam non erit caſus reſeruatus, ſi membrum intra vas ponatur per multum ſpatium temporis, incipiendo, &

proſe

proſequendo actum ſodomiticum, ſed ſemen non effundatur. vide Molfeſ. in ſumm. tom. 1. tract. 7. cap. 20. caſ. 9. num. 09.

*An in pœnas dictæ Bullæ incidant Clerici, tam agentes vitium ſodomiticum, quàm patientes?*

RESOLVT. LXIV.

AFfirmatiuam ſententiam amplexus eſt Aloyſ. Riccius in praxi tom. 3. reſol. 57. n. 7. Floronus in tract. de caſ. reſ. p. 2. caſ. 7. §. 1. n. 6 Coriolan. tract. de caſ. reſ. part. 2. ca. 9. §. 10. n. 30 quia tam clericus agens, quàm patiens dicitur ſodomiam perpetrare: vnde iura, pœnas infligentia contra ſodomitas, loquuntur, tam in agente, quàm in patiente, vt conſtat ex authoritate l. cum vir. C. de adult. §. 1. in auth. vt non luxurientur contra naturam; & rectè quidem, nam im correlatiuis diſpoſitū in vno, cenſetur etiam diſpoſitum in alio ex illis; & ita Bonac. tract. de matrim. q. 4. punct. 11. n. 2 Finellius tract. de caſ. reſeru. caſ. 9 num 5. & alij putant in caſum reſeruatum ſodomiæ, incurrere tam agentem, quàm patientem.

Sed in contrarium poſſet aliquis dicere, patientes non poſſe propriè dici ſodomitas, ſed molles iuxta illud D. Pauli 1. Cor. 6. Neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores regnum Dei poſſidebunt. Vbi gloſſa ſic exponit, quam ſequitur D. Thom. in 1. 2. q. 138. art. 1. ad 1. & Caiet. in ſumm. ver. mollities, in fin. vbi aſſerit, quòd molles dupliciter dicuntur, vel quia patientes ſunt cum aliis, vel quia peragunt in ſe pollutionem voluntariam. Deinde tum ex diuerſitate vocabuli, tum ex diuerſitate pœnæ, tum ex grauitate ſceleris adeſt magna differentia inter agentem, & patientem; nam maius eſt peccatum agentis, quàm patientis, vt notauit D. Antonin. in ſumm. art. 3. tit. 17. cap. 17. §. 4. & in foro contentioſo, maior pœna imponitur agenti, quàm patienti. Vnde Iacob. de Graff. in pract. caſ. reſ. lib. 2. cap. 11. num. 7. 8. & 26. putauit, quòd reſeruatio caſus ſodomiæ extēdatur ſolùm ad agentem, & non ad patientem. An verò hæc opinio ſit probabilis, iudicent viri docti.

*An Clericus crimen ſodomiticum admittens ſemel, bis, aut ter; incurrat pœnas ſupradictæ Bullæ.*

RESOLVT. LXV.

AFfirmatiuam ſententiam tenuit Azeued. lib. 8. recop. leg. 1. tit. 21. n. 12. & 23. Ioan. de Vela de pœnis delict. cap. 33. Ceuallos in tract. de cognitione per viam violentiæ p 2 q. 87. num. 4. Ignatius de Salzedo in add. ad pract. crim. Bernardi Diaz. c. 8. litt. C. & poſt illum nouiſſimè Flauius Cherubinus in compendio Bullarij conſtit. 72. Pij V. ſchol. 2. & ex Theologis Aldrete in diſcip. relig. lib. 2. c 15. §. 5. n. 8. & hanc ſententiam probabilem vocat Ledeſma in ſumm. p. 2. tract. 27. par. 17. cap. 15. concl. 4. Ratio eſt, quia in laicis huius criminis frequentia minimè deſideretur, quare in clericis idem non erit iudicandum?

Deinde, licèt Pontifex in hac Bulla vtatur hoc verbo exercentes, tamen Pontifices in Canonicis decretis, tam rigidam, & exactam verborū proprietatem obſeruare non ſolent; & Pius V. in Extrauag. confirmat aliam editam anno 1. ſui Pontificatus, in qua non verbo exercentes, ſed perpetrantes vſus eſt. Ergo, &c.

Sed nimis rigida ſunt hæc; ideo negantem ſententiam docent communiter DD. Hi ſunt Madius in tract. de ſacris Ordinibus, cap. 22. n. 9 Bellochius in praxi de caſ. reſ p. 2. q. 1. n. 217 Homob. de caſ. reſ. p. 2. c. 4. ſect. 5. caſ.... Graſſi. in dec. p. 1. lib. 2. c 90. n. 12. Rodriq. in ſum. p. 1. cap. 208. n. 2. Floronus de caſ. reſ p 2. caſ. 7 §. 1. n 9. Sayrus de cenſ. lib. 7. cap. 12. n. 23. Campanile in diuer. iur. Canon. rubr. 11. cap 22. num. 11. Zanardus in direct. Theol p. . præcep. 9. c. 9. Finellius de caſ. reſeru. caſ. 9. n. 6. Azor. p. 3. lib. 3. c. 19. n. 2. Nauarrus in man. c. 27. n. 250. Auila de cenſur. p. 7. diſp. 4. concl. 7. Coriolan. de caſ. reſ. p. 2. caſ. 9. n. 25. Filliucius tom. 1. tract. 17. cap. 6. n. 127. Aloyſius Ricc. in praxi tom. 9. reſol. 58. n. 1. & p. 1. reſol. 302. n. 3. Suar. de cenſ. diſp. 31. Genuenſis in praxi Archiep. c. 97. n. . Proſper de Auguſt. in addit ad ſummam Quaranta, ver. ſodomia, lim. 4 & alij, qui aduerſùs Salzedum vbi ſuprà, & alios citatos ab Aldre. de diſcipl. Relig. lib. 2. cap. 15. §. 5. à n. 26. vſque ad 34. & Portel in dub. Regul. ver. Pœna, n. 6. aſſerunt non ſufficere vnicum lapſum, vel ſi bis, aut ter tale crimen commiſerit; nam Bulla Summ. Pontif. infligit has pœnas in clericos exercentes ſodomiam: at in iure intelliguntur hi, qui aliquid faciunt frequenti vſu, & continuato, ſicut non dicitur artifex, ſeu mercator, qui ſemel, aut iterum id exercet: ſed qui toties exercet, vt opinione vulgi habeatur pro tali. Et hanc opinionem inſinuat etiam Henriq. in ſum. lib. 14. c. 5. n. 1. in gloſſa F. Vide etiam Panorm. in cap. 1. n. 24. de iudic. & copioſè Floron. de caſ. reſ. vbi ſup. p. 2. caſ 3. n. 1. & ſeq. Hinc Genuenſis in praxi Archiepiſ. c. 18. n. 15. docet non eſſe denuntiandam mulierem, quæ ſemel maleficium fecit, aut ſuperſtitionem, niſi ſaperet hæreſim manifeſtè, & ſimplicitas, aut alia iuſta cauſa non excuſaret.

*An clericus incurrat in pœnas dictæ Bullæ, ſi vitium beſtialitatis commiſerit?*

RESOLVT. LXVI.

INcurrere putauit Aloyſius Ricc. in praxi tom. 3. reſol. 59. Campanile in diuer. iur. Can. rub. 11. cap. 22. n. 18. Roland. à Valle vol. 1. conſ. 7. n. 2. Ledeſma in ſum tom 2. tr. 27. c. 11. concl. 9 Vega in ſumm. tom. 2. cap. 102. caſ. 2. Homob. in exam. Eccl. p. 2. tract. 11. c. 12. n 26. Narbona in 3. p. recopil. lib 4. tit. 1. leg. 20 gl. 8. n. 13. Rodriq. in ſum. tom. 1. c. 208. n. 2. & Proſper de Auguſt. in add. ad ſummam Quaranta. ver. ſodomia, & nouiſſimè Belloch. de caſ. reſer. p. 2. q. 2. num. 39. Et ratio eſt, quia lex pœnalis extenditur de caſu ad caſum, quando militat eadem ratio, vt notat gl. in cap. 1. de temp. ord. ver. Italiæ quam Gloſſam ſingularem vocauit Abbas in c. nihil. de electione, & in c. finali, de reſcript. & alij.

At his non obſtantibus, puto clericum vitium beſtialitatis exercentem non incurrere in pœnas huius Bullæ; & ita tenet Barboſa in ſuis collect. tom. 2. lib. 5. tit. 31. cap. 4. n. 11. Garſias de benefic. tom. 2. p. 11. c 10. § 2. n. 205 & Bānez in 2. 2. q. 64. a 8. Et ratio eſt; nam beſtialitas non eſt propriè ſodomia, contra quam edita fuit hæc Bulla: & lex pœnalis non eſt extendenda ad caſum non expreſſum, etiāſi in illo eadem inueniatur ratio, maximè in foro cōſcientiæ, vt probat P. Miranda in man. Prælat. tract de monialibus, q. 2. a. 10. concluſ. 1. Sanchez de matrim. tom 3. lib. 10. diſp. 4. n. 3. Henriquez in ſumm lib. 7. c. 30. n. 4. in gl. litera C. Garſias vbi ſuprà n. 236. Caſtrus de leg. lib. 6 c. 3. n 5. & c. 4. n. 1 & alij.

Probatur hæc opinio exemplis. Nam in Clem. vnica, de conſang. & affin. excommunicantur Moniales profeſſæ cuicumque nubentes, & accipientes illas in vxores, & excommunicantur etiam profeſſi ineuntes matrimonium. Et tamen, vt notat Cardin. Ancharanus, & Bonifacius hîc, D. Antoninus p. 3. tit. 24. art. 34. Caiet. in ſumm ver. excommunicatio, c. 47. cum Sanch. de matr. tom. 2. lib. 7. diſp 48. n. 2. ſi aliqua fœmina ſæcularis iniret matrimonium cum profeſſo, non incideret in dictam excommunicationem, ſicut incideret in dictam excommunicationem vir ineundo matrimonium cum Moniali. Et tamen militat eadem ratio. Sed quia textus loquitur de maſculis nubentibus cum Monialibus, & non de fœminis nubentibus cum profeſſis, licet vt dixi, in vtriſque militet eadem ratio, tamen mulieres nubentes cum profeſſis non incurrerent in excommunicationem, quia lex pœnalis reſtringenda eſt, & non amplianda; etiam ex identitate rationis.

Secundò, in Concil. Trident ſeſſ. 25. de regul cap. 8. excommunicantur omnes, qui cogunt mulieres ad ingrediendum Monaſterium; & Sanch. in ſumm. tom. 1. lib. 4. c. 4. num. 3.



num. 3. cum Suarez, & Bannez aſſerunt ſub nomine mulierum non eſſe includendos viros. Et tamen etſi Concilium de ſolis cogentibus fœminas loquatur, eius ratio finalis, quæ eſt libertati ingreſſus conſulere, æquè procedit in viris coactis.

Tertiò, Religioſus adminiſtrans ſacramentum Pœnitentiæ, vel Baptiſmi, ſine licentia Parochi, non incurrit pœnas Clem. 1. de priuileg. quia dicta Clementina loquitur ſolum de ſacramentis Euchariſtiæ, Matrimonij, & Extremæ vnctionis. Et tamen in aliis ſacramentis Pœnitentiæ, & Baptiſmi eadem militat ratio. Ita Gloſſa, & Abbas ibidem, quibus adde Capel. Tholoſ. dec. 121.

Quartò, Gloſſa in Clement. 1. de decimis; vbi aſſerit conſtitutionem illam, qua punitur Religioſus fraudans decimas Eccleſiæ, non extendi ad Clericos ſæculares eadem facientes.

Quintò, etiam Gloſſa ver. ſuſpenſi. in c. finali, de offic. deleg. lib. 6. reſtringit pœnam dicti capitis ad ſolos conſeruatores, de quibus loquitur, dicens aliter eſſe in Delegato ſimilia faciente.

Sextò, eadem Gloſſa ver. moderatas, in fine in cap. ſtatutum, §. inſuper. de reſcr. pœnam d. c. loquentis de legato Papæ, non audet extendere ad delegatos ordinarij, eundem exceſſum, circa expenſas facientes.

Septimò, Greg XIII. excommunicauit ingredientes Monaſteria Monialium prætextu licentiarum: & tamen in hanc excommunicationem non incurrunt illi, qui dicta Monaſteria, ſine prætextu licentiarum ingrediuntur, vt infrà, Deo dante, videbimus: & docet Suarez de cenſ. diſp. 22. ſect. 6. n. 11.

Ex his omnibus apparet, legem pœnalem non eſſe extendendam de caſu ad caſum ex identitate rationis: vnde, vt ſuprà diximus, Clericus committens vitium beſtialitatis non incurrit in pœnas huius conſt. Pij V. quia eſt edita contra Clericos exercentes ſodomiam. Vndè apparet me rectè olim conſuluiſſe in caſibus reſeruatis, vtpote pœnalibus, ſtrictam debere fieri interpretationem. Et ita tradiderunt ex noſtris P. Naldus in ſumm. caſ. num. 3. Chapeauilla de caſ. reſ. cap. 6. quæſt. 1. Coriolan. etiam de caſ. reſ. p. 1. ſect. 1. art. 5. num. 4. Homobon. p. 1. de caſ. reſ. c. 2. Bonac. de matr. diſp. 4. punct. 11. n. 5. de Sacram. diſp. 5. q. 7. punct. 5. §. 3. n. 1. Reginald. in praxi, tom. 1. c. 11. ſect. 1. n. 127. & alij, aduerſùs Floronum tract. de caſ. reſ. p. 1. c. 1. n. 10. & 40. Finell. de caſ. reſ. c. 5. n. 3. & caſ. 4. n. 25. Graſſium in pract. lib. 1. c. 4. reg. 4. num. 25. & alios contrarium ſentientes. Sed tu tene primam ſententiam.

*Vtrùm ad incurrendas pœnas ſupradictæ Bullæ, exigatur ſententia Iudicis, ita vt ante illam Clerici dictas pœnas non incurrant in conſcientia?*

RESOLVT. XLVII.

DVbius in hac re manet Nauar. in man. c. 27. n. 250. & potius videtur inclinare, quòd dictæ pœnæ incurrantur in foro conſcientiæ. Ratio eſt, quia Pontifex in textu Bullæ dicit, Priuamus; quod verbum, cùm ſit præſentis temporis, continet ſententiam latam.

Sed hæc ſententia admodum dura, & rigoroſa eſt; vnde mihi contraria vera videtur, quam tuentur, & docent Sayr. de cenſ. lib. 7. cap. 12. n. 24. Homobon. de exam. Eccl. part. 1. tract. 11. c. 12. q. 26. Sanchez de matr. tom. 2. lib. 7. diſp. 46. n. 28. qui citat Graſſium, Vegam & Rodrig. Auila de cenſ. p. 7. diſp. 4. dub. 7. concl. 7. Henriquez lib. 14. c. 5. num. 1. in gloſſ. lit. F. Homob. de Bonis in exam. Theol. p. 1. tract. 5. c. 8. q. 15. Floron. de caſ. reſ. p. 2. caſ. 7. §. 1. n. 8. Bonac. de matrim. q. 4. punct. 11. n. 2. Finell. de caſ. reſ. caſ. 9. n. 6. Azor. p. 3. lib. 3. c. 19. q. 5. Zanard. in direct. p. 2. præc. 6. cap. 9. Suar. de cenſ. diſp. 31. ſect. 4. n. 22. Filliuc. tom. 1. tract. 17. n. 127. & alij.

Probatur hæc opinio ex principiis de legibus; nam lex pœnalis, quæ non poteſt executioni demandari, abſque hominis actione, etiamſi ſi ipſo iure, vel ipſo facto feratur; vel etiam dicatur nulla, expectata declaratione ante iudicis condemnationem, non obligat. Et ratio eſt, quia vſu, & conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres, receptum eſt, vt nullus ſe priuet re antea obtenta, niſi declaratoria criminis ſententia à Iudice feratur. Secundò, ſi talis lex obligaret ante Iudicis ſententiam, eſſet nimis acerba: cogeret enim homines ad ſe prodendum, & ad exequendum in ſe duriſſimam pœnam, ad quod nulla lex obligat: leges enim humanæ faciles, & tolerabiles eſſe debent, & humanæ imbecillitati accommodatæ. Ita Vaſquez in p. 2. tom. 2. diſput. 168. num. 14. Couarr. in 4. p. 2. §. 8. n. 3. illat. 3. Becan. in p. 2. tract. 3. cap. 2. & Molina de iuſt. tom. 1. tract. 2. diſp. 95. n. 14. poſt citatos 10. Doctores aſſerit hanc ſententiam eſſe communem inter Theologos, & Iuriſperitos: & etiam pro illa citat 43. Doctores Salas de legibus diſp. 15. ſect. 2. num. 38. vide etiam Villalob. in ſumm. tract. 2. diffic. 26. n. 2. Molfeſ. in ſumm. tom. 1. tract. 9. c. 9. n. 35. Lorca in p. 2. tom. 2. diſput. 24. de legibus, Leſſium lib. 2. cap. 29. dub. 8. n. 63. Suarez de legib. lib. 5. c. 5. & ſeq. Ioan. de la Cruz in direct. conſc. p. 1. in princ. dub. 3. de legibus.

Ex his deducitur reſolutio multorum caſuum. Et primò habetur intelligentia pœnarum appoſitarum in Bulla Sixti V. contra Clericos non deferentes habitum, & in Bulla Clem. VIII. contra Religioſos munera largientes: in illas enim nullus incurrit, niſi poſt iudicis ſententiam. Ita Molfeſ. vbi ſuprà. Secundò leges ponentes taxam tritico, & pœnas contrauenientibus, non obligant ante iudicis condemnatoriam ſententiam: tenentur quidem venditores reſtituere exceſſum pretij, non autem ad pœnam, niſi à iudice condemnentur. Ita Villalob. vbi ſup. n. 3. Item tertiò Beneficiarius poteſt beneficium retinere, donec declaretur delictum, propter quod priuatus eſt ipſo facto beneficio, niſi fortè in lege dicat, pœnam in foro conſcientiæ ſtatim ſubeundam eſſe. Surd. deciſ. 247. per tot. & Azor. part. 1. lib. 5. c. 7. q. 6. & alij. Quartò, Rectores Eccleſium alienantes bona Eccleſiaſtica, ſine ſolemnitatibus neceſſariis, non tenentur abdicare beneficia, per Extrauag. ambitioſæ. ante iudicis latam ſententiam, quia dicta Bulla ita fuit vſu recepta: ſic Nauar. in man. c. 27. n. 110. & Sanch. in ſumm. tom. 1. lib. 2. c. 22. n. 20. cum aliis. Quintò, idem dicendum videtur de Religioſis, qui admittunt mulieres intra ſepta Monaſterij ex Motu proprio Pij V. Ita Rodriquez in explicat. dictæ Bullæ n. 32. Item ſextò, ſuperiorem alicuius Religionis, incidentem in aliquem caſum abſolutionis, ſeu priuationis ipſo facto Prioratus, etiam ſi palam conſtet de crimine, dicendum eſt non incurrere dictam pœnam, donec per ſuperiorem declaretur, & conſequenter tuta conſcientia in eo manere poſſe, nec licere ſubditis illum expellere à Gubernatione. Ita Ioan. Val. in differentiis vtriuſque fori, ver. pœna, differ. 20. n. 4. Item ſeptimò, hæretici, & alij, quorum bona ipſo iure publicantur, non tenentur ante iudicis ſententiam dicta bona reſtituere fiſco. Ita Sanchez in ſumm. tom. 1. lib. 2. c. 20 num. 7 qui 33. Doctores citat, tenentes hanc ſententiam, & nouiſſimè Sanctarell. tract. de hæreſi cap. 21. dub. 1. num. 6. Dicendum eſt igitur, Clericos ſodomitas non incurrere in pœnas Bullæ Pij V. ante ſententiam iudicis declaratoriam.

*Praxis pro confeſſariis circa abſolutionem, Clericis ſodomitis impertiendam?*

RESOLVT. XLVIII.

SI Clericus non exerceat ſodomiam, eſt ſine dubio abſoluendus. Si exerceat, aliqui putant eſſe abſoluendum, dum per Confeſſarium, vel alium virum ſecretum procuretur noua prouiſio beneficij, dignitatis, officij, &c. Sed ego puto, ſine vllo metu abſolui poſſe abſque noua prouiſione. Quia, vt diximus, in foro conſcientiæ non obligatur ad ferendam pœnam latam per iſtam Extrauagantem, ſi non præcedat ſententia iudicis declaratoria.

Et

Et cùm in prima reſol. diximus dictam Extrauagantem in foro interiori non fuiſſe vſu receptam; ideo dicendum eſt abſolute, tali Clerico ſodomitæ, ſi ſit contritus, etiam retento beneficio, officio, & dignitate, abſolutionem omnino impertiendam eſſe.

*An Clericus ſodomita occultus, ſit ſuſpenſus; & ſi celebret, incurrat in irregularitatem?*

RESOLVT. LXIX.

HVnc Clericum eſſe ſuſpenſum ipſo iure ab executione ordinis, licèt ſit occultus, vnde ſi poſtea miniſtret, etiam poſt peractam pœnitentiam effici irregularem, in qua irregularitate ſolus Papa diſpenſare poteſt, putauit Couarr. *in Clem. ſi furioſus, part.* 1. §. 1. *n.* 6. Foller. *in praxi crim. canon. p.* 6. *c.* 37. *n.* 11. Iul. Clarus *in* §. *ſodomia, num.* 5. Franc. Marc. *part.* 2. *dec.* 687. *n.* 16. Lambertin. *de iure patron. p.* 1. *lib.* 2. *q.* 2. *art.* 18. *n.* 4. Salzedo *in add. ad pract. crim. Bernardi Diaz, c.* 88. cum multis aliis citatis à P. Henriq. *lib.* 3. *c.* 36. *n.* 1. *in Gloſſa lit. M.* & à Petro Cenedo *in collect. ad ius Canon. par.* 2. *collect.* 130. *num.* 1. & hoc aſſerunt accidere, non ob canones, & iura, quia nulla ſunt, quæ inducant talem irregularitatem, ſed propter enormitatem, & grauitatem criminis.

Sed hæc ſententia meritò ab omnibus reiicitur. Et ratio eſt clara, quia nullum crimen, quamuis enorme, inducit irregularitatem, ſi non ſit notorium, præter homicidium: hoc enim licèt occultiſſimum, irregularitatem inducit. Et hoc patet ex *c. ex tenore, de tempor. ordinat.* vbi dicitur, ex nullo crimine quantumcumque graui, etiam degradatione digno, inducitur ſuſpenſio vel irregularitas in ſuſceptis, vel ſuſcipiendis ordinibus. Hoc etiam probatur ex *cap. fin. eod. tit.* vbi dicitur, quòd propter grauiſſima crimina, vt adulterium, periurium, &c. excepto homicidio, non debet quis poſt pœnitentiam ab vſu, vel ſuſceptione ordinum impediri, niſi in iudicio comprobata, vel aliàs notoria fuerint. Et ita hanc ſententiam docet Henriq. *vbi ſuprà, & lib.* 14. *cap.* 4. *n.* 1. *lit. F.* Auila *de cenſur. p.* 7. *diſp.* 4. *dub.* 7. *concl.* 7. Floron. *tr. de caſ. reſer. p.* 2. *caſ.* 7. §. 1. *n.* 7. Sayrus *de cenſ. lib.* 1. *c.* 12. *n.* 22. Finell. *de caſ. reſer. caſ.* 9. *num.* 6. cum multis aliis, quos citat, & ſequitur Barboſa *in collect. tom.* 2. *lib.* 5. *tit.* 31. *c.* 4. *n.* 5. Garſias *tract. de benef. tom.* 2. *p.* 11. *n.* 15. Vide etiam Ortiz *in ſumm. c.* 17. *n.* 114.

Ad argumentum Gouarru. & aliorum reſpondetur, quòd nulla irregularitas poteſt induci, niſi expreſſa in iure inueniatur. *cap. is qui, de ſent. excom. in* 6. ſed nullum crimen, vt ſuprà probauimus, quantumuis enorme, inducit irregularitatem, niſi ſit notorium. Ergo, &c. Et hæc dicta ſufficiant circa Bullam Pij V. contra Clericos ſodomitas.

*FINIS.*



# INDEX

## Rerum omnium notabilium, quæ in I. & II. harum Reſolutionum Partibus continentur.

### A.

ABBATISSA an poſſit concedere Monialibus licentiam donandi, quam poteſt Prælatus Religionis ſuis Religioſis. tractat. 6. reſol. 22. pag. 86

Abſolutio ab hæreſi occulta an ſit danda à Confeſſario virtute alicuius Iubilei. tract. 5. reſol. 1. 75

Abſolutio ab hæreſi occulta an poſſit concedi ab Epiſcopo vigore Concilij Trident. Vide, *Epiſcopi.*

Abſolutio ab hæreſi an poſſit concedi ab Inquiſitoribus, vt ſingulis, an verò à toto Conſiſtorio. tract. 5. reſol. 3. in princ. & verſ. *Notandum.* p. 77

Abſolutio ab hæreſi in articulo mortis an à quolibet Sacerdote poſſit concedi: & quid præſente Epiſcopo, vel Inquiſitore. Vide, *Hæreticus.* Vbi quid, ſi ſuperuiuat.

Abſolutio ab hæreſi occulta an poſſit dari à Prælatis Regularibus eorum ſubditis. tract. 5. reſol. 6. p. 78

Abſolutio à caſibus contentis in Edicto Inquiſitorum virtute Bullæ Cruciatæ, excepta tantùm hæreſi, an poſſit dari à Confeſſario. Vide, *Confeſſarius.*

Abſolutio à caſibus contentis in Edicto Inquiſitorum, excepta tantùm hæreſi, an poſſit dari à Regularibus virtute ſuorum priuilegiorum. tract. 5. reſol. 8. p. 80

Abſolutio an ſit danda Hæretico, qui ducitur ad comburendum, & moritur negatiuus. tract. 5. reſol. 8. verſ. *Pro coronide.* p. 80

Abſolutio an poſſit à Confeſſario differri pœnitenti propter conſuetudinem peccandi, vel propter occaſionem proximam. tract. 7. reſol. 55. p. 107. Et an talis abſolutio poſſit denegari habenti conſuetudinem iurandi. verſ. *Deducitur.* p. 108

Abſolutio à cenſuris an ſit danda à Confeſſario electo virtute Bullæ Cruciatæ, pœnitenti, qui ſolùm ſatisfecit Clerico, vel Monacho percuſſo. Vide, *Confeſſarius.*

Abſolutio à cenſuris an ſit danda à Confeſſario electo, virtute Bullæ Cruciatæ, pœnitenti, qui non poteſt ſatisfacere parti. Vide, *Confeſſarius.*

Abſolutio à cenſuris, virtute Bullæ Cruciatæ, & Iubilei, an poſsit dari extra Confeſsionem. tract. 11. reſol. 25. p. 177

Abſolutio an ſit concedenda virtute Bullæ Cruciatæ excommunicatis nominatim, vel publicis percuſſoribus Clericorum, vel alij, cuius excommunicatio deducta ſit in foro contentioſo, & lis non eſt finita. tr. 11. reſol. 26. p. 178

Abſolutio cenſurarum virtute Bullæ Cruciatæ an valeat in foro exteriori. tractat. 11. reſol. 26. verſ. *Sed his.* Et quid poſsit facere iudex in hoc caſu. verſ. *Aduertant.* Et quid in abſolutione cenſurarum à iure. verſ. *Notandum eſt.* p. 178

Abſolutio in articulo mortis an poſsit dari petenti Confeſsionem à Confeſſario ſub conditione, & an etiam ſine conditione. tract. 13. reſolut. 13. verſ. *Imò exiſtimo.* Et an vnicus teſtis ſufficeret teſtando infirmum ſigna pœnitentiæ indicaſſe. Et an oporteat, talem teſtem iurare, & eſſe Chriſtianum. ibid. verſ. *Notandum eſt.*

Abſolutus virtute Bullæ Cruciatæ ab excommunicatione ſine ſatisfactione partis, an teneatur verum confiteri, tanquam non legitimè, ſed nulliter abſolutus. tractat. 11. reſolut. 22. p. 176. & 177. Et quid comprehendatur ſub nomine partis; Et quid ſub nomine ſatisfactionis. verſ. *Notandum.* p. 177

Abſolutio excommunicationis contra contrauenientes Conſtitutioni Pap. Greg. XV. circa immunitatem Eccleſiæ, an ſit tantùm reſeruata Summo Pontifici, an verò poſſit etiam concedi ab Epiſcopo. Vide, *Contrauenientes.*

Abſolutio excommunicationis incurſæ à percutiente Clericum calcibus in publica platea, an poſſit obtineri ab Epiſcopo; an verò ſit obtinenda à Papa. Vide, *Percuſſor.*

Abſolutio excommunicationis occultæ ingredientium ſepta Monaſterij, & cum aliqua virgine ſacra inceſtum committentium, contra Conſt. Greg. XIII. an poſſit obtineri ab Epiſcopo, vel à Confeſſario virtute Bullæ Cruciatæ. tract. 16. reſol. 33. p. 277

Abſolutio peccatorum an ſit à Confeſſario impertienda pœnitenti, toties, quoties eam petierit, quando nullus apparet profectus. tr. 16. reſ. 45. verſ. *Sed difficultas eſt.* p. 281

Abſolutio an ſit à Confeſſario deneganda pœnitenti propter recidiuum, ſi pœnitens habeat dolorem de præterito, & propoſitum de futuro. tract. 16. reſ. 45. verſ. *Si verò aduersùs Sancium.* p. 281

Abſolutio an ſit à Confeſſario deneganda pœnitenti condemnato in triremibus, toto tempore eius vitæ, ſi habet ſemper voluntatem continuam, quamprimùm fugiendi. tract. 17. reſol. 39. p. 300. & 301

Abſolutio an ſit à Confeſſario impertienda Clerico ſodomitæ. Vide, *Clericus.*

Acta an poſſint tranſcribi in diebus feſtiuis à Notariis, Commiſſariis, Officialibus Curiæ, & ab aliis tranſcribentibus ſermones Prædicatorum, & allegationes Doctorum pro mercede. tract. 15. reſol. 35. p. 248

Adulterij crimen quando ſit mixti fori. tr. 2. reſol. 86. p. 45

Adulter qui ſuſcepit filium, relinquens illum inter filios legitimos mariti adulteræ, an præter alimenta teneatur etiam reſarcire damna legitimis hæredibus. tract. 17. reſol. 55. p. 306. Et quid ſi agnoſcat prolem ſuam. verſ. *Verùm Dominicus.* p. 306

Adultera ſi procurauit abortum, adulter non dicitur cauſa homicidij, quia ipſe ſuppeditauit prolem, niſi ſuaſiſſet, vel adiuuiſſet. tract. 17. reſ. 55. verſ. *Qui affert.* p. 306

Aduocatus an teneatur ieiunare. Vide, *Ieiunare.*

Aduocatus an poſſit conſulere ſecundùm opinionem probabilem, relicta probabiliori; Et quid in cauſa ſanguinis, vel amiſſionis omnium bonorum. tr. 13. reſol. 4. p. 211

Aduocatus an poſſit ſequi opinionem Antonij Fabri, Cuiacij, & ſimilium Iuriſconſultorum. Vide, *Opinio.*

Aduocatus an poſſit patrocinari non ſolùm in cauſa probabili, ſed etiam in cauſa dubia. tractat. 13. reſolut. 3. p. 211

Aduocati, & Procuratores conducti ab aliquo cliente ſub certa annua mercede ad patrocinandum in omnibus eius cauſis, ſi nullas cauſas habuerint, an poſſint petere ſalarium. tract. 15. reſol. 42. p. 250

Aduocatus an teneatur de culpa leui. tract. 15. reſol. 59. p. 259

Agens, ſeu reſpondens in cambio an debeat eſſe mercator, ſeu perſona diues. tract. 8. reſol. 3. p. 112

Alienatio rei eccleſiaſticæ facta à Rectoribus in euidentem Eccleſiæ vtilitatem, ſaluo aſſenſu Sedis apoſtolicæ, ſi ante aſſenſum obtentum fuit tradita poſſeſſio, an ſit nulla? Et Rectores an inciderint in excommunicationem Paulinæ *Ambitioſæ*. tract. 8. reſol. 77. p. 135

Alimenta an debeantur filio ſpurio; Et an hæc cauſa ſit mixti fori tract. 1. reſol. 86. p. 45. Et alimentorum appellatione iſto caſu, quæ veniant. ibid. verſ. *Notandum*. p. 45. Et an debeantur conſideratis diuitiis paternis, & eius qualitate, & dignitate. verſ. *Sed difficultas*. p. 55. Inſuper, quæ dicuntur de parentibus erga filios, an dicantur etiam de filiis erga parentes. verſ. *Id verò*. p. 45

Annus incœptus habetur pro completo: ſed an ſufficiat, vt per medium diem dicatur inchoatus pro Ordinibus maioribus ſuſcipiendis. tract. 16. reſol. 27. verſ. *Notandum eſt*. p. 275.

Apoſtata à Religione an gaudeat immunitate Eccleſiæ, tract. 1. reſol. 23. p. 7.

Apoſtata ſe confitendo, an debeat explanare ſe eſſe apoſtatam: an verò ſufficiat dicere: Lapſus ſum in hæreſim, tract. 7. reſol. 54. p. 107

Appellationes, quæ dicuntur tuitiuæ, à Iudicibus laïcis in cauſis eccleſiaſticis an concedantur; & an offendant libertatem eccleſiaſticam. tract. 2. reſol. 103. p. 48.

Aſſaſſinium an dicatur, ſi quis ex mandato alterius, pecunia mediante, occidit communem inimicum, vel ipſo mandante præſente. tract. 1. reſol. 18. verſ. *Item gaudebit*. p. 6. Et an gaudeat immunitate Eccleſiæ.

Attentans extrahere per vim, ſeu ab Eccleſia, an incidat in pœnas Conſtitutionis Pap. Greg. XIV. de immunitate Eccleſiarum. tract. 1. reſol. 15. p. 5

Attentans occidere aliquem proditoriè, effectu, & morte non ſequuta, an gaudeat immunitate Eccleſiæ. tract. 1. reſol. 18. p. 6

## B.

BAptiſmus an poſſit dari puero exiſtenti in vtero matris tract. 15. reſol. 43. p. 250. & 251

Baptiſmus an liceat dari infantibus filiis Infidelium, inuitis parentibus. tract. 15. reſol. 45. p. 251

Baptiſmi forma, & modus baptizandi an debeat ſciri ab obſtetricibus. tract. 15. reſol. 46. p. 252

Baptiſmi forma ſi omittatur in iſtis particulis, ſcilicet, *In*, & *Et*, an Sacramentum conficiatur, & ita quis baptizando an peccet mortaliter, tract. 15. reſol. 47. p. 252. Et quid ſi prædictæ formæ aliquid addatur, an conficiatur Sacramentum. tract. 15. reſol. 48.

Baptiſmus adminiſtratus verbis Italicis ſub hac forma: *Io ti battizzo col nome del Padre, col nome del Figliuolo. e col nome del Spirito Santo*, an ſit validus. tract. 17. reſ. 15. pag. 291

Barbitonſores an teneantur ieiunare. Vide, *Ieiunare*.

Barbitonſores in diebus feſtiuis an poſſint tondere omnes, qui ad eos accedunt. tract. 15. reſol. 34. verſ. *Quoad ſecunda*. p. 247

Barones plures Regni an poſſint conſtituere vnum, aut alterum Procuratorem, ad effectum intrandi in Parlamentum. Vide, *Vniuerſitates*.

Beneficij parochialis appellatione, quæ beneficia includantur. tract. 11. reſol. 8. verſ. *Notandum eſt etiam*. p. 162

Beſtialitas non eſt propriè ſodomia. tract. 17. reſol. 66. verſ. *At his non obſtantibus*. p. 310

Blaſphemiæ diuerſæ an ſint in Confeſſione aperiendæ. Et quid, ſi blaſphemia procederet ex odio Dei formali, aut contineret hæreſim. tract. 7. reſol. 50. p. 106

Blaſphemiæ plures vnico actu prolatæ contra Deum & Sanctos, an in Confeſſione ſint aperiendæ? Et quid ſi blaſphemia procederet ex odio Dei formali, aut contineret hæreſim. tract. 7. reſol. 50. p. 106

Bona fides operatur, vt celebrans contractum vſurarium, credens iuſtum, poſſit tantum retinere lucri, quantum acquiſiuiſſet per contractum licitum. tract. 8. reſol. 47. verſ. *Sed contraria*. p. 123

Bulla Pap. Gregor. XIV. de immunitate Eccleſiarum, an ſit derogatoria Iuris communis, & conſuetudinum. Vide, *Conſtitutio*.

Bulla Pap. Clem. VIII. de largitione munerum, de paupertate Religioſa, an ſit vſu recepta. tract. 6. reſol. 1. p. 80. Et quot ſint cauſæ finales dictæ Bullæ. tract. 6. reſolut. 12. p. 83

Bulla prædicta Clem. VIII. an ſit introductiua iuris noui tract. 6. reſolut. 2. Et circa quæ. ibid. verſ. *Solùm*. p. 80. & 81.

Bulla prædicta Clem. XIII. an vendicet ſibi locum, ſi Religioſus, vel Monialis det eleemoſynam. tract. 6. reſol. 11. p. 83.

Bulla Cœnæ Domini vbi non eſt vſu recepta, an obliget in conſcientia. tract. 10. reſol. 1. verſ. *Vnde Puteanus*. pag. 156

Bulla Clem. VIII. de largitione munerum, cùm dubitetur, an ſit vſu recepta, ſtante ſupradicta dubitatione, ſi aliquis contra illam aliquid efficeret, an incurreret in pœnas illius. Idem in Bulla Paul. II. in Extrauag. *Ambitioſæ*. de alienat. bonor. eccleſiaſt. tract. 10. reſolut. 3. verſ. *Sed, vt dixi*. p. 156

Bulla Pap. Greg. XIII. contra Clericos ſodomitas, non extenditur contra Clericum abutentem fœmina in vaſe præpoſtero. tr. 10. reſol. 26. verſ. *Vnde ex his*. p. 164. & 165

Bulla Cruciatæ, quæ fuit capta in Regno, ſi capiens reperiatur extra regnum, an illi deſeruiat quoad omnia indulta in ea contenta. tract. 11. reſol. 1. p. 170

Bulla Cruciatæ dat priuilegium, vt tempore interdicto poſſit quis audire Miſſam: ſed an illum obliget, vt teneatur audire ſub pœna peccati mortalis. tract. 11. reſol. 2. pag. 170.

Bulla Cruciatæ an det priuilegium illam ſumentibus, vt in ieiuniis alicuius Iubilei poſſint edere lacticinia, tract. 11. reſol. 3. p. 170

Bullæ Cruciatæ priuilegium, quo quis diſpenſatur in eſu carnium, an operetur, vt cenſeatur diſpenſatus ad ieiunandum. tract. 11. reſol. 4. 171

Bulla Cruciatæ ſumpta à Regularibus, & Presbyteris, an concedat, vt ipſi in diebus Dominicis quadrageſimalibus poſſint vti lacticiniis tract. 11. reſol. 5. p. 171

Bulla Cruciatæ vt operetur, quando quis eam ſuſcipit, an debeat eſſe in gratia tract. 11. reſol. 6. p. 171.

Bulla Cruciatæ dat priuilegium, vt poſſit eligi Confeſſarius, dummodo ſit approbatus ab Ordinario. Sed quid, ſi ſit approbatus in vna Diœceſi, & reperiatur in alia, an poſſit eligi abſque noua approbatione Ordinarij illius loci, in quo reperitur. Vide, *Confeſſarius*. Vbi etiam habebis, qui includantur ſub nomine Ordinarij.

Bulla Cruciatæ an concedat, vt quis poſſit eligere in Confeſſarium habentem beneficium curatum. tract. 11. reſol. 8. p. 172. Et quid ſi habeat beneficium curatum, & illud renunciauit, vbi ſupra, verſ. *Notandum eſt tamen*. p. 172.

Bulla Cruciatæ an concedat, vt approbatus ab Epiſcopo cum limitatione ex defectu ætatis ad confeſſiones virorum, & non mulierum, poſſit eligi, non ſolùm à viris, ſed etiam à fœminis. Et an peccet talis Confeſſarius contra faciendo. Vide, *Confeſſarius*.

Bulla Cruciatæ an concedat, vt Confeſſarius approbatus pro vno oppido poſſit eligi à pœnitente in alio oppido. tract. 11. reſol. 10. p. 172

Bulla Cruciatæ an permittat, vt approbatus ad tempus poſſit eligi tranſacto tempore. Vide *Confeſſarius*.

Bulla Cruciatæ an permittat, vt qui olim fuit approbatus ab Ordinario, & poſteà reprobatus ſine cauſa, & illegitimè, poſſit eligi in Confeſſarium. tract. 11. reſol. 12. p. 173





Bulla Cruciatæ an permittat, vt poſſit eligi Confeſſarius Regularis approbatus ab Epiſcopo, ſed prohibitus à Prælato Religionis? Et an peccaret confitendo iſte prohibitus. Vide, *Confeſſarius*. Vbi etiam, an talis abſoluere poſſet pœnitentes ab illis caſibus, à quibus abſoluere poteſt ex vi priuilegiorum Religionis.

Bulla Cruciatæ an concedat, vt Regulares ſine licentia ſuorum Prælatorum virtute dictæ Bullæ poſſint eligere Confeſſarium, vt illos abſoluat à peccatis, caſibus reſeruatis, & à cenſuris. tract. 11. reſol. 14. p. 173. & 174

Bullam an poſſint ſumere Nouitij Regularium, vt virtute ipſius poſsint abſolui à caſibus reſeruatis. tract. 11. reſol. 15. p. 174

Bulla Cruciatæ an proſit peccanti ob ſpem abſolutionis Bullæ, & idem quæri poteſt de Iubileo. tract. 11. reſolut. 16. p. 174

Bulla Cruciatæ an concedat, vt quis poſſit abſolui à reſeruatis, & cenſuris, non ſolùm ante, ſed etiam poſt ipſius ſuſceptionem incurſis. tract. 11. reſol. 17. p. 174. & 175. Idem quæritur de commutatione votorum.

Bulla Cruciatæ an poſsit operari, vt quis ex libito ab vno Confeſſario abſolutionem obtineat à reſeruatis, & cenſuris, & ab alio poſteà commutationem votorum. tract. 11. reſol. 17. verſ. *Notandum eſt etiam*. p. 175

Bulla Cruciatæ ſeu Iubileum, quæ dant licentiam pœnitenti eligendi Confeſſarium, vt eum abſoluat à reſeruatis, & cenſuris, aut ſi fecerit confeſsionem inualidam obtinendo abſolutionem à reſeruatis, an operetur, vt dicta peccata non ſint ampliùs reſeruata, ita vt poſteà poſsit à quocunque Confeſſario ab illis abſolui. tract. 11. reſol. 18. p. 175

Bulla Cruciatæ an operetur, vt quis ſemel abſolutus à peccatis reſeruatis oblitis, à Confeſſario ab eo electo, virtute dictæ Bullæ, ſi illorum recordetur, non teneatur recurrere ad Superiorem legitimum, vt iterum confiteatur dicta peccata oblita, & obtinere abſolutionem; an verò poſsit abſolui à quocunque Confeſſario. tract. 11. reſol. 19. p. 175

Bulla Cruciatæ an det facultatem eligendi Sacerdotem, vt poſsit ab eo accipere Euchariſtiam, & extremam Vnctionem. tract. 11. reſol. 20. p. 176

Bulla Cruciatæ, quæ concedit commutationem votorum, an permittat, vt hæc commutatio partim fieri poſsit in aliquod temporale ſubſidium, & partim in aliquod virtutum opus. Et quid in diuite? & quid in paupere? Vide, *Vota*.

Bulla Cruciatæ concedens abſolutionem ab excommunicatione, an illam poteſtatem concedat ſine ſatisfactione partis, an verò pœnitens teneatur iterum confiteri, tanquam non legitimè, ſed nulliter abſolutus. tract. 11. reſol. 22. p. 176. & 177

Bulla Cruciatæ an concedat poteſtatem Confeſſario abſoluendi à cenſuris illum, qui ſolùm ſatisfecit Clerico, vel Monacho percuſſo. tract. 11. reſol. 23. p. 177

Bulla Cruciatæ an det facultatem Confeſſario abſoluendi illum à cenſuris, qui non poteſt ſatisfacere parti. tract. 11. reſol. 24. p. 177

Bulla Cruciatæ an concedat poteſtatem abſoluendi à cenſuris extra confeſsionem. tract. 11. reſol. 25. Vbi quid in Iubileo. p. 177. & 178

Bulla Cruciatæ an concedat facultatem abſoluendi excommunicatos nominatim, vel publicos percuſſores Clericorum, vel alium, cuius excommunicatio deducta eſt in forum exterius, & lis non eſt finita. Vide, *Abſolutio*.

Bulla Cruciatæ an det licentiam abſoluendi à cenſuris in foro exteriori. Et quid poſsit facere Iudex in hoc caſu. Et quid in abſolutione cenſurarum à iure. Vide, *Abſolutio*

Bulla Cruciatæ an concedat facultatem diſpenſandi omnem irregularitatem, quæ eſt pœna. tract. 11. reſol. 27. p. 178. & 179

Bulla Cruciatæ an concedat Confeſſario facultatem abſoluendi pœnitentem pluries à caſibus reſeruatis Summo Pontifici. Et quid ſi illi caſus eſſent occulti. Vide, *Confeſſarius*.

Bulla Cruciatæ concedens facultatem Confeſſariis abſoluendi à caſibus Bullæ Cœnæ, hæreſi excepta, ſemel in vita, & ſemel in morte, an comprehendat alios caſus poſitos in primo canone Bullæ Cœnæ, tanquam incluſos ſub nomine hæreſis, ita vt per dictam Bullam Cruciatæ non poſsint abſolui. tract. 11. reſolut. 29. pag. 179. & 180

Bulla Cruciatæ an concedat licentiam abſoluendi legentes libros hæreticos. tract. 11. reſolut. 30. verſ. *Sed etiam*. p. 180

Bulla Cruciatæ an ſit neceſſaria in abſoluendo legentem librum hæreticum, qui non tractat de religione ex profeſſo, neque continet multas hæreſes, ſed vnam tantùm, tanquam excommunicatum in Bulla Cœnæ. tract. 11. reſol. 31. p. 180. Et quid de legente librum Catholici cum Commentariis Hæreticorum. tract. 11. reſolut. 32. pag. 180

Bulla Cruciatæ an ſit neceſſaria pro abſolutione illius, qui non per ſe ipſum, ſed per alium librum hæreticum legit. tract. 11. reſol. 33. p. 180. Et an ſit neceſſaria pro abſolutione illius, qui de mandato alicuius legit. ibidem, verſ. *Incurret verò*, & quid ſi fuerit compulſus. verſ. *Nota verò*. p. 181

Bulla Cruciatæ an ſit neceſſaria pro abſolutione legentis epiſtolam miſsiuam alicuius Hæretici, in qua aliquam hæreſim doceret. Vide, *Legens*.

Bulla Cruciatæ an ſit neceſſaria in abſolutione illius, qui legit librum hæreticum in Gallia, Anglia, & aliis Prouinciis, vbi Bulla Cœnæ non eſt recepta. Vide, *Legens*.

Bulla Cruciatæ an ſit neceſſaria propter abſolutionem idiotæ legentis librum hæreticum compoſitum lingua Latina, quam nullo modo ipſe intelligit; & per conſequens, an incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ. Vide, *Legens*.

Bulla Cruciatæ an ſit neceſſaria propter abſolutionem comburentis librum hæreticum, & non tradentis Inquiſitoribus. Et conſequenter an talis incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ. Vide, *Comburentes*.

Bulla Cruciatæ ſicuti permittit commutationem votorum, an etiam permittat commutationem iuramentorum factorum circa eandem materiam votorum. tract. 11. reſol. 41. p. 183

Bulla Cruciatæ, quæ dat Confeſſario poteſtatem commutandi vota, an pariter det diſpenſandi. Vide, *Confeſſarius*.

Bulla Cruciatæ an concedat poteſtatem Confeſſario commutandi vota iuramento firmata. Vide, *Vota*.

Bulla Cruciatæ an concedat poteſtatem commutandi vota extra Confeſsionem ſacramentalem: & quid quando commutatio fit virtute Iubilei, vel priuilegij Regularium. Vide, *Votum*.

Bulla Cruciatæ an concedat poteſtatem commutandi votum pœnale, quoad pœnam pecuniariam ex eius fractione incurſam. Vide, *Votum*.

Bulla Cruciatæ an det licentiam commutandi votum factum in fauorem tertij. Vide, *Votum*.

Bulla Cruciatæ an concedat poteſtatem commutandi vota emiſſa poſt ſuſceptam Bullam. Vide, *Votum*.

Bulla Cruciatæ an concedat facultatem commutandi votum factum de non petenda commutatione. Vide, *Votum*.

Bulla Cruciatæ an det facultatem commutandi votum pœnale Religionis, ſeu caſtitatis. Vide, *Votum*.

Bulla Cruciatæ an concedat facultatem commutandi vota Religionis, & caſtitatis conditionalia. Vide, *Vota*.

Bulla Cruciatæ an concedat facultatem commutandi votum ingrediendi Religionem arctiorem, in laxiorem. Vide, *Votum*.

Bulla Cruciatæ an det facultatem commutandi omnia

vota, quæ commutare poteſt Epiſcopus. Vide, *Vota*.

Bulla Cruciatæ an concedat facultatem commutandi votum caſtitatis factum pro tempore limitato. Vide, *Votum*.

Bulla Cruciatæ an concedat facultatem commutandi votum non petendi debitum. Vide, *Votum*.

Bulla Cruciatæ an permittat commutationem voti de non nubendo. Vide, *Votum*. Vbi etiam, quid ſi fuiſſet factum in fauorem alterius.

Bulla Cruciatæ an concedat poteſtatem commutandi votum virginitatis, quando conſtat non eſſe votum caſtitatis, ſed ſolius integritatis corporis ſeruandæ. Et quid, quando vouens eſt dubius de intentione. Vide, *Votum*.

Bulla Cruciatæ an concedat facultatem commutandi votum non fornicandi, non vxorem ducendi certam mulierem, non committendi actum mollitiei, aut abſtinendi ab alio actu venereo. Vide, *Votum non fornicandi*.

Bulla Cruciatæ an permittat commutationem voti caſtitatis coniugalis. Vide, *Votum caſtitatis*.

Bulla Cruciatę an concedat facultatem cõmutandi vota diſiunctiua, quorum altera pars eſt reſeruata, vt ſi quis diceret: Voueo caſtitatem, aut Ordinem ſacrum. Vide, *Vota diſiunctiua*.

Bulla Cruciatæ an det poteſtatem commutandi votu m aſſumendi Ordines ſacros. Vide, *Votum aſſumendi*.

Bulla Cruciatæ an det facultatem commutandi votum caſtitatis, tranſeunti ad nuptias, vt poſſit petere debitum. Vide, *Votum caſtitatis*.

Bulla Cruciatæ an concedat facultatem commutandi votum, quando diuerſis votis varia ad caſtitatem pertinentia ſunt promiſſa, ita vt ex omnibus illis iunctis reſultet obligatio ad perfectam caſtitatem. Vide, *Votum*.

Bulla Cruciatæ, quæ vota permittat poſſe commutari. Vide, *Vota*.

Bulla Cruciatæ an permittat commutari iuramenta pœnalia, ſeu conditionalia caſtitatis, ſeu religionis. Vide, *Iuramenta*.

Bulla Cruciatæ an permittat commutationem voti caſtitatis vxoris, vel viri, emiſſi tempore conſummati matrimonij. Vide, *Votum*. Vbi etiam an ſoluto matrimonio?

Bulla Cruciatæ an concedat facultatem Confeſſario commutandi materiam, in quam fuit commutatum votum reſeruatum caſtitatis, ſeu Religionis, vel vltramarinæ peregrinationis. tract. 11. reſol. 61. p. 188

Bulla Cruciatæ an det poteſtatem Confeſſario commutandi vota caſtitatis, ſeu Religionis, emiſſa ſub proteſtatione expreſſa vouentis, ne ipſe ſit obligatus ad illorum executionem ſub onere peccati mortalis, ſed tantùm venialis. *Votum*.

Bulla Cruciatæ an concedat facultatem commutandi votum caſtitatis, ſeu Religionis, emiſſum propter metum. Vide, *Votum*.

Bulla Cruciatæ an permittat facultatem commutandi votum diſiunctiuum, quando altera pars non reſeruata eſt effecta impoſſibilis, ita vt eam vouens nequeat adimplere. tract. 11. reſol. 74. p. 189

Bulla Cruciatæ an concedat facultatem commutandi votum factum cum intentione illud efficiendi reſeruatum, vt, ſcilicet, à nemine poſſit auferri, niſi petita commutatione à Summo Pontifice. Vide, *Votum*.

Bulla Cruciatæ an concedat poteſtatem commutandi votum vouendi caſtitatem, ſeu Religionem. tract. 11. reſol. 76. p. 189

Bulla Cruciatæ an permittat, vt poſſit commutari votum Religionis Melitenſis. Vide, *Votum*.

Bulla Cruciatæ an permittat commutationem voti Religionis D. Iacobi Calatrauæ, & Alcantaræ. Vide, *Votum*.

Bulla Cruciatæ an det poteſtatem commutandi votum perſeuerandi in Religione, vt tempore Nouitiatus liceat egredi ex iuſta cauſſa. Vide, *Votum*.

Bulla Cruciatæ an concedat facultatem commutandi votum Religionis; vt ex iuſta cauſa non impleatur tempore præſcripto. Vide, *Votum*.

Bulla Cruciatæ an permittat commutationem voti caſtitatis coniugalis. tract. 11. reſol. 81. p. 190

Bulla Cruciatæ an permittat commutationem voti caſtitatis emiſſi cum licentia alterius coniugis. Et pariter an Epiſcopus poſſit diſpenſare. Vide, *Votum*.

Bulla Cruciatæ an det poteſtatem commutandi qualitatem, adiectã voto vltramarino. tr. 11. reſ. 83. p. 190. & 191

Bulla Cruciatæ an concedat facultatem commutandi votum caſtitatis, ſeu religionis, factum à perſona ſubiecta poteſtati alterius, vt à coniugata, ſeruo, vel filio ſine licentia viri, domini, vel patris. tract. 11. reſol. 84. p. 191

Bulla Cruciatæ, an ſuſpendat gratiam, per quam fuit conceſſum in aliqua Eccleſia Regularium altare priuilegiatum, in quo per Miſſam liberatur anima à Purgatorio. tract. 11. reſol. 86. p. 191

Bulla Cruciatæ an ſuſpendat priuilegia conceſſa in iure communi; & ea, quæ vſu toleratæ conſuetudinis approbantur. tract. 11. reſol. 87. p. 191

Bulla Cruciatæ an ſuſpendat Indulgentias Regularium. tract. 11. reſol. 88, p 191

Bulla Cruciatæ faciens mentionem de Mendicantibus an includat etiam alios Religioſos, qui mendicantes non ſunt, ſed ex beneficio Sedis apoſtolicæ eorum fruuntur priuilegiis. tract. 11. reſol. 89. p. 181

Bulla Cruciatæ an proſit illi, qui ſcit patrem, vel amicum quolibet anno Bullam Cruciatæ ſibi ſuſcipere, & poſſit vti dictæ Bullæ priuilegiis, antequàm pater, vel amicus, illum certiorem reddat de Bulla iam ſumpta eius nomine. tract. 11. reſol. 90. p. 192

Bulla, ſi elapſo anno non promulgetur ſtatim, ſed paulò pòſt promulganda erit, an duret, & poſſit quis intra illud tempus vti priuilegio primæ Bullæ. tract. 11. reſolut. 91. p. 192

Bulla Cruciatæ, vt proſit, an debeat ſumi in primo die eius publicationis; an verò ſufficiat, vt capiatur intra hebdomadam, & interim gaudeat illius priuilegiis. tract. 11. reſol. 92. p. 192

Bulla Cruciatæ, quæ durat per annum, ſi ante elapſum annum promulgetur ſecunda Bulla, an duret, donec tranſeat annus; & quis poſſit vti priuilegiis primæ Bullæ, non obſtante publicatione alterius Bullæ. tract. 11. reſol. 94. p. 192. & 193

Bulla Cruciatæ capta ab aliquo pro amico, qui ſcripſit in ea illius nomen, an poſſit acceptari, & deleri nomen ſuum, & applicari alicui. tract. 11. reſol. 95. p. 193

Bulla Cruciatæ capta à Petro pro Ioanne, qui iam ceperat alteram, non poteſt Petrus illam alteri applicare. tract. 11. reſol. 95. verſ. *Notandum*. p. 193

Bulla Cruciatæ vt proſit alicui, non habet neceſſe, vt in ea ſcribatur eius nomen; nec ſi perdatur, aut comburatur, quis propterea ea vti, & frui non poſſit. tract. 11. reſol. 95. verſ. *Nota etiam* p. 193. Et ſufficit, vt mediocri diligentia conſeruetur. ibid.

Bulla Cruciatæ an ſuſpendatur per clauſulam Bullæ Cœnæ. tract. 11. reſol. 96. p. 193

Bulla Cruciatæ an ſuſpendatur per Iubileum anni Sancti. tract. 11. reſol. 97. p. 193

Bullæ Cruciatæ priuilegia an ſint fauorabilia, & amplianda. tract. 11. reſol. 98. p. 193

Bulla Cruciatæ an poſſit prohiberi à Prælatis Regularibus, ne ſumatur ab eorum ſubditis: & Prælati ita prohibendo an peccent mortaliter. tract. 11. reſol. 99. & ſaltem an poſſint limitare. verſ *Verum eſt*. p. 193

Bulla Cruciatæ an ſuſpendat priuilegia Regularium commutandi vota, & in eis diſponendi, & abſoluendi à reſeruatis. tract. 11. reſol. 100. p. 194

Bulla Cruciatæ ſumpta ex pecuniis malè ablatis, furatis, ſeu à meretricibus acquiſitis, an valeat. tr 11. reſ. 101. p. 194

Bulla Cruciatæ, quæ concedit Indulgentias viſitanti quinque altaria, an pariter concedat viſitanti ex vno loco ſine motu corporali. tract. 11. reſolut. 102. Et hæc viſitatio altarium poteſt fieri in eadem Eccleſia, vel in diuerſis, verſic. *Sed notandum*. Et quid quando in vnico populo tantùm eſt vnica Eccleſia, habens tria, vel quatuor altaria. verſ. *Sed poteſt*. Et ſi quis non poteſt ingredi Eccleſiam, quia eſt plena hominibus, an conſequatur Indulgentiam Bullæ viſitando talem Eccleſiam à foris, vt ſibi poſſibile eſt. tract. 11. reſol. 103. pag. 194

Bulla Cruciatæ an concedat Indulgentiam viſitanti quinque altaria multoties eodem die. tract. 11. reſol. 104. pag. 194

Bulla Cruciatæ, quæ concedit Indulgentiam viſitanti quinque altaria, an requirat pariter, quòd viſitans ſit confeſſus; an verò ſufficiat fuiſſe confeſſum in Quadrageſima præterita, & habere propoſitum confitendi in Quadrageſima futura. Vide, *Indulgentia*.

Bulla Cruciatæ an requirat Confeſſionem pro lucrandis Indulgentiis, quando quis non habet peccata mortalia, ſed tantùm venialia. tract. 11. reſol. 107. p. 195

Bulla Cruciatæ quoties concedat Indulgentiam plenariam. tract. 11. reſol. 109. pag. 196


## C


CAlix, qui vſu aurum amiſit, & iterum poſteà deauratur, quoad illam ſuperficiem, quæ tangit Sanguinem Chriſti, an debeat de nouo conſecrari. tract. 15. reſol. 3. pag. 233

Cambium an ſit licitum, ſi pro campſario reſpondet Procurator campſoris, non de propriis, vel alienis pecuniis, ſed cum propriis ipſius campſoris. tract. 8. reſol. 1. p. 110. & 111

Cambium prædictum an licitè exerceatur non ſolùm à mercatoribus, ſed etiam à perſonis priuatis, vt à mulieribus. tract. 8. reſolut. 2. pag. 111. & 112. Et an ſupradictæ perſonæ priuatæ poſſint continuare tale cambium, *vbi ſuprà*, verſ. *Sed an*. Et an reſpondens pro ipſis debeat eſſe mercator, vel perſona diues. tract. 8. reſolut. 3. pag. 112

Cambium, vulgò dictum, *con la ricorſa*, an differat ab illo, quod vulgo dicitur, *con le continuationi*. tract. 8. reſ. 4. pag. 112

Cambia continuata, ſeu recambia an ſint licita ratione tantùm lucri ceſſantis, vel damni emergentis, vel etiam ratione emptionis, & venditionis. tract. 8. reſol. 5. pag. 112

Campſor debet dare ad cambium animo negotiandi illam pecuniam, eo modo, quo licitè fit inter mercatores, ſiue adſit lucrum, ſiue non; & non debet habere peruerſam intentionem lucrandi ex dilatione ſolutionis. tract. 8. reſol. 1. in fin. pag. 111

Campſor poteſt ſumere prouiſiones cambiorum ex inueterata conſuetudine: & quæ eſt iſta quantitas. Vide, *Prouiſiones*. Et an idem procedat in recambiis. ibid.

Campſor an poſſit in recambiis, & continuationibus exigere toties quoties prouiſiones. tract. 8. reſol. 8. p. 113.

Campſor an poſſit toties quoties recipere duas prouiſiones, vnam in loco, vbi efficitur cambium, & alteram in nundinis, quam recepit eius agens. tract. 8. reſolut. 9. p. 113. & 114

Campſor, quod accipit ratione prouiſionum, & intereſſe, an poſſit adiicere ſorti principali, vt cambium continuatum augeatur. tract. 8. reſol. 11. p. 114

Campſor non tenetur acceptare ſolutionem ſortis, niſi ſimul ſoluantur intereſſe cambiorum, & prouiſiones: imò in ſolutione primo loco poteſt recipere ad computum ſolutionem pro intereſſe, & prouiſionibus. tract. 8. reſol. 12. p. 114. Et an prædictus campſor adiiciendo ſorti intereſſe, & prouiſiones, poſsit in foro externo puniri, tanquam vſurarius. tract. 8. reſol. 13. p. 114

Campſor, qui bona fide dedit pecuniam Petro ad cambium ſoluendam Meſſanæ, exiſtimans ipſum habere pecuniam in tali loco, ſi poſteà comperiat non habere, an poſsit tantum exigere, quantum lucri percepiſſet, ſi Petrus ſoluiſſet Meſſanæ. tract. 8. reſol. 14. p. 114

Campſor cum campſario an poſsit à principio paciſci certum intereſſe in caſu non ſolutionis. tract. 8. reſol. 15. Vbi an ſaltem peccet mortaliter. verſ. *An verò*. p. 115

Capitulum Generale per Bullam Pap. Clement. VIII. circa largitionem munerum habet poteſtatem cognoſcendi, quæ ſit iuſta cauſa ad munus elargiendum per Religioſum ſuperiorem, vel inferiorem. Sed, an ſit dicta Bulla vſu recepta. tract. 6. reſolut. 1. verſ. *Solùm*. & verſ. *Ex his*. p. 80. & 81

Capitulum Generale ex dicta Bulla an habeat cognitionem circa quantitatem muneris largiendi, an verò ſpectet ad eoſdem Conuentus, & Superiores. tract. 6. reſol. 3. p. 81

Cardinalium declarationes an habeant vim legis. tract. 10. reſolut. 29. p. 166

Cardinalium decretum editum contra Religioſos accedentes ad loquendum cum Monialibus, an obliget ad peccatum mortale. tract. 10. reſol. 22. p. 163

Carnes an licebit miniſtrare in diebus ieiunij paruulis ante expletum ſeptennium? Quid de paganis, & perpetuò amentibus, ſeu furioſis. tract. 9. reſol. 42. p. 153

Caupones, ſeu tabernarij proponentes cœnam in die ieiunij omnibus indifferenter, an peccent mortaliter. tract. 9. reſolut. 39. p. 151. & 152

Cauſſa iuſta pro commutatione votorum quæ requiratur. tractat. 16. reſolut. 8. vbi fit diſtinctio. p. 268

Cenſus an poſsit conſtitui de pecunia debita, vel ex pretio mercium traditarum tempore contractus. tract. 8. reſol. 44. p. 122

Chirographa Theſaurarij Regni, & quælibet alia, quæ ſunt difficilis exactionis an poſsint emi dimidio pretio. tract. 8. reſol. 50. p. 125

Chorus conſtituitur ex aſsiſtentia quatuor Canonicorum in choro. tract. 12. reſol. 31. verſ. *Ex his*. p. 215

Chriſtianus non retinens memoriter verba Symboli, decem præceptorum, aut orationis Dominicalis eo ordine, quo proponuntur addiſcenda, licèt ſciat ſubſtantiam illorum, an peccet mortaliter, vel ſaltem venialiter. tract. 16. reſol. 12. p 270

Cingulum an perdat benedictionem, ſi ita frangatur, vt neutra pars ſufficiat ad cingendum Sacerdotem. tract. 15. reſol. 4. p. 233

Circunſtantiæ notabiliter aggrauantes an ſint à pœnitentibus in Confeſsinoe aperiendæ. tract. 7. reſolut. 1. p. 93. Et quid ſi illæ ſpeciem mutent. ibidem, verſ. *Secundò*. p. 94

Circunſtantiæ maris, vel fœminæ in peccato ſodomiæ, & beſtiæ huius, vel alterius ſpeciei, in peccato beſtialitatis, in Confeſsione an debeat explicari. tract 7. reſolut. 2. p. 94

Circunſtantia cum Sacerdote religioſo in peccato ſacrilegij, an debeat exprimi in Confeſsione; an verò ſufficiat dicere cum Sacerdote, vel cum initiato ſacris Ordinibus, tract. 7. reſol. 3. p. 54

Circunſtantia duplicis voti an ſit aperienda in Confeſsione à Religioſo, qui confitetur violaſſe votum caſtitatis. Vide, *Religioſus*.

Circunſtantia, quòd ſponſus, vel ſponſa de futuro ſe commiſcuerunt carnaliter cum aliqua, vel cum aliquo, an ſit aperienda in Confeſsione. Vide, *Sponſus*.

Circunſtantia, quòd pœnitens ſit Epiſcopus, vel Generalis alicuius Religionis, an ſit aperienda in Confeſsione. Vide, *Epiſcopus*. Vbi etiam, quid, ſi publicè peccaret fornicando.

Circunſtantia, quòd Nouitius, vel Nouitia ſe immiſcuerunt cum ſoluto, an ſit aperienda in Confeſsione. tract. 7. reſol. 7. p. 95

Circunſtantia, quòd ſit Sacerdos, vel initiatus ſacris Ordinibus, ſi occidit, vel percuſsit aliquem, an ſit aperienda in Confeſsione. Vide, *Sacerdos*.

Circunſtantia ſuæ virginitatis prima vice amiſſæ, à viro an ſit aperienda in confeſſione. Vide, *Vir*.

Circunſtantia virginitatis an ſit aperienda in confeſſione a virginibus ſponte fornicantibus. tract. 7. reſolut. 11. pag. 6 Et quid de Virginibus moroſè delectantibus circa aliquem. ibid. verſ. *Vide*. pag. 96.

Circunſtantia virginitatis an debeat exprimi in confeſſione a virgine ſola ſe polluente. Vide, *Virgo*.

Circunſtantia, quòd quis furatus eſt mille aureos, an ſit exprimenda in Confeſſione; an verò ſufficiat dicere: Furatus ſum rem notabilem. Vide, *Fur*.

Circunſtantia conſuetudinis peccandi an ſit explicanda in Confeſſione. tract. 8. reſol. 15. pag. 97

Circunſtantia ſub præcepto obedientiæ an ſit aperienda in Confeſſione, ſi Prælatus præcipit aliquid, & ſubditus non obediat. Vide, *Religioſus*.

Circunſtantia, quòd quis vnica volũtate voluiſſet plures homines occidere, aut pluries ad mulierem accedere, an ſit aperienda in confeſſione. tract. 7. reſolut. 17. pag. 97. & 98. Vbi etiam, an ſi vnico actu vellet occidere plures, quorum vnus eſſet pater proprius, alter Sacerdos, & alter ſæcularis; & ſi delectaretur de tribus fœminis, quarum vna eſſet Monialis, altera coniugata, & altera ſoluta. verſ. *Si tamen*. pag. 98

Circunſtantia geſtationis Reliquiarum in actu venereo, vel illas dare amaſiæ, an ſit aperienda in confeſsione. tract. 7. reſol. 18. pag. 98

Circunſtantia copulæ habitæ inter coniugatos in loco ſacro, an ſit aperienda in confeſſione. tract. 7. reſol. 19. pag. 98. Vbi, ſi per longum tempus in illo loco fuerint detenti, & longum tempus quod ſit in hoc caſu. ibid. pag. 98.

